Digitized by Google

3
41 N
11

I. VII. 29.

I II. 9

Digitized by Google

Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Ps. 45.

Adducentur Virgines post eam, Proximæ eius afferentur tibi. Ps. 44.

Homo et homo natus est in ea. Ps. 86.

Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei. Ps. 86.

Terra nostra dedit fructum suum. Ps. 84.

DOMINICI GINNASII
EPISCOPI OSTIENSIS S.R.E.CARDINALIS
ENARRATIONES IN OMNES PSALMOS DAVID
Cum Indice copioso rerum

TOMVS SECVNDVS

Adducetur in templum Regis. Ps. 44.

Reges Tharsis, et Insulæ munera offerent. Ps. 71.

Descendet sicut pluuia in uellus. Ps.

Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Ps.

ROMAE Typis Ludouici Grignani M. D C. XXX VI.

Ad Usum Domus Professæ Romanæ. Relig. Cl. Reg. Ministrantium, infirmis

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DOMINICI
EPISCOPI OSTIENSIS,
S.R.E. CARDINALIS
GINNASII.
IN PSALMOS DAVID
ENARRATIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE

IN PSALMVM LXXII.

Quàm bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.

EXPLORATVM sacræ Scripturæ Interpretibus vniuersis, librum Psalterij vnum quidem esse, at quinque distinctum segmentis, & vt Hieronymus in Prologo Galeato ait, incisionibus: quarum vnaquæquè terminatur vocibus, Amen, Amen, seù, Fiat, fiat. Explicito itaque primo nostræ Enarrationis Tomo, duo priora prædictorum continente segmenta, vt volumina paris sint magnitudinis æquum est visum, ad secundum Tomum tres reliquas referre incisiones, cuius Tomi admodum aptum sit principium ab hoc Psalmo 72. quem hæc præcedunt. Defecerunt laudes Dauid filij Ieſſe. Quæ verba Augustinus pro titulo accipit præfixo istimet Psalmo. Ac si per ea dicatur, expletis laudibus, & Psalmis primo in Tomo contentis, exordium reliquarum Tomo secundo contentarum isti detur Psalmo.

Digitized by Google

Titulus: Pſalmus Aſaph: Sic habetur in Vulgata. *Aſaph* erat Cantor nobilis, cui decantandus datus eſt Pſalmus iſte à Dauid.

Continuari poteſt ad præcedentem, in quo viſum eſt de his, qui iàm Deo inimici erant, & per paſſionem Ieſu Chriſti, in quem crediderant, facti ſunt amici Dei; & quia pauci ſunt electi, quamuis multi ſint vocati, Matth.c.22. numer.14. & qui terrena ſapiunt, & peccatores iniqui ſæpius exaltantur, iuſti verò humiles, & quaſi à Deo videntur derelicti, idcircò Dauid hunc Pſalmum Aſaph, qui congregans interpretatur, decantandum proponit iuſtis, & Eccleſiæ ſanctæ ſuos congreganti, vt doceat nos, qui ſpiritualia quærimus, ne in terrenorum exaltationibus hominum reſpiciamus, quorum tantùm ſpes eſt in his caducis; ſed in Deo ſperemus.

Summa ergo eſt, ne fideles ſcandalizentur, cum viderint in hoc mundo florere improbos, & iniuſtos.

Pro maiori ergo intelligentia huius Pſalmi, præmittendum eſt primò quid ſit Hymnus; item quare in alijs Titulis de Dauide fit mentio tantùm, hìc verò de Dauide filio Ieſſe; & ad primum, Hymnus, dicit Auguſtin. Soli Deo laus, & cum Cantico, ità vt ſi vnum ex his tribus deficiat, non dicatur Hymnus, nàm ſi ſine Cantico, ideſt non hilariter cantetur, non eſt Hymnus, Pſalm.68. numer.33. Laudabo nomen Dei cum Cantico, &c. & Pſalm.70. Exultabunt labia mea cum cantauero tibi; non eſt Hymnus, ſi Deum non laudat, & ſi ſit Dei non cum Cantico, non eſt Hymnus, non cantat enim hilariter, qui non laudat ſic: vt ergo ſit Hymnus, hæc tria habere debet, laudem, & Dei, & Canticum: in laude confitentis eſt prædicatio, in Cantico amantis affectio; Hæc enim in populo Hebraico defecerunt, vt patet in Matth. cap.23. per totum. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, num.13. cum ſequen.

Vel dicamus, Dauidi filij Ieſſe hìc ponuntur nomina, quia repræſentant duo teſtamenta, vetus ſcilicet per Ieſſe nomen; nouum etiam per nomen Dauid, de cuius radice fructus venturus erat Ieſus Chriſtus, de Maria Virgine naſciturus, in cuius & ſemine omnes gentes erant benedicendæ, Geneſ.cap.22. numer.18. & cap.31. numer.4. Defecerunt laudes, ſeù hymni, nàm lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem, Matth. cap.11. numer.13. cum ſequen. Ioſeph enim vir Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, Ioan.cap.1.numer.1. fuit ex ſemine Abrahæ, ac Dauid, non attulit temporibus Dauid, & Ieſſe fructum illa radix, quia poſita erat deorſum, adeòquè cæleſtis ex ea fructus produci nequibat; cæterum fructum produxit ex Beatiſſima Virgine Maria, quia deſurſum Spiritus ſanctus deſcendit ſuper illam, qui ex radice produxit fructum Chriſtum Ieſum in mundo.

O quàm bonus, ò Iſrael, ò Eccleſia, Deus, qui vt te ſaluaret, & viuificaret, ex radice, ex inferiori parte terræ voluit carnem aſſumere, qui & terram, & radices condidit, vt ſublimis, & Dominus humilis factus ſaluaret te. Quàm magna miſericordia Domini, & propitiatio illius conuertentibus ſe ad ipſum? Eccleſ.12. In radice poſuit ſemen, vt altius produceret fructum, vt terram ſecum traheret in Cælum: vt tu homo vilis, & vermis, & mortalis Altiſſimo eſſes ſimilis: vt mortalis cũ ipſo fieres immortalis: ò quàm bonus Iſrael his, qui recto ſunt corde. Fracti ſunt Iudæorum rami, quia non crediderunt Ieſu Chriſto; tu Gentilis in ramis fractis inſertus es oliuæ, & ex oleaſtro factus es

Digitized by Google

ramus oliuæ insertus, ad Rom. 11. n. 11. Nunquid dicit Paul. sic offenderunt, vt caderent? absit, sed illorum delicto salus est Gentibus, vt illos æmulentur, quòd si delictum eorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium, quantò magis plenitudo? & n. 16. quòd si delibatio sancta est, & massa, & si radix sancta, & rami; quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus ramos, quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dices ergo fracti sunt rami, vt ego inserar; benè: propter incredulitatem fracti sunt: tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time, si enim naturalibus ramis non pepercit, ne fortè, nec tibi parcat, &c. Bonus est enim Deus Israel his, qui recto sunt corde; reddit tamen retributionem superbis, Psalm. 93. numer. 2. Si ergo in ramo oliuæ insertus permanebis, fructum proferes de illius radice. Exaltatur impius, noli plus sapere, noli timere pusillus grex, Luc. cap. 12. num. 32. Fige pedem, non effundantur gressus tui, non moueantur pedes tui; in vijs Domini sis consistens, & iuxtà domum Domini requiesce, & in parietibus illius fige palum, Eccles. cap. 14. quoniam complacuit Patri tuo dare tibi regnum, fige tentorium tuum in hoc deserto, Num. c. 13. in princ. vt firmus in fide perducaris in Cælum. Vide ò iuste, ne perdas sustinentiam; nàm scriptum est, væ illis, qui perdiderunt sustinentiam, idest patientiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas, Eccles. cap. 2. numer. 17.

Prius erant cor meum, & pedes mei recti, attamen ijdem mei penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, dicebat, qui nunc Deum bonum fatetur, cæterum haud lapsus est, nec gressus eius effusi, iàm propè erat, vt in errorem incideret, non errauit, stetit, firmus in fide permansit, propterea dixit, penè, quia citò cogitationes malas abiecit, quibus à veritate longè abire tentabatur. Quid ad te, ò Dauid, ò iuste, & fidelis, si Deus impium exaltari permittat, vt tu cum Deum interrogare præsumas cum Ieremia cap. 12. in princ. dicente, Iustus quidem es tu Domine, si disputem tecum; veruntamen iusta loquar ad te, quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum. Non considerabis, quia Dominus longè est à renibus eorum, ab intimis cordis eorum? reliquit in sensu suo quoslibet eorum. Considera Epulonem, & videbis finem: Crucior, dicebat, in hac flamma, mitte Pater Abraham, Lazarum, &c. Luc. capit. 16. numer. 24. Considerabis etiam Dei responsionem Ieremiæ factam in eodem cap. numer. 7. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius, &c. Eandem faciebat Iob Deo interrogationem, dicens, in cap. 21. numer. 7. Quare ergo impij viuunt, subleuati sunt, confortatiquè diuitijs? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum; domus eorum securæ sunt, & pacatæ, & non est virga Dei super illos, &c. egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus, &c. ducunt in bonis dies suos. Sed quid tum? audi, In puncto ad inferna descendunt, &c. Veruntamen, quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me, & numer. 18. Erunt sicut

paleæ ante faciem venti, & ſicut fauilla, quam turbo diſpergit, Deus ſeruabit filijs illius dolorem Patris, &c. & de furore omnipotentis bibet, &c. in diem enim perditionis ſeruatur malus, & ad diem furoris ducetur, ibidem num. 30. Penè ergo moti ſunt pedes mei, penè effuſi ſunt ad errandum greſſus, penè moti ſunt pedes ad lapſum, Auguſtin. hìc litera K. Iàm ibam in errorem, non ieram; iàm cadebam, non eccideram.

Quia, inquit, zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Zelum multipliciter eſſe dicunt hìc Doctores; idem enim eſt zelare, quod imitari, Pſalm. 36. in princ. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem, ideſt non imiteris facientes iniquitatem, & Eccleſ. cap. 9. num. 1. Non zeles malitiam proximi tui, ideſt noli amare illam, & Act. Apoſtol. c. 17. numer. 5. Multitudo magna, & mulieres non paucæ adhæſerunt Paulo prædicanti, zelantes autem Iudæi, aſſumentesquè de vulgo viros quoſdam malos; & turba facta, concitauerunt Ciuitatem, & ſic zelare eſt inuidere, & dolere: hìc verò zelare dici poteſt poſitum pro amare, vt ſcilicet, iſte iuſtus iniquorum pacem amaret, non iniquitatem illorum provt inferius declarabitur. Quòd ſi cum Auguſtino, & alijs ſumatur pro inuidere, ſenſus erit zelaui, ideſt inuidi eis, & grauiter tuli. Zelaui pacem temporalem, fluxam, caducam peccatorum, quam ſolebam à Deo petere, pro qua ſeruiebam: zelaui videns, ſed non intelligens, quia hæc pax videtur, ſed non intelligitur, oculos eludit, eſt enim fluxa, atque caduca; hanc talem iſte iuſtus deſiderabat pacem à Deo. Auguſtin. Vidi illos habere, qui non ſeruiebant Deo, quod ego deſiderabam, vt ſeruirem Deo, & moti ſunt pedes mei, & penè effuſi ſunt greſſus mei. Sed quare habent hæc peccatores? dicit cauſas aliquas hìc Pſalmiſta. Quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.

Vel ſi alicui placuerit noſtra ſententia, dicamus, quod non ſit vero ſimile, Dauidem Prophetam, pacis, & lucri ità auidum fuiſſe, & bonorum acquiſitionis, vt propterea cæteris diuitibus inuideret, ipſe enim Rex erat, & de poſt fętantes eleuatus, & acceptus, vt idcircò potius alij ipſi inuidere debuiſſent, & eò magis quia in fine iſte Pſalmus ab illo dicitur factus, tempore, quo pacificè regnabat, eratquè Rex valde diues: zelus enim domus Dei comederat illum; cum videret illos iniquos, & peccatores pacem, & diuitias habere in ijs minimè conſiderantes, quia morituri eſſent, & quòd ſpes, & illorum firmamentum in ijſdem erat poſitum, nunquam ſe morituros credentes. Quòd non laborant manibus, neque cum hominibus flagellantur, vt flagellum illorum dæmonibus reſeruetur, & ideò ſuperbi ſunt, & iniquitate pleni, & iniquitate, &c. Sed quid tibi, ò Dauid? quare zelas ſuper iniquos iſtos peccatorēs; quòd pedes tui penè moti ſunt, & greſſus tui penè effuſi ſunt? Vt diſperdā, inquit, memoriam eorum, ad vlciſcendum pedes mei mouentur, & greſſus effuſi penè ſunt mei. Exiſtimabam, vt cognoſcerem hoc, labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſimis eorū, & recordatus ſum, quòd Deus non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat: & ſi impœnitentes permanſerint, Deus diſperdet illos, & cum iuſtis non ſcribentur: & ideò viuunt ex permiſſione Dei; vel vt per illos boni exerceantur, vel vt ipſi corrigantur. Penè moti ſunt pedes eius, penè greſſus eius effuſi ſunt, vt cur-

ren-

rentium ſanguinem iſtorum iniquorum effunderet, terrenos illos cum terra miſceret, occideret, perderet; Non enim iàm erat reſpectus morti eorum, vt exemplo eorum cæteri cognoſcerent, quia mors depaſcet illos, Pſalm.74.numer.15. Pluant ſuper peccatores laquei: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum,pars calicis eorum, Pſalm.10.num.7. vndè D.Hieronym. in lib.3. Comment. Matth. cap.18. ibi. Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, erue eum: inquit. Igitur omnis truncatur affectus, & vniuerſa propinquitas amputatur, ne per occaſionem pietatis vnuſquiſque credentium ſcandalis pateat, ſi, inquit, ità eſt, quis tibi coniunctus, vt manus, pes, oculus, & eſt vtilis, atque ſolicitus, & acutus ad perſpiciendum, ſcandalum autem tibi facit, & propter diſſonantiam morum te pertrahit in gehennam, melius eſt, vt & propinquitate eius, & emolumentis carnalibus careas, quàm, dum vis lucrifacere cognatos, & neceſſarios, cauſas habeas ruinarum. Zelatus ergo erat Dauid zelo magno, & indignatione mala zelatus erat iniquos, Zach. cap.8.numer.2. vt perderet illos.

Quo loco animaduertendum ſimili quidem zelo, & Ieſum contrà iniquos fuiſſe zelatum, vndè Ioan.cap.2.numer.14. quando facto flagello de funiculis eiecit de Templo omnes vendentes, & menſas nummulariorum ſubuertit, hæc legimus, Recordati ſunt verò Diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me. Nullatenus tamen ea ratione filium Dei zelatum ſuper iniquos cenſendum, qua hìc dicitur, vt penè moti ſint pedes eius,& effuſi greſſus illius, cum tametſi id non euenìſſe ſignificetur adiecta voce penè, iſtud tamen ipſum penè quid deſignat imperfectionis. Adde quod nec pleraq. alia eiuſdem Pſalmi illi minimè aptari queunt. Zelo certè ſancto zelatus eſt, qui hìc loquitur iuſtus contrà iniquos proſperis abutentes, nàm cum illi pacem,& bona à Domino acceperint, vt de eis benè diſponerent, iniqui mortis immemores, ac ſi à Deo nihil accepiſſent, firmamentum in plaga eorum poſuerunt, plaga enim eorum erit, quia propter illa malè diſpoſita plagis cruciabuntur æternis.

Vel ſi iterum dicere volumus, quòd iuſtus noſter videns iniquos exaltatos, & in pace bonis fruentes: zelauit, ideſt ſtuduit intelligere quid cauſæ eſſet, quòd peccatores Dei inimici gloriantur,& in diuitijs iactantur,& ſuperbi ſiunt, nec mortis periculum timent, & firmamentum illorum eſt in plaga, in peccatis, opertiq. ſunt iniquitate, & impietate. Studuit Dauid, vt ſciret cauſam, quare Deus iſtos ſuſtineat, & quaſi pedes eius moti ſunt, & greſſus effuſi; vt hoc cognoſceret, dicens, ecce peccatores, & abundantes in ſæculo obtinuerunt diuitias: moti penè pedes mei, vt dicerem intrà me.

Ego fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis; ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. O quàm bonus Iſrael Deus rectis corde: penè moti ſunt pedes mei; ſed ecce quòd ante me laborem exiſtimabam, & ecce ſpiritus bonus ſuccurrit mihi, quia ſic contrà iniquos cogitando,quaſi aſſerere videbar, Deo non eſſe curæ de his inferioribus: & ſanctos Patres meos Abraham, & alios quaſi reprobabam, qui aſſeruere in Deo prouidentiam eſſe de omnibus, peccatoribus interdum iuſto iudicio dat proſperitatem, & iuſtis afflictiones, ac ſi ij ab ipſo eſſent derelicti, cum tamen falſum id ſit, prout in Sapientia legere eſt, cap.3. & 5. & per totum: Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace, & in cap.5.num.3. Hi ſunt,

Digitized by Google

quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij : nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam,& finem illorum ſine honore,ecce quomodò computati ſunt inter filios Dei,& inter ſanctos ſors illorum eſt, &c.

Quia zelaui ſuper iniquos, Noli amplius zelare, noli altiora te quærere, quia iudicia Domini abyſſus multa; reſpice iuſtorum in pace perpetua glorioſa finem nunquam finiendum, illi enim verè ſunt in pace; iniquorum verò finis ignis, & ſulphur, & dentium ſtridor, Sap. dicto cap. 5. Quia non fuit reſpectus morti eorum, ideò firmamentum in plaga eorum, non enim diem mortis ſuæ reſpiciunt, neque conſiderant aliud, quàm quæ habent in hac vita; Deus verò reſpicit iuſtos in altera vita, Sapien. dicto cap. 3. num. 6. Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus eorum. Impij autem ſecundum quæ cogitauerunt, correptionem habebunt, qui neglexerunt iuſtum, & à Domino receſſerunt, infelices enim erunt, quia ſapientiam, & diſciplinam abiecerunt, &c. Quia non eſt reſpectus morti eorum, vt ſcilicet viuant plus, quàm iuſti, vel moriantur; quia perditio eorum ab illis, poſuerunt enim firmamentum in plaga ipſorum, in iniuſtitia, & iniquitate.

In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Nàm receperunt bona ſua in hac vita; tribulationes, & iuſtorum flagella non ſuſtinuerunt, propterea in morte flagellabuntur æternaliter, iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum. Hæc iniquorum eſt pax, & ideò non eſt reſpectus miſericordiæ Dei morti eorum, quia in peccato ſuo permanſerunt, & ideò in morte non ſunt à Domino liberati ab ipſorum peccatis : nec plagæ eorum, quæ ex peccatis proueniunt, conſolidantur. Non eſt firmamentum illis in plaga eorum, quia incurabiles facti ſunt in obſtinatione, & perduratione in peccatis. Tradidit enim illos Deus in deſideria cordis eorum. Ideò tenuit eos ſuperbia, ad Roman. cap. 1. num. 24. in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Iàm intellexiſti, quare pacem habent, & florent in terra, quia morti eorum non eſt declinatio, ideſt quia certa mors, & æterna eis manet, quia nec illa declinat ab eis, nec ipſi declinare ab ea poſſunt, quia non eſt declinatio mortis eorum, & firmamentum in plaga eorum, Auguſtin. hìc litera E.

Et ideò tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Nàm ſi ex iniquitate proſperitas, ſi ex impietate pax illis eſt, cur non eos ſuperbia tenebit, quæ eſt iniquitatis, & omnium peccatorum initium, & mater? Eccleſ. cap. 10. numer. 15. Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, quoniàm ab eo, qui fecit illum, receſſit cor eius, quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia, & qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & ſubuertet eum in finem. Et ideò tenuit eos ſuperbia, quia operti ſunt iniquitate ſua; opertos dixit illos, non amictos, vt ſaltem liberum caput haberent, ſed toti operti ſunt, ne reſipiſcant, vt ſemper in infirmitatibus ſuis glorientur, Ambroſ. Epiſt. 84. & Bernard. Serm. 2 de S. Andrea litera B. Quia tenuit eos ſuperbia, permanentes ſteterunt, & ſuperbientes, quid mirum ſi omnes iniquitates, & impietates totum corpus, & animam operuerint, vt cæci facti operirentur in inferno flamma ignium, vt quaſi ex adipe iniquitatis eorum prodierit, ſicq. languor ex igne, qui prouenit ex iniquitate, in maiorem pœnã, & cruciatum illis accreſcat, & nũquam

quam creſcere deſinat, ſed ſemper duret, ſemperq. fluendo percutiat, & cruciet.

Prodijt nàmque ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis. Sed vndè prodijt iniquitas, niſi ex adipe, ex pinguedine, ex rerum temporalium abundantia? fundamentum ſuperbiæ in diuitijs, quæ nec ſunt veræ, nec veſtræ, S. Bernard. Serm.4. de Aduentu, Quid vobis cum terrenis diuitijs, & gloria temporali, quæ nec veræ, nec veſtræ ſunt? & 1.Timoth.cap.6. Præcipe diuitibus huius ſæculi, non ſublimè ſapere, ſed benè agere, & diuites fieri in bonis operibus, vndè Auguſtin. in lib.vno de vera Religione Tom.1. cap.45. litera F. Habet ſuperbia quendam appetitum vnitatis, & omnipotentiæ, ſed in rerum temporalium principatu, quæ omnia tranſeunt tamquam vmbra. Væ duplici corde, dantes ſe partim Deo, partim mundo, & labijs ſceleſtis, & manibus maleſacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs, Eccleſ. cap.2.num.14. vndè Pſalm.33.nu.11. Diuites eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono, Pſalm.33. Virtutem altitudinis cæli Dominus conſpicit, & omnes homines terra, & cinis, Eccleſ.c.17. in fine. Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum. De diuitibus ergo loquitur, quorum amor nummis creſcit, quantum ipſa pecunia creſcit: diuitiæ illis creſcunt, & fit, vt quaſi ex adipe prodeat iniquitas eorum: Non ex macie neceſſitatis, ſed ex abundantia, & libidinoſa cupiditate prodijt iniquitas. Quid de te dicis, ò Dauid? Ouem vnicam pauperem tuliſti, & Vriam interficere feciſti, vt illa fruereris? Dominus tranſtulit peccatum tuum, quia confitendo pœnitentiam egiſti, ſed quia quaſi ex adipe prodijt iniquitas tua, quia dives eras in omnibus, non recedet gladius de domo tua, 2.Reg.cap.12.num.10.

Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum, Auguſtin. hìc: Sunt mali, ſed macie mali, ideò mali, quia macri, ideſt exiles, quadam neceſſitate affecti, & ipſi mali damnandi: ferenda eſt enim magis omnis neceſſitas, quàm perpetranda aliqua iniquitas. Aliud tamen eſt de neceſſitate peccare, aliud in abundantia: pauper mendicus furtum fecit, ex macie proceſſit iniquitas: dives abundans rebus tantis, quare diripit res alienas? illius iniquitas ex macie, huius ex adipe proceſſit. Quare hoc feciſti ò pauper, reſpondet cum humilitate, quia neceſsitas impulit me, coegit me: quare Deum non timuiſti egeſtas compulit, Diuiti autem quis dicet, cur hæc facis, nec ſi tamen tantus es, qui poſſis dicere, vide ſi vel dignatur audire, vide ſi nõ etiam in te ipſo prodiet iniquitas ex adipe eius, quia Deum times? ſuperbus eſt, quia pinguis eſt, quia ad victimam deuotus eſt: prodijt quaſi ex adipe iniquitas eius. Tranſierunt in affectum cordis, in diſpoſitionem illius. Quid eſt tranſierunt? prætergreſſi ſunt viam, exceſſerunt humani generis metas. Quid eſt tranſierunt? quia ſe maiores alijs hominibus reputant, vt cum illis in viam rectam incedant. Nunquid non vos homines filij Adam? nunquid diuitum cineres pretioſiores pauperum ſunt? erat Salomon plus quàm tu dives; audi quid ille ducat, Sapien.cap.7. in princ. ſum Et ego mortalis homo; ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, &c. & num.6. & 7. Vnus eſt introitus omnibus ad vitam, & ſimilis exitus, &c.

Quaſi ex adipe iniquitas illorum, quia cor eorum congregauit iniquitatem ſibi, Pſal.40.nu.6. Tranſierunt in affectum cordis, in quo congregata erat iniquitas, quam poſteà iniquitatem operando foras miſerunt, vt & iniqui ab omnibus

nibus reputarentur, ideò ſequitur Pſalmiſta, dicens,

Cogitauerunt, & locuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Quod intus habebant, extrà effuderunt, vt alios ſimiles ſibi efficerent in iniquitatibus, vt Deum contrà illos ad iram prouocarent; gloriantur in infirmitatibus illorum, nàm in excelſo, ideſt palam contrà Deum, & proximum falſa ſine timore temerè locuti ſunt iniquitatem. Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra. Ex adipe iniquitatis, & miſeriæ repletum eſt cor eorum, & quod intus erat in corde, tranſiuit in terram, in aures terrenorum, in aures aliorum, vt & ipſi iniquitatem perpetrare addiſcerent; Quid in altum? niſi vt altiores alijs, niſi vt graues luerent pœnas, & cruciatus? Locuti ſunt iniquitatem, dixit, quia ſub hoc vocabulo, ſub hoc nomine docet nos Pſalmiſta, quòd iſti iniqui omni genere peccatorum erant inquinati; nàm ſub nomine iniquitatis, ſeptem mortalia comprehenduntur peccata.

Cogitauerunt, & locuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt: Proijciamus à nobis iugum ipſorum ſcilicet Apoſtolorum, Pſalm.2.num.3. & Dominus irridebit eos, contumelia, & tormento interrogemus eum, Sapien. cap.2.nu.19. obcæcauit eos malitia ipſorum, dixerunt enim prius intrà ſeipſos in corde ſuo; oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam ne videat in finem: non eſt Deus in conſpectu illorum, inquinatæ ſunt viæ illorũ in omni tempore, Pſal.10. in Hebræo, num.5. & num.11. Iniquitatem locuti ſunt in excelſo, dicentes in corde ſuo, quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra, ſigna non vidimus, & non eſt Propheta, & nos non cognoſcet amplius, Pſalm.73.num.8. & 9. In iram excitauerunt excelſum, & malè locuti ſunt de Deo, Pſalm.77. num.19. ira tua accendatur in illis Domine, numer.21. Dixiſtis inſipientes in corde veſtro, non eſt Deus, corrupti; & abominabiles facti eſtis, Pſalm.13. numer.1. O infelices, ò iniqui, & inſenſati, quæ dixiſtis in cordibus veſtris, ore compoſuiſtis ad increpandum verba veritatis, os veſtrum contrà Excelſum apertum eſt, & ecce lingua veſtra tranſiuit in terram; Verba veſtra prævaluerunt in terra ad perdendos puſillos; & iniquitatibus veſtris Deus propitiabitur? Erat ille in cælo, qui ſimilem Deo ſe eſſe ſuperbiebat, & ecce de cælo proiectus in infernum, ex Lucifero factus eſt Diabolus; & vos qui Diabolo peiores eſtis, qui Deum negatis, & virtutem eius, vos ſcilicet vmbra de terra in excelſum audaces verba componitis? ô infelices, ò iniqui, facilius eſt de terra, quàm de cælo deſcẽdere ad inferos, ecce lingua veſtra tranſiens in terra, vt concinnans dolos, maiores in inferno patiatur cruciatus. Stabunt iuſti in magna conſtantia conſiderantes ſuperbiam, & iniqua opera veſtra aduerſum vos, qui illos anguſtiaſtis, & in labores eorum introiſtis, & abſtuliſtis: & dicitis; Quid enim nouit Deus? & quaſi per caliginem iudicat, nubes latibulum eius, & noſtra non conſiderat, & circà cardines cæli perambulat, Iob cap.22.num.13.

Ideò conuertetur populus meus hìc, & dies pleni inuenientur in eis: nàm in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum. Vel dicamus cum Auguſtin. In hac ſecunda parte, & cum Aſaph quæramus, quid ſint dies pleni, & quando erit, vt populus conuertatur hìc, & inueniemus, quòd plenitudo temporis, ad Galat.cap.4. quando ſcilicet Iudæorum populo, & toto mundo in maligno poſito, venit Ieſus factus homo, vt hominem perditum redimeret, & viam veritatis doceret, tunc pars Iudæorum ad Dominum conuerſa,

&

& Gentilitas iàm perdita, verbum Chriſti cum gaudio ſuſceperunt. Ideò hìc, ideſt in hac veritate populus meus conuertetur, & dies pleni tunc erunt. Conuertetur hìc, ideſt in hoc iniquorum documento, conſiderans tranſitoria hæc mundana, & temporalia, quæ ducunt omnes debiles in tentationes varias, itavt quaſi ex adipe pinguedinis fluant in cordibus eorum iniquitates; qui verò diligunt Deum, quamuis tribulati, & anguſtiati, percipiunt ſuſtinentes vitam æternam.

Vel aliter dicamus; Poſuerunt in cælum os ſuum, Erant enim Hypocritæ, & lingua eorum tranſiuit in terra, ſimulabant longas orationes, vt comederent domos viduarum, Luc.cap.20.num.47. Matth. cap.23.num.14. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, quia comeditis domos viduarum; orationes longas orantes, poſuerunt os ſuum in cælum, & lingua eorum tranſibat in terra, & comedebant domos viduarum: circuierunt mare, & aridam, vt facerent vnum proſelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos, Matth. vt ſupra numer.15. & Marc.cap.12.numer.39. & 40. Cauete à Scribis, qui volunt in ſtolis ambulare, & ſalutari in foro, & in primis Cathedris ſedere in Synagoga, &c. propterea illos genimina viperarum vocabat Ioannes, vt in Matth. cap.3.num.7. Poſuerunt os ſuum in cælum. Vnum Patrem dicebant habemus Deum, & lingua eorum tranſiuit in terra, deſideria Patris ſui, Diaboli facientes, Ioan. cap.8.num.49. hæc videntes homines, dicit Dauid.

Ideò conuertetur populus meus hic, & dies pleni inuenientur in eis. Viſis iſtis iniquitatibus Sacerdotum, & Phariſæorum, conuerſus populus, & intrà ſe conſiderans per totam diem, & per plenitudinem dierum, hoc eſt, quòd nihil aliud quærebant, quàm quomodò hæc facientes coram Deo perſiſterent, quia mala erant opera illorum, & iniqua, & dixerunt quomodò ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Nàm iſtorum eſt iniquitas, & ſcandaloſa, & tamen illis bona proueniunt, curæ eſt ne Deo de iſtis inferioribus? iuſtus eſt Dominus, & in illo inuentus non eſt dolus, nec iniuſtitia; quomodò ſi regit mundum, & omnia ei aperta ſunt, ſinit vt ex iniquitate iſtorum eueniant illis bona. Penè moti ſunt pedes tui ò Aſaph, penè greſſus tui effuſi ſunt, nunquid ò homo iuſtus, cuius pedes penè moti ſunt, ſemitã ſæculorum cuſtodire cupis, quam calcant viri iniqui, qui dicunt Deo, recede à nobis, & quaſi nihil poſſit facere, omnipotens exiſtimas eum, cum impleret domos eorum bonis, Iob cap. 22. num.15. Procul eorum ſententia ſit à te Dauid; quomodò pes tuus penè motus eſt, ſi vt dicis, Zelas ſuper iniquos? Quid enim nomine Zeli, niſi exactio caſtitatis, ne anima legem Domini ſui contemnat, & à Deo ſuo fornicando diſpereat. Lætare Dauid, quia & ſi affectui tuo ſint turbulenta, in Dei tamen diſpoſitione tranquilla ſunt, Sapien. cap.18.num.21. Dominus enim virtutum cum tranquillitate iudicat, Auguſtin. Pſalm.78. litera F. Tetigit enim tunc te, quando penè effuſi ſunt greſſus tui, tentatio mortis, & commouo etiam alios iuſtos videntes iniquos exaltatos, vt te probaret Deus. Noli timere Dauid, nolite mirari iuſti, non diù permanebit ira Domini ſuper illos, veniet deſideratus cunctis gentibus, & liberabit illos à cæcitate, in qua detinentur, interim quiſquis tu es ſine quærela deprecare pro populo, pro illis, qui in terrenis ſpem ſuam poſuerunt, proferens ſeruitutis tuæ ſcutum orationem, & per incenſum deprecationem allegans, quia Dominus veniet, & illuminabit abſcon-

ſcondita tenebrarum, & illuminabit corda fidelium, facit Sapien.cap.18.nu.21.

Et tunc ſcient, quia eſt ſcientia in excelſo, Domino enim Deo antequam crearentur, agnita ſunt omnia, & ſic poſt perfectum reſpicit omnia, Eccleſ.23. num.39. Tunc enim docebit, temporalia contemni, quando venerit Ieſus, qui factus via, reducet ad cognitionem intimam, & admonebit, quid à Deo quærendum ſit, Auguſtin. hìc. Et vide de qua cogitatione reuerberatur in ſe, & quodammodò reuocantur fluctus ſui; tranſitur ad vera eligenda, ideò reuertetur populus meus hìc, & dies pleni inuenientur in eis.

Adhùc Dauid quaſi extra ſe poſitus, quia vidit iniquos in terra pacificos, & diuites, & exaltatos, Zelans populi ſui etiam ſalutem, & ne in eandem incidat tentationem, dicit: Ideò conuertetur populus meus hùc, ad has iniquorum actiones reſpicet, hìc firmabit cogitationes ſuas, calamitates, & afflictiones ſuas, ità vt ſemper ante oculos eius, futura ſit iniquorum pax, & facultas, atque diuitiæ; & dies integros, ideſt plenos in his conſummet cogitationibus, & inueſtigationibus, & admirans, ſi Deus fecit omnia, & antequam faceret, erant ei nota, & manifeſta; & poſtquam etiam facta ſunt coram ipſo reſplendent, & apparent; ſi, ideſt quomodò eſt ſcientia in excelſo; & quomodò ſcit Deus, nàm iſtorum iniquitas nota eſt etiam hominibus, quomodò Deo non eſt nota, ſi habet ſcientiam? & ſi nota eſt, quomodò quia iuſtus non delet iſtos, non pluit ignis de cælo ſuper iſtos, & ſulphur, vt omnia deleantur, tollantur, eradicentur? cogitabam, inquit, populus Dei intrà me, & dixi, ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & lauj inter innocentes manus meas, & fui flagellatus totà die, & caſtigatio mea in matutinis. Quid dicis ò populе Dei, pes tuus penè motus eſt, & greſſus tui, nonnè ſic dicendo recedis à Deo tuo? nonnè ſic loquendo reprobas nationes filiorum Dei? non ſic impij, non ſic vt vides ſunt permanſuri, ſed tamquam puluis, qui proijcitur à facie terræ; tuum verò, & populi Dei, qui veras diligitis diuitias, in æternum erit ſemen; in æternum pax veſtra; in æternum Regnum Patris mei poſsidebitis; quid ad te de his, qui foris ſunt, qui extrà viam iuſtam ambulant? qui in viam peccatorum ſederunt? ſcrutare legem Dei noſtri, & declinabunt à te maligni, & iniqui, & non confundet te Deus ab expectatione tua; ſi enim iniquitatem aſpexeris in corde tuo, quomodò exaudiet te Dominus? ideò enim in has incidiſti tentationes, quia retrò conuerſus vidiſti illos bonis affluentes, reſpice cælum, & videbis Saluatorem te adiuturum.

In hac enim via, qua ambulabas, abſcondit Diabolus laqueum tibi, iàm video, quia te cogit veritas, quia lux intrat in corde tuo, albeſcit Polus, quia Chriſtus venit in te, diſcedant tenebræ: quid dicis ò Dauid? ſunt ne cogitationes tuæ narrandæ populis? non certè. Si dicebam narrabo ſic; ecce nationem filiorum tuorum reprobaui, qui confitentur te Deum omnipotentem Creatorem cæli, & terræ, qui ſupra iuſtos, & iniuſtos oriri facis Solem, qui pluis ſuper bonos, & malos, omnia in ſapientia tua feciſti Domine, & quis vias tuas inueſtigare poterit? quomodò ergo dicere potero, quòd Deus non curet iſta? nonnè ſancti Patres omnes hoc aſſeruerunt, & docuerunt, ità nos prædicare, & credere omnia hæc, ità vt tranſeant in generatione altera, in filios filiorum? Nunquid illis Patribus prudentior ego ſum? Si ergo caſtigatio tua, ò Dauid in matutinis, & tota die flagellatus ſis; an ignoras? quia quos Deus amet,

amat, hos corrigit, & flagellat, ad Hebr. cap.12.nu.6. Apocal.cap.3.nu.19. & Sapien.cap.12.num.22. Cum das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam: Vndè & illis, qui in vita sua insensatè, & iniustè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dedisti summa tormenta; etenim in erroris via diutius errauerunt, &c. infantium insensatorum more viuentes, propter hoc tamquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti; qui autem ludibrijs, & increpationibus non sunt correcti, dignum Dei iudicium experti sunt; castigatio ergo in matutinis. Ex quo ad seruitutem Dei accessisti, nonnè animam tuam ad tentationes præparasti? Eccles.cap.2.num.1. sta in iustitia, & timore.

Quid modò dicis? à te non recedunt flagella Dei; benè seruis, & flagellaris; alius iniquè agit, & quiescit; atque ditatur. Infirmitas tua in Dauid grauis erat, ad mortem erat, si permanebas in illa, si Medicus non te curasset in matutino, idest, si citò in medicamentis non te præueniisset, grauior fuisset infirmitas tua, si permansisses in tentationibus, quamuis scientiam Dei non negaueris, quia tamen iniquum exaltatum videbas, de scientia Dei dubitasti, dicens, si est scientia in excelso? te præuenit Spiritus bonus, transisti, transit anima transitura ad contemnenda terrena, & æterna concupiscenda; fluctuasti in tempestate, & ad portum reducta es in tranquillitate; pedes tui penè moti erant. Mergebatur & Petrus, quando iussus est per Mare deambulare, clamauit, dicens: adiuua me, Matth.cap.14.nu.30. Succurrit illi Iesus, dicens: Modicæ fidei quare dubitasti? Et tu in correptione, in flagellis ad maiorem tui perfectionem illatis à Deo dubitasti de auxilio Dei, quòd te de tribulationibus eriperet. Quare dubitasti modicæ fidei? Nonnè Deus est cum illis, qui tribulati sunt corde? præuenit gratia, & sublata est tua dubitatio, Augustin. hìc litera C. Audi iàm sanitatem. Ergo in vanum iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, & argutio mea, idest correptio mea in matutinis. Quid est in matutinis? non differtur; illa impiorum differtur, mea non differtur: illa sera, vel nulla est, mea in matutinum: hæc August. sed quomodò præuenit gratia? quia introgressus est in Dei Ecclesiam, in Scripturarum sanctarum lectionem, hoc colligitur ex sequenti versiculo; Dicebam enim, si narrabo sic, nationes filiorum tuorum reprobaui; Quæ sunt narrationes Sanctorum, nisi ea, quæ ad salutem animæ scripta sunt in Scripturis sanctis? propterea dixit Abraham Epuloni illi instanti, vt ad fratres suos mitteret, & illos doceret, & moneret, ne in flammis cum illo cruciarentur; habent, inquit Abraham, legem, & Prophetas. Sic fecit Dauid, non enim factis iniquorum credidit, neque illorum prædicationibus negantium scientiam Dei; sed credidit Scripturæ, credidit Ecclesiæ, cuius est iudicare de vero sensu. Ità tu hæretice, & infidelis, non tuum sensum sequaris, non exemplo aliorum iniquorum incedas, noli nationes filiorum Dei reprobare: intra in ouile per portam: sequere Pastorem: sequere matrem tuam Ecclesiam sanctam, vt salua sit anima tua.

Existimabam, vt saperem hoc, labor est ante me: scire secreta Dei cogitabat se posse, quare iniqui prosperentur in iniquitatibus eorum; quare iustus Deus viuere eos sinat. Labor est ante me. Quomodò hoc scire labor est ante te? quid scriptum reliquisti, Psalm.52.num.5. Nonnè scient omnes, qui operan-

Digitized by Google

rantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, vt cibum panis? quoniam diſſipauit oſſa eorum, confuſi ſunt, quoniam Deus ſprenit eos. Quid tu vlterius ſcire cupis? Quomodò tu poſſis ſcire arcana Dei, ad Iob vade, quia ipſe te docebit, in amaritudine enim erat ſermo eius. Quis mihi, inquit ille, Iob cap.23.num.4. tribuat, vt cognoſcam, & inueniam illum, & veniam vſque ad ſolium eius? & numer.8. ſi ad Orientem iero, non apparet, ſi ad Occidentem, non intelligam eum, ſi ad ſiniſtram, quid agam? non apprehendam eum: ſi me vertam ad dexteram, non videbo illum. Tu ergo à Deo cauſam quæris; quare iniquus proſperetur in vijs ſuis: vias impiorum, & finem illorum inuenire poteris: nàm hæc ſcripta ſunt in Pſalmis, quia deſiderium impiorum peribit, Pſalm 111. in fine, Iob cap.37.num.13. Hæc eſt pars impij apud Deum, & hæreditas violentorum, quam ab omnipotente ſuſcipiunt; ſi multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt, & nepotes eorum non ſaturabuntur pane, & quæ ſequuntur. Arcana verò Dei quis ſcire poterit, & vias eius? Iob cap.36.num.23. Quis poterit ſcrutari vias eius? aut quis poteſt ei dicere, operatus es iniquitatem? memento quòd ignores opus eius; id ſcito, quod qui benè egerit, & nihil in fide hæſitauerit, vitam æternam habebit, iuſti enim ex Deo viuunt, & apud Dominum eſt merces eorum.

Iàm cœpiſti eniti; vt cognoſceres nunc; quid cognouiſti? nihil cognouiſti: niſi quòd nihil ſciuiſti, in hoc multum cognouiſti, quia confiteris, quòd neſciſti: hoc enim dicebat ille Philoſophus, vnum ſcio, quod nihil ſcio: ſatis cognoſcis, quòd nihil ſcire confiteris; iàm primum gradum ſcientiæ habes, quòd neſcis. Labor eſt ante me. Stat murus ante te, tranſgrediaris murum, Pſal.17.nu.50. ſed in Deo, quia ante illum non eſt labor, nec tibi erit labor, & à tentationibus in Deo eripieris, d.Pſalm.17.num.30. Nunquid ſancti Patres falſum docuerunt? quia iniuſtitia non eſt in Deo: ergo ego ſine cauſa iuſtificaui cor meum? & inter innocentes laui manus meas? & ſine cauſa tota die flagellatus in matutinis? hoc eſt falſum, quia nullum bonum irremuneratum, Prouerb.13.nu.21. placuit enim diuinæ prouidentiæ præparare in poſterum bona iuſtis, quibus non fruentur iniuſti: & mala impijs, quibus non excruciabuntur iuſti.

Auguſtin. de Ciuit. Dei ad Marcel. lib.1.cap.8. litera D. Tom.5. Iſta temporalia bona, & mala vtriſque voluit eſſe communia, vt nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerunque afficiuntur. Intereſt autem plurimum qualis ſit, vel earum rerum, quæ proſperæ, vel earum rerum, quæ dicuntur aduerſæ; nàm his temporalibus bonus, nec bonis extollitur, nec malis frangitur; malus autem, ideò huiuſcemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Oſtendit tamen ſæpe in his diſtribuendis euidentius operationem ſuam; nàm ſi nunc omne peccatum manifeſtè plecteretur pœna, nihil vltimo iudicio reſeruari putaretur, Rurſus, ſi nullum peccatum nunc puniret apertè diuinitas, nulla eſſe prouidentia diuina crederetur. Similiter in rebus fecundis, ſi non eas Deus quibuſdam petentibus euidentiſſima largitate concederet, non ad eum iſta pertinere diceremus: itemq. ſi omnibus eas petentibus daret, non niſi propter talia præmia, ſeruiendum eſſe illi putaremus, nec pios faceret talis ſeruitus, ſed potius cupidos, & auaros: ſequitur Auguſt. ibid. Hæc cum ità ſint, quicunque boni, maliq. pariter afflicti ſunt, non ideò ipſi diſtincti non ſunt; manet

enim

enim dissimilitudo pastorum, etiam in similitudine passionum, Et licet sub eodem tormento, non est idem, Virtus, & Vitium, nàm sicut ab vno igne aurum nitilat, palea fumat; & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideò cum oleo amurca confunditur, quia eodem pondere exprimitur. Ità vna, eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat, exterminat. Vndè in eadem afflictione mali Deum detestantur, atque blasfemant, boni autem precantur, & laudant, Tantùm interest, non qualia, sed qualisquisque patiatur, nàm pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cænum, & suauiter fragrat vnguentum, hæc Augustin.

Donec ergo intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum, Quasi dicat non cognoscam, vel etiam cum labore, quare hæc Deus permittat, & ità disponat: à me ipso scire non possum, donec in Sanctuarium Dei intrem, donec veniat filius Dei, & cum fidelibus suis habitet, nàm Exod. 25. n. 8. Faciétq. mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum; quid enim Sanctuarium Dei nisi fideles eius, Ecclesia sua sancta, in qua habitat filius Dei? in nouissimis temporibus scilicet, nempè, quando priora transierunt, & nunc sunt nouissima, Isai. 48. nu. 3. Priora ex tunc annunciaui, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea, repente operatus sum, & venerunt, in nouissimis, quando scilicet quærent me, qui ante non interrogabant, qui me inuenient, & non quærent, & qui sint isti, sequitur Isai. 65. num. 1. Ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum, &c. Quando hæc erunt nouissima? quando scilicet non erunt in memoria priora, quando creabit cælos nouos, & terram nouam, Isai. d.c. 65. num. 17. & cap. 66. nu. 19. Quando assumet Leuitas, & Sacerdotes, non amplius ex vna familia, prout in testamento veteri, ibid. nu. 20. quid tunc scies, quando intraueris in Sanctuarium Dei? Eccles. 1. n. 1. Filij sapientiæ Ecclesia iustorum. Audi Dominum, Vos amicos vocaui, quia omnia nota feci vobis, quæ audiui à Patre meo, Ioan. 15. nu. 15. Vobis etiam datum est nosse mysteria Dei, Luc. 8. nu. 10. donec intrem in Sanctuarium Dei, donec fiam & ipse Discipulus Christi.

Vel aliter dicamus cum Augustin. in Psalm. 41. litera C. & D Quæro Deum meum in omni corpore, siue terrestri, siue cælesti, & non inuenio; quæro substantiam eius in anima mea, & non inuenio; meditatus sum tamen inquisitionem Dei mei, & per ea, quæ facta sunt inuisibilia Dei mei, cupiens intellectu conspicere, effudi super me animam meam, & iàm non restat, quem tangam nisi Deum meum; ibi enim domus Dei mei super animam meam habitat, inde me prospicit, inde me creauit, inde me gubernat, inde mihi consulit, inde me excitat, inde me vocat, inde me dirigit, inde me ducit, inde me perducit, ille enim, qui habet altissimam in secreto domum, habet etiam in terra Tabernaculum: Tabernaculum eius in terra, Ecclesia eius est adhùc peregrina. Sed hìc quærẽdus est, quia in Tabernaculo eius inuenitur via, qua peruenitur ad domum; etenim cum effunderem super me animam meam ad attingendum Deum meum, quare hoc feci? quoniam, inquit, ingrediar in locum Tabernaculi, non extrà Tabernaculi locum errabo, quærens Deum meum, &c. Tabernaculum dicit, in terra omnes sunt fideles, in quibus non regnat peccatum ad obediendum desiderijs eius, nec exhibent membra iniquitatis peccato, &c. hùcusque Augustin.

Iàm nouissima venerunt tempora, iàm Ecclesia Dei per aduentum eius ædi-

Digitized by Google

ficata est, iàm sanctuarium ingressus es, ò Dauid cum fidelibus alijs, iàm Tabernaculum Dei factus es, quid nunc vides? quid cognoscis? Quare impij exaltantur, & iusti opprimuntur, arcana Dei iàm tibi patefacta sunt, quid respondes? Mali hìc differuntur, ad pœnas sine fine reseruantur, boni verò, qui hìc laborant, exercentur, vt in fine hæreditatem consequantur, probat enim iustos Deus in hac vita tamquam aurum in fornace, vt illos sè dignos inueniat in cælo, Sapien. cap. 3. num. 6.

Ergo tu anima mea in sanctuarium Christi intra, vt quæ ad salutem tuam scias, & facias; Si videas impium exaltatum, non moueatur pes tuus, firmus stet in fide. Nàm propter dolos, dicit Dauid, posuisti eis, deiecisti eos dum alleuarentur, dum operantur iniquitatem, dum decipiunt proximum, vt bonis temporalibus fruantur, deijcit illos Dominus; dum quærunt alterius vestem, perdunt fidem; dum vsurpant temporalia, amittunt æterna bona.

Veruntamen, inquit, propter dolos posuisti eis, deiecisti eos, dum alleuarentur. Quid est propter dolos posuit, nisi quia reliquit eos Dominus in volũtate, & potestate eorum, quia voluerunt eligere potius malum, quàm bonum, posuit eis propter dolos grauedinem, idest inquietudinem, vt semper aliena concupiscentes nullam requiem inuenirent, donec illa iniostè adipiscerentur, & acquisitis illis, ad alia iniusta desideria prouenientes, nunquam satis ditarentur? Vndè dicebat Greg. 10. Moral. 23. Oculi impiorum sunt intentiones in eis carnalium desideriorum, quæ ideò deficiunt, cum cælestia negligunt, & præstolantur transitoria; adipisci terrenam gloriam cogitant, multiplicari rebus temporalibus exoptant. Ad mortem quotidie cursu labentium rerum tendunt, carnis vita per momenta deficit, & tamen carnale desiderium crescit, res habita instante fine corrumpitur, & habendi anxietas non finitur. Sed cum mors impios subtraheret, eorum profecto desideria cum vita terminantur; Et idem Greg. 6. Moral. 5. Carnalis quisque dum transeuntia appetit, desideriorum suorum se pondere affligit; grauis quippè labor est, hanc ipsam gloriam præsentis vitæ quærere, quæsitam quandoque percipere, & perceptam cum omni circumspectione custodire. Grauis quippè labor est, hoc cum magna fatigatione apprehendere, quod is, qui apprehenderit, nouerit diù stare non posse.

Posuisti ergo eis propter dolos inquietudines animæ, idest vermem conscientiæ, item corporis; in grauitatem ergo malorum propter dolos posuisti eis, & quia perstiterunt in dolo, dum alleuarentur deiecisti eos: propter dolos posuisti eis laqueum mortis, Prouerb. 21. numer. 6. & cap. 5. numer. 23. Iniquitates suæ capient impium, & funibus peccatorum suorum constringitur, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur, turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. Prouerb. cap. 6. numer. 38. Qui congregat thesauros lingua mendacij, vanus, & excors est, Prouerb. cap. 21. num. 6. Propter dolos posuit eis, scilicet solicitudines, & curas superfluas, vndè Eccles. cap. 2. num. 26. Peccatori autem dedit Deus afflictionem, & curam superfluam, vt addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo. Et dum alleuarentur deiecisti eos à facie tua, & in inferno sepulti sunt, & ab omnibus rebus deserantur in morte, & ideò sequitur Psalmus.

Quomodò facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Ecce ò Dauid quòd in nouissimis eorum intellexisti,

eorum

eorum perditionem admirans. Subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam: iàm introgreſſus es ſanctuarium Dei, vidiſti iuſtum Deum, qui vnicuique dat ſecundum opera eorum. In nouiſſima eorum morte non fuit, qui memor eſſet illorum, Pſalm.36.num.35. Subitò ſicut fumus defecerunt, extollitur fumus, & ſtatim euaneſcit; exaltatur iniquus, & ſubitò deficit: quæſiui eum, & non eſt inuentus amplius locus eius, Pſalm.36.nu.36. Deficiunt, ſed quod ſequitur, maius malum eſt, perierunt propter iniquitatem ſuam. In peccatis viuentes, cum peccatoribus conſepulti ſunt; in deſolationem facti ſunt, cum ſint ab omnibus rebus deſerti, remanſerunt bona, euanuit ille, cui nec fuerunt in adiutorio; defecit ipſe, eundem relinquerunt illa. O ſtultitia inæſtimabilis, acquiſiuerat ille, ſed iniuſtè, cur non dimiſit illa, reſtituendo, cui debebat, antequam illa eum reliquiſſent? & ſi iuſtè illa acquiſiuit, non tàm ſibi, quàm vt per illa miſericorditer expenſa ius in cælo acquireret, cur in pauperes, & egenos non erogauit ea, vt nunquam illa dimitteret, ſed centuplum accipiendo, ſociaretur ab illis etiam in morte?

Facti ſunt in deſolationem, quia nudi abierunt in infernum. Defecerunt, inquit, quia viam Domini præterierunt, & in inuia poſiti ſunt, vt ſine via præcipitarentur in infernum. Perierunt propter iniquitatem ſuam, quia & memoria illorum deleta eſt. Perijt memoria eorum cum ſonitu, iuſti autem in perpetuum viuent. Surge qui dormis, quia malè bona cumulas, audi Dauidem.

Velut, inquit, ſomnium ſurgentium Domine in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges. Præparaſti bona cum iniquitate, vt exultares, & illis fruereris, & ecce velut ſomnium, inquit, tibi ſunt acquiſita; quia cum in te reuerſus fueris, cum è ſomno tenebrarum vigilaueris, mala tibi ſunt, quæ tibi in tenebris videbatur bona; ducunt te ad interitum, ducunt te in perditionem; & in ciuitate Domini, vt imago illa redigentur, euaneſcent, diſperibunt. Quæ enim eſt ciuitas Dei? niſi cæleſtis illa Ieruſalem, è qua illis à Domino dicetur, diſcedite à me, quia non noui vos. Vel in ciuitate tua imaginem illorum ad nihilum rediges, ideſt in conſpectu populi tui, ideſt in conſpectu totius Eccleſiæ pertranſibunt illa, ac ſi imago fuiſſent eius expoſita aſpectui; diſperibunt enim, neque illorum veſtigia amplius apparebunt, ac ſi nunquam fuiſſent; tamquam imaginaria, & ſi in Eccleſia tua poſiti ſint, pertranſibunt, & eorum memoria præteribit in cælo, & in terra.

Oculos aperias tuos, ò dormiens, ò ſomniator, quos culpa clauſit, antequam pœnas incurras, quia tunc, etſi eos aperueris, & videbis, non tamen iuuabit. Poſt mortem non eſt confeſſio, non eſt pœnitentia, ſerò ſapies, niſi è ſomno euigilare feſtinaueris, vndè Iob d. cap.27.num.19. Diues cum dormierit, nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos, & nihil inueniet, nihil de ſuis reperiet bonis, cum tamen ob illa ſic amiſſa, multarum genera pœnarum congregata contrà ſe ſit reperturus, vt magis affligatur.

Quando impium exaltatum videbam, pedesq. mei penè moti ſunt, greſſusq. mei penè effuſi, quia neſciebam, cor meum inflammatum eſt, & renes mei commutati ſunt, & ego ad nihilum redactus ſum, æmulationis enim Zelo inflammatum erat cor meum, & renes mei commutati propterea ad nihilum redactus eram, niſi tenuiſſes manum dexteram meam: renes mei, quibus ſtabam, vt ſeruirem tibi, commoti erant, & ego neſciebam.

Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Nàm quamuis iumentum apud te, quod sine intellectu essem, non tamen alienus fui à te, sed semper tecum fui, te Deum confitens, & idola negans. Propterea exaudisti me Deus, vt non diù permanerem in tentationibus, in desiderijs sæcularibus, in bonorum temporalium cupiditatibus, & perturbationibus; etenim nunc inflammatum est cor meum amore tuo diuino, renesq. mei commutati sunt, vt nil aliud quæram, quàm te Deum meum. Renes mei, idest cogitationes meæ immutatæ sunt; tu scis Domine, qui corda, & renes scrutaris, Psalm.7.num.10. ad nihilum redactus sum, sicque humilis factus non amplius turbari sinam ab humanis tentationibus, quas prius vanas esse nesciebam, Ideò factus vt iumentum apud te, suaue iugum tuum, sicut iumentum in collo meo portabo, vt tecum sim omni tempore. Hæc autem dona in me tu Domine collocasti, vt cognoscerem, quia

Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Instabat sensus, pugnabat ratio; colluctabantur simul, vincebat ista, cadebat altera, quia tu Domine manum dexteram meam ne caderet, tenuisti. Virtutem, quam tu mihi dedisti, fidei scilicet firmamentum roborasti. Pugnabat caro, vincebat ratio, quia semper tecum fui; & tamquam iumentum factũ trahebas me vbi volebas. Tu Dux meus fuisti in vanitate enim malitiæ placebam mihi; in veritate tamen scripturæ recedebam ab illa, ideò dicebam quid nequius, quàm quòd caro, & sanguis excogitauerat? Eccles.c.17. num.30. ad Roman.cap.7.nu.5. Cum essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operàbantur in membris nostris, vt fructificarent morti; Tenuisti Domine manum dexteram meam, & cum gloria suscepisti me; in voluntate tua. Soluisti enim me à lege mortis, in qua detinebar; itàvt iàm tibi seruiam in nouitate spiritus, quem dedisti mihi, non in vetustate litteræ, non in carnis corruptione. Et cum gloria suscepisti; nàm ità gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentia, Luc.cap.15.num.7. Tu Domine tenuisti manum dexteram meam, nec succumberet bonitas, & virtus, qua diligebam te, & ne terrenorum cupiditas augeretur in me, propter quæ adipiscenda inflammatum erat cor meum, & renes mei, sensus mei immutati, vt penè penes mei nutarent. Sic quippè caduca desiderabam, & terrena, vt vix æterna scirem; quamuis à te Domine nunquam recessissem, quia à te diuitias petebam, & pacem, non ab alio, nec à Dæmone, quia cum diuitijs tibi seruire magis posse putabam. Tenuisti dexteram meam, hoc est bonam tibi inseruiendi voluntatem; & sinistram manum dereliquisti, nec eam tenuisti, quo nossem, neminem posse simul tibi seruire, & Mammonæ, per sinistram designatæ, propterea eos, qui ad sinistram tuam erunt, in infernum condemnabis in ignem. Quocircà duobus illis fratribus vnum à dextris, alterum à sinistris stare cupientibus respondisti: Poteſtis biberè calicem, quem ego bibiturus sum? Non per diuitias, non per bona terrena ad Regnum cælorum peruenire nos significans, sed per calicem tribulationum, per quarum tolerantiam ipsum nobis apertum est Regnum cælorum. Nemo prius ascendit, nisi qui descendit, & qui descendit per crucem, & passionem iter suum direxit, vt cælorum Regnum ingrederetur; & tu miles delicatus sub capite spinoso in curribus, & in equis in diuitijs, & cõmessationibus &

Reuer-

Reuertere ad Patrem anima mea,& habebis vitulum saginatum,relinque porcorum siliquas, tales enim sunt diuitiæ, & huius mundi epulæ: & in domo Patris cum gloria, & honore susciperis in cælum. Quid enim super terram voluisti, nisi ea, quæ supra intellexisti? vt porcorum scilicet siliquis satiari posses; inquietudines, & curas quæsisti perpetuas, vt magis superbiendo facilius in infernum descenderes? Sed quid tibi est in cælo? Quære ibi thesaurum indeficientem, vbi nec tinea, nec erugo, vbi vera pax, & æterna lux, vbi quotidie cum Sanctis psallendo, dicas, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Trinus, & vnus, vbi Angeli, & Archangeli lætanter hymnum dicunt Deo, & Agno.

O verè felicem Dauidem; ô nos mortales, & caducos, quis nobis det, vt in cordibus nostris scribantur sermones nostri: vt relictis, & abiectis diuitiarum incentiuis malorum, & Dominum orantes, & manibus operantes, & in tribulationibus patientes, & constantes dicamus & nos, manum dexteram nostram teneas Domine, vt in voluntate tua, in gloria suscipiamur, & honore. Iàm defecit caro mea in huius mundi delectationibus, & cor meum in tentationibus, & cogitationibus istis malignis Deus meus, Deus cordis mei, & pars mea tu es, Psalm.15.num.5. & hæreditas mea: teneas manum dexteram Domine Deus, vt à dextris meis stans non commouear., Act. Apost. c.2.n.25. d.Psalm.15.n.8. ne tamquam iumentum amplius sim coram te, ne diuitiarum amplius cupidus sim,& tamquam sine intellectu superbus factus abnegem te; ne ità iumentum sine ratione sim coram te, vt me dimittas inanem; iuxta illud, Psalm.48.num.13. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quid ergo mihi amplius in cælo, & quid in terra? nisi te solum Deum quærere, te solum toto corde meo diligere, venerari, atque seruire? quid mihi est in cælo? Et quando inuidebam impio diuiti, & diuitias à Domino cupiebam; quæ ignorantia mea erat lucem ad tenebras, æterna ad immortalia, perpetua ad caduca adæquare, tamquam iumentum apud te Domine Deus sine intellectu, hanc boni ad malum distinguere differentiam penitus ignorabam: labor erat ante me, quia aliquantulum longè factus eram à te, donec alia ratione me effecto oue, & iumento, tu dexteram manum meam tenendo deduxisti ad gloriæ intellectum, & honorem, atque in Sanctuarium, vt intelligerem iustificationes tuas, quia tu solus bonus.

Quid mihi est in cælo, & quid in terra desiderandum, amandum, quærendum, nisi solus tu Domine? in quo est Salus, Vita, & Resurrectio mea, in quo reposita est spes mea: in quo omnia, quæ in cælo, & in terra continentur, cuius sedes cælum est, cuius scabellum pedum terra est, Isai.cap.66.numer.1. Fac vt ipse sim scabellum tuum in terra, & anima mea cælestis reddita fiat in cælo sedes tua. Augustin. in Psalm.45. litera F. Cui sedes, inquit, est conscientia piorum, & ità sedes Dei est in cordibus hominum; vt si homo ceciderit à Deo, Deus in se maneat, non quasi cadat, non inueniendo vbi sit, magis enim te subleuat, vt in illo sis, quàm in te incumbat, vt si te subduxeris cadat; ille si se subduxerit, cades tu, tu si te subduxeris, non cadet ille.

Sedere verò Dei quid sit, vide Augustin. Tom.3. de Fide, & Symbolo, c.7. litera E. vbi ait sedere quod dicitur Deus, non membrorum positionem, sed

ed by Google

iudiciariam ſignificat poteſtatem, qua illa maieſtas nunquam caret; ſemper digna dignis retribuendo; quamuis in extremo iudicio multò manifeſtius inter homines vnigeniti filij Dei, Iudicis viuorum, atque mortuorum, claritas indubitata fulſura ſit. Vis ergo anima mea eſſe ſedes Dei, para locum in corde tuo, vbi ſedeat. Quæ enim eſt ſedes Dei, niſi vbi habitat Deus? vbi habitat Deus? niſi in Templo ſuo? quid verò eſt Templum, niſi anima iuſti? propterea, dicebat ille, Vos Templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis, 1. Corinth. cap. 3. num. 17. & in cap. 6. num. 19. An neſcitis, quoniam membra veſtra Templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri.

Quid ergo eſt mihi in cælo? & à te quid volui ſuper terram? In cælo quid mihi eſt, niſi vt terrenis abiectis, anima mea ſit ſedes tibi: & à te quid volui ſuper terram, niſi vt ſedes tua facta anima in cælo purges à terra corpus, & animam meam; nàm ſine te, ſine gratia tua præueniente, & cooperante, nihil potero ex me; fiam ergo tuus Domine, ſedes tua, vt enarrare poſſim omnia mirabilia tua: Auguſtin. in Pſalm. 96. litera D. Qui ſunt cæli? qui facti ſunt ſedes ipſius; quomodò in cælis ſedet Deus, ſic ſedet in Apoſtolis, ſic ſedet in Prædicatoribus Euangelij; & tu, ſi vis, cælum eris, ſi vis eſſe cælum, purga de corde tuo terram; ſi terrenas concupiſcentias non habueris, & non fruſtra reſponderis, ſurſum te habere cor, cælum eris, hæc Auguſtin.

Quid ergo mihi eſt in cælo? niſi vt quæ ſurſum ſunt, quæram, quæ ſurſum ſunt, ſapiam? ad Coloſſenſ. cap. 3. Et à te quid volo ſuper terram? niſi vt quæ ſuper eam ſunt, non ſapiam carnem portans; & cor meum cælum ſit, ſedes tua fiat? Quod eſt ergo in cælo, id à te volo: non quæ ſuper terram; quia iàm terra ſum, & ſuper illam ambulo; non vt in illa permaneam, ne cum illa peream, ſed vt in illa permanens, te ſolum Deum, & Redemptorem meum cognoſcens, & confitens, quod mihi reſiduum eſt, ſit in cælo via mea, ſpes mea, vita mea. A te quid volo ſuper terram? niſi vt ambulans ſuper eam adiuues me, vt rectè incedens in illa, perueniam ad vitam ſempiternam: vt bonus effectus, ſedes tua efficiar ſicut ſcriptum eſt, ſedes Sapientiæ anima iuſti: Vndè Auguſtin. Pſalm. 98. litera G. Sit ergo in te plenitudo ſcientiæ, & eris & tu ſedes Dei: plenitudo autem ſcientiæ, quæ in te requiritur anima mea, eſt charitas, hanc quilibet habere poterit, ſit ergo in corde tuo charitas, & erit in te plenitudo legis, & ſedes eris Dei, ad Roman. cap. 13. num. 10. Plenitudo legis eſt dilectio, dicit Apoſtolus, quid eſt ergo mihi in cælo? niſi illud quod à te volo in terra, ideſt vt cor meum impleas dilectione tua, & charitate in proximum.

Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Hoc volui à te ſuper terram, vt caro mea, & cor meum deficiant; vt non ſint meditantes, & terrena anhelantes, ſed tu ſis Deus meus, Deus cordis mei, & pars mea, quæ ex dilectione tua me contingit in æternum. Non amplius caro mea ſit in dilectione carnali, in mortali concupiſcentia, non cor meum in cogitationibus malis, in rerum temporalium acquiſitione vagus, & inſipiens, ſed ſolum in Dei mei dilectione, & proximi: in operibus charitatis intentum, & ſtudioſum: corq. meum in ea, quæ ſunt tibi placita Deo meo, & Redemptori cogitando, operando; quia tu Domine portio mea

es,

es, hæreditas mea in terra viuentium. Nàm qui à te se elongant, peribunt, & tu perdidisti omnes, qui fornicantur abs te, qui alieni fiunt à te, quorum Deus venter est, quorum os mendacijs plenum est, & vanitatibus, & ad effundendum sanguinem intentum, qui dicunt in corde suo, non est Deus.

Defecit caro mea, & cor meum, quia tu es Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum; Iàm non est in me caro, & cor meum, quia tu Deus meus suscepisti illud, & illam: caro mea immutata est in spiritum, & cor meum in tui dilectionem; qui ideò factus es in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluum me facias. Non sic impij, nec qui se à te elongant, tu enim Domine vbique es, & omnibus propè, per peccata illi se elongant à te, non loco, sed adiutorio tui, quos tandem perdes, quia fornicati sunt abs te, quia te Deum Redemptorem reliquerunt, & à te abalienauerunt, vt se perderent, Idola, Deosq. alienos sequentes, vt cum illis in inferno flammis perpetuis cruciarentur sine vlteriori spe.

Deus cordis mei, & pars, iàm caro mea defecit, & cor carneum, tu intus existens prohibe contrarium in futurum, serua me Domine, & ab inimicis custodi me.

Nàm mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino meo spem meam. Quid erit optimum hominis, nisi cui inhærere est beatissimum? id autem est solus Deus, cui hærere certè non valemus, nisi dilectione, amore, charitate, Augustin. de Moribus Eccles. Catholic. lib. 1. cap. 14. Tom. 1. Adhærere Deo, quem diligo, cui in spiritu humilitatis, & in charitate seruio, bonum est. Sed cui habenti spiritum, intellectumquè non videbitur adhærere Deo bonum? nonnè anima est maior corpore, quod ab ipsa viuificatur? & si Deus viuificat animam, cur non erit bonum adhærere Deo?

Idem Augustin. in lib. octoginta trium Quæst. quæst. 54. Tom. 4. litera A. Omnis anima, omni corpore melior est; melius est enim omne, quod viuificat, quàm id, quod viuificatur, corpus autem ab anima viuificari, non à corpore animam nemo ambigit. Si quis autem viuificat animam, melius est, quàm anima. Quod autem est omni anima melius, id Deum dicimus, cui, qui eum intelligit, iunctus est. Quod enim intelligitur verum est, nec omne, quod creditur, verum est; quidquid autem verum est, atque à sensibus, & à mente seiunctum est, credi tantùm, non tamen sentiri, aut intelligi potest; Deo igitur iunctum est, quod intelligit Deum, intelligit autem rationalis anima Deum; nàm intelligit, quod semper eiusmodi est, neque vllam patitur mutationem: quod de corpore dici non potest, vel de anima, quæ aliquando mutationem patitur; quod autem semper eodem modo est, melius profecto est, quàm id, quod non ità est, nec quidquam melius est rationali anima, nisi Deus; cum igitur intelligit, quod semper eodem modo se se habet, ipsum sine dubio intelligit: hæc autem est ipsa veritas, cui, quia intelligendo anima rationalis iungitur, & hoc bonum est animæ, rectè accipitur id esse, quod dictum est, mihi autem adhærere Deo bonum est; hæc Augustin.

Vide quanta ratione Psalmista inducatur ad adhærendum Deo, qui est veritas immutabilis, firma, & qui nusquam deficit, sicut animantia terræ. Vndè Deo non adhærere esset causa miseriæ. Quis enim fatuus beatitudinem relinquere voluerit, cum non adhærendo Deo acquirat miseriam; & illi adhærendo

acqui-

acquirat beatitudinem. Augustin. de Ciuitat Dei ad Marcell. lib. 12. cap. 1. litera D. Tom. 5. Tu ergo anima agglutinare Deo, agglutinare post Deum, charitas est enim gluten, charitatem ergo habeas; quo glutine agglutineris post Deum, non cum Deo, sed post Deum, vt ille præcedat, tu sequaris. Idem Augustin. Psalm. 62. litera A. Tom. 8. qui enim voluerit Deum antecedere consilio suo vult viuere, & non vult sequi præcepta Dei; propterea Petro dictum est, vade retrò Satana, Matth. cap. 16. ideò retrò, quia misericordia, & veritas præcedere debent faciem Dei, Psalm. 88. numer. 15. quid enim aliud est adhærere terrenis, quàm mortem animæ suæ dare? Augustin. dicto Psal. 118. litera D.

Sequitur vers. Et ponere in Domino Deo spem meam; spes ergo mea in te Domino est firma, adhæsit pauimento anima mea, viuifica me Domine secundum verbum tuum, Psalm. 118. numer. 25. adhùc enim Domine in hac lacrymarum valle positus sum, viuifica me secundum verbum tuum; anima enim mea adhæsit pauimento.

Vt annunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion. De quibus prædicationibus intelligit iustus? De illis nempè, quæ in portis Sion euangelizantur, quas scilicet sancta Mater Ecclesia prædicandas in se proposuit: quidquid enim extrà illam est, non laus Dei est; vndè in portis filiæ Sion dixit, non extrà illas, quæ ad laudem Dei non sunt, extrà oule sunt isti, & de illis nihil ad nos, prædicatio enim Dei, præter Ecclesiam inanis est, Augustin. Patum est laudare Deum, & annunciare omnes laudes eius; in atrijs filiæ Sion annuncia, ad vnitatem attende, noli diuidere populum, sed rape ad vnum, & fac vnum; hæc Augustin.

SOLILOQVIVM.

QVAM bonus es Deus meus his, qui recto sunt corde. Quæ mihi in pace esse videbantur; Mors sanè erant, & nesciebam; à veritate tua quasi discesseram, in suspicionem veniens, quòd de terrenis his nil tibi esset curæ Domine Iesu. Pedes mei, & gressus mei, penè moti erant, & effusi: cum persuaderent mihi iniqui in peccatis pacem esse; itàvt videns peccatores ditatos, & exaltatos zelando inuiderem illis; quandoquidem ij, nec in hominum laboribus essent; nec eos punitos inspicerem pro ipsorum iniquitatibus: quin potius in *ijsdem* superbos factos, & gloriantes, itàvt dicere auderent, nunquid scit Deus? an est in excelso scientia? O bone Deus, quò peruenit eorum impietas: ità tenuit eos superbia, & operti sunt iniquitate, & impietate sua: vt iniquitate eorum quasi ex adipe prodeunte, quæ in cordibus eorum erant, in affectum, & effectum producerent mala. Et lingua eorum transeunte in terra, in excelso loquuti sint iniquitatem, & in Cælo os posuerint suum. E vestigio autem ego cum pœnitens essem, & afflictus, dicebam: nunquid frustrà affligor? nunquid frustrà laboro, vt cum innocentibus manus meas lauem? tota die contristatus, & flagellatus, & ecce in matutinis in tempore opportuno, in conflictu tentationum correxit me disciplina tua Domine, quia legem tuam habui, quam natio & Ecclesia tua docuit, & docet. Laborem cogi-

Digitized by Google

cogitabam, vt hanc tuam agendi rationem cognoſcerem, & mala à bonis diſcernerem, & dixi animæ meæ, intra in ſanctuarium Dei, in Eccleſiam ſanctam, vbi eſt iudicare de vera ſcientia, & ſenſu; & didici pœnitentiam, & à malo abſtinentiam, & facere bonum. Nouiſſima verò iniquorum, quæ ſint futura intelligens, qui eleuati primùm mihi videbantur, & ecce animaduerti illos deiectos, & deſolatos, & perditos, adeòvt in imagine pertranſierit iniquitas eorum. O Domine Ieſu ecce in tui amorem inflammatum eſt cor meum, renes mei ſenſus mei commutati ſunt. Vt iumentum quò tu vis, Domine, trahe me poſt te, & ego ſemper tecum ero. Manum meam dexteram tene, vt in voluntatem tuam ſemper deducas me, vt cum gloria ſuſcipiar à te. Nihil enim mihi aliud in Cælo eſt, niſi tu Domine; & ſuper terram nihil aliud peto à te, niſi vt me in viam tuam dirigas. Ecce Domine, quia defecit cor meum, & caro mea, vt fruar te: ne elongeris tu à me, pereant illi, qui elongantur à te. Mihi verò in te Domino Deo meo ſpem meam ponere bonum eſt, vt etiam in Eccleſia tua omnes prædicationes tuas dignè valeam nunciare. Calixti Pontificis, cuius hodie feſtum celebrandum ab Eccleſia, & exemplum imitandum proponitur, inuocemus auxilium; nàm & ipſe huius promiſſionis amore à terrenis ſuſpenſus, & præguſtata ſupernæ ſuauitatis dulcedine ineffabiliter ad eam affectus, dicebat cum Pſalmiſta: Quid mihi eſt in cælo? & à te quid volui ſuper terram? defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Intercede pro nobis Calixte ſancte, vt & nos ſpretis ſæcularibus perquiramus æterna. Et à te Virgine Maria ſanctiſſima Vnigeniti tui Matre, & Aduocata noſtra quid aliud petimus in terra, niſi vt interceſſione tua de terra ipſa perducamur ad Cælum? Amen.

IN PSALMVM LXXIII.

Vt quid Deus repuliſti in finem: iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ.

TITVLVS eſt. Intellectus Aſaph. Aſaph Hebraicè, Græcè Synagoga; Latinè verò congregatio. Non eſt enim Pſalmi iſtius intellectus, & ſermo de animalium, vel hominum congregatione, ſed propriè de Synagoga Iudæorum: non de paleis, ſed de grano: illi quippè per Moyſen lex data erat, per Chriſtum verò gratia, & veritas facta eſt, quæ modò per charitatem impletur. Propterea autem dixi, hunc Titulum poſitum, intellectus Aſaph, vt Synagoga ipſa intelligeret, ac crederet, quæ de Meſſia promittebantur, eſſe vera: non temporalia, ſicut in lege veteri, ſed æterna per Chriſtum, quandoquidem promiſſa illa temporalia, deſignabant Sacramenta ſpiritualium rerum in ſe latentium, adeòquè ablata ſunt & illa temporalia, vbi veritas venit. Intellectus, ò Aſaph, ò Synagoga, quia occidiſti Chriſtum, omnia priora perdita ſunt, ſacrificium veſtrum, ò Iudæi, & Sacerdotium, & Templum, & vos ſerui facti eſtis, occiſi, diſperſi, & omnibus abominabiles, qui reſidui permanſiſtis, vt ſitis gentibus in teſtimonium ſacrilegij commiſſi, vt reliquiæ tandem veſtræ in nouiſſimo

ſaluæ

ſaluæ fiant, quia tunc cognoſcetis. Et ideò Dauid ob hanc veſtri ruinam, hunc ſcripſit Pſalmum, dicens: Vt quid Deus repuliſti in finem? iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ, ſcilicet Synagogæ.

Continuatur ad præcedentem, vbi dictum eſt de iniquis, & impijs, vt ſuprà videre eſt. Epulabatur Synagoga, & Ieruſalem non cognouit Redemptorem, occidit Ieſum, ideò repulſi à Deo ſunt, vt in hoc Pſalmo, Deus repuliſti, & deſtruxiſti nos. In præcedenti pedes Aſaph penè moti ſunt, quia illi iniqui in iniquitatibus ſuis gloriabantur; in iſto idem proponitur admirans, & conquærens de illorum expulſione, & deſtructione, quæ facta eſt à Tito, & Veſpeſiano; tunc enim & Prophetæ non fuerunt, & illorum occiſio facta, Templiquè deſtructio, ac Sacerdotij magni ceſſatio; quæ & durabunt vſque ad finem.

Intellectus ergo, ò Aſaph, ò Iudæi ſine Rege, & Conſule, ſine Templo, & Sacerdotio, ſine Prophetis, & Regno. Vt quid Domine repuliſti nos, quia & ipſi Meſſiam Chriſtum Ieſum expulerunt, crucifixerunt, vt quid vſque in finem: quia in peccato ſuo perſtiterunt, & perdurant: vt quid diſperſi; quia ſic prædictum eſt illis, quando fuerunt de hoc moniti; vide Deuter. cap. 28. num. 63. & ſequen. Sicut ante lætatus eſt Dominus ſuper vos, benè vobis faciens, vosq. multiplicans, ſic lætabitur diſperdens vos, vt auferamini de terra, ad quam ingredieris poſſidendam; diſperdet te Dominus in omnes populos à ſummitate terræ vſque ad terminos eius.

Summa hæc eſſe videtur, Lamentatio Dauidis ad Deum pro populi, & Templi calamitate futura, & diſperſione, quia vendiderunt iuſtum, Amos cap. 2. numer. 6.

Incipiens ergo Dauid, quæ ventura erant ſpiritu prophetico demonſtrare, dicit. Vt quid Deus repuliſti in finem? iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ. Cauſam tanti furoris Domini ponit Daniel cap. 9. numer. 26. Occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt; & ſequitur Daniel numer. 27. & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis; & vſque ad conſummationem, & finem perſeuerabit deſolatio. Ità etiam Ierem. cap. 9. numer. 11. Et dabo Ieruſalem in aceruos arenæ, & cubilia draconum, & Ciuitates Iuda in deſolationem, eo quòd non ſit habitator.

Quid ergo Domine repuliſti in finem? iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ. Iàm non amplius Synagogæ filios oues paſcuæ Domini, ò Dauid vocabis, qui poſt Chriſti interfectionem alieni facti ſunt; tametſi tunc quando hæc ſcripta fuere eſſent oues paſcuæ, ſuper quas ob futurum erga Chriſtum ſcelus furor iſte Domini erat venturus. Siquidem quia Iudæi filium Dei negauerunt, propterea ad iracundiam illum prouocauerunt, Iſai. cap. 63. num. 10. & cap. 65. num. 3. De manu Domini, hoc eſt iuſſu Domini factum, ignem accendentes, accincti flammis, quas ſuccenderunt. O nos beatos omnes, quorum eſt Dominus Deus noſter, populus, quem elegit in hæreditatem ſibi, Pſalm. 32. num. 12. Sed quare vſque ad finem illi repulſi? quia obſtinati permanſerunt in cæcitate ſua, vt dicit Deus per Ierem. cap. 7. nu. 28. Hæc eſt gens, quæ non audiuit vocem Domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam, perijt fides, & ablata eſt de ore eorum. Tonde capillum tuum, & proijce, ſume in directũ

plan-

planctum, quia proiecit Dominus, & reliquit generationem furoris ſui. Et de hoc conquæritur Dauid, quia reliquit generationem furoris ſui; propterea dixit, Vt quid Deus repulisti in finem. Scio enim quia reliquiæ Iſrael in fine tunc ſaluæ fient, & quia oculos eorum tunc aperies; ſed nunc quæſo, etiam oculos eorum aperi, vt videant, & cognoſcant te Deum.

Si repulſi ſunt in finem, ergo Dauid loquitur de deſolatione Templi, & Ieruſalem, & de diſperſione Iudæorum, & illorum occiſione, & captiuitate facta à Romanis. Nec de illa Antiochi, & Regis Babylonis poteſt intelligi, quia ad tempus fuerunt etiam breue, & quamuis illa Babylonica captiuitas longior fuit, non tamen ſeptuaginta exceſſit annos: iſta verò Romanorum adhùc durat, & vſque ad finem durabit, & iàm ſunt 1630. tranſacti anni.

Loquitur ergo Dauid ex perſona ſua, & omnium fidelium, non Machabæorum, vt aſſerunt recentiores: dicens. Iratus eſt furor tuus Domine ſuper oues paſcuæ tuæ, memor tamen eſto congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio. Super oues paſcuæ. Non ſuper omnes oues; nàm quamuis rami multi arboris fracti ſint, delibatio tamen ſancta eſt, ideſt primitiæ ſanctæ, & maſſa. Iratus eſt ergo Dominus ſuper oues paſcuæ ſuæ, non ſuper maſſam ſanctam, ideſt Eccleſiam, quam ab initio fundauit; Propterea dixit, Memor eſto congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio: hinc Paul. ad Roman. cap. 11. numer. 16. Quod ſi delibatio ſancta, & maſſa, & ſi radix ſancta, & rami, fracti ſunt rami per infidelitatem Iudæorum, Gentilitas inſerta eſt.

Vt quid in finem repulisti? rami fracti ſunt, in radice, in arbore inſerta eſt ex oleaſtro Gentilitas, & contrà naturam inſerta in bonam oliuam: quantò facilius ij, qui ſecundum naturam poterunt in bonam oliuam inſeri, ſi dederis eis Domine lumen, vt videant te? Vt quid in finem Domine obliuiſceris ramorum fractorum bonæ oliuæ; ſcio enim, dicit Dauid, quòd quodcunque reliquum fuerit de domo Iuda mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum, 4. Reg. cap. 29. num. 30. Et quia iuſtè iratus es Domine contrà oues iſtas, quæ te negaturæ ſunt. Leua manus tuas in ſuperbias eorum etiam in finem; hoc eſt, virga tua ſuper illos ſemper permaneat; veruntamen memento congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio, Paul. ad Roman. d. cap. 11. núm. 26. Cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fiet, Iſai. cap. 59. numer. 20. Veniat ergo iſta gentium plenitudo; veniat accola, qui non erat tecum, aduena quondam tuus adiungatur iſti congregationi tuæ: hæc enim hæreditas ſeruorum Dei erit, Iſai. cap. 54. numer. 15. & 17. Memento congregationis tuæ, quæ ab initio tua eſt, inſeras in fractis ramis eiuſdem etiam congregationis oues: & ſimul omnes laudent te in eadem Eccleſia, quæ maior erit, Pſalm. 34. numer. 18. Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo graui laudabo te.

Redemiſti virgam hæreditatis tuæ: gentes enim iàm inſertæ ſunt, virgam, & diſciplinam tuam ſuſceperunt, quia illam morte tua redemiſti in monte Caluariæ pendens in Cruce, extrà enim tuam virgam, & diſciplinam erant iſtæ: nunc redemptæ ſunt, & virgam tuæ diſciplinæ ſuſceperunt, tu enim docuiſti illos, vt qui vellent venire poſt te, tollerent Crucem ſuam, & ſequerentur te. Hæreditas tua facti ſunt, tu enim hæreditaſti in omnibus gentibus, Pſalm. 81. numer. 8. & teipſum etiam gentes nos hæreditauimus, Eccleſ. cap. 4. numer. 17.

quia

quia te Christum filium Dei confitemur ; omnes enim nos vnum sumus in Christo, Paul. ad Galat. cap.3.num.29. Si autem nos Christi Iesu ergo semen Abrahæ sumus secundum promissionem hæredes, & ad Hebr.cap.9.numer.15. & ideò noui testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Propter disciplinam ergo virgæ, quam susceperunt, Dæmon effugatus est à nobis, Prouerb.22.num.15. & sic hæredes Christi Iesu facti sumus.

Cum igitur solium Domini in misericordia præparatum sit, Isai.16.num.5. quia pœnam æternam, & virgam æternam illius, sanguine suo redemerit Iesus Dominus noster, si sumus Christi, crucifigamus carnem nostram, in vitijs, & concupiscentijs, ad Galat.5.num.29. quia tunc virga sua, & baculus suus nos consolabuntur, Psalm.44.num.7. Et quamuis propter peccata nostra visitet nos in virga, & in verberibus aliquando ; misericordiam tamen suam non disperget à nobis, neque nocebit in veritate sua, Psalm.88.numer.33. In veritate dicit, quia quotiescunque ingemuerit peccator, ipse Dominus veniam spopondit, vndè per Luc.cap.24.num.46. sic enim oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum, incipientibus à Ierosolymis.

Memento ergo, dicit Dauid, Domine congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Protege Ecclesiam tuam ; & leua manus tuas in superbias eorum, qui te oderunt etiam vsque in finem, si conuertantur, & doleant iniquitatum suarum. Non rogo pro obstinatis, & infidelibus, sed corrige illos vsque in finem, donec resipiscant, & credant, quod tu es Deus Redemptor noster, qui in hunc mundum venisti, vt peccata mundi deleres.

Deindè Dauid futura damna, & crudelitatem in Iesum prænoscens, quasi in mentis excessu exclamat. Quanta malignatus est inimicus in sancto ? in Iesum Christum scilicet : Discipulus tradendo : Pontifices, & Pharisæi calumniando, falsos testes producentes, colaphis, & sputis eum conspuentes, flagellantes eum, coronam spineam capiti imponentes, crucifigentes, seductorem appellantes. Quanta malignatus est inimicus in sancto ? Leua manus tuas in superbias eorum ; dele illos de terra.

Ecclesia tua sancta, & immaculata repleatur priori hæreditate tua ; nàm nec dum isti malignantes cognoscunt te Deum veracem, immo gloriantur, qui te oderunt, in medio solemnitatis. Erat enim Parasceue quando te Cruci tradiderunt, dicentes, quid vobis videtur ? Marc.cap.14.num.64. audistis blasphemiam ? descendat nunc de Cruce. & alia opprobria exprobrantes ; sanguis eius super nos : malignantes gloriantur etiam in medio solemnitatis tuæ, & Parasceue erat, quando à Romanis fuerunt desolati, & occisi.

Posueruntq. signa sua. Quod posuistis signum, vel signa, & non cognouistis ? Hic est Iesus Nazarenus Rex. Hoc est signum positum, & certè si Iesus, ergo Saluator ; si Rex vester ergo Dominus ; quia autem cæci propter vestra mala opera facti estis non cognouistis, quin potius dixistis : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ; mala opera nostra damnat, asserit nos omnes iniustos, peccatores, raptores, melius est vt vnus moriatur pro populo. Posuerunt signa sua, signa : & non cognouerunt, sicut in exitu super summum.

Sicut

Digitized by

Sicut in vltimo vitæ Domini, in exitu super Crucis summum; signum positum litteris Hebraicis, Græcis, & Latinis: Audiet signa, quæ exinde consecuta sunt, quia Sol non dedit lumen suum, & tenebræ fuerunt super vniuersam terram; terra mota est; & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, Matth. 27. num. 51. signa sua in Cruce, in sepulchro. Ite custodite vos, sicut scitis, & munierunt sepulchrum; lapidem nihilominus reuolutum inuenerunt.

Vel dicamus, signum id esse, de quo Isai. 13. num. 2. Super montem caliginosum leuate signum, ingrediantur portas Duces, & num. 4. Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium: vox sonitus Regum gentium congregatarum, Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul, à summitate Cæli, Dominus, & vasa furoris eius, vt disperdat terram. Vlulate, quia propè est dies Domini, quasi vastitas à Domino veniet, d. cap. 13. nu. 19. Non habitabitur vsque in finem, de quo etiam Iesus per Luc. cap. 21. num. 20. Cum autem dicit, videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia appropinquauit desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in medio eius, discedant, & qui in regionibus, non intrent in eam; quia dies vltionis hi sunt, vt impleantur omnia, quæ scripta sunt, &c. & nu. 24. & cadent in ore gladij: & idem Luc. in supradicto cap. 19. nu. 42. Videns Ciuitatem fleuit super illam amarè, dicens, Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, &c. quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te vndiquo, & ad terram prosternent te; & filios tuos, qui in te sunt; & non relinquent lapidem super lapidem, eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Posuerunt signa sua signa, & non cognouerunt. Quòd hæc signa fuerint, legite Ioseph. de Bello Iudaico.

Posuerunt signa sua signa, & non cognouerunt, quia finis erat illorum, propterea in exitu super summum. In exitu, dixit, deiectionis illorum à protectione Dei; in exitu, quia tunc defecerunt sacrificia, & Prophetæ, Prouerb. 29. n. 18. Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus, & non cognouerunt. Quia & ipsi Deum negauerunt, & occiderunt, neque & ipsi amplius cogniti sunt à Deo, quia non amplius populus Dei. Quasi in exitu, super summum; nàm quid maius summum est amissione gratiæ Dei? hæc enim summa rerum est. Quasi in exitu, idest vt mortui sine lege, sine sacrificio, & sine gratia Dei. In exitu, quia iàm erant sine intellectu, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus; legatis Iosephum de bello Iudaico lib. 5. cap. 9. & videbitis abominationes eorum, quas hìc transcribere erubui.

Quasi in sylua lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum: in securi, & ascia deiecerunt eam, Ierem. d. cap. 14. nu. 1. Luxit Iudæa, & portæ eius corruerunt. Hæc enim omnia, & reliquum destructionis templi euenerunt: & primi ijdem Iudæi fuerunt, qui portas ferreas sacri templi secarunt. Ioseph de Bello Iudaico lib. 4. cap. 2. at Zelotis consilium subit, vt ferris templo sacratis portarum vectes secarent, &c. & tot occiderunt donec templum exterius sanguine redundauit, &c. quæ ibi videre poteris crudeliora, & in lib. 5. cap. 1. & sequen. & idem Ioseph lib. 6. cap. 7. Nihil à Romanis acerbius passi sunt, quàm ipsi se tractarunt, neque post illos Ciuitas aliquid nouæ calamitatis experta est,

& cap.16. eiusdem lib. post sacrilegia circà templum per Ioannem facta, &c. puto, inquit, si Romam contrà noxios venire tardassent, aut hiatu terræ deuorandam fuisse Ciuitatem, aut diluuio perituram, aut fulmina, ac Sodomæ incendia passuram, quia facies Domini diuisit eos, & non addet vt respiciat eos: facies Sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt, Thren.c.4. Sed quis dedit in direptionem Iacob, & Israel vastantibus? Nonnè Dominus ipse, cui peccarunt? Et noluerunt in vijs eius ambulare, & non audierunt legem eius, & effudit super eum indignationes furoris sui, & forte bellum, & combussit eum in circuitu, & non cognouit, & succendit eum, & non intellexit, Isai.42.nu.23. & 24. Incenderunt igne sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui, Ioseph lib.3.c.5. porticus enim per se incensa, deindè, &c. immisso Sanctis incendio manibus suis. Hæc Iudæi; à Romanis verò, quid vlterius factum sit, ipsa res demonstrat, & idem Ioseph narrat. Polluerunt tabernaculum nominis tui, incenderunt igne sanctuarium tuum, Daniel 12.num.7. Et cum completa fuerit dispersio manus populi sancti, complebuntur vniuersa hæc, & nu.10. & impiè agent impij, neque intelligent omnes impij, & cap.9.n.26. & Ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, Non est iudicium in gressibus eius, Isai.59.nu.8. Verum adeò collapsum, contritum, atque connulsum fuit templum cum cæteris immensæ molis ædificijs, vt nec ipsius saltem vestigia, quòd illìc aliquando fuissent, reliqua viderentur; Baron.lib.1 fol.635. lit.D. iuxtà Isai.64.nu.10. Ciuitas sancta facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est, domus orationis in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinam.

Dixerunt in corde suo, cognatio eorum simul; quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra; Iniqui illi Iudæi, qui in templo talia perpetrabant facinora, in corde suo dicebant, &c. ex operibus enim iniquis, quæ erant in eorum corde cognoscebantur; templum sanguine totum plenum, sancta omnia prophanata; audite Ioseph.d.c.16.lib.6. Ioannes autem, vbi rapinæ ex populo defecere, ad sacrilegium se se conuertit, multa denaria templi retinens, multaq. vasa diuinæ rei ministerio necessaria, &c. Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, completi sunt dies nostri, quia venit finis noster, Thren.4. Ad socios autem dicebat, Diuinis abuti debemus, propterèaq. tutum erat sacrum vinum, & oleum, quod Sacerdotes sacrificijs reseruabant, tutũ erat effudisse, quia pro Deo pugnamus dicebant. Et in fine, post miserabilium omnium narrationem. Seditiosos autem, ne videntes quidem pœnitebat, sed patiebantur vsque ad ea progredi, quamuis Romani sint miserati. Factum enim, inquit ille, eos reddiderat cæcos, quòd iàm ipsis imminebat, & Ciuitati.

Dixerunt ergo in corde, hæc contrà Deum maleficia ipsimet Iudæi perpetrantes; non ergo de Machabæis, sicut recentiores, intellexit Dauid; etenim 1.Machab. cap.1.num.12. hæc habentur. Illi iniqui suaserunt multis, dicentes: eamus, & disponamus testamentum cum gentibus, quæ circà nos sunt, quia ex quo recessimus ab eis, inuenerunt nos multa mala; illi loquebantur ore, isti verò dicebant in corde: & opera eorum, quæ erant in corde, manifestabant; dicebant ergo isti impij, de quibus in hoc Psalmo est prophetia, dicebant inquam ipsi, & cognatio eorum simul: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra. Omnia enim mala, vel in diebus Azymorum, vel

in

in alijs diebus festiuis faciebant, vt videri potest in Iosepho, & Baron. 1. Tom tunc euersam esse Ierusalem, cum ipsa solemnitas ageretur, in qua solemnitate Iesum crucifixerunt, Augustin. in dicto Psalm. 73. fol. 290. litera D. Congregati sæuierunt, congregati perierunt; signa nostra non vidimus, non est Propheta, & nos non cognoscit amplius, Psalm. 93. nu. 4. & dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.

Signa nostra non vidimus, si signa vestra, quomodò non vidistis? si illum occidistis, quia contrarius erat operibus vestris malignis, quomodò non cognouistis? si iàm non adesse Prophetam cognoscitis, quomodò signa non videtis? Nonnè scriptum est, Matth. cap. 11. numer. 13. & 14. Omnes enim Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt, & si vultis recipere ipse est Ioannes. Et, si Christum crucifixistis, quem Prophetam habere vultis? Quomodò non venit Messias, si cessauit Prophetia? quomodò non erit vobis iratus Deus, si illum non cognoscitis? Profectò vos cognoscit Deus, cum vos illum non noscatis, Isai. 48. num. 3. Dicit Dominus Deus, ecce ego leuabo ad gentes manus meas, & ad populos exaltabo signum meum, Isai. 49. num. 22. & Ezech. 7. n. 21. & auertam faciem ab eis. Fac conclusionem, quoniam terra plena est iudicio sanguinum, & Ciuitas plena iniquitate; & numer. 28. Et quærent visionem de Propheta, & lex peribit à Sacerdote, Daniel d. cap. 9. prope finem. Ad populum Gentilem iàm est exaltatum signum; auersa est facies Dei à vobis, & non est in vobis Propheta, neque Sacerdotium, neque lex, hoc est signũ, & non cognouistis.

Signa nostra non vidimus; quiescere faciamus omnes dies festos à terra, Isai. 30. num. 10. Dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt. Auferte à me viam; cesset à facie nostra sanctus Israel. Non ergo de Gentilibus loquitur Dauid; ipsi enim nec signa, nec Prophetas habuerunt, neque sciebant iustum; sed populus meus, lex mea in cordibus eorum, Isai. 51. num. 8. Nunc verò, quia redempti à Domino, cognoscunt illum, & lætitia sempiterna in Sion laudant Iesum Christum, Gentiles scilicet credentes.

Non ergo in versic. sequen. loquitur Dauid de iniquitate Nicanoris tantùm, aut Antiochi, vt recentiores dicunt, sed de sceleribus Iudæorum, quorum iniquitates exprobrans, & prophetans de destructione Templi à Romanis, inquit, Vsquequò Deus improperabit inimicus? irritat aduersarius nomẽ tuum in finẽ? omnes enim illi Simon, Ioannes, & cæteri Iudæorum erant inimici Dei: ipsi blasphemarunt Christum, Templum Domini prophanarunt; Sacerdotes occiderunt: vasa sacra, & alia ad diuinum cultum surripuerunt, ad vsus impios illa verterunt. Vsquequò inimicus iste domesticus improperabit? Non est Propheta, nec nos cognoscit amplius; impatientiam, & improperium contrà Dominum semper protulerunt, Iudith 8. num. 24. Irritat aduersus nomen tuum in finem? Vsque ad finem generatio ista incredula improperabit, & maledicet Domino.

Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo in finẽ? Ne retardes vindictam tuam in illos, sed dele reliquum impiorum istorum, & dextera tua concere illos; non expectes sæculi finem: de sinu tuo trahe manum tuam, & tange illos, sæuisq. perbunt: tolle eos de medio, & dele de terra memoriam eorum, proyt prophetauit Ierem. 8. nu. 2. Non colligentur, neque sepelientur; & eligent magis mortem, quàm vitam omnes, qui residui fuerint de

cognatione hac peſſima in vniuerſis locis, quæ derelicta ſunt, ad quæ eieci eos.

Deus autem Rex noſter operatus eſt ſalutem in medio terræ. Communis erat operatio ſalutis Iudæis, & gentibus, ideò in medio terræ. Quaſi dicat, & ſi deleas iniquos, & diſperdas; erit tamen ſalus cæteris in te credentibus, quos tibi dedit Pater filio, ex quibus præter filium perditionis Iudam traditorem nullus alius perijt, ſed illos Ieſus cuſtodiuit, Ioan. 17. num. 12: atque redemit.

Conſurge, conſurge, induere fortitudine brachium Domini, conſurge ſicut in diebus antiquis in generationibus ſæculorum, Iſai. cap. 51. nu. 9. Cum tu operatus fueris ſalutem in medio terræ in Ieruſalem, quando in Cruce pro ſalute populi tui mortuus eris, dicunt enim Ieruſalem in medio terræ poſitam.

Nunquid hæc tibi ſalus difficilis erit? nonnè tu confirmaſti in virtute tua mare, quando viam feciſti ijs, quos liberaſti? contribulaſti capita draconum in aquis; capita ſcilicet Ægyptiorum, qui omnes ſubmerſi ſunt, populum tuum inſequentes.

Tu etiam Domine confregiſti capita draconis, dediſti eum eſcam populis Æthyopum, quando, & per id, quod confirmaſti in virtute tua mare contribulaſti capita draconum in aquis. Nàm cum ſupra dixiſſet operatus eſt ſalutem in medio terræ, expreſsè declarat poſt redemptionem, quam fecit ſanguine ſuo, quod ſignum reliquerit, vt credentes in illum ſaluentur virtute ſua. Ingrediendo nimirum mare, quum in aquis baptizari voluit, & vox Patris ibidem audita eſt, hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. At quomodò per hæc confirmatur mare? audi Euangeliſtam, Matth. cap. 3. num. 15. Reſpondens autem ei Ieſus, idelt Ioanni dixit ei; ſine modò: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. In mari ergo impleta eſt omnis iuſtitia, poſtquam mare ſanctificatum eſt per baptiſmũ Chriſti: propterea dixit, Niſi quis renatus fueris ex aqua, & Spiritu ſancto, &c. Euntes ergo baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Matth. 28. nu. 19. & qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, Marc. 16. nu. 16. hinc Iſai. 12. nu. 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, & dicetis in illa die: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius, notas facite in populis adinuentiones eius, & numer. 16. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio ſui ſanctus Iſrael.

Ecce quomodò operatus eſt ſalutem in medio terræ, in Eccleſia militante. Iſtæ ſunt aquæ, & mare, de quibus Zachar. cap. 14. numer. 8. Exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem, medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouiſſimum. Propterea confirmaſti in virtute tua mare, quia de medio Ieruſalem aqua viua Chriſti, medium ad mare Orientale, & medium ad mare nouiſſimum exiuit: de Ieruſalem ergo cæleſti intelligitur. Exierunt aquæ viuæ de Chriſto, ac de cæleſti Ieruſalem, hoc eſt vita beata, Apocal. 7. nu. 17. Agnus, qui reget eos, ducet eos ad vitæ fontes aquarum, & deriuabunt ad omnes beatos, ad mare Orientale, & ad mare nouiſſimum, quia omnes ſalui fient, qui tàm in principio mundi, quàm in fine ſeruierunt: In veritate tua confirmaſti mare; terra ergo arida remanſit, hoc eſt gens Iudæorum, veluti arida à diuinæ gratiæ aquis ſeparata. Mare in amaritudine ſua, gentes erant, terramq. illam vndis circuibant, ecce confirmaſti in virtute mare, & remanſit terra ſitiens imbrem tuum, hæc Auguſtin. ipſi enim Ieſum non receperunt, & aridi facti ſunt, quia aqua baptiſmi renouati non ſunt.

Vel

Vel dicamus: Redemisti virgam hæreditatis tuæ, vt non amplius periret, nec mors illi amplius dominaretur. Confirmasti in mare tribulationis, & disciplinæ tuæ; quia multæ tribulationes iustorum, & de omnibus illis liberabit eos Dominus; quia quos diligit, hos castigat, hinc: In fletu venient, & in misericordia reducam eos, Ierem.cap.31.num.9. & Sapien.cap.3. num.1. & sequen. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis: Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, & æstimata est afflictio exitus illorum, & quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace: & si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est, in paucis vexati, in multis benè disponentur; quoniam Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos se; Quia, qui vult venire, post me, dicit Christus, necesse est, vt tollat crucem suam, & sequatur me.

Cum ergo virga Dei non amplius ad mortem sit, sed ad salutem; & vita hominis sit militia super terram aduersus Diabolum, & tentationes eius: & cum milites Christi simus, resistere debemus aduersus Dæmonium in fide fortiter, & patienter tribulationes, ac mala sustinere; propterea in virtute sua confirmauit mare tribulationum, ad salutem tamen nostram, non ad perditionem. Iustus enim, ac fidelis est Dominus, qui de tentationibus faciet prouentum; potensq. est, qui non patietur nos tentari supra id, quod possumus, 1.Corinth.cap.10.num.13. hinc Eccles.27.num.6. Vas figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis: necesse est enim, vt qui probati sunt à Deo, tentatio apprehendat illos, Tob.cap.12.num.13. hinc Dauid Psalm.25. num.2. Proba me Domine, & tenta me: & Prouerb.29.num.15. Virga atque correptio tribuit Sapientiam.

Nec putes debiles tantùm, & pauperes Iesu Christi fideles esse in tribulationibus, & tentationibus; nàm, & Principes, atque Potentes pariter subijciuntur afflictionibus, si in Christo piè viuere desiderant. Propterea dicit Dauid; Contribulasti capita draconum in aquis; nàm dum sacro baptismatis fonte renouantur, & ipsi contribulantur, hoc est simul cum inferioribus tribulationibus subijciuntur.

Quocircà caput draconis confractum reperitur, quia omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum. Et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, 1.Ioan.cap.5.num.4. Quis est, inquit, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei? hic est enim, qui venit per aquam, & sanguinem. Et quis est, qui ex Deo est, nisi qui confitetur Iesum Christum in carne venisse? Ioan.1.cap.4.num.2. In aqua ergo confractum est caput draconis, quia, qui baptizatus est, credit Iesum Christum in carne venisse. Dedisti eum escam populis Æthyopum: Æthyops niger dicitur: nigra enim erat Gentilitas propter peccatum, & sicut ipsa prius esca draconis, ità nunc postquam baptismum susceperit, & in Iesum Christum credidit, oppositum est factum, quia caput draconis est factum esca illius. Tunc potestatem in illam habebat: nunc debilis factus; quia non vincit nisi volentem, vndè dicebant Christi Discipuli: Ecce Domine in nomine tuo dæmonia eijcimus.

Iàm expulsus est Dæmon, iàm legatus est Satan, iàm Princeps huius mundi eiectus est foras, Ioan.cap.12.num.31. iàm siccauit Dominus fluuios Ethan; ideſt multitudinem iniquitatis, & superbiæ, cum & fortitudinem Diaboli; &

sequacium destruxerit, fontes verò, & torrentes dirupit, vt omnes in nomine eius baptizati saluarentur, fontes inquam dirupit, vt in alijs Verbum Dei fieret fons aquæ salientis in vitam æternam, Ioan.cap.4.num.14. Sic Domine siccasti fluuios Ethan, quia vbi abundat verbum Dei, siccatur fortitudo Diaboli; siccas fluuios Ethan, quia fontes aquarum dirupisti, & torrentes facti sunt, Psalm.35, num.9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, à fonte enim, & torrente irrigatur terra ab eo, qui operatus est salutem in medio terræ, exundent fontes, currant torrentes. Hæc rupit fontes, & torrentes hæc siccat fluuios Ethan, vt inde currant aquæ; & quæ aquæ siccentur? Fluuios, inquit, Ethan. Ethan fortis, & robustus interpretatur, illumq. ipsum designat draconem, & fortem, de quo Matth. 12. Nemo intrat in domum fortis, nisi prius alligauerit fortem, hæc Augustin. Parum aquæ siccat flumen Ethan, modicum aquæ crescit in torrentem, quia in omnem terram exiuit sonus eorum, & à flumine vsque ad terminos terræ. Per eum torrentem aquarum adducit nos Dominus in viam rectam, in fletu venient; & in misericordia reducam eos, dicit Dominus, Ierem.cap.31.nu.9. ex Sion virga virtutis incœpit, & in omnes fines terræ propagata est, Luc. cap.24.num.3.

Neque hæc tibi Domine difficilia sunt, cum tuus sit dies, tua sit nox. Tu fabricatus es Auroram, & Solem, tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem, & ver tu plasmasti ea.

Lucem appellasti diem, & tenebras noctem: tuus est dies, quia in te opera iustorum lucent; tua est nox, cui luminare minus præfecisti, Sol verò diei; nàm etiam si peccatores pro nocte reputentur, lumine tamen Lunæ illuminantur, vt aliquando in seipsos conuersi, lumine maiori, idest Solis illustrentur: dies ergo Domini est, dies verò nubis tempus gentium est, Ezech.cap.30.num.3. Dum lucem habemus, credamus in lucem, vt filij lucis simus; non in tenebris ambulemus, ne tenebræ nos comprehendant, Ioan.cap.12. Ne sicut impius, qui non credit, vt reuerti possit de tenebris ad lucem, circumspectans vndique gladium, cum se mouerit ad quærendum panem, nouit quòd paratus sit in manu eius tenebrarum dies, Iob cap.15.num.22. & 23. Sed tu Domine, qui lucerna nostra es, illumina tenebras nostras, 2.Reg.cap.22.num.29. Quia tuus est dies, tua est nox; tu fabricatus es Auroram, & Solem, & Lux in tenebris luces, Ioan.1, num.5. Et tu es, qui educis cæcos in viam, quam nesciunt, & in semitis, quas ignorauerunt, ambulare eos facis. Ponis tenebras coram eis in lucem, & praua in recta, Isai.cap.42.num.16. Quia tuus est dies, tua est nox; tu fabricatus es Auroram, & Solem. Tuus est dies, quia illuminare potes omnem hominem venientem in hunc mundum; tua est nox, quia potes dicere cæcis, videte, & inuenimini ad videndum, Ioan.cap.9.num.7. & per totum, & qui credit in me, non manet in tenebris, Ioan.cap.13.num.46. & surdis audire, Isai.c.42.nu.19. Tu fabricatus es Auroram, & Solem, lux enim facta est in mundo; quandiù sum in mundo, lux sum mundi, Ioan.cap.9.nu.5. Quia tu, qui es lux, carnem nostram assumpsisti, lux orta est iusto, & rectis corde lætitia; exortum est in tenebris lumen rectis corde, Psalm.111, nu.24. & Sicut tenebræ eius, ità & lumen eris, Psalm.138.num.10.

Tu fabricatus es Auroram, & Solem: cuq; solus es Lux, Via, & Veritas, ante-

antecedit Solem; nàm primò fuit facta lux, quæ similis erat Auroræ, quarto verò die factus est Sol. Quid hoc fratres? nisi quia Dominus docuit, quæ nobis sit via ad paradisum, via enim est Christus, Ioan.cap.14.nu.4. & qui credit in illum, in tenebris non manet, propterea venit in mundum, quia ipse est lux, Ioan.cap.12 num.46. Sequimini ergo Christum, & mandatum eius, quia mandatum eius est vita æterna, Ioan.d.cap.12.num.5. fabricatus est & Solem, nàm idem Christus Iesus Sol iustitiæ est, in quo Sole non est macula: Si non credideris, & per viam, seù lucem Christi non ambulaueris, iàm iudicatus es. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, Ioan.d.cap.3.nu.19. Fabricatus est lucem. Propterea venit in mundum, vt in luce ambulemus, & si in illam viam ambulauerimus, ad portam voluptatis æternæ, ad Solem, qui est Iesus perueniemus, quia in vijs eius splendebit lumen, Iob cap.22.num.28. & veniet nobis ità ambulantibus gaudium à Sancto super misericordia, Baruch cap.4.num.22. quæ veniet nobis ab æterno salutari nostro.

Tu fecisti omnes terminos terræ; æstatem, & ver tu plasmasti ea; qui fecit cælum, & terram, nonnè fecit & terminos terræ? Quid est hoc? quid vult dicere Dauid, qui spiritu Dei loquitur, & est sermo Dei per linguam ipsius, 2.Reg. cap.23.nu.2. Explanat nobis Baruch dictum Dauidis, cap.5.nu.3. Deus ostendit splendorem suum in re omni, quæ sub cælo est; nominabitur enim tibi à Deo in sempiternum nomen tuum, pax iustitiæ, & honor pietatis. Exurge, Ierusalem, & sta in excelso, & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente Sole vsque ad Occidentem, in verbo Sancti gaudentes Dei memoria.

Tu ergo fecisti omnes terminos terræ, idest lumen tuum super omnes terminos terræ, Iob cap.37.num.3. Quod lumen, nisi filij Dei collectionem ab Oriente, vsque ad Occidentem? tu fecisti terminos terræ, quia à Solis Ortu, vsque ad Occasum laudatur nomen tuum, Psalm.112.num.3. Ver tu plasmasti, cum germen viride, & herbam virentem Ecclesiæ fideles producunt, qui in æstate fructum bonorum operum, & conuersionis animarum colligunt. Viceruntenim Regna, operati sunt repromissiones, & filios multos Domino peperunt; ideò accipient Regnum decoris, & diadema de manu Domini, Sap.5.n.12.

Memor esto huius; inimicus improperauit Domino, & populus insipiens irritauit nomen tuum. Memor ergo eris operum, quæ fecisti, vt fideles tui, & iusti inueniantur, & laudent nomen tuum, & sic Dauid reuertitur ad illa, propter quæ prius rogauerat Deum, scilicet pro congregatione, & Ecclesia sancta, quæ Domini est, in qua lux Iesu Christi lucet, & gloriatur in æternum. Propterea dixit, Tuus est dies, in qua est honor iustitiæ, & pietatis; tua est nox, cum etsi aliquando turbetur ab infidelibus, quia tamen lux tua in tenebris lucet, non turbetur, 2.Corinth.cap.4.num.6. Quia tu Domine de tenebris facis lumen splendescere, & ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu, hæc Paul.

Inimicus improperauit Domino, Quia mortui sunt Deo, opertum est eis Euangelium Christi, cum Deus huius sæculi excæcauit mentes dictorum infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei, 2.Corinth.cap.4.num.4.

Popu-

Populus insipiens incitauit nomen tuum; Recentiores arbitrantur propterea hunc Psalmum de Antiocho loqui, quia subripuit sacra, & locutus est in superbia magna, de quo 1.Machab.cap.1.num.23. & intrauit in sanctificationem cum superbia. Cæterum quomodò superiora Psalmi adaptari possint, tu considera, & quis magis inimicus, & magis insipiens populo Iudaico, qui talia, & tàm horrenda in eodemmet Templo perpetrauit facinora? itemquè, & Gens Romanorum.

Nàm quomodò non salui facti sunt omnes de Ecclesia confitentes Deum? Ierem.cap.31.nu.8. Ecce adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ, sic & Elias dicebat, 3.Reg. cap.19.numer.10. & 14. Zelo Zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam. Et quid respondit ei Deus? numer.18. Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal, &c. Ità dicimus in casu isto, nàm cum ex Actibus Apostolorum colligamus multos ex Iudæis fidem Christi suscepisse; neque ex Apostolis, aut Discipulis aliquos tunc tempore exustionis, & destructionis Templi, ac Ierusalem; & illorum occisionis fuisse ibi comprehensos; sed monitos fugisse ad montes credendum est; & si aliqui ibidem reperti fuerint Christiani saluatos fuisse censendum est, sicut legimus de filijs Aretæ Regis, & de filijs Helenæ Adiabenorum Reginæ, & illius fratribus cum multis alijs, qui supplices ad Titum venientes ab eo suscepti, atque seruati, Romamq. sunt ducti. Augustin. quæst.80. ad Hesychium scribens; Non debemus ambigere, ait, quando euersa est Ierusalem, fuisse in illo populo electos Dei, qui ex circumcisione crediderint, siuè fuerant crediturì, electi ante constitutionem mundi, propter quos breuiati sunt dies illi, vt tolerabilia mala fierent. Quod confirmatur ex illis, quæ superius ex Iosepho de Bello Iudaico diximus cap.16. Si Romani contrà noxios venire tardassent, aut hiatu terræ deuorandam fuisse Ciuitatem, aut diluuio perituram, aut fulmina, ac Sodomæ incendia passuram. Propterea dicitur in Euangelio, nisi abbreuiati fuissent dies illi propter electos. Vide quàm clarum est, vide quòd de desolatione ab ipsismet Iudæis, & à Romanis loquitur Dauid, vide Baron.lib.1.fol.694. Quod à Ieremia prænunciatum credimus, cap.5.num.15. cum sequen. Ecce ego adducam super vos gentem, de longinquo domus Israel, ait Dominus, gentem robustam, gentem antiquam, gentem, cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur, &c. & num.17. & comedet segetes tuas, & panem tuum, deuorabit filios tuos, & filias tuas, comedet gregem tuum, & armenta tua, & conteret Vrbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio.

Sequitur Psalm. Ne tradas bestijs animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem; respectu multorum pauci erant Christiani; propterea pro illis rogando dixit, ne tradas bestijs animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum, qui crediturì sunt, ne obliuiscaris in finem, & salua illos; nàm illi Ioannes Zelotes, & Simon, quid facturi sint; tu scis Domine, nisi abbreuiarentur dies illi, non salua foret omnis caro: ne tradas animas tibi confitentes bestijs illis, ne obliuiscaris in finem, provt factum est per aduentum Romanorum, secundum Iosephum, vt supra.

Respi-

Digitized by Google

Reſpice in teſtamentum tuum, quia repleti ſunt, qui obſcurati ſunt terræ domibus iniquitatum. Ad quod teſtamentum reſpiciendum inſtat Dauid ? forſan ad vetus teſtamentum ? non Domine, nàm illi repleti ſunt, quia terrena tantùm ſapiebant, & expectabant terræ domibus iniquitatum, Pſalm. 57. numer. 3. In terra manus veſtræ iniuſtitias concinnant: facti enim erant omnes diuites, temporalia quærebant: ex vſuris, & iniquitate omnia bona illorum, neque defecit de platea eius vſura, & dolus, Pſalm. 54. num. 12.

Munera acceperunt apud ſe ad effundendum ſanguinem: vſuram, & ſuperabundantiam accepiſti; & auarè proximos tuos calumniaſti, Ezech. 22. nu. 12. Da mihi partem crudam, alioquin vi tollam, 1. Reg. cap. 2. numer. 15. Obſcurati enim ſunt, qui repleti ſunt terræ domibus iniquitatum, quia corda habebant iniqua: corda noſtra ſunt domus noſtræ. Auguſtin. ibidem: qui enim attendunt ad terram obſcurati ſunt, repleti ſunt terra domorum iniquarum, propterea obſcurati ſunt oculi eorum, ne videant; & dorſum eorum ſemper incurua, Pſalm. 68. obſcurati ſunt, repleti ſunt terra, qui corda iniqua habent, hæc Auguſtin.

Reſpice ergo in teſtamentum nouum tuum, de quo per Ierem. c. 31. nu. 31. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iudæ fœdus nouum; non ſecundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt; Non ergo intelligit Dauid de Teſtamento veteri, ſed de Teſtamento nouo, reſpice ergo in teſtamentum nouum, iàm vetus irritum fecerunt, obſcurati ſunt in rebus terrenis, in vſura, & dolo, in luxurijs, in ebrietatibus, obſcurati ſunt terræ domibus iniquitatum.

Ne auertatur humilis factus confuſus: Pauper, & inops laudabunt te. Rogat pro humilibus ne confundantur, quia tàm citò non fuerint exauditi, & reddit rationem talis petitionis, quia illi laudant Dominum. Hæc ſecundum recentiores. Nos verò dicimus, Ne auertatur humilis factus confuſus, quia viderunt tot mala, & talem deſtructionem: quaſi quòd Deus etiam ab illis receſſerit: ſic etiam in Euangelio Matth. 24. nu. 2. ſurgent enim Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna, &c. itàvt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.

Pauper, & inops laudabunt nomen tuum. Pauperes ſpiritu, qui dicuntur? Beati, in Euangelio Matth. cap. 5. num. 3. Et pauperes fiducialiter requieſcent, & quid reſpondebitur nuntijs gentis? quia Dominus fundauit Sion, & in ipſo ſperabunt pauperes populi eius, Iſai. cap. 14. num. 30. & 32. Pauperes ergo laudabant Dominum; & deſiderantes æterna promiſſa tua, non turgidi de temporalibus, non de propria iuſtitia in ſuperbiam elati, & inflati, ſed confitentes peccata ſua, hi laudabunt Dominum, hæc Auguſtin. egenus ergo, & inops laudabunt nomen tuum Domine.

Exurge Domine, & iudica cauſam tuam, ſed quam cauſam iudicare debet? ſuperius illam poſuit, nempè quia impij dixerunt, ceſſare faciamus omnes dies feſtos Dei à terra; quia nos non cognoſcit amplius, & non eſt Propheta, & ſigna noſtra non vidimus. Obijciunt ergo non eſſe Deum, & ſi eſt, non cognoſcere; idcircò faciunt concluſionem de ceſſatione dierum feſtorum Dei. Dum hæc obijciuntur, inquit Propheta, factæ ſunt mihi lacrymæ panes die,

ac

Digitized by Google

ac nocte, dum dicunt quotidie, vbi eſt Deus tuus ? Pſalm.41.num.4. Exurge, iudica cauſam tuam ; ego enim ſi illis & faciem oſtendere non poſſum ; & quando tua promiſſa prædicamus, cum contemptu dicunt ; quis reſurrexit ab inferis ; nunquam audiui Patrem meum de ſepulchro loquentem : nunquam vidi Dominum vti eſt .. Dicebam ego illis, quòd fides locum non habet, vbi humana ratio perhibet experimentum ; Deum nullus vnquam vidit ; Faciem meam non videbitis, ſed poſteriora, Exod.cap.33.num.23. Quid faciam iſtis, dicit Auguſtin. hìc : non enim propter illos fieri debet Deus viſibilis . Cum ipſi nolint conuerti in melius, Deus conuertet illos in peius . Intellectu videtur Deus, corde videtur, non enim Solem, & Lunam volebat oſtendere, qui dicebat, Beati mundo corde, quia ipſi Deum videbunt, Matth.cap.5. corpus tantùm tuum videtur, cur ergo non ſepeliris, quia animam non vides ? Tu dicis quia ſapio adhùc me viuere, quia loquor, ambulo, & operor, ſi ex operibus corporis agnoſcis viuentem, quare ex operibus creaturæ non agnoſcis Creatorem ? hæc Auguſtin. Exurge Domine iudica cauſam tuam . Pereant iſti Epicurei, ſiccentur flumina Ethan ; pereant iſtæ doctrinæ gentium . Ego verò, qui in te credo, non peream, quia credidi quod non vidi, ſpe mea non fallar, accipiam quod promiſiſti, iudica cauſam meam . Memento opprobriorum tuorum, quæ ab inſipiente ſunt tota die ab imprudente .

Ne obliuiſcaris voces inimicorum tuorum, nàm ſicut illi quotidie ſunt contrà te, negantes, & blasphemantes nomen tuum, ita tu Deus illos punias, & corrigas ; quia ſuperbia illorum aſcendit ſemper . Cum te ſemper odio habeant, redde odientibus te ſtatim, ità vt diſperdas eos, & vltra non differas, protinus eis reſtituens quod merentur : Deut.7. num.8. Ne obliuiſcaris in finem, induantur confuſione, Iob 8. num. 12.

Exurge ergo Domine Iesu Chriſte, iudica cauſam tuam, defende Eccleſiam tuam ab ore infidelium, tua eſt enim potentia, tuum eſt Regnum, ne tradas beſtijs iſtis animas confitentium te, & in te credentium, ne obliuiſcaris in finem ; tu enim ſanguine tuo Eccleſiam Sanctam tuam redemiſti, virga tua conſolatur nos, ſed vt facias de correptione, & tentatione prouentum, te rogamus, non in finem iraſcaris, ſed iunge nos efficaciter tuo dono, vt ſimul collecti valeamus, hoſtes, & inimicos tuos ſuperando, illos ad fidem tuam reducere, vt ſalui facti glorificent nobiſcum, te Ieſum Chriſtum filium Dei, qui pro noſtra, & illorum ſalute in hunc mundum, vt nos redimeres veniſti, ſanguinem tuum fudiſti, mortemque crucis ſuſtinuiſti, & tandem reſurgens à mortuis, & in cœlum aſcendens, ad dexteram Dei Patris permanes, vt nos, fidelesq; tuos omnes gloriæ tuæ participes, & cohæredes faceres ;

SOLILOQVIVM.

DEVS repuliſti, iratus es mihi, quia tibi peccaui, iàm me peccaſſe pœnitet, ne amplius iraſcaris, quia gemitus meus non eſt à te abſconditus . Memor eſto Eccleſiæ tuæ ; quam tuo prætioſo ſanguine redemiſti, in cuius oculi gratia tua me poſuiſti ; Tu es Virga bone Ieſu, hæreditatis Dei, qui de radice Ieſſe egreſſus es, vt vigilares ſuper me . Virga hac tua Domine, inimicos meos à me expelle

Digitized by Google

expelle, qui habitas in Ecclesia monte sancto tuo, contrà quam malignatur inimicus. Manu tua dispersde superbiam eorum; gloriantur enim in persecutionibus Sanctorum, signa illorum ponentes ad portas ciuitatis, & non cognouerunt, quia etiam Sanctos tuos persecuti sunt. Pone Domine crucis signum in corde meo; protector meus, non timeam illorum tormenta: Vt quiescere facerent omnes dies festos tuos à terra, iactabant, simulq. eorum cognatio Iudæorum, dicebant contrà te. Iàm iste contrarius est operibus nostris, moriatur ipse pro populo, & nullus Regnum nostrum tollet à nobis: iàm non est Propheta iste Christus, & si occidamus, nos non cognoscet amplius. Nomen tuum Domine blasphemantes irritare conantur vsque in finem: propterea auertisti manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo, idest de sanctuario tuo in finem: nàm extrà Ecclesiam posuisti illos, in qua Ecclesia salutem tu Domine operatus es. Potentiam Diaboli per baptismum in Ecclesia existentibus subiecisti. Quasi fontes aquarum disrupens Apostolos per illos traiecisti, per quos fluuios Ethan potentiam nempè iniquitatis exsiccares; vt obscuritatem legis considerantes, claritatem Euangelij prædicarent, teq. Solem, & Ecclesiam tuam Lunam videntes, lux magna credentibus appareret; cum tu feceris omnes terminos terræ, atque æstatem, & ver plasmaueris. Inimicus improperat tibi, populumq. insipientem incitauit, vt morerentur dilecti tui: ne tradas Domine bestijs istis animas tibi confitentes; inimici verò sentibus iniquitatis repleantur, at tribulatus humilis factus non auertatur à te Domine; etenim pauperes, & inopes nomen tuum laudant. Exurge Domine, iudica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum; tua enim sunt, quæ seruis facta sunt improperia; inuocantium te voces illorum exaudi, si relicta superbia, ad te humiles conuertantur. Amen.

IN PSALMVM LXXIV.

Confitebimur tibi Deus: confitebimur, & inuocabimus nomen tuum.

ARGVMENTVM, seù Titulus. In finem: ne corrumpas, Psalmus Cantici Asaph.

Obscuritatem Titulorum magnam esse asserunt Recentiores, & certè videtur sic: nos verò considerantes præcedentis Psalmi Titulum, & illius, quam supra prosecuti sumus expositionem, benè continuari posse cum præsenti Titulo credimus. Nàm in Psalmo supradicto 75. tribulationes prænuntiantur Ecclesiæ, propterea intellectus Asaph, hoc est intellectus efflagitatur Ecclesiæ, seù Congregationi, ne propter permissas tribulationes turbetur.

Nunc verò eadem Ecclesia designata per nomen Asaph significans congregationem, canticum, & laudes Dei cantare intendens hortatur seipsam, ne si perturbari aliquandò contingat, ad huius vitæ, & huius sæculi finem corrúpatur, & decliues intellectu; sed vsque ad finem persistat tribulationes sustinendo;

certa

certa enim est Dei promissio, & quod promittit non facit irritum. Ne corrumpas: tota enim vita huius mundi est tentatio, Iob cap. 7. num. 1. hinc idem Iob sicut mercenarius præstolatur finem operis tui, sic ego si dormiero dicam, quando consurgam, & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus vsque ad tenebras, vsque ad mortem; ità iste Asaph hortatur, vt vsque ad finem permaneamus in tentationibus. Ne corrumpas, quia vsque ad finem erunt in Ecclesia perturbationes, & hæretici. Per patientiam ergo curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, ad Hebr. cap. 12. num. 2. In finem ergo ne corrumpas, quia non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, 2. Timoth. cap. 2. num. 2. & 5. Et vt facilius persistamus in fide, docet nos laudes Domini decantare, & potentiam eius confiteri.

Confitebimur tibi Deus, & inuocabimus nomen tuum, confessio ergo præcedat ante omnia, si laudes, & sacrificia grata Deo esse desideramus, Confitebimur, inquit, tibi Deus, confitebimur, & tunc inuocabimus nomen tuum, & tunc exaudies nos, Eccles. cap. 51. num. 15. Laudabo nomen tuum assiduè, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio mea. Cum timore, & timore confremini illi: Regemq. sæculorum exaltemus in operibus suis, Tob. cap. 13. num. 3. & 6. Confiteamur quater in die sicut filij Israel, 2. Esdr. cap. 9. num. 5. & Eccles. cap. 17. num. 26. & 27. Confitere ante mortem, confiteberis viuens, viuus, & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in misericordijs illius; quoniam magna misericordia Domini, & propitiatio illius, conuertentibus ad se, hinc ad Timoth. 1. cap. 6. num. 12. & 13. Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Iesu Christo, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt serues mandatum sine macula.

Ad intelligentiam autem præsentis Psalmi recolendum, quod in præcedenti Psalm. 73. num. 20. dictum fuit: Respice in testamentum tuum, non tamen ad vetus, quod iàm irritum factum fuerat per filios iniquitatum Israel: ideòque in eodem instabat Dauid pro aduentu Messiæ filij Dei, ibi, Exurge Deus, iudica causam tuam; post quæ sequitur iste Psal. 74. Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & inuocabimus nomen tuum, & narrabimus mirabilia tua. Quocirca asserimus, in hoc loco loqui Dauid de aduentu Dei, & filij Iesu Christi.

Confitebimur, inquit, tibi Deus. Nonne prius etiam confessus erat, Deum esse omnipotentem, eiusq. mirabilia? Videatis totum testamentum vetus, omnes Psalmos, omnes Prophetas. Quomodò confitendum illi sit: etsi est Deus, quod aliud est nomen illius? quia inuocandum dicitur nomen eius. Exurge, inquit, Deus, & confitebimur nomen tuum, quod est Iesus filij Dei. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo, Matth. cap. 10. num. 12. Luc. 12. num. 8. Confitebimur tibi Deus, & inuocabimus nomen tuum; exurge Deus: ergo Deum, qui venturus erat, confiteamur.

Narrabimus mirabilia tua, addit; de admirabilibus futuris post aduentum illius. Hoc declarat ipsemet Dauid, dicens; exurge, iudica causam tuam;

num. 22.

expelle, qui habitas in Ecclesia monte sancto tuo, contrà quam malignatur inimicus. Manu tua disperde superbiam eorum; gloriantur enim in persecutionibus Sanctorum, signa illorum ponentes ad portas ciuitatis, & non cognouerunt, quia etiam Sanctos tuos persecuti sunt. Pone Domine crucis signum in corde meo; protector meus, non timeam illorum tormenta: Vt quiescere facerent omnes dies festos tuos à terra, iactabant, simulq; eorum cognatio Iudæorum, dicebant contrà te. Iàm iste contrarius est operibus nostris, moriatur ipse pro populo, & nullus Regnum nostrum tollet à nobis. Iàm non est Propheta iste Christus, & si occidamus, nos non cognoscet amplius. Nomen tuum Domine blasphemantes irritare conantur vsque in finem: propterea auertisti manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo, idest de sanctuario tuo in finem: nàm extrà Ecclesiam posuisti deos, in qua Ecclesia salutem tu Domine operatus es. Potentiam Diaboli per baptismum in Ecclesia existentibus subiecisti. Quasi fontes aquarum disrupens Apostolos per illos traiecisti, per quos fluuios Ethan potentiam nempè iniquitatis exsiccares; vt obscuritatem legis considerantes, claritatem Euangelij prædicarent, teq. Solem, & Ecclesiam tuam Lunam videntes, lux magna credentibus appareret; cum tu feceris omnes terminos terræ, hinc æstatem, & ver plasmaueris. Inimicus improperat tibi, populumq. insipientem incitauit, vt morerentur dilecti tui: ne tradas Domine bestijs istis animas tibi confitentes; inimici verò sentibus iniquitatis repleantur, at tribulatus humilis factus non auertatur à te Domine; etenim pauperes, & inopes nomen tuum laudant. Exurge Domine, iudica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum; tua enim sunt, quæ seruis facta sunt improperia; inuocantium te voces illorum exaudi, si relicta superbia, ad te humiles conuertantur. Amen.

IN PSALMVM LXXIV.

Confitebimur tibi Deus: confitebimur, & inuocabimus nomen tuum.

ARGVMENTVM, seù Titulus. In finem: ne corrumpas, Psalmus Cantici Asaph.

Obscuritatem Titulorum magnam esse asserunt Recentiores, & certè videtur sic: nos verò considerantes præcedentis Psalmi Titulum, & illius, quam supra prosecuti sumus expositionem, benè continuari posse cum præsenti Titulo credimus. Nàm in Psalmo supradicto 73. tribulationes prænuntiantur Ecclesiæ, propterea intellectus Asaph, hoc est intellectus effagitatur Ecclesiæ, seù Congregationi, ne propter permissas tribulationes turbetur.

Nunc verò eadem Ecclesia designata per nomen Asaph significans congregationem, canticum, & laudes Dei cantare intendens hortatur seipsam, ne si perturbari aliquando contingat, ad huius vitæ, & huius sæculi finem corrúpatur, & declinet intellectu, sed vsque ad finem persistat tribulationes sustinendo:

certa

certa enim est Dei promissio, & quod promisit non facit irritum. Ne corrumpas: tota enim vita huius mundi est tentatio, Iob cap.7.nu.1. hinc idem Iob, sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic ego si dormiero dicam, quando consurgam, & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus vsque ad tenebras, vsque ad mortem; ità iste Asaph hortatur, vt vsque ad finem permaneamus in tentationibus. Ne corrumpas, quia vsque ad finem erunt in Ecclesia perturbationes, & hæretici. Per patientiam ergo curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, ad Hebr.cap.12.nu.2. In finem ergo ne corrumpas, quia non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, 2.Timoth.cap.2.num.2.& 5. Et vt facilius persistamus in fide, docet nos laudes Domini decantare, & potentiam eius confiteri.

Confitebimur tibi Deus, & inuocabimus nomen tuum, confessio ergo præcedat ante omnia, si laudes, & sacrificia grata Deo esse desideramus, Confitebimur, inquit, tibi Deus, confitebimur, & tunc inuocabimus nomen tuum, & tunc exaudies nos, Eccles.cap.51.num.15. Laudabo nomen tuum assiduè, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio mea. Cum tremore, & timore confitemini illi: Regemq. sæculorum exaltemus in operibus suis, Tob.cap.13.num.3. & 6. Confiteamur quater in die sicut filij Israel, 2.Esdr. cap.9.num.3. & Eccles.cap.17.num.26. & 27. Confitere ante mortem, confiteberis viuens, viuus, & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius, quoniam magna misericordia Domini, & propitiatio illius, conuertentibus ad se, hinc ad Timoth.1. cap.6.num.12. & 13. Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Iesu Christo, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt serues mandatum sine macula.

Ad intelligentiam autem præsentis Psalmi recolendum, quod in præcedenti Psalm.73.num.20. dictum fuit. Respice in testamentum tuum, non tamen ad vetus, quod iàm irritum factum fuerat per filios iniquitatum Israel: ideòque in eodem instabat Dauid pro aduentu Messiæ filij Dei, ibi, Exurge Deus, iudica causam tuam; post quæ sequitur iste Psal.74. Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & inuocabimus nomen tuum, & narrabimus mirabilia tua. Quocircà asserimus, in hoc loco loqui Dauid de aduentu Dei, & filij Iesu Christi.

Confitebimur, inquit, tibi Deus. Nonnè prius etiam confessus erat, Deum esse omnipotentem, eiusq. mirabilia? Videatis totum testamentum vetus, omnes Psalmos, omnes Prophetas. Quomodò confitendum illi sit: etsi est Deus, quod aliud est nomen illius? quia inuocandum dicitur nomen eius. Exurge, inquit, Deus, & confitebimur nomen tuum, quod est Iesus filij Dei. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo, Matth.cap.10.num.12. Luc.12.num.8. Confitebimur tibi Deus, & inuocabimus nomen tuum; exurge Deus: ergo Deum, qui venturus erat, confiteamur.

Narrabimus mirabilia tua, addit, de admirabilibus futuris post aduentum illius. Hoc declarat ipsemet Dauid, dicens; exurge, iudica causam tuam,

num.22.

Digitized by Google

num.22. Pſalm.73. reſpondet Dei filius, cum accepero tempus, cùm aſſumpſero carnem, tunc factus eſt in tempore, ante enim Deus erat ſine tempore, Deus quippè non habet principium, neque finem, ſemper idem eſt. Cum ergo ego accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio Iſai.cap.5.num.23. Eſt ergo ipſe, filius, qui ſumpturus erat carnem, conſtitutus iudex viuorum, & mortuorum, iuſtitias ergo iudicabo ego, ideſt iuſtum iudicium proferam, & benè, quia ipſe eſt Iudex iuſtus, fortis, & patiens, Pſam.10.num.8. Iuſtus eſt enim Dominus, & rectum iudicium ſuum, Pſalm.118.n.137. Cum accepero tempus Auguſt. Accipit tempus, vt filius hominis: gubernat tempora, vt filius Dei; vt filius hominis, audi Ioan.d.c.5.n.22. & 27. Et dedit ei poteſtatem iudicium facere, quia filius hominus eſt, ſecundum quòd eſt filius Dei, nunquam accepit poteſtatem iudicandi, hæc Auguſtin.

Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo, credens in Ieſum, quem Pater miſit, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſit à morte ad vitam, Ioan. d. cap.5. num.24. Ergo iudicium erit contrà peccatores, & iuſtitia contrà illos, Amos cap.6. numer.14. Conuertiſtis in amaritudinem iudicium, & fructum iuſtitiæ in abſynthium; quibus conſentire videtur, quod dixit Deus per Ierem. cap.46.num.28. in fine. Sed caſtigabo te in iudicio, & cap.48. num.21. Et iudicium venit ad terram campeſtrem. Ego igitur iuſtitias iudicabo, cum accepero tempus Incarnationis meæ, Ierem.33. num.15. In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Dauid, Chald. Chriſtum germen iuſtitiæ; & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra, idem etiam Iſai.cap.28. num.16. Ideircò hæc dicit Dominus Deus, ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, ideſt Chriſtum; lapidem probatum, multis ſcilicet percuſsionibus in ſua paſſione. Tranſlatio verò Chaldaica: Ecce ego ſtatuens in Sion Regem Meſſiam, Regem angularem, quia ex Iudæis, & Gentibus, tamquam ex duobus parietibus ſimul iunctis fecit vnam Eccleſiam, & num.17. Et ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura, & ſubuertet grando ſpem mendacij. Ecce punitio iuxtà idem crimen illorum; & exercitus Romanorum ſicut grando in Iudæos; ſpes mendacij illorum erat, quia ſperabant morte Chriſti euadere Romanorum inſultum: dicebant enim, Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & locum noſtrum tollent, & Ioan. cap.11.num.31. Nunc iudicium eſt mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras, Ioan.cap.9.num.39. in iudicium, in hunc mundum veniet, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.

Ego iuſtitias iudicabo, hoc eſt executioni mandabo iuſtitiam meam contrà iniquos, & incredulos. Simile Habacuc cap.1. num.12. Domine in iudicium poſuiſti eum; ideſt in executionem iuſtitiæ tuæ diſpoſuiſti. Idem habetur in Sophon.cap.3.num.5. Mane, mane iudicium dabit ſuum in lucem, & non abſcondetur; quia punitio facta à Romanis toti mundo fuit manifeſta. Et inuocabimus nomen tuum; nomen nouum, quod tunc ſciet populus, quando aduenerit, Iſai.cap.52.num.6. & erit nomen nouum, cap.62.num.2. Ieſus ſcilicet filius Dei; propterea dicebat Iſai.cap.64. nu.5. Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes, &c. vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis. Inuocabimus ergo nomen tuũ. Quando venerit à facie tua gentes turbabũtur.

Sequitur Psal. Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea. Iratus est Dominus cum omnes essent peccatores; quocircà misit in eos gladium, & Romanos, qui in totum delerent eos, pertimuit cor populi ex afflictionibus, & instar ceræ liquefactum est; liquefacta est terra ex sanguine occisorum currente per plateas, & per Templum, & madefacta est terra sanguine eorumdem; & omnes simul, qui habitabant in ea ferè occisi sint, & captiui facti. Vel dicamus cum Augustin. Si defluxit terra, vndè defluxit nisi peccatis; & ideò delicta dicuntur; & delinquere est tamquam de liquido quoddam fluere à stabilitate firmamenti virtutis, atque iustitiæ. Cupiditate enim inferiorum quis peccat, sicut roboratur charitate superiorum; sic deficit, & quasi liquescit cupiditate inferiorum. Nunc fluxum rerum in peccatis hominum attendens, donator misericors, & donator peccatorum, nondum exactor suppliciorum attendit, & ait; Defluxit terra, & omnes habitantes in ea, tamquam si diceres: quomodò defluxit terra? subtracta sunt fundamenta, & aliquid in ea hiatu quoddam demersum est? inueni, inquit, terram peccatricem, & quid feci? Ego confirmaui columnas eius, hæc Augustin. ibidem in Psal. 74.

Confirmauit columnas eius, super lapidem scilicet angularem, probatum, pretiosum, in fundamento fundatum, quem misit Deus Pater filium suum, angularem tamquam ex duobus parietibus simul iunctis, Iudæis scilicet, & Gentilibus; pretiosum cum sit in eo, & Humanitas, & Diuinitas maximi valoris: probatum ex multis percussionibus in eius passione sibi illatis. In isto lapide fundamentali, ego confirmaui columnas, Apostolos scilicet mittens, & Discipulos, Doctores, & Prophetas, qui quasi grando subuertent spem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt, Isai. d. cap. 28. num. 17. Quia multæ tribulationes iustorum, & de omnibus illis liberabit eos Dominus, quia fundati sunt, vt dixi, super firmum fundamentum, lapidem angularem Christum Iesum, ideò cæli enarrant gloriam Dei, scilicet Apostoli, Psalm. 18. num. 1. Vox speculatorum tuorum, leuauerunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, Isai. cap. 52. num. 8.

Idcircò dixi iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu: nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatem; Non videtur Propheta intellexisse de Chaldæis, sed de populo Gentili, & Hebræo, pro quibus petra angularis in fundamentum iacta est, super quod confirmatæ sunt columnæ, Prædicatores, & Apostoli Dei. Monet ergo christianos, & fideles, quos saluos facere curabat, ne iniquè agant, & delinquentibus, ne extollantur in superbia sua. Nàm si propter peccata populi misit Deus Chaldæos, vt Iudæos affligerent, & in seruitutem reducerent, quomodò nunc monere vult, ne iniqua facerent, si sic fuit voluntas Dei, propter peccata populi, Ierem. cap. 22. num. 6. & sequen. & cap. 26. num. 6. Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens, Ierem. cap. 23. numer. 19. Plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli, Ierem. cap. 30. num. 14. & cap. 5. numer. 15. Ecce ego adducam super vos gentem, cuius ignorabis linguam. Si ergo Dominus adduxit illos, vt affligeret Iudæos, quomodò adaptare volumus verba supradicta Chaldæis: dixi iniquis, nolite iniquè agere, malum enim, quod fecerunt Chaldæi respectu Iudæorum non erat malum, sed poena illis, propter eorum peccata; tamensi

respe-

reſpectu ipſorum Chaldæorum erat malum: nàm cum inimicis Deus caſtigauit inimicos ſuos, iniquos, & infideles. Monet ergo Deus Chriſtianos malè agentes, vt conuertantur à vijs ſuis peſſimis, quia, ideò ipſe venit, & carnem aſſumpſit, vt ſaluaret illos, ſi pœniteant. Nolite, inquit, exaltare cornu; quid enim ſuperbis cinis, & vmbra? Eccleſ.10. num.9. Initium omnis peccati ſuperbia, num.15. ibidem: memoriam ſuperborum perdidit Deus.

Dixi iniquis: nolite iniquè agere. Lucra arte mala acquirendo, fraude, ſcilicet dolo, aut rapina facultates veſtras augendo. Dixi iniquis, amaris ſcilicet, & res venales adulterantibus, Iſai.cap.1.num.22. ibi vinum tuum mixtum aqua. Iniquis dixi, Principibus infidelibus; ſocijs furum: & cæteris, de quibus Iſai.cap.1.num.23. In platea illorum vſura, & dolus. Et delinquentibus, nolite exaltare cornu: delictum in hoc loco pro ſuperbia maxima accipiendum puto: propterea dicit, nolite exaltare cornu, nolite gloriari in infirmitate veſtra, ò Reges, & Principes, & cæteri ſuperbi homines; cum terribilior ſit Deus, qui aufert ſpiritum Principum, & hunc exaltat, & hunc humiliat, ſicut ſibi placitum; & idcircò nolite extollere in altum cornu veſtrum, quaſi in vobis ſit terræ poteſtas; à Deo eſt enim omnis poteſtas. Et aduerſus Deum, nolite loqui iniquitatem, ac ſi non eſſet Deus. Ipſe enim creauit omnia, quæ in cælo, & in terra. & teipſum etiam, vt ſerues, quod ipſe mandauit, ſi vis ſaluus fieri; alioquin deſtruet te, & ad nihilum rediget. Vidi impium exaltatum, & eleuatum, ſicut cedros Libani: quæſiui eum, & non eſt inuentus amplius locus eius; & deſiderium peccatorum peribit. Si deſcenderis in infernum, adeſt, & ſi aſcenderis ſurſum, adeſt, vndè.

Neque ab Oriente, neque ab Occidente quiſquam, neque à deſertis montibus manus eius euadere poterit, quoniam Deus Iudex eſt, & Dominus; in omni loco tribunal Dei, vt iudicet, & iuſtitiam faciat, & ſecreta cordis tui ſunt ipſi nota. Neque dicas, ſicut inſipiens in corde tuo, non eſt Deus, Pſalm.13. ipſe enim audit te, & videt cogitationes tuas, & vbique eſt præſens, & continens omnia ſcientiam habet vocis, Sapien.cap.1.num.6. & 7.

Nolite igitur loqui aduerſus Deum iniquitatem, quia non liberabit maledicum à labijs ſuis, quoniam renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus, & linguæ eius auditor, Sapien.cap.1.num.6. Et ipſe dat vnicuique iuxtà viam ſuam, & iuxtà fructum adinuentionum ſuarum, Ierem. cap.17. num.10.

Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus miſto. Omnes ferè expoſitores exponunt hunc calicem vini meri de vindicta iuſtitiæ Dei, vt in Iſai. cap.51.numer.17. Bibiſti de manu Domini calicem iræ eius, vſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti, & potaſti vſque ad fæces, ſic Ezech.cap.23.num.32. & ſequen. & 34. & bibes illum, & epotabis vſque ad fæces, ità Thren.cap.4.numer.21. Ierem.cap.25.numer.37. & accepi calicem de manu Domini, & propinaui cunctis gentibus, ad quas miſit me Dominus, &c. vt darem eos in ſolitudinem, & in ſtuporem, & in ſibilum, & in maledictionem.

Veruntamen conſideranti mihi ſuperiora hæc verba, hunc humiliat, & hunc exaltat; & quòd bonis Deus dat gratiam, malis verò pœnam, vt humiliati reuertantur, & reſipiſcant. Propterea videtur ſub iſta metaphora ca-

licis vini meri pleni misto significari, quòd Deus potest inclinare ex hoc in hoc, idest in mero vino ponere etiam mixturam, secundum voluntatem suam, & secundum merita hominum; quòd scilicet exaltare potest bonum hominem, dando ei vinum merum, & etiam humiliare, ponendo in vino mixturam amaram; quia, vt dicitur, Deus quos diligit, hos etiam corrigit, & castigat. Et hic est calix, qui est in manu Domini vini meri, sed etiam plenus misto, ne cuiuspiam cornu exaltetur, idest ne exaltatus in superbiam eleuetur; Propterea hunc humiliat, vt exaltet, quia qui se humiliat, exaltabitur.

Quàm præclarus est iste calix tuus inebrians, Psalm. 22. nu. 5. Nonnè vino isto mero inebriati sunt Apostoli omnes, & reliqui Sancti Martyres, & Confessores confitentes Christum, & qui mundo mortui sunt propter nomen Iesu Christi benedicti; & vsqueadeò ebrij, vt suos abnegarent, & illorum mens omnino abalienata esset ab hoc sæculo. Ebrij ergo illi mero isto amoris Dei; sed & misto pariter portati sunt, nàm passi sunt, secti sunt, in speluncis, &c. & sanguinem suum fuderunt. Hos humiliat, vt patiantur propter Christum, eosdem exaltat, vt hæredes fiant in domo Domini. Ecce quomodò inclinauit ex hoc in hoc: qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, ecce mixtura, & sequatur me, quia calix in manu Domini vini meri, sed plenus misto: Bibent omnes peccatores terræ, quia venit vocare peccatores, quos inebriare cupit ex illo vino mero; veruntamen plenus misto, quia non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, Veruntamen fæx eius non est exinanita, nàm fundum calicis indignationis Dei pro iniquis, & infidelibus remanet, si illos non pœniteat. Conuertere ad Dominum, ò peccator, non adijcies, vt bibas illum vltrà fundum, Isai. d. cap. 51. num. 22. Bibunt etiam peccatores merum misto plenum vsque ad fæcem; sed caueant, quia fundum calicis indignationis Domini restat, quia si impœnitens moriaris; indignatio Domini erit super te, & in perpetuum; Ite maledicti in ignem æternum. Bibent omnes peccatores hoc merum vinum, quia vidi impium exaltatum, &c. sed plenum misto fuit, quia ecce transiui, & non erat, nec inuentus est amplius locus eius.

Bibent omnes peccatores terræ. Non vt remaneant peccatores, sed vt iustificentur, non vt puniantur, Augustin. hìc. Eleuare, eleuare, consurge peccator, qui bibisti de manu Domini calicem iræ eius, Vsque ad fundum calicis sopons bibisti, & porasti vsque ad fæces, ne vlteriori potu condemneris.

Vel aliter dicamus; calicem de manu Domini vini meri, plenum tamen misto; nàm etsi peccatores affligantur de manu Domini, vt viuant, veruntamen fæx eius non est exinanita; nàm maior tribulatio restat de manu Dei futura, nempè illa Antichristi; fundum enim calicis, & fæx est Antichristus, & in satellitibus eius seruatur. Bibent omnes peccatores terræ; illa enim tribulatio erit magna, ordinabitur tamen ad purgationem, & meritum electorum, Gloss. in Isai. d. cap. 51. & ad punitionem malorum, Iob c. 5. quantò magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.

Ego autem annunciabo in sæculum, cantabo Deo Iacob. Propheta loquitur coniunges prima cum extremis; dicebat enim in princ. Confitebimur tibi Deus, & inuocabimus nomen tuum; iniquos ne iniqua agerent monebat,

ne

ne gloriarentur in ſua ſuperbia; quia, qui eſt omnium Deus, & Dominus humiliat, & exaltat, habet enim in calice vinum merum, & miſtum, non tamen in illo deficit etiam fæx, qua & perpetuò delere poſſit iniuſtorum memoriam. Ego verò, dicit Propheta, in ſæculum ſupradicta annunciabo, vt peccatores conuertantur, & impœnitentibus pœnam perpetuam annunciabo, laudesquè Deo Iacob cantabo.

Ex parte verò Dei reſpondetur Prophetæ, & dicitur, & ego Deus ſuperborum peccatorum cornua confringam, & cornua iuſti exaltabuntur. Ipſe enim Deus vigilat ſuper verbo ſuo, vt faciat illud. Repente enim loquetur aduerſus peccatores, & regnum, vt eradicet, & deſtruat, & diſperdat illud: hæc eſt fæx, quæ non eſt exinanita. Sed, ſi pœnitentiam egerint peccatores à malo ſuo, quod locutus eſt Dominus, aget & ipſe pœnitentiam ſuper malo, quod cogitauit, vt faceret eis, & ſubitò loquetur de gente, & de regno, vt ædificet, & plantet illud, Ierem.cap.18.num.4. cum ſequen. Ipſe enim Ieſus eſt ſuper omnes gentes, & regna, vt euellat, & deſtruat, & ædificet, & plantet, Ierem.cap.1.numer.9. Propterea in manu eius calix vini meri plenus miſto, veruntamen fæx eius non eſt exinanita.

SOLILOQVIVM.

CONFITERE & tu anima mea Domino tuo eſu Chriſto, qui carnem noſtram aſſumpſit, vt liberet nos à morte perpetua. Inuoca, & lauda nomen eius, quia fecit pro nobis mirabilia. Terra caduca, & peccatis plena. Tu verò Deus meus columnas Apoſtolorum, & prædicantium nobis reliquiſti, & ſupra petram firmiſſimam angularem, Dominum Ieſum, illas poſuiſti, confirmaſti, ſolidaſti, vt aduerſus eas portæ inferi non præualerent. Monebo & ipſe peccatores, ne amplius iniqua gerant, nec contrà Dominum delinquant. Hucuſque enim calix vini plenus miſto, quia, etſi aliquando humiliati, & eleuati, fæx tamen remanſit in calice, ſi, dum tempus habemus, non operemur bonum. Vigilat quippè Dominus ſuper verbo, vt faciat illud, & ſuper quem non ſurget bonum eius? vt corrigat, ſubleuet, & caſtiget. Rogo te Domine Ieſu, vt me cuſtodias ab omni malo, deleas peccata mea, humilies me in hac vita, vt exalter in cælo cum iuſtis. Amen.

IN PSALMVM LXXV.

Notus in Iudæa Deus : in Israel magnum nomen eius.

TITVLVS. In finem, in Carminibus. Vulgata habet, In laudibus Psalmus Asaph, Canticum ad Assyrios: hebraicè Assurim; græcè verò Syros. Assurim insidiantes interpretantur, vt in Genes. cap. 25. Assyrij verò dirigentes, quasi gressus suos dirigentes contrà Dominum ad ipsorum perditionem. Iudæis hoc conuenit, qui Christum Dominum negantes eum crucifixerunt, etiam dicuntur dirigentes, eo quòd suas ceruices contrà Iesum erigerent, & verbo dirigerent contrà illum, dicentes, quòd esset seductor, quòd totam gentem peruerteret, & quòd esset mortis reus: Sub Assyriorum ergo nomine vocantur, qui olim inter Iudæos peruersi erant, ità Asaph contrà istos dirigit Psalmum istum.

Qui ad præcedentem ità continuari potest, ibi enim Asaph, quòd laudes Dei exiguæ, & paucæ essent in mundo, & penè defeciissent, psallebat; à solis enim Iudæis laudabatur olim Deus, quia ipsis soli lex Dei data erat à Moyse: in isto verò contrà Iudæos in laudibus Dei deficientes, cantat psallendo, dicens. Notus in Synagoga bonis Deus. In finem, in Christum laudes, ò Assyrij, ò iniqui Iudæi, ò detractores, ò insidiatores. Notus in Iudæa, quia quotquòt illum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri; cæteri verò eius in propria venerit, eum non receperunt, Ioan. cap. 1.

Summa videtur esse: Iudæorum malorum confutatio, & admonitio deuotis ad reddenda vota.

Notus in Iudæa Deus; in Israel nomen magnum eius. Et si notus in Iudæa Deus, quomodò defecerunt Iudæi in laudes eius? & si in Israel magnũ nomen eius; quomodò vos Iudæi Regem non habere dixistis, nisi solum Cæsarem? & si notus in Iudæa Deus, vbi nunc vobis erit Deus notus, si vos Iudæos in diuersas mundi partes dispersit idem Dominus? Deut. cap. 28. numer. 64. Dispergetet te Dominus in omnes populos à summitate terræ vsque ad terminos eius, &c. Osee cap. 9. num. 17. Abijciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus. Et si in pace locus eius factus est, & habitatio eius in Sion: vbi est habitatio vestra? In nullo loco: Et in gentibus non quiescet, neque requies est vestigio pedis tui, & cor pauidum Dominus dedit tibi, & oculos deficientes, & animam consumptam mœrore, vt ibid. d. cap. 28. num. 66. Quid ergo gloriamini in isto Psalmo, cum, nec Deum notum habeatis, nec requies sit vobis vsque in finem?

Quomodò Deus in Iudæa notus, quomodò in Israel magnum nomen eius? Nisi dicamus: notum Deum in Iudæa, quia vos destruxit, templa, & cæremonias vestras odiuit, Isai. 1. Ciuitatem Ierusalem igni comburendam mandauit. In Israel magnum nomen eius, quia illa ciuitate destructa, in qua lapis supra lapidem non remansit, magnus Dominus, qui talia fecit, sacrilegos, & iniquos vos Iudæos à grege suo separando. Et si posuistis eum in

cruce, quomodò est locus eius in pace? Notus Deus in Iudæa, quia multa Iudæorum millia percutientes pectora sua confitebantur verum Deum Iesum Christum. Notus in Iudæa, quia ex Iudæis salus nostra, quia à filijs eorum, idest ab Apostolis nobis euangelica dicta sunt prædicata. Ibi natus est Iesus; ibi in Templo prædicauit, in eodem loco captus, crucifixus, & mortuus, atque sepultus. Notus, quia inde resurrexit, & diuinitas eius apparuit credentibus. Dicamus ergo, quia tunc notus in Ierusalem, in Iudæa, antequàm crux mundum illuminaret, & antequàm videretur. Dominus in vniuersa terra; quando in omnem terram exiuit sonus discipulorum Christi, & in fines orbis terræ verba eorum, Psalm. 18. num. 4.

Notus in Iudæa Deus, quia ex illis nasci voluit. In Israel magnum nomen eius, quia Iesus est nomen eius, Matth. cap. 1. num. 22. Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum, Matth. cap. 2. num. 2. & procidentes adorauerunt eum, num. 11. Magnum nomen eius, quia in nomine eius omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum, Isai. cap. 45. num. 23. & ad Rom. cap. 14. num. 11. & ad Philipp. cap. 2. num. 10.

Notus in Iudea Deus, qui verò Iudei fuerunt, & sunt, declarat Paulus ad Rom. cap. 2. nu. 29. Qui in occulto Iudæus est, qui circumcisione cordis, non littera, sed spiritu; August. hic. Sunt ergo Iudæi in circumcisione carnis, & sunt Iudæi in circumcisione cordis, Patres nostri multi Sancti, & circumcisionem carnis habebant, propter fidei signaculum, & circumcisionem cordis, propter ipsam fidem. Ab his ergo Patribus degenerantes isti, qui modò in nomine gloriantur, & facta perdiderunt; ab his Patribus degenerantes, remanserunt in corde Pagani: hæc Augustin. Non ergo quia in manifesto solo nomine est Iudæus in carne, Iudæus est, sed qui in occulto circumcisione spirituali est Iudæus.

Notus in Iudæa, vt confiteatur peccata, Iudæa enim interpretatur confessio: confiteamini Iesum Christum, & notus in Iudæa Deus: Iudæus enim ex Iuda dictus, à quo non auferetur Sceptrum Regium, donec veniat qui mittendus est, Genes. cap. 49. num. 10. & quis mittendus erat? declarat infra nu. 18. Saluare tuum expectabo Domine, Ablatum est Regnum à Iuda; quando natus est Christus, Herodes alienigena factus erat; Confessi sunt Iudæi, se alium Regem non habere, nisi Cæsarem, Ioan. c. 19. num. 15. Iàm qui vocamini Iudæi, & non estis, qui non habetis Regem, nisi Cæsarem; nostris quòd defecit Princeps de Iuda; Venit ergo ille, cui repromissum est: erunt itaque Iudæi ij, qui christiani facti sunt, qui in Christum non crediderunt, aliàs Iudæi, & ipsum nomen perdere digni fuerunt, Osee. cap. 2. num. 2. Miserebor eius, quæ fuit absque misericordia, & dicam non populo meo, populus meus es tu, & ipse dicet, Deus meus es tu.

Iudæa ergo vera est Christi Ecclesia, credens in illum Regem, qui venit ex tribu Iuda, per Virginem Mariam, in illum, de quo Apost. 2. Timoth. 2. Memor esto Iesum Christum resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid secundum Euangelium meum, de Iuda enim Dauid, & ex Dauid Dominus; Iesus Christus, Augustin. Recedat illa, quæ vocatur Iudæa, & non est, accedat vera Iudæa, cui dicitur, accedite ad eum, & illuminamini, Psalm. 33. & vultus

vestri

veſtri non erubeſcent ; hæc Auguſtin. Qui ad Ieſum acceſſerunt , & crediderunt , vultus eorum non ſunt confuſi ; & facta eſt Eccleſia vera Iudæa , in qua notus Chriſtus ex ſemine Dauid ; Et ſicut illi non ſunt veri Iudæi , ità nec nomen Iſrael eorum eſt ; nàm ſi non cognoſcunt Chriſtum , nec videre volunt , quomodò Iſrael dici poſſunt , quod interpretatur videns Deum ; purum hominem Chriſtum putantes , dolo eum tenuerunt , & occiderunt , & quomodò Iſraelitæ Iudæi ; ſi doloſi , & iniqui ſunt , Iſraelita enim verus dicitur , in quo dolus non eſt , Ioan. cap. 1. num. 43. Et , ſi Chriſtum negarunt , quomodò Iudæi dici poſſunt ? Confitens enim Iudas interpretatur . Notus ergo in Iudæa Deus , qui ceſſare fecit Principatum ex Iuda , quomodò ergo qui ſine capite ſunt , ab illo amplius vocandi , à quo nomen acceperunt ? cum autem ſucceſſerit Chriſtus , à capite nomen accipientes , rectè & Iudæi Chriſtum confitentes Chriſtiani dicuntur , rectè etiam Chriſtiani effecti , Iudæi poſſunt appellari. Vnde Paul. dicebat , Iudæi ſunt, & ego, 2.Corinth. cap. 11. num. 22. & factus ſum Iudæis tamquam Iudæus , vt Iudæos lucrarer ; 1.Corinth. cap. 9. num. 20. Vnde ad Galat. cap. 2. num. 14. Paulus corrigens Petrum dixit , ſi tu , cum Iudæus ſis, gentiliter viuis , & non iudaicè ; quomodò gentes cogis iudaizare ; nos autem Iudæi , & non ex gentibus peccatores , ſcientes autem , quod non iuſtificatur homo ex operibus legis , niſi per fidem Ieſu Chriſti , & nos in Chriſto credimus , vt iuſtificemur ex fide Chriſti , & non ex operibus legis .

Notus ergo in Iudæa Deus , in Apoſtolis , & cæteris credentibus Iudæis , in Iſrael magnum nomen eius , quia ab ipſis in nomine Ieſu multa fiebant miracula , vt in libro toto Actuum videre eſt de Petro , & de alijs Apoſtolis. Sine offenſione eſtote Iudæis, dicebat in alio loco , 1.Corinth. cap. 10. num. 32. Qui ſine offenſione ſunt , ideſt ſine peccato , Iudæi dici poſſunt , vtpote , qui nec Iudæorum, nec Gentilium Eccleſiæ Dei , offenſioni ſunt , hinc etiam ad Theſſal. cap. 2. nu. 14. Vos enim imitatores facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei , quæ ſunt in Iudæa , in Chriſto Ieſu , quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis , qui & Dominum occiderunt , & Prophetas , & nos perſecuti ſunt , & Deo non placent , & omnibus hominibus adueríantur , prohibentes , nos gentibus loqui , vt ſaluæ fiant , vt impleant peccata ſua ſemper ; peruenit enim ira Dei ſuper illos vſque in finem . Notus ergo Deus in Iudæa , &c. ideſt in Eccleſia Sanctorum , quæ habuit principium in Iudæa , & in Iſrael nomen magnum eius .

Sed ſi natus in Iudæa , & notus , quomodò illi non viderunt, nec crediderunt ? Vide Oſee cap. 5. num. 4. Non dabunt cogitationes ſuas , vt reuertantur ad Deum ſuum , quia ſpiritus fornicationum in medio eorum , & Dominum non cognouerunt , & reſpondebit arrogantia Iſrael in facie eius , & Iſrael , & Ephraim ruent in iniquitate ſua , ruet & Iuda cum eis . In gregibus ſuis , & in armentis ſuis ; ideſt in ſacrificijs pecudum quærent Dominum , vadent ad quærendum Dominum , & non inuenient . Ablatus eſt ab eis , propterea Iſai. cap. 6. num. 9. Vade , & dices populo huic , audite audientes , & nolite intelligere , & videte viſionem , & nolite cognoſcere , excæca cor populi huius , & aures eius aggraua , &c. & facit Matth. cap. 23. per totum , Væ vobis , &c.

Notus ergo Deus in Iudæa his , qui Ieſum confitentur , & peccata ; in-

Iſrael

Iſrael magnum nomen eius; nàm tunc poſt confeſsionem peccatorum notus illis erit Deus: quia ipſum videbunt. Et factus erit in pace locus eius; & habitatio eius in Sion: quando in pace poſiti, contemplantes Deum facie ad faciem in cæleſti Sion erit illorum habitatio peccatorum, ergo confeſſio neceſſaria, ſi vis videre Deum, & tunc illius habitatio in pace erit, in anima tua: quia Tabernaculum Dei factus eris, 1.Corinth.cap.3.num.16. Neſcitis, quia Templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis; Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos, & cap.6.num.19. Sequitur ideò Pſalmi verſiculus.

Et factus eſt in pace locus eius; & habitatio eius in Sion. S. longè à peccatoribus ſalus, ſi iniquos odio habet, quomodò non erit Dei habitatio tantùm in Iuſtis, in confitentibus illum? propterea Ioan.14.n.27. Dominus dixit, Pacem relinquo vobis, Pacem meam do vobis. Locus ergo Ieſu Chriſti erit ſepulchrum eius, qui locus in pace eſt illi, cum Iuſtis, quos redimit. Vndè dicit ille, in pace eius dormiam, & requieſcam, ſi in fidei confeſſione, & in humilitate iugum ipſius tollam, Pſalm.4.numer.9 Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me, Pſalm. 21. numer. 4. tu autem in ſancto habitas, &c. tu ergo ſis in corde tuo pacificus, & Deus erit in te. Hoſtem vince, & proximum dilige, & eris pacificus in corde: & in pace factus eſt locus eius, dicit hìc Auguſtin. Quæ verò cor noſtrum turbent, Hugo de Sancto Victore hìc dicit eſſe quatuor, Hoſtem, Seruum, Vxorem, Vicinum: hoſtis eſt diabolus: Seruus mundus: Vxor caro: Vicinus quilibet proximus. Cum ergo diabolum eijcimus; cum mundum vincimus, & ſubijcimus; eumq. caro affligitur, & proximus diligitur, tunc fit locus in nobis in Chriſto per gratiam ſuam, & Auguſtin. in Pſalm.53. litera E. & F. Tom.8. Attendamus duos hoſtes, quem videmus, & quem non videmus: hominem videmus, diabolum non videmus; hominem videamus, diabolum non videamus; hominem diligamus, diabolum caueamus; pro homine oremus, contrà diabolum oremus, & Pſalm.54. litera B. Duos inimicos ante oculos tibi conſtitue, vnum apertum, & alterum occultum, apertum hominem, occultum diabolum, &c. homo enim hominem vincis humana felicitate; diabolum autem vincis inimici dilectione. Sanctis verò, & iuſtis poſt præſentem vitam ſit illorum habitaculum per gloriam, ideò dicitur hìc, & factus eſt locus eius in pace; quaſi in pugna victores facti ſunt, & habitatio eius in Sion, quia contemplantes Deum videbunt facie ad faciem: Sion enim contemplatio interpretatur, in Hebraico autem dicitur, & factus eſt in ſalem vmbraculum eius, Hieron. hìc ſecundum tropologiam, non eſt vmbraculum Domini, vbi non eſt pax; vbi zelus, & diſcordia, ibi non eſt protector Deus, vnde ſecundum 70. Interpretes, locus Dei non eſt, niſi in anima, quæ pacem habet; in ſalem ergo vmbraculum eius, ideſt in pace, nàm vbi eſt pax, ibi Deus, Et in Sion habitatio eius, ideſt in Eccleſia, vbi magnitudinem Dei fidelis quiſque contemplatur.

Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum. Vbi? inquit Hieron. in Ieruſalem, & Sion, vbi ergo erit pax, & ſpeculatio in Deum, ſeù contemplatio; ibi ab omnibus hìc expreſsis erit illius defenſio, & à Deo facta immunitas, & liberatio, hoc eſt, confringet potentias arcuum occultè ferire tentantium, doloſos ſcilicet homines iniquos. Qui ergo in Sion habitauerit,

uerit, ab omnibus peccatis gratia Dei abſtinebit, omnia confringet, quid enim per arcum, niſi luxuriæ peccatum? quid verò per ſcutum, niſi ſuperbiæ, & obſtinationis peccatum? & quid per gladium, niſi peccatum auaritiæ, & quid per bellum, niſi bellum corporis cum anima, niſi rebellio carnis ad animam? omnia enim peccata confringentur, & ſecundum Græg. Confregit cornua, ſecundam aliam translationem arcum: In cornibus elatio ſuperborum, in arcu inſidiæ longè ferientium, in ſcuto obſtinata duritia defenſionum, in gladio vicina percuſſio, in bello verò ipſa contrà Dominum mentis motio deſignatur. Quod nimirum totum in ſancta Eccleſia confringitur, dum mentes Deo reſiſtentium ſuppoſito iugo humilitatis edomantur, Vnde Pſalm. 45. num. 10. Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni; & alibi, Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robure, 1. Reg. cap. 2. num. 4. Arcum enim Dominus conterit, cum occulta inſidiantium machinamenta diſſoluit, arma confringit, cum ea, quæ contrà ſe erecta fuerant, patrocinia humana comminuit: ſcuta comburit, cum peccantium mentes, obſtinata ſe duritia defendentes ad pœnitentiæ, & confeſſionis ardorem, Spiritus ſancti calore ſuccendit, & ideò ſequitur Pſalm.

Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati ſunt omnes inſipientes corde. Quomodò ergo confringantur ſupradicta, hìc docet, quia ſcilicet Deus eſt, qui illuminat, & per internam inſpirationem, & per Apoſtolorum prædicationem, & miracula; montes enim Apoſtoli dicuntur, & per peccatorum conuerſionem, & illorum prædicationem turbantur inſipientes corde. Vnde dicebant Iudæi; quis eſt hic? turbati ſunt, Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum eo, Matth. 4. num. 3. turbantur Iudæi inſipientes ex prædicatione Apoſtolorum, Act. 17. num. 13. cum autem cognouiſſent in Theſſalonica Iudæi, quia à Paulo prædicatum eſt verbum Dei, venerunt & illùc commouentes & turbantes multitudinem; Vnde Eccleſ. cap. 28. num. 11. Vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam, Iſai. cap. 64. num. 3. deſcendiſti, & à facie tua montes defluxerunt. Sed quare turbantur? quia aliam vitam non credunt, Sapien. cap. 2. Sicut & Athenienſes dixere, de hac re aliàs te audiemus, quando Paul. reſurrectionem, & aliam vitam illis prædicabat, Act. cap. 14. putabant enim Paulum fabulas dicere. Inſipientes corde turbati ſunt, qui aliam vitam non credunt, quorum ſpes eſt in hac tantùm vita. Montes æternos dixit, quia Dominus illos æternos fecit, quos & illuminauit, vt & ipſi, alios in terra exiſtentes, terrenis affectibus tantùm obcæcatos, & in illis dormientes illuminarent, Aug. Qui ſunt montes magni? veritatis Prædicatores. Tu illuminans, ſed à montibus æternis; primi magni montes excipiunt lucem tuam, & à luce tua, quam ſuſcipiunt montes, veſtitur terra, ſed illos magnos montes exceperunt Apoſtoli, tamquam orientis luminis primordia exceperunt Apoſtoli, non vt apud ipſos retinerent, ſed omni terrarum Orbi prædicauerunt; à montibus æternis tu mirabiliter illos illuminans, quos & alios illuminatos æternos tu Domine feciſti: hæc Auguſtin.

Lux ergo à Domino, per quem lux datur ſæculo, lucem verò dedit montibus Apoſtolis, vt ipſi lucem prædicarent cæteris, vnde Pſalm. 120. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi; ſequitur vero. Auxi-

lium

lium meum à Domino, qui eſt ſuper montes, quos tremere ipſe fecit. Montes prædicant, ſed lux datur à Deo, qua & ipſi illuminati ſunt. Quid prædicant Apoſtoli? Baptiſmum; ſed qui baptizantur non in nomine baptizantis, ſed in nomine lucis, ideſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Tu ergo, inquit, illuminans mirabiliter à montibus æternis; ipſe enim eſt, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioan. 1. Si ergo, qui alijs euangelizas obtenebratus ſis, quomodò lucem dabis alijs, ſi tu totus tenebroſus eris? Matth. cap. 6. num. 23. Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſe tenebræ quantæ erunt? ò tu lux beatiſſima illumina corda noſtra, vt quæ alijs prædicamus documenta tua, præcepta tua, & nos ipſi illa facientes adimpleamus; Reple cordis intima noſtra, ſine enim tuo numine, quid eſt in homine? Illumina tu à montibus æternis mirabiliter, vt in montem excelſum ſeorſum, & nos cum Petro, Iacobo, & Ioanne, Matth. c. 17. num. 1. tecum ducti, Patris audiamus vocem de cælo dicentem, Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. Facies tua ità ſuper nos reſplendeat ſicut ſol, qui ſol iuſtitiæ es ſolus, vt & nos illuminati à montibus æternitatis tuæ peruenire poſſimus ad te, qui nunc es in cælis, & ſedes ad dexteram Patris. Obumbret nos nubes illa lucida, vt de cordibus noſtris ſublata inſipientia cognoſcamus Moyſen, & Eliam tecum loquentes, vetus ſcilicet teſtamentum, & quæ ibi per Prophetas in figuris prædicantur, iàm per aduentum tuum, per nouum teſtamentum adimpleta; vt nos, & omnis populus in te credentes, & tua præcepta obſeruantes, viſionem alijs dicere poſſimus, quia iàm tu Domine glorioſus reſurrexiſti à mortuis.

Illuminante te Domine nos à montibus æternis, turbabuntur omnes, qui te non nouerunt, qui inſipientes ſunt corde, qui in diuitijs, & voluptatibus confidunt, nàm mors depaſcet eos.

Dormierunt, iniquit, ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt, erem. cap. 2. num. 5. nihil enim inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis: Nihil inuenerunt in manibus, quia dum viuebant nullum bonum operati ſunt: diuitiæ eos ſuffocauerunt; Non proderunt diuitiæ in die vltionis, Prouerb. 11. numer. 4. audi ò inſipiens, Perdix fouet, quæ non peperit, fecit diuitias, & non in iudicio. In dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in nouiſſimo die erit inſipiens, Ierem. cap. 17. num. 11. Dormierunt ſomnum ſuum, quia fallacia diuitiarum ſuffocauit eos ne audirent verbum, Matth. 13. num. 22. Interrogatus à Domino ille cæcus, qui videre cœperat, quid videret, dixit, video homines vt arbores ambulare, Marc. 8. n. 21. Semel tantùm manus ei impoſuerat Dominus, in oculos enim eius expuerat ſemel Dominus, interrogatus an videret, & quid videret, & aſpiciens ait, videò homines velut arbores ambulare. Sed cur arbores ò Chriſtiane nomine tantùm, vides, & non columnas, vel lapides, in quibus fundamentum habere deberes, non vides? veluti arbores ambulantes vides homines? es baptizatus, impoſuit tibi manus ſacerdos, vt videres, ſed quia vlteriora non curas, præcepta Dei, vel ignoras, vel ſcire ea non procuras, homines velut arbores ambulare vides. Poſt curam Chriſti, poſt baptiſmum ſuſceptum, vides homines tamquam arbores ambulare, de hoc ſæculo, & non aliud, tranſibunt de hoc ſæculo, non

manc-

manebunt. Temporalis plantatio generis humani est in hac vita, arbores videntur, quia florent mane, decidunt vespere. Dum flores apparent, noli immorari, collige illos, quia vespere decidunt; dum in via es fructus capias, vt distribuas, vt tecum sint in altera vita. Post flores sequuntur passiones, nisi ità colligas, vt non disperdantur, vt non decidant; Vndarum enim instar, res nostræ nos fugiunt, Gregor. Nyssenus in lib. de Homini opificio. Prosternebant ramos oliuarum cum floribus in ingressu Christi, clamantes Osanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, conuertendos die sequenti in verbera, in clauos, in cruciatus, Bernard. in Serm. 1. de Ramis palmarum, Celebramus, inquit, hodie processionem, & paulò post passionem, & quæ sequuntur. Opportune, inquit, processioni passio coniuncta est, vt discamus, in nulla lætitia huius sæculi habere fiduciam; extrema gaudij luctus occupat, Prouerb. 14. num. 13. Non stulti simus, vt isti, qui in manibus suis nihil inuenerunt, homines, vt arbores ambulantes vidit, in imagine enim pertransit homo, Psalm. 38. num. 7. & omnis homo vanitas.

Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt. Benè, inquit, dormierunt somnum, cum tàm celeriter diuitiæ huius mundi transeant, quasi somnium apud illos, qui eas retinent; à somno euigilantes nihil in manibus suis inueniunt; transit enim cum diuite gloria eius: Augustin. hic: Amauerunt præsentia, & in ipsis præsentibus dormierunt, & sic illis facta sunt ista præsentia delicioſa, quomodò qui videt per somnium inuenisse se thesauros, tamdiù diues, quamdiù non euigilet; somnium illud diuitem fecit, euigilatio pauperem fecit, hæc Augustin.

Non sis ergo tu anima in vanitate somniantium, sed in fide euigilantium, vt dum tibi suppetunt diuitiæ, inter egenos, & pauperes illas distribuas. Zachæus Domino dicebat, ecce Domine, quia dimidium bonorum meorum do pauperibus; & si aliquem defraudaui, reddo quadruplum, Luc. cap. 19. num. 8.

Ad quid te iactas Iudæe de hoc Psalmo, quia notus in Iudæa Deus? omnes vos viri diuitiarum, & cupiditatum somnum dormistis, quia spes vestra erat in illis, nihil inuenistis in manibus vestris, quando videre cœpistis, sed post mortem non est confessio, sera est pœnitentia, vndè Eccles. cap. 5. nu. 8. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te, Augustin. Tom. 4. in 1. lib. Quæst. Euang. 2. Matth. litera C. & D. Eò quod Zachæus ille sit filius Abrahæ, salus facta est domui illius; vt noscatis, quia nos imitando fidem, Abrahæ filij sumus: vos verò qui de carne superbitis, à fide degenerastis: Vndè Ioan. cap. 8. num. 39. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Quia ergo fidem illius non sequimini: somnium dormitis viri carnales, viri diuitiarum, & ecce, quia in manibus vestris nihil inuenietis.

Idem Augustin. Vis aliquid inuenire in manibus tuis posteà, noli modò contemnere manum pauperis, & respice manus inanes, si vis habere manus plenas. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis; Ciba pauperem, & Christum cibas; operi nudum, & Christum vesties, Matth. cap. 25. Quid ergo superbitis Iudæi filij Diaboli, quia diuites esse creditis, quia libertati carnali date estis?

Noli

Digitized by Google

Noli amplius dormire, quia increpatio Dei grauis super te. Ab increpatione tua, inquit Dauid, Deus Iacob, dormitauerunt, qui ascenderunt equos. Qualis est Dei Iacob in vos increpatio? A morte, quam intulistis Christo, morte crucis vsque nunc, & mille, & sexcenti, & vigintiocto anni effluxerunt, & transierunt; longa fuit, & est increpatio Dei, vos occisi, electi à facie Dei, dispersi, infames, templo, & sacrificijs, atque dignitatibus priuati; longa increpatio, grauis, & dura, quæ & adhùc vos proijcit, atque proijciet; longior verò est vestra dormitatio. Ascendistis equos, vt cursus vester velocior foret cum Diabolo patre vestro ad inferos, Ioan. c.8. num.48. Vos ex patre Diabolo estis, quia loquelam Dei, quia increpationes Dei non cognoscitis, & desideria patris Diaboli facere vultis. Nonnè increpatio suprædicta vobis fecit strepitum magnum, & adhùc dormitatis; cur non vos excitauit increpationis tàm magnæ strepitus? Magnus est increpantis strepitus, pondus maximum est vobis, vt quid dormitatis, non enim dormitis, quia sonitus verborum Domini peruenit etiam ad vos, & perditio vestra maxima est; dormitatis; quia aures vestras obturare procuratis, sed non potestis, ergo pigri, & in obstinatione confirmati perditionem vestram paruifacitis; omnis piger in egestate, Prouerb. 21. Vsquequò piger dormies? quando consurges è somno tuo? paulum dormies, paulum dormitabis, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Prouerb. c.6. Duritia cordis tui obdormitatio est, & quod modò dormientes non sentire fingunt, in fine sentient. Audite Salomonem Sapien. 12. Qui autem ludibrijs, & increpationibus non sunt correpti, dignum Dei iudicium experti sunt, propter quod & finis condēnationis eorū venit super illos. Quid dicitis nunc? contrà Deum est contētio vestra.

Tu, inquit Psalm. terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua, quando iudicaturus es in iudicio omnes; nunc resistitis, ità vobis videtur; sed tunc quis resistet illi? ex tunc iram suam videbitis, iram suam experiemini: quis enim voluntati eius, quæ est & potestas eius, resistere poterit? Esther 13.n.9. In ditione enim tua omnia sunt posita. Sed an ignoratis, quia etiam nunc vos delere potest? cur Domine flagellum differs iniquorum istorum te negantiū? O quàm bonus est, & suauis Domine spiritus tuus in omnibus, ideòq. qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris; vt, relicta malitia, credant in te Domine; non quia impotens sis verbo tuo duro eos exterminare: subest enim tibi, cum volueris posse, sed partibus iudicans tu das locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam est generatio ista, Sapien. 12.nu.10. Cum autem ludibrijs, & increpationibus non sunt correcti, dignum Dei iudicium experientur temporibus suis.

Vnum vobis restat, vt iræ Dei resistere possitis, conuersio scilicet vestra ad Deum, confessio vestra, quia ipse est Deus, quem vos crucifixistis; pœnitentiæ lauacro mundamini, dicentes, Domine ad te sunt oculi nostri, ne pereamus: Precibus Ecclesiæ sanctæ suæ, Dominum placatum reddite, quia adhùc tempus est misericordiæ: resistunt nunc sancti Dei iræ illius, ex eius voluntate placatum eum reddentes, Greg. 9. Moral. 12. Omnes Sancti, qui iræ Dei obuiant, ab ipso accipiunt, vt contrà impetum percussionis eius opponantur, atque, vt ità dixerim, cum ipsi se erigunt contrà ipsum, eos diuina vis sibi opponit, quia in eo, quod aduersum se sæuientem iram foris obtinent, intus eos gratia miserantis fouet, & famulantes interius leuat, quos quasi aduersantes

exterius tolerat. Portat ergo contradictionem deprecantium, quam aspirat, & velut nolenti opponit, quod ab ipso vt fiat imperatur. Hæc Greg. Non ergo expectemus, vt vsquè ad tunc ira eius veniat, quia tunc ira sua super malos erit sententia finali firmata, nec erit qui appellet ab ea; quando enim de cælo auditum faciet iudicium, tremuit, pro tremet terra, & quieuit, quia iàm iudicium iudicantis erit finitum, vt nunquã contrà quos profertur sententia; reuocetur.

De cælo, inquit, auditum fecisti iudicium, terra tremuit, & quieuit. Melius est nunc quiescere, vt in fine gaudere possis. De cælo auditum fecisti iudicium, per Apostolos, qui cæli dicuntur, Psalm. 18. numer. 1. Cæli enarrant gloriam Dei, &c. Act. Apost. cap. 2. num. 38. cum sequen. Quid faciemus viri fratres; Petrus verò ad illos; pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Qui autem receperunt sermonem eius, baptizati sunt, &c. & n. 43. Fiebat autem omni animæ timor. Multa quoque prodigia, & signa per Apostolos in Ierusalem fiebant, & metus erat magnus in vniuersis. De cælo auditũ fecit iudicium, tremuit terra; sed accepto baptismate quieuit, erant enim vnanimes, & cor vnum, & anima vna, Act. 4. n. 31. cum seq.

Christum declarant Iudicem futurum Mundi. De cælo auditum iudicium tuum, sicut dixit Apostolus ad Thessal. 1. cap. 4. nu. 15. Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei, descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt, &c. & Isai. 18. nu. 3. Omnes habitatores Orbis, qui moramini in terra, cum eleuatum fuerit signum in montibus videbitis, & clangorem tubæ audietis, & c. 27. n. 13. & Zach. 9. n. 14. & Dominus Deus videbitur super eos, & exibit vt fulgur iaculum eius, & Dominus Deus in tuba canet, & 1. Corinth. 15. nu. 52. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba; canet enim tuba, & mortui resurgent; in iudicio isto Christus iustis tranquillus apparebit, & iniustis iratus, cum exurgeret in iudicium Deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ: iustos enim, & mansuetos primò vocabit, quos ad dexteram suam ponet, Matth. 24. num. 30. cum sequen. Et tunc parebit signum filij hominis in cęlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate. Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum, vsque ad terminos eorum, vt saluos faciat electos suos mansuetos, Marc. cap. 13. num. 27. iniustos verò à sinistris stantes, in ignem mittet æternum, Matth. cap. 25.

De cælo ergo auditum faciet iudicium, quia tuba canet, vt veniant gentes ad iudicium, tremet terra, & qui terreni sunt; sed quiescet, quia iudicium est Domini, quia voces extollere neque audebunt, neque poterunt: Omnis enim terra à conspectu Domini, quiescet, Ezech. 7. nu. 24. & cap. 26. nu. 15. Sed cur quiescet terra? quia mala fecit terra, illi iniqui in conspectu Domini, & non se auerterunt ab iniquitatibus eorum, Deut. 31. nu. 18. Et quia non est Deus mecum, inuenerunt me hæc mala, tacebit enim, quia pro illis tempus malum erit, Amos 5. n. 13. Quiescent, & tacebunt, quia propter peccata pauidi erunt, quia illis miseris culpas cernere continget. Trement, & tabescent, quia desiderium peccatorum peribit, quia annunciabitur illis, quoniam Deus Iudex est; illo quiescet, & tacebit, quia ante illum omnia nuda, & aperta patebunt cuilibet in frontibus suis peccata sua scripta apparebunt, Paul. ad Hebr. 4. n. 13.

erunt

erunt ergo nudi, & confusione pleni, Ezech. cap. 7. num. 17. & 22.

Sed si exurget Deus in iudicium, vt saluos faciat mansuetos terræ, cur prius peccatorum terrorem posuit, dicens: Terra tremuit, & quieuit? Ad hoc, vt peccator, si à peccato recedere procrastinetur, si non amore, saltem timore pœnæ ad Dominum reuertatur, tremet terra, & obmutescet, quia patefacta erunt peccata; Deleas per pœnitentiam illa, si cupis, vt non appareant; quia per pœnitentiam erunt deleta. Timet reus criminis, quia post confessionẽ delicti, expectat sententiam Iudicis punientis: timet, & timebit peccator in iudicio vniuersali, quia iniquitates suæ, & peccata sua erunt coram omnibus apertè manifesta. Quiescent, & tacebunt, quia iustum Iudicem videbunt, & dicent, In malignitate nostra consumpti sumus, talia dicent, qui in peccatis sine pœnitentia transibunt, morientur, Sap. 5. num. 13.

Accelera ergo ò tu, qui in peccato es, ne tardè ad Dominum conuertaris, nàm post mortem non est confessio: confitearis dum es viuens, sit cogitatio tua in Dei misericordia, vt cum cogitatione hominis confitearis Domino, propterea dicit Psal. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Nàm si cupis placere Deo, quæ Deo sunt placita semper cogita, & cum cogitationibus iuncta sint opera, vt cum iustis vocem Domini audiens, in perpetuum læteris. Et tunc reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Recedant ergo vetera, corda, voces, & opera mala, Equum amplius superbię non ascendas, ne cum equo tu ascensor proijciaris in mare; noua tibi sint omnia, cogitationes in Domino, in quibus ei laudes sint, & opera. Igitur recogita omnes annos tuos præteritos in amaritudine animæ tuæ, confitendo peccata tua, vt Deo dicere possis. Noli me amplius condemnare, quia peccaui nimis in vita mea, quia propter hæc & si in pace, amaritudo tamen mea amarissima est, quia tibi soli peccaui; & malum coram te feci.

Ecce Domine confiteor, damnando quæ priùs mala in me erant, reliquiæ cogitationis, bona scilicet opera, quæ, te adiuuante, operatus sum, diem festum agent mihi, tu enim dixisti, quòd si me pœnituerit, non recordaberis, quia peccauerim tibi, Ezech. cap. 33. nu. 12. Augustin. hic. Quæ est cogitatio, quæ confitebitur? Quæ damnat viram priorem, cui displicet quod erat, vt sit, quod non erat, ipsa est prima cogitatio. Sed quia sic debes recedere à peccatis, prima cogitatione confitearis Deo, vt non tibi recedat de memoria, quia peccator fuisti; per hoc, quòd peccator fuisti, solemnia celebras Deo: adhùc intelligendum est, prima cogitatio confessionem habet, & recessionem à vetere vita; sed si oblitus fueris, à quibus peccatis liberatus sis, non agis gratias liberatori, & nõ celebras solemnia Deo tuo, hùcusque August.

Vt ergo reliquiæ cogitationis diem festum agant tibi, non recedas à prima confessione cogitationis, quia præterita peccata donata sint tibi, vt non adijcias peccata peccatis; sed reliquiæ primæ cogitationis sint tibi, vt reminiscendo, quæ tibi donata sunt semper confitearis cum Paulo, qui de Saulo factus est Paulus, quia Dominus est Iesus Christus, quem tu peccando persequebaris, & cum illo memor esto, non deleatur cogitatio de memoria tua, qua primò confessus es; sint reliquiæ cogitationis in memoria, quia sanatus es, vt amplius ad peccandum non reuertaris; sit tibi memoria mortis, quia peccasti, non adijcias vltra peccare, vt reliquiæ primæ cogitationis diem

festum agant tibi. Teneat te memoria præteritorum, & iungeris festiuitati futurorum, memorare nouissima, & in æternum non peccabis: vouisti, quia cogitasti, cogitasti, & confessus es, redde vota tua Deo, quia amplius non peccare vouisti, vndè sequitur.

Vouete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera. Iàm in circuitu eius factus es, quia pœnitens es, confessus es, propè factus es Deo, non longè abest à te, in circuitu eius es. Vouisti, redde Domino, quod promisisti. Munus obtulisti, renouationem noui hominis, confessionem, & decorem induisti amictus lumine, noli obliuisci retributiones eius, qui propitiatus est tibi omnibus iniquitatibus tuis, qui sanauit omnes infirmitates tuas, qui redemit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus.

Reddite ergo Domino Deo, quæ vouistis, qui intrà Ecclesiam positi estis; terribili & ei, qui aufert spiritum Principum, terribili apud Reges terræ. Vouisti Deo, redde quod vouisti. Multò melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere, Eccles. 5. nu. 3. Peccasti, vouisti post peccatum, quia pœnitens confessus es; vouisti, quia dolens fuisti, peccatum tuum translatum est: Noli esse sine metu de peccato propitiato, neque adijcias peccatum super peccatum: & ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim, & ira ab illo citò proueniunt, & in peccatores respicit ira illius. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te, Eccles. 5. nu. 7. cum seq. Egestatem enim operatur manus remissa, Prouerb. 10. n. 4. Vouisti, redde Deo quod vouisti, redde, ne differas illi, qui terribilis est, & aufert spiritum Principum, terribili apud Reges. Noli cõfidere igitur in diuitijs, nec in potentia, ne corruas, Prouerb. 11. n. 28. Ne in ictu oculi furor illius te apprehendat, & disperdat. Terribili ei, qui aufert spiritum Principum, Psal. 103. n. 30. Auferente te faciem tuam turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem eorum reuertentur. Terribili apud Reges terræ, quia tu Domine das Regna, & illa tollis, Isai. cap. 14. numer. 16. Ipse enim es Dominus solus omnium Regnorum, Isai. cap. 37. num. 16.

Sed quomodò dicit terribilem Deum, nonne habemus, iustus Dominus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius, Psal. 10. n. 8. quomodò terribili ei, qui aufert spiritum Principum, Psal. 10. n. 8. si Regnum à Rege transfert, id propter iniustitias, iniurias, contumelias, & diuersos dolos; superbia enim odibilis est coram Deo, & hominibus, Eccles. 10. nu. 8. & quomodò dicis terribilis es Domine, & quis resistet tibi ex tunc ira tua, Psal. hoc eodem nu. 7. Neminem similem esse tibi in fortibus scimus, tunc enim illi similem inuenimus in magnificentia, & sanctitate. Ita fit terribilis, etiam laudabilis, faciens mirabilia, Exod. 15. nu. 11. Extendit manum contrà iniquos, & deuorauit illos terra. Dux tamen est etiam in misericordia populo, quem redemit, vt ibid. nu. 13. Terribili apud Reges terræ, vt in Deut. 7. n. 21. Trader Reges eorum in manus tuas, & disperdet nomina eorum sub cælo. Nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos. Terribilis Deus, sed iustus, terribilis patientibus esse videtur, latro etiam terribilem, & crudelem iudicem appellat, non est crudelis, qui crudeles iugulat 23. quæst. 5. Non est crudelis, &c. sequen. Qui malos percutit,

cutit, miniſter eſt Dei, qui malos percutit, eo quòd mali ſunt. Non eſt ergo terribilis, quia iniquos damnat; Terribilis eſt enim, quia iuſtus eſt, & rectum eſt iudicium ſuum, & iuſtitiam dilexit; Pſal. 10. nu. 8. terribilis Deus, quia facit temere terram. Iſidor. in Ethymol. lib. 10. fol. 203. Terribilis, quia timorem habet, & timetur. Maximè ab iniquis in die iudicij timebitur, quia iuſtus eſt, & iuſtitiam dilexit; non fuiſſet terribilis, ſi iuſſis Domini obtemperaſſent, & ſi in iudicio volebant inueniri, temporalibus flagellis, ſeù monitis Eccleſiæ terreri, & atteri debuiſſent: vndè S. Iſidor. in Quæſt. in Deut. c. 22. litera D. Beatus homo, qui corripitur à Deo, nulla enim in æternum animæ aduerſio affligere poterit, quos hìc pœnitentiæ diſciplina percuſſerit, ſi enim hìc pro peccatis cædimur, illìc ſine peccato inueniemur.

Terribilis eſt, quia ex parte iniquorum cæcitas facta eſt; ecce Iudæi, ex quibus natus eſt Chriſtus, foris ſunt, Auguſtin. Pſalm. 65. Terribilis in conſilijs ſuper filios hominum. Machinati ſunt filij hominum conſilium ad crucifigendum Chriſtum; Crucifixus excæcauit crucifigentes, quid ergo feciſtis filij hominum machinando acuta conſilia aduerſus Dominum veſtrum, in quo latebat Maieſtas, & apparebat infirmitas? Vos machinati eſtis conſilia perdendi, ille excæcandi, & ſaluandi; excæcandi ſuperbos, ſaluandi humiles; ad hoc autem ſuperbos iſtos excæcandi, vt cæcati humiliarentur, humiliati confiterentur, confeſſi illuminarentur. Terribilis in conſilijs ſuper filios hominum, verè terribilis, ecce cæcitas ex parte Iſrael facta eſt; ecce Iudæi, ex quibus natus eſt Chriſtus, foris ſunt, ecce Gentes, quæ contrà Iudam erant, intus ſunt.

SOLILOQVIVM.

INTVS & ego ſum Domine Ieſu Chriſte, qui mihi factus es notus, & in me magnum nomen tuum. Fiat in pace anima mea, quæ eſt locus tuus: Sit & habitatio mea in Sion, vt ibi à montibus æternis illuminatus confringere poſſim arcum, ſcutum, gladium, & bellum. Ne quæſo conturber ego, ſicut inſipientes corde, qui confidunt in diuitijs ſuis, quæ inſtar ſomnij ijs tandem extitiſſe comperient; dormierunt nàmque in illis, & ecce quòd euigilantes poſt mortem, nihil inuenerunt in manibus ſuis, opera enim illorum, ſolummodò ſequuntur illos. Enitar, tua fauente gratia, ne aſcendam Equum ſuperbiæ, ſicut qui dormitauerunt ab increpatione tua. Etenim hi in curribus, & hi in equis, ego autem nomen tuum inuocabo, quod ſanctum eſt, & terribile; & quis reſiſtet tibi in ira tua? De cælo omnibus notum feciſti iudicium tuum, nunc tremunt iuſti, quieſcunt impij; illi poſtmodum per te ſaluantur in iudicio, iſti condemnantur in infernum. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo, & tui meditatio erit ſemper in corde meo, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Ecce Domine, quia In circuitu tuo, & in Eccleſia tua ſancta, poſitus, munera, laudes, & opera mea, tibi offero, tibi voueo, tibi reddo; accipe Domine, vt ſim ſemper in conſpectu tuo. Ne moreris anima mea ſeruire Deo, qui etiam pro te mori dignatus eſt; ne ſis ingrata illi, quia aliàs terribilis eſt, & aufert ſpiritum, terribilis eſt apud Reges terræ, quibus propter dolos, & iniuſtitias aufert regna; Ne te diffundas in terrenis, terram,

Digitized by Googl

quam portas, rege, vt benè ſit corpori, & animæ tuæ. Corpus tuum cum Apoſtolo caſtiga, ne reprobus fias, & terribilis ſit Dominus in te. Sed ſine te Domine, quid erit in me? Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me; alienus verò, qui eſt Diabolus, longè ſit à me; extende manum tuam, vt liberes me, & omnia aduerſantia à me propitius exclude, vt mente, & corpore pariter expeditus, ſecurus perueniam ad te. Quod mihi præſtare digneris omnipotens Ieſu Chriſte, qui per tuam miſericordiam, ſanguine tuo redimere me dignatus es. Amen.

IN PSALMVM LXXVI.

Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum, & intendit mihi.

SVPRA In præcedenti Pſalmo dictum eſt, quia terribilis eſt Deus, qui aufert ſpiritum Principum, terribilis apud Reges terræ: In iſto Pſalmo docemur, quomodò placabilem nobis eum facere debeamus, & ideò ponitur Titulus.

In finem. Pro Idithun, Pſalmus Aſaph. Iàm aliàs diximus, quia Idithun interpretatur tranſiliens eos, Aſaph verò congregatio, ſis tu tranſiliens dormientes ſomnum, omnes ſcilicet viros mundanos, diuitias amantes, & in illis ſuam ſpem ponentes, qui euigilantes, nihil eorum in manibus inueniunt; ſis tranſiliens omnia viſibilia, vt perueniàs ad finem, qui eſt Chriſtus, cum Aſaph, ideſt cum Eccleſia ſancta Dei, cum congregatione fidelium.

Summa hæc eſt. Si vis ad illum, ex quo omnia facta ſunt, peruenire, ſis tranſiliens ſæcularium voces, & opera.

Incipit ego Pſalmus. Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Deũ, & intendit mihi. Sciamus, quis ſit iſte, qui clamat, & quid à Domino requirat, quia clamat. Tranſiliens eſt, qui clamat, tranſijt enim de terra ad Chriſtum, de tenebris ad lucem, ergo lucem requirit, quia in tenebris reperitur, ergo Chriſtum requirit, qui iàm terrena reliquit, & ad finem tranſit, & tranſiliendo facit Aſaph, ingreditur Eccleſiam ſcilicet ſanctam Dei. Et quid facit? Pſallit in illa Pſalmos, laudes Dei decantat, & ſimul voce ſua ad Dominum clamat, non pro diuitijs acquirendis, non pro damnis euitandis, non pro dignitatibus conſequendis; iàm enim eſt tranſiliens, iàm mundana deſpexit, iàm ſe humilem in Eccleſia pſallendo profitetur, vt ſolum Dominum propitium habeat, vt eum ſolum acquirat, vt illi ſoli ſeruiat; ipſum bonorum omnium deſiderat datorem, non quia dando aliud acquirat, ſed, vt in ipſum datorem inueniat, illi ſeruiat ſoli: non enim eſſet tranſiliens, ſi in aliud, quàm in Dominum eſſet intendens; quocircà ſequitur,

Voce mea ad Deum: ex quo, & per quem, & in quo creatus erat, cætera enim inferiora tranſierat, tranſilierat, ſpreuerat, vt illum, qui ipſum fecerat, lucrifaceret, qui vocem ſuam fecerat. Voce mea ad Deum, & intendit mihi, non dixit, iterum clamaui, ſed voce ad Deum, quaſi iàm peruenerit,

quaſi

Digitized by Google

quasi non amplius illi opus sit clamare. Iàm ascendit vox in Cælum, quia Dominus intendit illi: quia semper adest Dominus illum quærenti. Inquirentes Dominum non minuentur omni bono, Psalm.33.numer.11. Non sic aliud à Deo quærenti, Psalm.17. num.42. Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, nec exaudiuit eos, quia ad Dominum non est clamare, quando quis propter aliud clamat, vndè Psalm.13.num.5. Dominum non inuocauerunt, ibi dicitur,& non cessabant clamare, & dicitur Dominum non inuocauerunt, eò quia malè petebant, Iacob. cap.4.numer.3. Quia non clamauerunt, vt in corde illorum habitaret Deus, non inuitauerunt ad cor suum Dominum, vndè S. Gregor. 15. Moral. cap. 23. Cur Deus nos non exaudiat, cum temporalia ad concupiscentijs indulgendum postulamus: se magis, inquit, Deus, quàm ea, quæ condidit vult amari, æterna potius, quàm terrena, sicut scriptum est, Quærite primùm Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis; Matth. cap.6. numer.23. Qui enim non ait, dabuntur, sed adijcientur, profectò indicat, aliud esse, quod principaliter datur, aliud verò, quod superadditur.

Voce mea ad Deum, & intendit mihi. Sed quomodò scis, quòd intendit tibi, si crescentibus tribulationibus animam tuam consolari renuisti? audi quid intenderit Dominus illi; Augebantur tribulationes, crescebat consolatio, & in illis delectatio. Quia memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum. Delectabatur memorans nomen Domini, etsi tribulabatur, quia in illis dicebat se exercitatum, Sap.cap.3.num.4. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Exercitatus, quoniam Deus tentauit eum, & inuenit illum dignum se, & tamquam aurum in fornace probauit illum, ibidem num.6. Voce clamauit, quia oratio est Cælorum clauis. Vndè Chrysostom. Sermon. de Moyse, Tom.1. Oratio, inquit, & colloquutio cum Deo, responsum ipsius sunt beneficia, quæ nobis largitur; colloqui enim, inquit, tecum, & si non verbis, tamen beneficijs dignatur, immo & beneficijs solet diuina bonitas nostras præuenire, & anteuertere preces, idem Chrysostom. Tom.1. Sermon. in cap.3. Sap. in illa verba, Iustorum animæ in manu Dei sunt, ponderat quòd Petrus, & Ioannes, ante ingressum in Templum claudum sanauerunt, & ambulare fecerunt; ascendunt, inquit, Apostoli Dominum deprecaturi, sed claudi preces non poterant aspernari, neque permittit claudus orare illos, quos petit, nisi prius acciperet, quod optauit; vt ante ab eis, quod voluit impetraret, quàm ipsi à Domino, quod volebant expeterent. Ante operantur, quàm ipsi Dominum deprecentur; ante virtus ostenditur, quàm oratio ad Dominum præmittatur; effectus preces præueniunt, virtutes desideria antecedunt, nec expectatur, vt vota ad Dominum præmittantur, quia Dominus ipse ante efficit, quàm oretur, hæc Chrysostom. Adest enim Dominus non voce, sed opere, vndè Hieronym. super Isai. cap.58.num.8. Tunc erumpet, inquit, quasi mane lumen tuum, &c. Chrysostom. legit, Scindetur, ideſt subitò te illuminabit, & quod plus est, adhùc te loquente, dicam, ecce adsum: & in Hebræo, Ecce ego, quasi dicat, quid tibi est opus? adsum, opem laturus: S. Hieronym. ecce adsum: dicit, non voce, sed opere, non responsione, sed beneficijs. De leproso in Matth.cap.8. dat D. Hieronym. exemplum, qui dixit: si vis, potes me mundare,

dare, & Iesus per eadem verba respondit, Volo, mundare; vt ostendat, dicit Hieronym. quomodò rebus respondeat vocibus.

In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contrà eum, & non sum deceptus; renui tamen consolari animam meam, Dei memor fui; & quid tibi accidit? &, inquit, delectatus sum, & exercitatus sum, ità vt spiritus meus deficeret, quasi languens præ delectatione consolationis Dei; desiderio scilicet seruiendi Deo, iuxtà illud Psalm.83.num.1. Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini, cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum meum. Et à simili legimus in Cantic.cap.1.num.1. Osculetur me, inquit sponsa, osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino. Super quæ Origenes notat mutationem talem, dicens, Vim feruentis, & fidelis orationis per inuocationem indicasse Spiritum sanctum: nàm cum sponsa ex imo corde effunderet animam suam ad sponsum absentem, quem præsentem, & osculantem desiderabat, dicebat, osculetur me osculo oris sui, tamen vix intrà se verba compleuerat, & ecce sponsus Deus adest tali modo, vt à sponsa videretur, quem præsentem intuita, incœptam orationem, tamquam ad præsentem Deum conuertit, quia meliora sunt vbera tua vino: Idítho ergo tribulato, & oranti præsens Spiritus sanctus sibi astiterat, qui eum consolabatur, &c.

In die ergo, inquit, tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contrà eum, & non sum deceptus. Transiliens tribulatur, Deum exquirit, ex tribulatione Deum, non aliud præter Deum exquisiuit, Augustin. lit. B. In die tribulationis meæ Deum exquisiui, & quomodò exquisisti? Manibus meis nocte coram eo. In die tribulationis tuæ quid exquisisti? Deum: quomodò exquisisti? manibus meis. Quando exquisisti? nocte: vbi exquisisti? coram eo: & quo fructu exquisisti? & non sum deceptus: quia inueni, quod quærebam. Quid est ergo tribulatio? transilienti est huius vitæ peregrinatio, donec perueniat ad aliam vitam in Cælo, Iob cap.7.numer.1. Nunquid non tentatio est vita hominis super terram? ipsa enim vita tentatio est, & si tentatio, ergo tribulatio.

In hac ergo vita, dicit Augustin. iste transiliens Deum exquisiuit, manibus suis, idest operibus suis, nocte, idest dum in hoc sæculo permaneret, nox diem præcedit, & lux diei lucet in tenebris, vt in illis operemur manibus, vndè Petr. in 2. cap.2. Et nos habemus propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes, velut lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. In hac luce, quæ lucet in tenebris, tu Idithun, tu qui iàm es transiliens, ambulas; quid amplius quæris? Hanc ipsam lucem, inquit, quæ in his tenebris lucet, in qua ambulant fideles, & iusti, ad differentiam enim hæreticorum lux iustis dicit, cum ipsi in tenebris semper existant. Non, inquit, transiliens sum, vt solum spretis sæcularibus, seruiam Deo in hoc sæculo: Vltra transilire desidero ad diem illam, in qua nulla nox est, de qua Ioan. Apocalyps. cap.11.numer.25. Nox enim non erit illic, lucerna enim eius est Agnus, & claritas Dei illuminat: ibi enim nullam noctis tentationem formidabit transiliens.

Benè cœpisti transiliens, vt nos doceres. Quare & nos in nocte ista, quæ nobis luxerit in Christo, ad illum eatramus, manibus illum teneamus operan-

Digitized by Google

rantes; & ſpem in illo habentes non erimus decepti. Manibus meis contrà eum, ideſt inter me, & ipſum ſolum, vt dicere queam. Non tuba cecini, non coram hominibus eleemoſynas dedi, nec proximum adiuui, vt alijs iuſtus viderer, ſed contrà Dominum fuit operatio mea, nullo medio iactationis meæ, ideſt coram Deo manibus meis operatus ſum. Et non fui deceptus, nàm, quamuis tribulatus, non receſſi ab operibus meis, non ceſſaui ad Deum clamare, non obliuiſcens retributiones eius, Deum ſolum exquiſiui; in quo mihi, quamuis tribulato quies eſt.

In tribulationibus quærit Deum iſte, & quomodò quærat, docet, dicens, Manibus meis non inani deſiderio, operando; in tribulationibus, inquit, diei mei, Deum exquiſiui: Quæ eſt dies iuſti? Vita præſens, quæ eſt militia, tribulationis iuſti: dum dies eſt, nobis operandum eſt, & dum tentationes fluctuant; manibus contrà eum, & non decipiemur, contrà eum, ideſt coram eo, ità exponunt hìc Doctores, & in Pſalm. 38. num. 2. Aduerſum me, ideſt coram me, & nocte coram eo, ideſt, quia ſilui, quia non ſum iactatus, cum benè operabar manibus meis.

Vel dicamus, vt diem, & noctem vnum faciamus; in die orationes coram Deo effudi, in nocte, ideſt in abſcondito, manibus operatus ſum coram Deo, ne ab hominibus ieiunans viderer: ne ſiniſtra ſciret quid dextera feciſſet. Manibus contrà Deum, & non ſum deceptus. Erat fides mea in illo, & manus extendi contrà Deum, ſi fortè illum manus meæ attrectent, & non ſum deceptus, quia Dominus ſuppoſuit manum ſuam, & non ſum collitus, cum caderem, Pſalm. 36. num. 25. quia mihi ſicut & Petro manus ſuas extendens, ne in nocte tribulationum mergerer, adiutor fuit, & ideò non ſum deceptus. Propterea renui conſolari animam meam, pacem peccatorum videns, quia in peccatis iacebant, ac ſi in illorum immerſione quies illorum eſſet; renui conſolari animam meam, perditionem peccatorum videns, Pſalm. 118. num. 53. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam, ſequitur Pſalm. 118. num. 54. Memor fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam. Hìc verò, inquit, memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus. Sed quid dicis tranſiliens? tibimet in vnico verbo contradicere videris, ſi animam tuam conſolari renuiſti, quomodò ſubitò, in eodem inſtanti conſolatus es eam? dicens, Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus, conſolari iàm renuis, ſi ſpiritus tuus defecit, quomodò es delectatus, ſi animam tuam noluiſti conſolari, quid te iuuat delectatio, nonnè tu, & anima tua vnũ idemq. deſignat, quis in te delectatur, ſi defecit in te ſpiritus tuus, ſi anima in tribulatione remanet?

Renui, inquit, conſolari animam meam, quia in hac die, & nocte poſita, ne delectationibus huius mundi me inquinarem, dubitaui: & ideò fatigatus ex hoc itinere in hac peregrinatione, & tribulatus valde, Deum meum exquiſiui, nec ab eo ſum deceptus, quia in illius auxilio confiſus, & in meditationibus ſanctis exercitatus ſum. Et ità, me perſeuerante, defecit ſpiritus meus præ exultatione, quia vidi me totum ab his tentationibus, & periculis liberatum, Vndè Pſalm. 93. nu. 18. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Alia littera,

ideò

ideò habet, garriui, ideſt de Deo loquendo exultaui, quaſi garrulus, qui præ lætitia, nec vellet, nec poſſet tacere; garruli enim propriè dicuntur, qui à vulgo verboſi appellantur, accedente lætitia, nec volentes, nec valentes tacere, & in garriendo rurſus defecit ſpiritus meus, qui tædio malorum prius me contabuerat.

Manibus contrà eum, & non ſum deceptus. Quid eſt contrà eum manibus ſuis? niſi quia obuiam ipſe venit inſpirationibus diuinis benè operando manibus ſuis, & non fuit deceptus, quia accepta fuerunt ipſius opera apud Deum. Quod congruit etiam ſi, vt dixi, contrà, accipiamus pro coram, nec erit inconueniens, vt in Matth.cap.27. Erant enim Maria Magdalene, & altera Maria ſedentes contrà ſepulchrum, & ibi Gloſſ.1. coram ſepulchro, ità etiam in Pſalm.49. Arguam te, & ſtatuam contrà faciem tuam, ideſt coram te ponam, vt ſcias, quia peccaſti.

Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum. Sed nunquid ſine tentationibus permanſiſti? ideò ſequitur, anticipauerunt vigilias oculi mei. Quia in nocte eram, quando clamaui ad te, verum euigilans, mane diluculo præuenerunt oculi mei, vt meditarer eloquia tua; adhùc ergo in nocte erat tranſiliens, & oculi eius erant grauati, & vigilias ſuas occupare tentabant; Terrena quippè, quæ bona illis videbantur, repræſentabantur ante oculos eius; Turbatus ſum, ait, nec illis conſenſi, immo, nec ſum locutus: non de oculis materialibus tantùm loquitur, ſed de oculis mentis etiam intelligit, Vndè Apoſtol. ad Epheſ. cap.6.numer.12. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & Poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum contrà ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo. Ideò, inquit, turbatus eſt à furore oculus meus, quia inueteraui inter omnes inimicos meos, Pſalm.6.num.7. Et non ſum locutus, quia in vigilijs meis permanens cogitaui hæc temporalia, & caduca, & dies antiquos, & annos æternos in mente habui, propterea in corde meo dixi: Diſcedite à me omnes, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Anticipauerunt vigilias oculi mei, per oculos ſpectatores intelligimus, qui enim ſunt ſpectatores huius ſæculi? declarauit Paul. vt ſupra, Poteſtates tenebrarum harum, Dæmonia ſcilicet, & illa ſequentes peccatores: anticipauerunt iſti vigilias meas, quas in Deo meo ponebam ante oculos meos ſæculatia iſta, & gaudia temporalia, nec non neceſſitates, in quibus ſeruientes Deo videntur ſe habere; turbatus eſt à furore, à multiplicitate, & tentationum diuerſitatibus oculus mentis meæ, non tamen ſum locutus.

Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui; cogitaui dies antiquos, dies præteritos, quòd ſicut fumus defecerunt, omne enim, quod ſine Dei viſione abundat, inopia eſt, nihil eſt, tamquam fumus euaneſcit. Sed cur non dixit, Cogitaui annos antiquos, ſed dicit dies: annos verò vocat, qui æterni ſunt? verè dies fuit, quia præterijt, & ſi bona fecerint qui tunc erant, in annos æternos abierunt, ſi verò tenebroſa eis fuerit illa dies, ad nihilum redacti ſunt. Sed quare non dicis, ò tranſiliens, cogitaui horam, in qua nunc ſum, immo, quæ iàm præterijt, immo punctum, in quo nunc permaneo, vt in puncto non ſim, nec permaneam; Cogita hæc anima mea, quia

Digitized by Googl

quia iſta in momento, in ictu oculi tranſeunt, & in mente habeto annos æternos beatitudinis illius, qui nunquam prætereunt, ſed ſemper permanent, & in æternum erunt. Et ſi hæc in mente habueris, quomodò vigilias occupabunt oculi tui? quomodò non anticipauerunt, inquit Auguſtin. qui vbique muſcipulas poſuerunt? tædium ineſt cordi, metuendum eſt, ne abſorbeat triſtitia, lætitia: metuendum eſt, ne garriendo deficiat ſpiritus tuus. Conturbatus, ne in eius garrulitate inimici anticipantes vigilias, calumnias quærerent, & inuenirent, non eſt locutus, nunquam tamen iſte tranſiliens ceſſaret in ſe, & ſi forte à garrulitate ceſſauit, qua ſubrepſerat ei de ipſa locutione placere hominibus, non tamen deſitit, non ceſſauit, vt conaretur, & hoc ipſum tranſcendere, hæc Auguſtin.

Cogitaui dies antiquos: & annos æternos in mente habui. Intrà ſe ingreſſus cogitat, quæ fuerunt præterita, quia iàm nulla ſunt; quæ ſunt præſentia, quia momentum; quæ verò futura erunt, quæ benè agantur ab iſs, qui Deo ſeruierint. Qui tranſiliens temporalia, peruenit ad cogitandum æterna; Hæc meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. Meditatus ſum nocte cum corde meo; nocte enim dixit, quia abſtractio neceſſaria eſt illi, qui meditari vult, ab omnibus corporis ſenſibus, ab omni mundano ſtrepitu, quibus non adiuuatur, ſed impeditur, ideò meditatio ipſa ſic definitur: Eſt occultæ veritatis ſtudioſa inueſtigatio; & in hoc à contemplatione differt, quia eſt perſpicuæ veritatis iucunda admiratio; illam namque meditationem diuina illuminat reuelatio, vt veritatem cognoſcat; iſtam verò diuina inflammatio inſpirat, vt eam diligat, Auguſtin. de Spiritu, & Anima, lib. Vnico, Tom. 3. litera C. fol. 289. in parui.

Quid ergo in corde tuo nocte meditaſti? an bona, quæ feciſti, vel mala, quæ perpetraſti? Mala, inquit, quæ feci, corde recenſui, & exercitabar in dolore animæ meæ: ſpiritumq. meum ſcopebam, ideſt minutim perquirebam: & S. Hieronym. legit. Fodiebam: Idemquè in Epiſtol. ad Suniam, & Fretellam, dicit, ſcopebam idem eſſe, quod ſarculo ſarriebam: S. Auguſtin. legit, ſcopebam, ideſt ſcrutabar. Scopis ergo dicit, verrebam, & agitabam, vt ſcilicet omnia peccata, quæ feceram, coram Domino recenſerem, vt ab illis me mundaret. Tranſiliens ergo cum eſſet iſte, vt cognoſceret, an verè omnem immunditiam, vt Deum coleret, dereliquiſſet, in corde ſuo in nocte ſtrictè omnia perquiſiuit, & ſpiritum ſuum ſcopebat. Meditare ergo in primis anima mea cum tranſiliente, & tu tranſeas, vt tibi contrito proſit etiam meditari diuina, & exercitaberis ad bona perficienda, & ad mala plangenda, ſi enim pœnitens, & contritus fueris, & confeſſus, dimittet tibi Dominus debita tua.

Vndè Gregor. ſuper illud Iob cap. 14. numer. 16. Tu quidem greſſus meos dinumeraſti, ſed parce peccatis meis, &c. ait: Omnipotens itaquè Deus culpas noſtras enumerat, cum nos ipſos ad ſingula, quæ fecimus, mala deflenda conuertit, & quaſi miſericorditer relaxat, quia dum ipſi ea nos punimus, ipſe nequaquam in extremo examine iudicat, Paulo atteſtante, qui ait. Si noſmetipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur, 1. Corinth. 11. num. 31. Meditare ergo & tu anima, quæ feciſti mala, & in pœnitentiam te exerceas, vt conſcientiam tuam quaſi per ſcopam emundare valeas; ſingula ſcrutando,

&

& in amaritudine animæ tuæ, illa sæpius recogitando. Augustin. Si scrutaretur quis terram, vt venas auri inueniret, nemo illum desipere diceret, immo sapientem multi dicerent, qui vellet ad aurum peruenire: quanta habet homo intus, & non fodit? scrutabatur iste spiritum suum, & cum ipso Spiritu sancto loquebatur, & in ipsa locutione garriebat, seipsum enim interrogabat, seipsum examinabat, in se iudex erat: & quid sequitur. Scrutabar spiritum meum; Timendum est, ne in ipso spiritu suo remaneat; garriuit enim foris, quia anticipauerunt vigilias omnes inimici eius, inuenit ibi tristitiam, & defectum spiritus eius. Qui garriebat foris, ecce cœpit intus garrire secutus, ibi solus; ibi in silentio cogitat annos æternos. Et perscrutabar, inquit, spiritum meum, & hìc timendum, ne in spiritu suo remaneat, & non sit transiliens, iàm tamen melius agit, quàm foris agebat; non cessat transiliens, donec veniat in finem, hæc Augustin.

Turbatus ergo erat iste, & non est locutus, quia anticipauerunt vigilias oculi sui. Sed cur non es locutus? cur conturbatus? Nonnè Deus permisit hæc omnia, vt probaret te? non loquendo benè fecisti; ponens ori tuo custodiam, cum consisteret peccator aduersum te, Psalm. 38. num. 2. obmutuisti enim aliàs, & siluisti, ò Dauid, quamuis cor tuum intrà te occultasses, quamuis in meditatione tua exardesceret ignis, dicto Psalm. 38. Cogitasti dies antiquos, & es turbatus; an ignoras, quia vniuersa vanitas omnis homo viuens, frustrà conturbaris, cum in imagine pertranseat homo; annos æternos in mente habeas solum Deum expecta, quia ipse est substantia tua.

Et exercitabar, & scopebam spiritum meum, alia littera, scrutabar spiritum meum; Et quid cum spiritu tuo scrutaberis? & quid in corde tuo propter peccata tua meditaberis? Nunquid, dicebat, in æternum proijciet Deus? aut non apponet, vt complacitior sit adhùc? Iàm propter peccata iratum videbat Deum, in corde suo rememorans illa, quamuis grauia sibi videbantur, dolens tamen erat de illis, & pœnitens; non tamen securum se tenebat ab ira Dei, nec quòd per pœnitentiam gratiam inuenisset apud Deum. Nunquid, ideò dicit, in æternum proijciet Deus? aut non apponet, vt complacitior sit adhùc? Ex quo de præteritis dolens sum, & contritus, & in futurum ab illis abstinere proponam? Non te ab illo proijcias, non tu per peccatum longè fias ab illo; non illum à te repellas, quia ipse, & si tu peccaueris, non te dimittet, donec reuertaris in te, & illi tu te etiam appropinques, Exod. cap. 23. num. 21. Audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaueris; & est nomen meum in illo. Hæc sunt, quæ transiliens scrutabatur, & animus illius considerabat; hæc sunt, quæ mens illius agitabat, versabat, scopebat, garriebat, & apud se tractabat. Transiliens iàm ille erat, iàm peccata sua deplorabat, iàm Psalmum cum Idithò psallebat, totus ab humanis alienus erat, & soli Deo seruiebat. Cum tamen ad alios se vertisset, & tanta mala cognouisset in illis; tædium in hac vita inuenerat, nusquam fidem, nusquam securam consolationem, tacere illi malum erat, ne sileret à bonis; loqui, & foris garrire molestum erat, ne omnes inimici eius vigilias anticiparent, & in eius verbis calumnias inquirerent.

Cogitaui, inquit, dies antiquos, sed annos æternos in mente habui. Te cogitante priora tempora, dies illos antiquos, quid dixisti? Nunquid in-

æter-

æternum proijciet Deus, aut non apponet, vt complacitior sit adhùc? Terram lac, & mel illis fluentem dedisti Domine, sed hæc in figura erant illis, quia illa omnia transibant; hominesq. nihil aliud, nisi præsentia desiderabant, & annos æternos in mente non habebant, nec ex lege in scriptis Moysi data saluari poterant. Nunquid, dicebat iste, nunquam, seù aliquando complacitior erit Deus, an vnquam apponet, vt saluetur homo, ne moriatur in æterna morte. Aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem, aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas? Adam peccauit, in generationes suas translatum est peccatum suum, ejectus est ille de Paradiso, quia comedit de pomo ei vetito: iratus est Dominus, nunquid iram suam extendet in generationem, & generationem, vt semper misericordia sua sit absconsa ab illo, & præualeat ira?

Non sum deceptus, Deum in tribulationibus meis exquirendo, renui tamen consolari animam meam, dies antiquos cogitans, in quibus perditi sunt peccatores, qui nec annos æternos in mente habuerunt, vt & ipsi diem salutis exquirerent. Aliquando clamabant Patres nostri, dicentes, veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ, Et non sum deceptus, quia ecce, inquit, festinans veniet, expecta, quia non tardabit, Isai. cap. 5. numer. 16. Habac. cap. 2. num. 3. Iuxtà est salus mea, vt veniat, Isai. cap. 56. num. 1. Gloria Domini ad te veniet, Isai. 60. num. 13. ecce ipsi perquirentes dicunt, vbi est verbum Domini? Veniat, & ego non sum turbatus, te pastorem sequens, Ierem. cap. 17. num. 15. Nunquid si omnes in Adam moriuntur, nunquam in Christo venturo viuificabuntur?

Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi, nunc cœpi, & sensu spirituali percepi, quia citò veniet, & hæc erit mutatio dexteræ excelsi: de ira ad misericordiam, de morte ad vitam: non in æternum proijciet, & iàm factus est complacitior Deus, quia Vnigenitum misit, vt volentes à morte liberaret. Complacitior est adhùc; idcircò, nàm etsi in Testamento veteri placitus fuerit sua gratia, addet plus nunc gratiæ, quia filium suum misit. Complacitior est adhùc, vt ipse, qui fuit iratus repellendo, mala inferendo, fiat nunc mansuetior liberando: complacitior ergo nunc erit, si tu animo vicinior facta eris illi. Accede ad eum, quia non erit longè à te, vt dimittens peccata tua complacitior sit adhùc: vt dimittat te, vt peccata tua iterum relaxet, iterum parcat. Et complacitior est adhùc, quia, si ignoranter peccando perseueraueris, vt te pœniteat, parcet tibi, si ab iniquitate recesseris, quam commisisti, Ezech. cap. 18. & cap. 33. Non ergo in æternum, quia peccasti, proijciet, sed vt te pœniteat, expectat Dominus, dans ad hoc tibi tempus, Sapien. cap. 12. num. 10. Non tardes tamen conuerti ad Dominum, Eccles. cap. 5. numer. 8. & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te: dùm viuis confitere, quia post mortem non est confessio, Eccles. cap. 17. num. 26. à mortuo, inquit, quasi nihil, perit confessio, ideò ante mortem confitere. Complaceat tibi Domine, vt eruas me, Psalm. 39. num. 14. Domine ad adiuuandum me respice, vt adhùc complacitior sis mihi, donec perueniam ad te. Vsque in finem misericordiam suam non abscindet, non tollet à te.

Noli igitur ad te conuertendum diutius morari, ne fortius te Dominus pu-

puniat, ad Roman. cap. 2. numer. 4. An ignoras, quòd benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit? tu autem ſecundum duritiam tuam, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ. Et Gregor. lib. 17. Moral. cap. 3. Quiſquis enim delinquit, & viuit, idcircò hunc diuina diſpenſatio in iniquitate tolerat, vt ab iniquitate compeſcat; ſed qui diutius toleratur; nec ab iniquitate compeſcitur, munus quidem ſupernæ patientiæ percipit, ſed reatus ſui vinculis ex ipſo ſe munere aſtringit; nàm qui accepta pœnitentiæ tempora diuertit ad culpam, diſtrictus in vltimis Iudex impenſa argumenta miſericordiæ conuertit ad pœnam. Et Iſai. cap. 65. numer. 20. Non erit, inquit, ibi infans dierum, & ſenex, qui non impleat dies ſuos, quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Dominus enim puerorum ætatem dilatat etiam vſque ad centum annos, vt eos pœniteat, ſed ſi in peccatis permanſerit, & moriatur, maledictus erit. Non ſis ergo tui oblita anima mea, & non obliuiſcetur miſereri tui Deus; nec in ira ſua continebit miſericordias ſuas; quia, ſi tu non oblitus fueris tui, & dolens de præteritis offenſionibus veniam petieris; miſericorditer liberabit te ab ira ſua. Tibi enim appoſita mors, & vita, Eccleſ. cap. 15. nu. 18. Deuteronom. capit. 30. numer. 19. Appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam, quod placuerit tibi dabitur; recede tu à malo, & fac bonitatem, & dabit tibi Dominus verum bonum, quod eſt ipſe, & miſericordia eius non recedet à te. Si verò in malo perſeueraueris, & ira Dei continebit miſericordias ſuas ſuper te, vt te eradicet, deſtruat, & diſperdat. Audi Dominum per Ierem. loquentem in cap. 18. num. 6. cum ſequent. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei; ira, ſcilicet non continebit miſericordias meas. Et ſi fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum, vt facerem ei, &c. ideſt & ira mea aſcendet ſuper illum, vt puniendo obliuiſcar miſericordiæ meæ.

Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelſi, vt ſcilicet perciperem, quia hæc eſt mutatio dexteræ excelſi ab ira, in qua per Adam, ad miſericordiam, quæ per Ieſum Chriſtum. Non ſaluabantur illi per Moyſis legem: ſaluamur nos per Euangelium, per legem Ieſu Chriſti nobis relictam: ſeruemus quæ ſunt nobis præcepta, vt in ira Dei erga nos non contineatur eius miſericordia; qua ab illius ira non ſumus conſumpti, ſed ſaluati. Præualebit miſericordia, ſi tu pœnitens non amplius ad vomitum redeas, & ad alia peccata perpetranda; hæc enim mutatio dexteræ excelſi, vt delicta culpa pertinere poſſimus ad æterna gaudia.

Voce mea ad Deum clamaui. Et quid clamans dixiſti? concedat mihi, vt memor illius eſſem. Et quid tum? quia tunc delectatus ſum, & exercitatus ſum; ſed in quo exercitatus? in Scripturæ ſanctæ lectione; in illis enim videndis vigilias oculi mei anticipauerunt; nàm prius illas legi, deindè vigilans illas conſideraui, & præ gaudio, quia Spiritum ſanctum accepi, vt illas intelligerē defecit ſpiritus meus, ſed quid legiſti? quid conſideraſti, ô Dauid ſancte?

Memor fui operum tuorum Domine, quia hæc omnia quæ futura erant, in figura demonſtraſti, ſed quorum es memor? quia tu dicis, nunc cœpi, hæc mu-

mutatio dexteræ excelsi? quis enim capere poterat, quod Moyses viderat rubum ardere, & non comburi? Exod. 3. nu. 2. nunc cœpi, Virginem nempè parere, & non corrumpi? vellus rore aspergebatur, & terra sicca remanebat: nunc cœpi, quia Christo Maria fœcundaretur, & tamen eius caro incorrupta remaneret? terraq. rore aspergebatur, vellere sicco remanente, quia caro nostra per incarnationem Christi fœcundata remaneret? nunc cœpi, quæ de virga Aaron, quæ sine humore floruit, & fructum produxit, quia sine viri semine Maria fœcundata fuit ex Spiritu sancto? nunc cœpi, quia hęc est mutatio dexteræ excelsi.

Memor fui operum Domini, quia memor fui ab initio mirabilium tuorum; nàm omnia mirabilia quæ tu fecisti, ad nostram doctrinam scripta sunt, in libris Moysis, & Psalmis, & Prophetis, quia tu Domine es, qui ex Maria Virgine natus es, qui Crucem propter hominem suscipere dignatus es, qui mortem nostram moriendo destrueres; hæc mutatio dexteræ excelsi. Memor fum Domine operum tuorum, quia ab initio mirabilia quæ tu fecisti, consideraui, memor fui, scrutata est illa anima meà. Nunc cœpi, quia tu illa declarasti mihi; declaratio enim tua illuminat, & intellectum mihi dedisti, Psalm. 118. Memor ergo fui operum Domini, quia intellectum mihi dedisti, & memor ero ab initio mirabilium tuorum.

Verùm, quia operum Dei memoriam habere ad salutem non sufficit, nisi sequantur & opera, propterea subiungit Psalmista.

Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor, tu ergo quid meditaberis? an quia Deus excelsus factus est homo humilis, & tu homo vilis, & cinis in superbia elatus exaltaris? exemplum dedit tibi, vt quod ille fecit, & tu facias, si homo cupis esse, alioquin non eris homo, si in superbiam elatus similis Diabolo efficiaris, vt cum illo in inferno in æternum crucieris. In omnibus ergo operibus Christi Dei meditare, si tu cum illo hominem esse desideras, itavt in omnibus mandatis eius, & præceptis semper exercearis, iugum illius suscipiendo, quod tibi suaue videbitur, & leue, si in illo te exerceas, & opereris, & hoc modo legendo, & meditando, & operando fructum dabis bonorum operum, quæ te ducent ad vitam æternam cum Christo, ideò sequitur.

Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus, qui facis mirabilia. Ipse enim est Via nostra, Veritas, & Vita, Ioan. c. 14. & vocat nos, vt per illius viam incedamus, quia ab illo reficiemur, dicente: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Augustin. Redite ergo homines ab affectionibus vestris; quò itis? quò curritis? quò non solum à Deo, sed etiam à vobis fugitis? redite præuaricatores ad cor, scrutamini spiritum vestrum, recolite annos æternos; inuenite misericordiã Dei circà vos; attendite opera misericordiæ eius: in sancto via eius. Filij hominum vsquequò graui corde? quid quæritis, in affectionibus vestris, vt quid diligitis vanitatẽ, & quæritis mendacium? & scitote quoniam magnificauit Dominus sanctum suum. In sancto via tua ad ipsum ergo attendamus Christum: hæc Augustin.

Hæc ergo meditate operando iuxtà præceptum; & Deus erit in te, tuq. in illo; non te tœdeat transilire perfectè, donec & tu cũ illo transiliens eò peruenias vbi est ille: ambula in vijs eius, quia in sancto, ideſt in Christo est via, vt iter perficiens in finẽ, fies cum illo apud Patrem. Accipe igitur exempla Christi,

& illa erunt via, quæ te ducet in ſanctum, per viam humilitatis incedas, Gregor. Moral. lib. 25. cap. 16. Tot venientibus ad ſe viam præbuit, quot benè viuendi exempla monſtrauit.

Deus in ſancto via tua; in Chriſto via, cuius nomen ſanctum eſt, quod eſt Ieſus, Luc. 1. n. 35. ſi in Chriſto eſt via, ambula tu in illa, in humilitate, in ſpiritus paupertate, in tui cordis mũditia. Quis Deus magnus, ſicut Deus noſter? qui humiles exaltat, & ſuperbos diſperdit, pauperes ditat, & pœnitentiũ peccata tollit.

Quis Deus magnus ſicut Deus noſter? Per quem ſurdi audiunt, cæci vident, leproſi mundantur, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur, Luc. 7. nu. 22. Magnus Deus, qui Dominus eſt cæli, & terræ, qui abſcondit hæc à ſapientibus, & reuelauit ea paruulis, Luc. cap. 10. num. 11. Mutationem dexteræ excelſi conſidera, & videbis quàm ſit magnus Deus noſter. Qui iàm ebrij, nunc ſobrij; Idololatræ, nunc fideles; raptores olim, nunc bona ſua donantes.

Qui facit mirabilia ſolus. Quid, & qualia fecit? ſed non ipſe ſolus, nàm & Moyſes fecit mirabilia, vt per totum librum Exodi: Elias ſimiliter, & alij; fecerunt & Apoſtoli, at nullus eorum ſolus; illi cum facerent, tu cum eis, tu verò quando feciſti, illi non tecum. Auguſtin. hìc lit. G. Quis fecit tranſilientem, niſi tu Deus magnus, qui hoc miraculum feciſti, vt relictis illis terrenis ad iſta ſpiritualia peruenirent? quomodò enim delectabatur in te, ſi tu non fuiſſes cum illo? Pſalm. 5. nu. 12. Lætentur omnes, qui ſperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis. Quis Deus magnus ſicut Deus noſter, qui aſſumens carnem noſtram, humiliſq. factus, dedit animam ſuam pro populo ſuo, pro ouibus ſuis? ipſe ſolus, qui facit hæc mirabilia: quid enim mirabilius excogitari poteſt. Filius Dei homo factus. Admirans hæc valde Iſai. 53. incipit; Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini, cui reuelatum eſt? ideſt filius Dei, qui ſicut virgulum, natus ex Maria Virgine, & ideò de terra ſitienti, coram Deo, ideſt Deo conſentiente. Audi vlterius: Non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, &c. deſpectum, & nouiſſimum virorum, &c. Vndè, nec reputauimus eum: quaſi leproſum, & humiliatum à Deo, putauimus, &c. Ipſe propter iniquitates noſtras attritus, &c. Oblatus, quia voluit, & ſicut Agnus ad occiſionem ductus. Magnus Dominus, qui voluit eum conterere in infirmitate; & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Magnus Dominus, quia in ſcientia ſua iuſtificabit multos, iuſtus meus.

Hoc, qui talia paſſus eſt opprobria, qui in Cruce mortuus, & ſepultus, qui facit mirabilia, qui reſurrexit à mortuis, qui, quia voluit poſuit animam ſuam, vt iterum ſumeret eam, huic inquam, ſubiecta ſunt omnia; terra ſcabellum pedum eius: Cælum ſedes eius, Iſa. 66. num. 1. Cui omnes obediunt, per quem mors mortua eſt, & ipſe vita, & reſurrectio noſtra. Quis Deus magnus, ſicut Deus noſter, quis alius Deus alteri nationi appropinquans, ſicut Deus noſter appropinquauit nobis? Deuter. 4. n. 7. Cui data eſt omnis poteſtas in Cælo, & in terra; Matth. 28. n. 18. Qui nobiſcum eſt omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi; qui facit mirabilia ſolus, & qui notam fecit in populo virtutẽ ſuam, qui redemit in brachio ſuo populũ ſuum, filios Iacob, & Ioſeph, Auguſt. hìc. Brachio ſuo, ideſt virtute. Quid mirabilius? Mors per Chriſtum fuit vita: vulnus Chriſti vita eſt: ſanguis Chriſti vita eſt: ſepultura Chriſti vita eſt: Chriſti reſurrectio, vita vniuerſorum, Ambroſ. in Pſal. 36. Chriſtus nos redemit de maledicto legis.

Redemisti in brachio tuo populum tuum filios Israel, & Ioseph, quomodò duos populos, filios Israel, & Ioseph? Nonnè filij Ioseph, in filijs Israel? ità planè; attamen hìc per Ioseph gentium populum intelligit, nàm Ioseph venditus est in Ægyptum à fratribus suis: Venditus laborauit in Ægypto, humiliatus est, agnitus, exaltatus, floruit, imperauit: Figura Christi, qui à fratribus venditus, eiectus de terra sua, tamquam in Ægyptum gentium: ibi primò humiliatus, quoniam persecutiones Martyres patiebantur, nunc exaltatus, sicut videmus, quoniam impletum est in eo, adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient illi, Psalm. 71. Ioseph populus ex gentibus, Israel verò populus ex gente Hebræorum. Redemit populum suum Deus, filios Israel, & Ioseph; per lapidem angularem, in quo duo parietes copulati sunt, ad Ephes. cap. 2. numer. 14. hæc Augustin. Notam ergo fecisti virtutem in populis, tàm fidelibus, quàm infidelibus, istis, vt tantùm corpore Christum cognoscant, illis verò fidelibus, vt illum etiam in Deitate cognoscant; hos ergo, & Gentiles, & Iudæos, qui crediderunt, quos filios appellat, redemit Christus Iesus.

Sed quomodò nota facta est virtus Dei? declarat, dicens. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt. Exponit hæc Augustin. iuxtà illud Apocalyps. cap. 17. Aquæ multæ sunt populi multi; Viderunt ergo populi multi virtutem Christi, viderunt Iudæi, & timuerunt, qui pœnitentes salui facti sunt per Petri prædicationem, Act. Apost. 2. num. 37.

Ego verò dicerem, quòd aquæ sint tribulantes; aquæ enim multæ non potuerunt extinguere charitatem Christi, & Psalm. 17. num. 17. assumpsit me de aquis multis, & Psalm. 45. nu. 4. turbatæ sunt aquæ eorum, & Psalm. 68. nu. 2. intrauerunt aquæ vsque ad animam meam, & Psalm. 8. numer. 8. probaui te apud aquam contradictionis. Viderunt ergo te aquæ Deus, Gentiles, & Iudæi persequentes verbum Dei, & Apostolos, viderunt te, ò Deus, viderũt te aquæ, & timuerunt. Viderunt Iudæi, quæ faciebant signa Discipuli Christi, & timuerunt prohibentes, ne in nomine isto prædicarent, Act. Apost. cap. 4. num. 13. videntes autem Petri constantiam, & Ioannis, comperto, quod homines essent sine litteris; & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos, quoniam cum Iesu fuerant, hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curuatus fuerat, nihil poterant contradicere. Iusserunt autem, eos extrà concilium secedere, & conferebant ad inuicem dicentes; quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Ierusalem: manifestum est, & non possumus negare, sed ne amplius diuulgetur in populum, comminemur eis, ne vltra loquantur in nomine hoc vlli hominum. Et euntes denuntiauerunt eis, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu, &c. & num. 29. Et nunc Domine respice minas eorum, & da seruis tuis loqui cum omni fiducia verbum tuum: & cap. 5. num. 17. exurgens Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant, &c. repleti sunt zelo; & iniecerunt manus in Apostolos, &c. Ambigebant illi quid nam faciendum esset de Apostolis, &c. Vultis inducere super nos sanguinem hominis istius; cum audissent, dissecabantur & cogitabant interficere illos, &c.

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi. Principes scilicet illi Iudæorum, nec non Gentiles, & illorum Imperatores, turbati sunt, & multos Martyres talia prædicantes fecerunt. Turbatæ

ſunt abyſſi. Tu ſolus Deus qui facis mirabilia, tranſierunt aquæ Deus, & ex infidelibus facti ſunt tui fideles; nàm ſine te aqua forſitan abſorbuiſſet nos, Pſalm. 123. numer. 4. Pertranſiuit anima noſtra aquam intolerabilem, ibidem num. 5. quia Deus eos liberauit de aquis multis, Pſalm. 143. num. 7. quocirca ſequitur verſiculus.

Multitudo ſonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Hic Gloſſ. dicit, quod multitudo eſt ſonitus aquarum, ideſt populorum ſonantium in confeſſione peccatorum in gemitu culparum, in laudibus Dei, in actionibus gratiarum, quaſi enim mare confragosum ſonant diuerſa vota in Eccleſia populorũ. Quia nubes, ideſt verbi Dei Prædicatores dederunt vocem prædicando Chriſtum in omnibus gentibus, de quibus Iſai. 5. num. 6. Mandabo nubibus meis deſuper, ne pluuant ſuper eum imbrem.

Ego vt primis dictis coniungam præſentem verborum ſenſum, dicere auderem, multitudinem ſonitus aquarum id deſignare, quòd fremuerunt iniqui, & increduli ad voces nubium, ideſt prædicantium verbum Dei, contrà eoſdem prædicantes, aquas pro perſequentibus populos intelligentes, prout eſt videre in Act. Apoſtol. cap. 7. numer. 57. de Stephano, quem prædicantem audientes populi, & dentibus in eum ſtridentes, lapidantes eum, extrà Ciuitatem eiecerunt, & cap. 12. in princ. Herodes vt placeret Iudæis, voluit Petrum prædicantem occidere, & cap. 13. numer. 50. Iudæi concitauerunt mulieres religioſas, & primos Ciuitatis, & eiecerunt perſecutionem in Paulum, & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus ſuis, &c. ſic & per totum illum librum Act. Apoſt. De Romanis perſequentibus quid dicam? cum ſatis nota ſit eorum contrà Chriſtianos, Apoſtolosq. & Prædicatores ſæua perſecutio, quorum Martyrum totus mundus, & præcipuè Roma perfuſa eſt ſanguine.

Multitudo ſonitus aquarum, ad vocem prædicantium commota eſt. Tu es Deus, qui facis mirabilia; nàm Roma, quæ erat Ciuitas magiſtra erroris, facta eſt diſcipula veritatis, vndè S. Leo in Sermon. 1. in natali Apoſtolorum Petri, & Pauli: Hæc autem Ciuitas ignorans ſuæ prouectionis Auctorem, cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſeruiebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe Religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem; Vndè quantò erat per Diabolum tenacius alligata, tantò per Chriſtum eſt mirabilius abſoluta. Hinc in Pſalm. 2. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania; aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius, dicentes, dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum. Quis Deus magnus faciens mirabilia, ſicut Deus noſter, vocem dederunt aquæ, ſagittæ corda hominum tranſixerunt, voces dederunt perſequentes: Apoſtolorum, & prædicantium voces, factæ ſunt ſagittæ, quæ tranſeunt, & corda audientium vulnerant; vox tribulantium in multis partibus tenuis; Vox verò Chriſti facta eſt tonitruum in rota totius orbis; in omnem enim terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Multitudo ſonitus aquarum contrà verbum Dei; quis Deus ſicut Deus noſter faciens mirabilia; nàm multitudo ſonitus aquarum facta eſt multitudo laudantium Deum, & peccata confitentium, & pœnitentium, & gratias Deo exhibentium in Hymnis, Canticis, & Orationibus. Vocem dederunt nubes, & abyſ-

Digitized by Google

abyssorum perturbatio coversa est in gaudium, & lætitiam; vnde laudemus, quòd quæ anteà hominibus probro, ac ludibrio fuerat (loquimur de Cruce Domini) venerationi, & gloriæ esse cœpit. Augustin. in Psalm. 54. Attende, inquit, gloriam ipsius; iam in fronte Regum crux illa fixa est, cui inimici insultauerunt. Mirabilis Deus; nàm quæ prius voces aquarum retrahebant hominum corpora, ne audirent verbum Dei; nunc voces illorum fugatæ factæ sunt, corda hominum transeuntes; nàm per tonitrua in rota, in toto orbe terrarum emissa, traxit omnes ad se confitendum Iesum Christum filium Dei, & Redemptorem nostrum, ad Hebr. cap. 4. num. 12. Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis, &c. quapropter

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, commota est, & contremuit terra. Nàm ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos, Psalm. 47. num. 4. Ad prædicationem Apostolorum, & aliorum in toto orbe terrarum transeuntium, sublatis tenebris ex gentium oculis, illuxerunt coruscationes tuæ præcepta tua; & ex illis commota est terra, ideſt homines audientes, & cognoscentes se in peccatis obuolutos, tremuerunt, & à suis iniquitatibus recedentes, commoti sunt, atque ad fidem conuersi sunt. Per intuitum enim prædicantium siccatæ sunt aquæ maris, murmurationes scilicet & illorum, qui prædestinati erant, iniquitates. Sanè verbum Domini audientes pertimuerunt, & cor illorum elanguit, ità vt ferè spiritus illorum ad intuitum Apostolorum defecerit. Confidentes tamen, & confitentes Deum verum, in cælo sursum, & in terra deorsum; Iosue 2. nu. 10. Terra commota est in introitu illorum ad prædicationem Apostolorum, qui per miracula tenebras mundi depulerunt, ideò commota est terra, ideſt, qui habitant in ea, & contremuerunt; illustrati enim remanserunt, & in fide resplendentes iaculati sunt, fulgura coruscati sunt, ergo per miraculorum operationem, & mortuorum suscitationem.

Hæc enim per Apostolos facienda prænidit Dauid, dicens: Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, per quæ miracula ad fidem conuersæ sunt gentes. Commota est, & contremuit terra. Motus est enim locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, Act. Apost. cap. 4. numer. 31. Et verbum crescebat, & multiplicabatur numerus Discipulorum valdè, multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei, Act. 6. num. 7. Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant prædestinati ad vitam æternam, Act. Apost. cap. 13. num. 48. Commota est terra, Psalm. 59. num. 4. Commouisti terram, & conturbasti eam, sana contritiones eius, quia commota est, commota est ergo, vt sana fieret, commota à malo ad bonum, à morte ad vitam.

Commota est, & contremuit terra. Nàm postquam illuminati sunt, vt peccata sua cognoscerent, propter quæ in inferno ferè positi erant sic dicebant: Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in illis nos tabescimus, quomodò ergo viuere poterimus? Ezech. cap. 33. nu. 10. ità etiam quibus prædicatur per Petrum, Act. cap. 2. numer. 37. Viri fratres quid faciemus? & compuncti erant corde, non est Deus mortis, sed vitæ, non vult mortem peccatoris, sed

vt

vt conuertar, & viuat, Ezech. cap. 18. num. 2. ità Petrus: Conuertimini, ait, & pœnitentiam agite; vnusquisque etiam vestrum baptizetur in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorũ, & accipietis donum Spiritus sancti, &c. Non sit tremor in vobis amplius; illuxerunt enim corruscationes Domini vobis, vt per miracula prædicatores Apostoli tenebras depellerent à vobis.

In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur. Augustin. Iàm dudum in sancto via tua; modò in mari est via tua, quia ipse sanctus in mari, & meritò etiam super aquas maris ambulauit. In mari est via tua; id est in gentibus prædicatur Christus tuus, vndè in Psal. 66. num. 1. Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri, vt cognoscamus in terra viam tuam. Vbi in terra? In omnibus gentibus salutare tuum, hoc est, in mari est via tua; & semitæ tuæ in aquis multis, ideſt in populis multis: & vestigia tua non cognoscentur. Nescio quos tetigit, & mirum, nisi & ipsos Iudæos, hæc Augustin.

In mari via tua, ad animam contemptibilem, ad abominatam gentem, ad Iudæos scilicet via sua, in mari: ad illas enim prius missus fuerat Dominus. Et semitæ tuæ in aquis multis; ad populos alios. Act. Apost. cap. 13. num. 47. Ecce conuertimur ad gentes; ecce enim Dominus dicit, dedi te in lucem Gentium. Et vestigia tua, O Israel derelicta, destructa, à qua procedit Ecclesia sancta, non cognoscentur, Isai. 49. nu. 21. Et dices in corde tuo scilicet Synagoga Iudæorum, quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiua: & istos quis mihi genuit? quis enutriuit? ego destituta, & sola: & isti vbi erant? & vestigia non cognoscentur, Christianorum scilicet ab illis: nàm respondet Dominus Deus: Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & nu. 7. Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt propter Dominum, &c.

In mari ergo via tua, quia ex Iudæis fuit ingressus Domini in hoc mare tribulationum; & semitæ tuæ; nàm Apostoli, qui semitæ Domini dicuntur, ad populos multos se conuerterunt, ad Gentilitatem scilicet. Et vestigia tua non cognoscentur à Iudæis, à Synagoga rebellium; quia ad Gentes Ecclesia Dei peruenit, & ex vtraque vna facta est ipsis ignorantibus, & gloriantibus, quòd essent Abrahæ filij, nos, dicebant, filij Abrahæ sumus, Isai. cap. 8. num. 39. & tamen opera non faciebant Dei.

Vel dicamus: In mari via tua, ideſt in pœnitentibus, qui in amaritudine animæ dolentes sunt, quia Domino peccauerunt, est via Domini; similiter, quia ideò plangunt, & lacrymis suis peccata delere cupiunt. Turbati enim sunt ab impetu maris, à furore illius, quia inueterati sunt in peccatis. Vndè Dauid. Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ; ideò lacrymis meis stratum meum rigabo, afflictus, & humiliatus nimis rugiebam à gemitu cordis mei, Psalm. 37. nu. 7. & 8. In aquis multis, hoc est in continuis lacrymarum effusionibus. Ierem. cap. 9. num. 1. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte, &c. & Thren. 2. num. 18. Clamauit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, ac noctem; non des requiem tibi; neque taceat pupilla oculi tui, & num. 19. Effunde sicut aquam cor tuum, ante conspectum Domini.

Semi-

Semitæ Domini in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur. Quia tales pœnitentes colligent fructus tempore suo, quamuis hic non appareant, hinc Psalm. 125. num. 5. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. In mari ergo via tua Domine, & semitæ tuæ in aquis multis, quia, vt dicitur Sapien. cap. 14. num. 3. Tua autem Pater prouidentia gubernat, quoniam dedisti & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam; ostendens, quia potens es ex omnibus saluare, etsi sine arte adeat aliquis mare. Et vestigia tua non cognoscentur ab infidelibus, & Iudæis. Benedictum lignum est, per quod fit iustitia; exiguo enim ligno fideles credunt animas suas, & transeuntes mare per ratem liberantur, Sap. cap. 14. num. 5. In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, ideſt, conculcas corda tumentium superborum, & fluxa desideria carnalium comprimis, iustificans impios, & superbos humilians, Bernard. super Cant. Serm. 6. fol. 523. & ideò sequitur Psalmista, dicens.

Deduxisti sicut oues populum tuum in manu Moysi, & Aaron. Deduxisti per ratem, per lignum de medio maris oues tuas in manu Moysi, quia assumptus de aquis dicitur, & Aaron, qui mons fortitudinis interpretatur. Moyses quoque inter cætera in mari viam fecit Hebræis, significans per baptismum liberari populum fidelium, vndè Apost. 1. Corinth. cap. 10. Omnes in Moyse baptizati sunt. Aaron verò mons fortissimus interpretatur, qui Christus est, & Ecclesia sua, quia fortissima est contrà omnes Diaboli incursus. Deduxisti sicut ouem plebem tuam, seù populum tuum: Augustin. Cum dixisset, in mari est via tua, quod intelligimus in gentibus, & semitæ tuæ in aquis multis, quod intelligimus in populis multis; adiunxit. Et vestigia tua non cognoscentur. Et quærebamus, à quibus non agnoscerentur, & subiecit continuò. Deduxisti sicut oues plebem tuam in manu Moysi, & Aaron, vestigia tua non cognoscentur. Quare ergo positum est, nisi increpandi, & exprobrandi causa, in mari est via tua? Vndè in mari est via tua; nisi quia excluſa est à terra tua? expulerunt Christum, noluerunt esse suum Saluatorem ægri. Ille autem cœpit esse in gentibus, & in omnibus gentibus, in multis populis; saluæ etiam factæ sunt reliquiæ populi illius, remansit foris ingrata multitudo, & claudicans Iacob, fœmoris latitudo; latitudo enim fœmoris intelligitur via in multitudine generis. Et facta est in maiori parte Israelitarum turba quædam vana, & insipiens, quæ non cognosceret vestigia Christi in aquis. Deduxisti sicut oues plebem tuam, & non te cognouerunt. Tanta enim illis bona feciſti, mare diuiſiſti, inter aquas per aridam traiecisti, persequentes inimicos fluctibus operuisti, in deserto egentibus manna pluisti, deducens eos in manu Moysi; & Aaron, & expulerunt te à se, vt in mari esset via tua, & vestigia tua non agnoscerent; hæc Augustin. Finitus est Psalmus in hac Sanctorum omnium intrà Octauam festiuitate; quos tu Domine, sicut oues deduxisti de aquis istis multis, vt nos eorum exemplo in ratem constituti transeamus hoc mare fluctuosum, & perducamur ad portum voluptatis tuæ in cælum, vbi ad sedes dexteram Patris in sæcula sæculorum. Amen.

SO-

Digitized by Google

SOLILOQVIVM.

LONGE à te Domine factus ſum, quia peccaui tibi, ideò voce mea clamo ad te, intende mihi, quia tribulor. Exaudi me Deus, te enim ſolum quæro, te deſidero, nàm ſi in me eris, & ego in te, quid deſit mihi, cum tu ſis omnia? Ecce Domine me manibus meis extenſis clamantem ad te, præcepta tua operibus ſeruantem, in tenebris huius ſæculi præſenti in vita manentem obnitar ne decipiat Diabolus, aut miniſtri eius. Recordare tamen Domine, quia homo fragilis ego ſum, propter hoc renui conſolari animam meam, nàm timeo, ne teneat me defectio. Memor ſum tui, quia miſericors es; delector in operibus tuis, & te Deum meum confiteor, mirabilia tua conſiderans; quia etiam pro me mori voluiſti. Veruntamen expaueſco, cum peccator ſim; deficit ſpiritus meus hæc meditando. Scio Domine, quòd tu dixiſti mihi peccatori, quare enarrem iuſtitias tuas, & aſſumam teſtamentum tuum per os meum? propterea nec oculos meos ad cælum erigere audeo, & ſi vigilias oculi mei anticipauerint; ecce Domine Ieſu, quia turbatus, nec loqui valeo. Dies meos, qui præterierunt antiquos ſine boni operis fructu conſiderans; Annos tamen æternos in corde meo meditatus ſum, quos tu Domine iuſtis tuis promiſiſti, illis, qui ſequuntur te. Et quaſi terram minutatim fodiens ſcopebam ſpiritum meum, recogitans annos meos omnes in amaritudine animæ meæ. Parce mihi Domine, quia nimis peccaui in vita mea. Nunquid in æternum proijcies Deus? aut paſſionem filij tui non appones mihi, vt complacitor ſis adhùc? aut in finem miſericordiam tuam abſcindes à generatione, in generationem? & obliuiſceris miſereri mei Deus? & in ira tua continebis miſericordias tuas? Nunc cœpi, quia hæc eſt mutatio dexteræ excelſi, qui te bone Ieſu volentem miſit pro ſalute mundi. Memor fui operum tuorum, & memor ero ab initio mirabilium tuorum, miſertus es, quibus voluiſti, cur & ego in miſericordia tua non ſperabo? tu enim Deus magnus es, & quis ſimilis tui? qui verè pœnitentibus miſerando parcis. Notam populo tuo feciſti hanc virtutem tuam, quia tu es Dei virtus, & Dei ſapientia. Myſterium, quod à ſæculis fuerat abſconditum, nunc in populis notum feciſti, quos in brachio tuo redemiſti, populum dixi tuum, filios Iacob, & Ioſeph, qui ex veteri, & nouo teſtamento in te credentes facti ſunt vnus populus, omnes enim iuſti populus tuus eſt. Viderunt te aquæ, viderunt te increduli populi, ò Domine, & timuerunt; quando te in cruce pendente, reuertentes percutiebant pectora ſua. Turbatæ ſunt abyſſi, quia vocem dederunt nubes, quæ ſolem tenebroſum fecerunt, & obſcurum; quia velum Templi in duas partes viderunt ſciſſum: quia ſanctorum Patrum corpora antiquitus mortua reſurgentia, multis apparuerunt: Turbatæ ſunt abyſſi, quando dictum eſt illis: attollite portas, vt intret Rex gloriæ; Dominus fortis, & potens, Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. Dederunt nubes, ac Apoſtoli vocem, & facta eſt aquarum, ideſt pœnitentium, & ad Dominum venientium multitudo. Etenim ſagittæ tuæ, verba tua illorum corda tranſeunt, & vt tonitruum in mundi rota, exiuit ſonus Diſcipulorum tuorum in omnem ter-

Digitized by Google

terram; commota est, & contremuit terra, quia coruscationes tuæ illuxerunt ei; commota est, quia conuersa ad te Dominum, & contremuit. Quæ ante ad infernos me ambulantem cognoui, nunc in mari, vbi est via tua, sequi te volo; vt semitæ tuæ, quæ erunt in multis, sint etiam in me, qui te confiteor. Vestigia tua, iniqui, & perfidi Iudæi non cognouerunt, non te esse filium Dei confessi sunt, dicebant enim, nonnè hic est filius fabri? non cognouerunt, quòd tu à Deo Patre venisti descendens de cælis, &c. Eduxisti Domine populum tuum de terra Ægypti sicut oues in manu Moysi, & Aaron, ità, & me peccatorem, & pœnitentem de huius mundi angustijs, & tribulationibus per Moysis manus, quasi de aquis subtractum educas, vt mons cum Aaron fiam, ne aquæ amplius submergentes me trahant in magnum scelerum mare. Vos Patres, Petrus, & Paulus, qui huius mundi mare diù nauigastis cum cæteris Apostolis, Vos sancti Patriarchæ, & Prophetæ, omnes Martyres, & Confessores, Virgines, & Viduæ, vos Sancti, quorum octauæ diem festum colimus, intercedite pro me misero peccatore. Et tu ò Virgo Maria, Mater Christi, cuius animam pertransiuit gladius passionis Christi, quæ stella facta es huius maris, vt ad te confugientium illuminatrix sis, succure mihi tenebroso peccatori, vt, te stella duce, te pro me intercedente apud vnigenitum filium tuum Redemptorem, sis mihi via, per quam perducar ad gaudia æterna, cum Patre, & filio tuo, & Spiritu sancto; Fiat. Amen.

IN PSALMVM LXXVII.

Attendite populo meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.

TITVLVS, Intellectus Asaph. Continuari posse videtur ad præcedentem, in quo visum est de transiliente, & quomodò placabilem nobis Deum facere debeamus; tales enim se profitebantur Israelitæ, qui populus Deo acceptabilis dicebatur, veruntamen, quia confidebant in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est, Ierem. cap. 7. nu. 4. opera verò illorum contraria erant; & non omnis, qui dicit Domine, Domine intrabit in Regnum cælorum, Matth. cap. 7. num. 21. Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est. Audiebant per omne Sabbatum verba Domini, sed non faciebant ea quæ præcipiebantur in illis. Ità nec nobis in hoc solum confidendum, quòd Christiani sumus, quòd in Ecclesia Dei permanemus, quòd transilientes sumus, nisi etiam iuxta præcepta gradiamur, & Dominum sequamur, ideò hìc ponitur hystoria Israelitarum, vt infra dicemus, vt exemplis illorum moniti, transilientesq. effecti semper in bonis operibus permanentes, legem Dei sequamur, & quæ in illa scripta sunt, factis exequamur; cur autem repulerit Tabernaculum Ioseph, nec Tribum Ephraim, sed Tribum Iuda elegerit, ac Dauid seruum suum ex Tribu Iuda, & de post fetantes accipiens in Regem susceperit, vt in vers. nostri Psalmi, num. 68. & 70. infra dicemus, Deo adiuuante.

Summa hæc poteſt eſſe; Malorum exempla ne ſequaris, ne & tu à Deo, ſicut Tribus Ephraim abijciaris, ſed ſis tamquam in Dauidis ramos inſertus ex ſemine illius, quocircà incipit Pſalm. dicens.

Attendite populo meus legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei. Auditus legis non ſufficit, niſi ſit etiam illius obſeruantia in benè operando, ideò dicit Attendite legem, vt illam obſeruando attendamus: auribus vt percipiamus, inclinemus eas in verba oris ſui: Ex quo percipimus, quod ſi hæc verba ſint ſcripta, & decantata ab Aſaph, tamen verba ſunt Dei. Non enim, iniquit, Petrus ſanctus in 2.cap.1.num.21. voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti Sancti Dei homines.

Attendite populo meus legem meam, & inclinate aurem veſtram ad percipiendum, quæ ego dico vobis; ſunt enim, inquit Deus, verba mea hæc: audite, quas in parabolis loquor vobis propoſitiones, auribus percipite; nõ ergo ſunt verba hæc Prophetæ, vt recentiores hìc dixerunt, eo quòd ſubijciantur ſequentia, quæ non poſſent Deo adaptari; vt quod dicitur, Quanta audiuimus, & cognouimus ea, & Patres noſtri narrauerunt nobis; non enim conueniunt hæc verba Deo, neque Chriſto. Ex veteribus, Theodoretum dicit quidam ſe quutum aſſerentem, verba hæc primi verſiculi eſſe Dauidis non Dei, vt ex tertio verſiculo colligitur, vbi Propheta continuans ſermonem addit, Quanta audiuimus, & cognouimus ea, & Patres noſtri narrauerunt nobis. Sed ad hoc reſpondent, qui hæc priora cenſent verba Dei eſſe, quòd quæ in hoc 3. verſiculo dicuntur, Dauidis verba ſint; vndè Gloſſ. hìc dicit, quod notandum, quòd prius in homine Deus locutus eſt, nàm verba Dei fuerunt prædicta, iàm verò homo ipſe loquitur, verba enim hominis ſunt iſta, quanta audiuimus; illud prædictum dixit Deus ex ſe, ne eius locutio in homine poſt eum loquente contemneretur, Deus ergo prius in homine locutus eſt; tùm verò in tertio verſiculo homo mirabilia, quæ fecerit Deus, admirans narrat, quia iàm facta erant; Et ex ſcripturis omnia colligebantur.

Verba ergo priora ſunt Dei; facta etiam populo mirabilia fuerunt Dei; narrantur tamen ab Aſaph in lege, & ſcripturis optimè verſato, quas paruifaciebant Iudæi ingrati, ideòque ſæpius correpti, & caſtigati fuere, vt cognoſcerent, quòd per legis tranſgreſſionem fuerunt puniti, adeòque idemmet Deus pro legis obſeruatione in hoc Pſalmo monet illos; ſuggerens Pſalmiſtæ narrationem diuinorum beneficiorum, & cur Tribu Iuda electa, alias Tribus ipſe abiecerit, de quibus ſuo loco dicam, Deo annuente. Et iſta mihi verior opinio videtur; nàm, quando legem dedit Aſaph populo? quomodò dicitur, populus eius? & verba oris mei? profectò verbi filij Dei; ait quippè ipſe, Niſi veniſſem, & locutus eis fuiſſem peccatum non haberent, Ioan.cap.15.nu.22. & Matth.cap.13.num.35. Hæc omnia, inquit, locutus eſt Ieſus, & ſine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur quod dictum erat per Prophetam, dicentem; Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mũdi, Chriſtumq. ità locutum fuiſſe in hoc Pſalmo, declarat Apoſtolus, & quid melius deſideramus?

Verba ergo ſunt Chriſti dicentis, attendite populo meus legem meam, quam non veni ſoluere, ſed adimplere, Matth.cap.5.num.17. Sed inclinate etiam aurem veſtram in verba oris mei; hæc eſt autem lex Euangelica, quam

ex

ex ore Iesu Christi accepimus. Ad quid enim ad legem Dei attendendam inuitaremur; nisi Christus aperuisset in parabolis os suum, nisi eructasset abscondita à constitutione mundi? Matth.d.c.13.n.35. dicente illo Discipulis suis, Matth.d.c.13.n.10. quia vobis datum est nosse mysteria Regni Dei, illis autem Iudæis non est datum: Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit; qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo, Matth.25.n.29. Porro in parabolis loquutus est Iudæis, vt videntes non viderent, & audientes non audirent, neque intelligerent, iuxtà Propheriam Isaiæ, dicentem c.6.n.9. Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis, incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, &c.

Titulus huius Psalmi talis est; Intellectus Asaph, ideſt Psalmus Synagogæ, ac hominibus congregatis (ità enim Asaph congregans interpretatur) decantandus offertur, vt præterita, quæ in illo scripta sunt, memoria retineantur, simul cum intellectu legis nouæ, ac testamenti noui, in quo relata sunt verba, quæ locutus est Iesus Christus, & pleraque in parabolis.

Attendite populo meus, incipit Psalmus per Asaph decantandus, ac si dicatur, ò vos, qui in generatione altera estis, qui congregati in Ecclesia positi verba Christi Iesu audituri estis, ò vos beatos, qui videbitis, & audietis, quæ multi Prophetæ, & iusti cupierunt videre, nec audierunt, nec viderunt, attendite legem, quæ à Moyse scripta, sed à Deo data est vobis: Cæterum quia Iesus non veniet, vt illam soluat, sed vt adimpleat, ad verba illius aures vestras potissimum inclinate, in illis nàmque est interpretatio parabolarum, & earum, quæ fuerunt ab initio, propositionum; in illis est via, & vita obseruantibus ipsa.

Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Parabolæ secundum Gloss. hìc sunt rerum similitudines, cum per rerum adductam similitudinem id, quod de illis dicitur, de alijs intelligitur, vt est illud, simile est Regnum cælorum sagenæ missæ in mari, Matth.cap.13.nu.47. per hanc enim similitudinem intelligitur, quod in præsenti Ecclesia congregat bonos, & malos; sed quando veniemus ad litus, ideſt ad iudicium in fine mundi, tunc mali separabuntur à bonis. Sic ergo iste loquitur in parabolis, quia quæ dicit populo Iudæorum, à Deo esse facta, intendit immolata per quasdã similitudines, & in figuram illorum, quæ in rei veritate post Christi aduentum, euentura erant. Vt per id, quod eduxit populum de Ægypto per mare significat, quòd eduxit populum suum de tenebris, Ægyptus enim interpretatur tenebræ; eduxit ergo nos de obscuritate peccatorum per mare pœnitentiæ, & sic de alijs. Hæ autem parabolæ, postquam congregatio Synagogæ facta est, inductæ sunt, & propterea dixit, loquar propositiones ab initio, scilicet congregationis Synagogæ, propterea Asaph, qui congregans dicitur, decantandæ demandatæ sunt. Vtinam, vt dicit Augustin. hìc, qui dixit, aperiam in parabolis os meum, etiam intellectum nostrum aperire dignetur, si enim sicut os suum aperuit in parabolis, ità aperiret etiam ipsas parabolas, & sicut loquitur propositiones, ità etiam loqueretur & earum expositiones, non hìc æstuaremur. Nunc verò ità obtecta, & clausa sunt omnia, vt etiam si ad aliquid, ipso adiuuante, vndè salubriter pascamur peruenire possimus, in sudore tamen vultus nostri, edamus panem, & pœnam definitionis antiquæ non corporis tantùm, sed & cordis labore pendemus. Propositiones etiam, quæ ab initio loquitur, sunt

quæ problemata Græcè, Latinè verò ænigmata nuncupantur, & prolata reperiuntur ab initio veteris testamenti, ex quo de Ægypto exierunt. Propositiones ergo sunt quæstiones, aliquid disputatione soluendum, habentes Iudic. 14. num. 12. Proponam vobis problema, quod si solueritis mihi intra septem dies conuiuij, dabo vobis triginta sindones, &c. & de ænigmate Num. c. 12. nu. 8. ibi, Ore enim ad os loquor eis, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt. Aperuit ergo in parabolis os suum, vt intelligentes non intelligerent, quia tantùm ad præsentia erat illorum mens, & delectatio; aperuit os suum, vt doceret eos, illi autem non aperuerunt os suum, vt attraherent spiritum, qui intra parabolis erat, quia mandata Domini, iniqui illi non desiderabant, Facit Psalm. 118. num. 131. Os suum aperuit in parabolis, vt Deum venturum cognosceret in terris, & laudaret illum, Psalm. 50. num. 17. Ipsi verò iniqui blasphemantes, & colaphis Dominum cædentes negauerunt, & Iesum crucifixerunt. Iterum aperuit Dominus os suum, vt intellectum haberent ad parabolas intelligendas; illi verò aures suas obturauerunt, & legem Dei intelligere neglexerunt, Psalm. 57. num. 5. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas. Aperuit os, vt illos doceret; illi verò aures claudentes, dixere. Tu totus in peccatis es, & doces nos? & eiecerunt eum foras, Ioan. cap. 9. num. 34. cum sequen.

Quanta audiuimus, & cognouimus ea, & Patres nostri narrauerunt nobis, non sunt, iniquit, occultata à filijs eorum in generatione altera. Priora in duobus præcedentibus versiculis, vt dixi, sunt verba Dei; quæ verò cognouisse, & audiuisse, dicit Propheta, sunt facta Dei pro testimonio veritatis de præteritis; est Deus ipse, qui per verba hominis ad illa attendere nos monuit.

Dicit ergo quasi ignorantiam Iudæorum admirans, quanta audiuimus beneficia populo Iudaico collata, quanta audiuimus, & cognouimus ea, & Patres nostri narrauerunt nobis, non sunt occultata à filijs eorum in generatione altera. Qui enim sunt filij eorum, nisi Apostoli, qui notum fecerunt Euangelium per prædicationem generationi alteræ? Vndè Psalm. 32. nu. 6. Verbo Domini cæli firmati sunt, cæli enim idest Apostoli, per quos sicut in vtre congregauit aquas maris, idest populi Gentilis multitudinem, in Christum credentis, sicut in vtre, idest in gremio matris Ecclesiæ, Baruch 5. nu. 5. Magis ad propositum, inquit, Exurge Ierusalem, & sta in excelso, & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab oriente sole, vsque ad occidentem in verbo Sancti gaudentes Dei memoria. Ecce, quia non sunt occultata à filijs hominum in generatione altera, Ierem. 16. nu. 16. Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos, & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum, quia oculi mei super omnes vias eorum, & erunt pisces multi satis, inquit Ezech. 47. nu. 9. Postquam venerunt illuc aquæ istæ, & stabunt super illas piscatores: hos enim misit Deus filios, vt perambulent terram, Zach. 1. In generatione altera, à filijs eorum non sunt occultata, Psal. 18. in fine. Annunciabit cæli, idest Apostoli, iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus, nu. 32. Non sunt occultata, quia annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt, dum discernit cælestes super eam Reges, dum Christus Iesus segregat, & diuidit vnicuique Prouinciæ Reges, idest Apostolos super eam, idest Ecclesiam, Psal. 67.

vt ibi diximus; hi enim de quibus Ioel 2.nu.28. propè finem; Poſt hæc effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ: iſti ſunt filij tui Iudæa, de quibus Pſal.127.nu.4. Filij tui ſicut nouellæ oliuarum, &c. non ſunt occultata à filijs eorum in generatione altera, Iſai.c.29. n.23. Non modò confundetur Iacob, nec modò vultus eius erubeſcet: ſed cum viderit filios ſuos, opera manuum mearum in medio ſui ſanctificantes nomen meum, & ſanctificabunt ſanctum Iacob, & Deum Iſrael prædicabunt.

Quanta ergo, inquit, audiuimus, & cognouimus ea, & Patres noſtri narrauerunt nobis. Qualia hæc fuerint, & quanta, quæ filij Patrum veſtrorum narrauerunt vobis Iudæis, & nobis, ſatis videre poterimus in Euangelijs, & in Actibus Apoſtolorum, & præcipuè cap.7. per totum. Propoſitiones verò, quæ ab initio dictæ ſunt, quales fuerint, hìc narrantur, nempè de Ægypti egreſſu, quando per medium maris ſicci iter præbuit, & Pharaonem ſubmerſit cum omnibus ſuis, & quando per 40. annos in deſerto populum ſuum Dominus pauit pane cæleſti, eisq. de cælo legem dedit, & alia magnalia: hæc enim, & alia omnia ſunt ænigmata, & propoſitiones, quæ in Chriſti Incarnatione declarata videntur, quando per illam nos ab Ægypto, à tenebris peccati liberi facti ſumus.

Aperiuntur propoſitiones ab initio, quod proponit Iſai. cap.64.numer.1. Vtinam, inquit, cælos diſrumperes, & deſcenderes, à facie tua montes defluerent, & ſicut exuſtio ignis tabeſcerent, & arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis, à facie tua gentes turbarentur. Loquar propoſitiones, audi eas declaratas, Mich. cap.1.numer.5. Ecce Dominus egredietur de loco ſuo, & deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ, & conſummentur montes ſubtus eum; Quis enim deſcendit, niſi Ieſus, quando Verbum caro factum eſt? Ioan.cap.1. Locutus eſt propoſitiones ab initio; iàm ſuper tabulas teſtaméti veteris, & noui explanatæ ſunt, percurrant, qui legere illas volent Habac.2. Procul viſus loquutus eſt propoſitiones; ſed apparuit in finem, & non eſt mentitus; moram fecit, quia expectantibus ſanctis Prophetis moram facere illis videbatur, iàm venit, iàm non tardauit, & ab initio, quæ erant propoſitiones, & ænigmata, per aduentum eius explanata ſunt, cum omnes Scripturæ, & Pſalmi de Chriſto Ieſu loquantur. Non ſunt occultata à filijs eorum in generatione altera, ſcilicet Chriſtianorum, qui ex aqua, & Spiritu ſancto generati ſunt, ideò regenerati dicuntur, cum in nouum hominem ſunt recreati.

Hi enim ſunt narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit: laudes ergo narrabunt Patres noſtri, virtutes, & mirabilia. Auguſtin. Annunciantes laudes Domini, & potentias eius, & mirabilia eius, quæ fecit. Ordo verborum eſt, & Patres noſtri narrauerunt nobis annunciantes laudes Domini. Laudatur Dominus, vt ametur, quid enim ſalubrius amatur? Sed ſi Iudæus ſis, ſi hæreticus, ſi iniquus, quomodò Dei laudes annunciare præſumis? quomodò aſſumes teſtamentum Dei per os tuum? Pſalm.49.nu.16. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, & Eccleſ. cap.15. nu.9. Idem Auguſt. ibid.lit. H. Si enim malè viuis, & bona dicis, nondum laudas, & ſi benè viuere cœperis, & meritis tuis tribuas, quod benè viuis, nondum laudas; noli eſſe latronem cruci Domini inſultantem, neque Phariſæum in Templo iactantem merita ſua, & vulnera ſua occultantem: quantò minus Dominum laudaueris?

ſi iniquus laudare præſumpſeris ? Lauda Deum propter ſe, non propter aliud: & erit gratuitum, ſi laudaueris, nec aliud ab eo petieris, niſi ipſum ſolum. Audi item Auguſtin. in Pſalm. 53. litera D. Sed ſi tibi non donat, vt illum laudare poſſis, quomodò ex te ipſo laudare poteris ſine illo? quid enim boni egiſti, vt illud merereris? vel quæ bona tua præceſſerunt facta, vt det tibi Deus gratiam ſuam? Et in Pſalm. 62. litera D. Nunquid inuenit iuſtitias, quas coronaret, & non delicta, quæ donaret?

Narrantes laudes Domini Patres noſtri; ſed quæ Dei facta narranda à Patribus noſtris? vt ſupra in Pſalm. 70. diximus, laudauerunt in omnibus bonis factis eius, in omni creatura ipſius, in omni rerum omnium inſtitutione, in gubernatione, & regimine ſæculorum, in ordine temporum, in eminentia cæli, in fæcunditate terrarum, in circumfuſione maris, in omni præpollentia naſcentis vbique creaturæ, & in ipſis filijs hominum, in danda lege, in liberando ſuos à captiuitate Ægyptiorum, & cæteris omnibus mirabilibus ſuis. Sed filij eorum, in quo magis eum laudandum prædicauerunt? in virtutibus eius, quia nondum erat à Patribus laudatus, quod carnem in vitam æternam ſuſcitauerit.

Vt adijcias laudi Dei, & virtutibus eius, docuerunt Apoſtoli; nàm cum ſis peccator iuſtificare te vult Deus, & ex impio facere pium, liberando te ab impietate tua, ſi tu ab illa recedere pœnitendo volueris. Venit enim Dominus peccatores vocare; ſi te peccatorem eſſe cognoueris; veni in viam, quæ te ducit in vitam æternam, quia ideò ille venit, vt in via ſua ambulares, vt te viam doceret, via enim eundi ad vitam Chriſtus eſt, Auguſtin. de Ciuit. Dei ad Marcel. lib. 10. c. 2. ibi. Vt ad Deum eſſet iter homini per hominem Deum, Chriſtus per id quod eſt mediator, eſt homo, & via perueniendi ad Deum; per hoc enim mediator, per quod & homo, per hoc & via. Via noſtra venit ad homines, inuenit errantes, vocauit ad ſe extra ambulantes; in me enim inquit, ambulate, & non errabitis, Ioan. cap. 14. num. 6.

Patres noſtri laudes Dei narrauerunt, & virtutes eius, & mirabila eius, quæ fecit. Filij eorum Chriſti laudes narrantes, qui omnium noſtrum peccata tulit, & ſanguine ſuo nos redemit, Iſai. cap. 53. Qualem maiorem charitatem nobis oſtendere potuit, quàm animam ſuam dare pro nobis? Ierem. 12. n. 7. Dedi dilectam animam meam in manibus inimicorum eius. Et virtutem eius, & mirabilia; nàm ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & Chriſtus Ieſus, quos vult, viuificat, & Ioan. 10. num. 18. & poteſtatem habeo animam meam ponendi, poteſtatem habeo iterum ſumendi eam; ſeipſum enim à mortuis ſuſcitauit, & infernum viſitauit, & animas ſanctorum Patrum ſecum adduxit, vt Matth. vltimo. Laudetur ergo Dominus, inquit Gloſſ. vt ametur. Et virtutes, vel potentias eius, ideſt liberationes, quibus ipſe liberauit populos, & mirabilia quæ fecit paſcens populum in deſerto per 40. annos, hoſtes illius debellando.

Et ſuſcitauit teſtimonium in Iacob, & legem poſuit in Iſrael. Hæc ſi benè conſideremus, habent relationem ad primum verſiculum, Attẽdite populeus legem meam, quæ iàm per inobſeruantiã erat, ac per deſuetudinem in obliuionẽ deuenerat. His ergo, quos excitarat, vt inclinarent aures ſuas ad verbũ Domini, vtq; venirent ad ipſum, qui venit, vt antiquam legem non tolleret, ſed adimpleret: ſuſcitauitq. eandem legem in teſtimonium, quod ipſe eſt, qui vt populum

Digitized by Google

pulum liberaret, venturus erat. Propterea dixit, Scrutamini scripturas, quia illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, Ioan. 5. n. 39. Vos enim putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis. Et Act. Apost. cap. 17. num. 11. Qui susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ità se haberent, & multi crediderunt ex eis, ex testimonio illarum.

Suscitauit iàm testimonium in Iacob, quia quod ille per somnium vidit Angelos descendentes, & ascendentes, Christus Iesus opere compleuit; quum ex inferno Patrum sanctorum animas, populumq. suum, hoc est, omnes iustos in se credentes, secum in Paradisum traxit. Dicat bonus latro, cui dictum est, hodie mecum eris in Paradiso; dicat Stephanus sanctus, qui cælos vidit apertos, & Iesum stantem, &c. dicant omnes Apostoli sancti, tot Martyres, & Virgines. Iacob per somnium; noster Iesus per opera: ille in figura, hic opere perficiendo, & figurata adimplendo. Legem posuit in Israel, in Ecclesia Dei, vt qui post illum venire desiderant, crucem suam tollerent, & in bonis operibus sequerentur eumdem: Suscitauit in testimonium, quia Iacob posuit in legem, quia non amplius Iacob, sed Israel. Suscitauit in testimonium, quia figura: posuit in legem, quia præceptum; suscitauit in testimonium, quia prædixit: posuit in legem, quia quod prædixit adimpleuit, Isai. cap. 48. Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel, & de aquis Iuda existis, idest de semine Iudæ, & nu. 3. Priora ex tunc annunciaui, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea. Repentè operatus sum, & venerunt, &c. Prædixi tibi ex tunc, antequam venirent, indicaui tibi.

Quatenus verò hæc nostra non sit tibi accepta interpretatio, istam Augustini accipere poteris. Et suscitauit in Iacob testimonium, & legem posuit in Israel. Hoc est, inquit, initium, de quo supradictum est, eloquor propositiones ab initio, initium est vetus testamentum, finis nouum, timor enim præualet in lege, & initium sapientiæ timor Domini, Psalm. 110. Finis autem legis Christus est ad iustitiam omni credenti, ad Roman. cap. 10. quo donante diffunditur charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ad Roman. cap. 5. & consummata charitas foras mittit timorem. Quoniam non sine lege iustitia Dei manifesta est, sed quoniam testimonium habet à lege, & Prophetis, ideò suscitauit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel, &c. Et post multa sequitur Augustinus: Nàm quod est, suscitauit testimonium, hoc est legem posuit; & quod est in Iacob, hoc est in Israel; nàm sicut ista duo nomina sunt hominis vnius, ità lex, & vetus testimonium, duo sunt nomina rei vnius. Sed dicet quispiam: intereſt aliquid inter suscitauit, & posuit; Ità sanè, quemadmodum intereſt etiam inter Iacob, & Israel, non quia erant duo homines, sed eadem duo nomina diuersis causis vni homini sunt imposita: Iacob propter supplantationem, quoniam nascentis tenuit plantam fratris, Israel autem propter visionem Dei. Sic aliud est suscitauit, aliud est posuit; nàm suscitauit testimonium, quantum existimo dictum est, quod ab illo aliquid suscitatum est. Sine lege enim, ait Apostolus, ad Roman. cap. 7. Peccatum mortuum est, ego autem aliquando viuebam sine lege; aduenientе autem mandato, peccatum reuixit, ecce quod suscitatum est per testimonium, quod est lex, vt appareat, quod latebat, sicut paulo post dicit, Sed peccatum;

vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Posuit autem legem, dictum est, tamquam intgum peccatoribus, vndè 1. Titi 1. dictum est, quòd lex iusto non est posita. Testimonium est igitur inquantum aliquid probat, lex autem inquàntum iubet, cum sit vna, eademque res, hæc Augustin.

Nostrum verò prosequentes intellectum ad præsentem versiculum occurrit nobis sequens Versic. Quanta mandauit Patribus nostris, nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera: Non mandauit Patribus, vt ea ipsi facerent, vel agnoscerent, nondum enim venerat plenitudo temporis, nox adhùc illis erat Patribus, nec dies appropinquauerat, futurum erat in nouissimis diebus, in tempore generationis alterę, in generatione, gratiæ tempore aduenien-te, quando præparatus erit mons domus Domini in vertice montium, & elevatus eris super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas. Et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem, Isai.cap.2. Ecce quomodò suscitauit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel, hoc est verbum, quod de Israel venit Iesus Christus filius Dei, qui nos vias suas, vt saluaremur, docuit, Isai.cap.51.num.4. Attendite ad me populus meus, quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum. Prope est iustus meus, egressus est Saluator meus; Patres enim illi sunt antiquus populus, illis nota facere mandauit filijs, non tamen illa agnouerunt, nec fecerunt, quæ nota fieri deberent, sed ad hoc acceperunt ipsi, vt cognoscat generatio altera, quod illa non cognouit, mandauit Deus, vt ea filijs suis nota facerent, filijs scilicet noui testamenti, quos filij Patrum, filios noui testamenti in fide genuerunt; sunt etiam filij, qui ex generatione altera illuminati sunt, ideſt Gentiles, ideò subiungit.

Filij, qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filijs suis, de quibus Isai.54. num.15. Ecce accola veniet, qui non erat mecum, adiungetur aduena quondam tuus tibi. Illi enim sunt, qui quæsierunt Dominum, & ante non interrogabant, inuenerunt, dicit Dominus per Isai.cap.65. in princ. Qui non quærebant me. Dixi, ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum, &c. Vndè idem Isai.cap.45 num.20. Congregamini dicit Dominus, & accedite simul, qui saluati estis ex gentibus. Ità etiam Dominus Iesus Apostolis sanctis mandauit, Matth.cap.vltimo in fine, dicens; Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; docentes eos seruare omnia, quæ mandaui vobis. Propterea quæ in hoc versiculo dicuntur, Mandauit Patribus vestris nota facere, figura nostra erat. Nota ergo facere ea filijs suis, Gloss. exponit, ideſt filijs noui populi in nouo testamento, quod benè dicit Tex. Vt cognoscat generatio altera, scilicet de gentibus collecta, vt cognoscant spiritualiter, quæ Patribus antiquis narrata sunt.

Ideò sequitur vers. Filij, qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filijs suis, ideſt Christianis, qui nascentur postea secundò ex aqua, & Spiritu sancto exurgent, sursum cor habentes: qui verò nati sunt, & non renati, non surrexerunt, ideſt non sursum est cor eorum, sed in terra. Et narrabunt filijs suis, ideſt posteris per generationes, transmissa sunt mandata Dei, ne quis putaret vni dumtaxat data. Filij, qui nascentur, & exurgent. Non ergo qui nascen-

tur

rur tantùm,ſed qui baptiſmatis lauacro exurgent denuò naſcentes, hi narrabunt filijs ſuis, vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant. In Deo ſpes noſtra eſt, cuius ſemper eſt miſereri parcendo, non in lege, quæ punit; iuſtitiam noſtram conſtituamus: & ſi ſpes in Deo non erit, in tuorum operum fine erit iactantia, iactantia dixi, quia ex ſe vana ſunt; nàm ſi quicquid habes accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? 1.Corinth.cap.4.num.7. Gloria ergo tua ſit in Domino, quia quicquid boni eſt in te, habes ab illo, 1.Corinth.cap.1.num.31. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat: & addit, quid vlterius ſperantibus in Domino facturi ſint, dicens, & mandata eius exquirant. Quid exquiritur, niſi quod diligenter inquiritur, vt exquiratur? Pſalm.76. ibi Deum exquiſiui manibus meis. Exquire ergo Dei mandata, vt benè illa operibus adimplendo, ſpes tua valida ſit in Domino, quod tunc erit, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, tunc fiduciam ad Deum habeamus, 1.Ioan.cap.3.num.20. & 21.

Vt ponant in Deo ſpem ſuam, ſecus Iudæi fecerunt, dicentes, Nos filij Abrahæ ſumus, opera tamen Diaboli faciebant, Ioan.cap.5.num.44. Quomodò vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt non quæritis? & cap.8.num.39. Pater noſter Abraham eſt, dicebant Iudæi, dicit eis Ieſus, Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite; nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum, quam audiui à Deo, hoc Abraham non fecit, vos facitis opera Domini veſtri Diaboli, numer.42. & deſideria Patris veſtri vultis facere. Nec velitis dicere, Patrem habemus Abraham, dicebat Ioannes Baptiſta, vndè in cap.3.num.8. in Matthæo; Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus, de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Non ergo prodeſt filio iuſtitia Patris, quem peccata inficiunt, Chryſoſtom. ſuper d.cap.3. in Matth. Quid enim prodeſt ei, quem ſordidant mores generatio clara? aut quid nocet illi generatio, quem mores adornant; melius eſt enim alicui, vt in eo glorientur parentes, quia talem filium habent, quàm vt ipſe in parentibus glorietur. Ad propria ergo incumbas, ſi vis ſperare bona: in Deo ſpes, & operatio ſit in bonum, non in meritis, vel parentum tuorum demeritis; filius enim non portabit iniquitatem Patris; propterea ſequitur Pſalm. dicens.

Ne fiant ſicut Patres eorum generatio praua, & exaſperans. Domus enim exaſperans eſt iſta Iudæorum, vt dicit Dominus per Ezech. cap.2.num.5. & ideò in cap.12.num.2. & 3. Fili hominis in medio domus exaſperantis tu habitas, qui oculos habent ad videndum, & non vident, & aures ad audiendum, & non audiunt, quia Dominus exaſperans eſt, &c. Nonnè exaſperans, quia contrà Deum linguas ſuas acuerunt ſicut ſerpentes, Pſalm.57.num.5. & Dominum occiderunt: generatio praua, incredula, duræ ceruicis, Iſai.43.num.5. Exod.cap.32.num.9. & cap.33.num.3. & cap.34.nu.9. Deuter.9.nu.6. & 14. Ezech.cap.2.num.4. Filij dura facie, & indomabili corde; generatio praua. Quapropter vt foras educatur, dictum eſt à Domino per Mich.cap.7.num.10. & Iſai.cap.43.num.8. Ipſi enim ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſque ad nouiſſimum, Iſai.56.num.11. ideò dicit, Ne fiant ſicut Patres eorum, ecce quo-

mo-

modò reuelata eſt ignominia eorum, & viſui datum eſt opprobrium ſuum, iuxtà illud Iſai. cap.47.num.3. Fraudulenti vaſa peſſima fuerunt illi. Et vos, ò Iudæi, ò iniqui, qui illorum veſtigia ſequimini, Iſai.cap.48.num.4. oculos habentes, & non videntes, Iſai.43.num.5. vſque in hodiernam diem, cum legitur Moyſes velamen poſitum eſt ſuper cor veſtrum, 2.Corinth.3.num.14. Deum neſcientes, Iſai.28.num.7.

Generatio quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius. Diſtortum cor habet, qui praua intellecta non corrigit, & quæ natura docet, non perficit. Sed cur talis eſt ea generatio? Quia non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius; non enim rationi verum ſuadenti acquieſcit; Auguſtin. hìc litera D. Quia non habebat, inquit, fidem, quæ impetrat, quod lex imperat; quando enim cum ſpiritu Dei operante, ſpiritus hominis cooperatur; tunc quod Deus iuſſit impletur, & hoc non fit, niſi credendo in eum, qui iuſtificat impium, ad Roman.cap.4.nu.5. Ei verò, inquit, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam, ſecundum propoſitum gratiæ Dei. Quam fidem non habuit generatio praua, & amaricans, & ideò de illa dictum eſt: Non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius. Auguſtin. Multò enim expreſſius dictum eſt ad ſignificandam gratiam Dei, quæ non ſolum operatur remiſſionem peccatorum, ſed etiam cooperantem ſibi facit hominis ſpiritum in opere bonorum factorum. Quaſi diceret, non credidit Deo ſpiritus eius. Hoc eſt enim habere cum Deo creditum ſpiritum, non credere ſpiritum ſuum poſſe facere ſine Deo iuſtitiam, ſed cum Deo; hoc eſt enim credere in Deum, quod vtique plus eſt, quàm credere Deo; nàm & homini cuilibet credendum eſt plerunquè, quamuis in eum non ſit credendum. Hoc eſt ergo credere in Deum, credendo adhærere ad benè cooperandum bona operanti Deo, quia ſine me, ait, nihil poteſtis facere, Ioan. cap.15. hæc Auguſtin.

Non eſt ergo generationis huius cor cum Deo directum, quia non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius. Ideò praua generatio, quia non credit in Deum: non ex fide adhæſit Deo, vt ſanata à Deo benè cooperaretur, cooperante in ſe Deo; manum ad diuina habebat iſta generatio, vt ſe corrigeret, voluit tamen remanere diſtorta, quia rationi non acquieuit, quia Spiritui ſancto non conſenſit, quia filij erant Diaboli, & opus illius malum, vt Chriſtum crucifigerent, perficere volebant, quia & pater illius Diabolus etiam ab initio fuit homicida, Ioan. dicto cap.8.numer.44. qui ex Deo eſt verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis, num.47. ibidem. Si enim ſpiritus eorum non adhæret Deo, quomodò poſſunt eſſe cum Deo? Vnus enim ſpiritus eſt cum Deo, qui adhæret cum illo, 1.Corinth. cap.6.num.17. Non direxit cor ſuum generatio praua, vt intelligeret ea, quæ ſunt ſurſum, non loquatur nobis Dominus, Exod. cap.20.numer.19. ſermones eius ſi veri ſunt videamus, nàm ità dixerunt apud ſe non rectè cogitantes, circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, Sap.2.num.12. & 17. morte turpiſſima condemnemus eum, ibidem num.20.

Ad terram erant oculi eius generationis, vndè Gregor. lib.24.Moral.c.14. Curuum eſt cor, cum ima petit, dirigitur autem, cum ad ſublimia ſubleuatur.

Non

Digitized by Google

Non direxit cor tuum, quia congregauerunt iniquitatem ſibi, Pſalm.40.numer.7. generatio praua, & exaſperans. Sed nunquid omnes in generatione illa praui? Ierem. cap.5.num.1. & ſequen. Domine oculi tui reſpiciunt fidem: percuſſiſti eos, & non doluerunt, attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam; indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti. Ego autem dixi, forſitan pauperes ſunt, & ſtulti ignorantes viam Domini, iudicium Dei ſui, & ecce magis hi ſimul confregerunt iugum, ruperunt vincula, &c. Pſalm.13.numer.2. Dominus de Cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum, omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

Filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli. Filij ex progenie verè praua, & diſtorta; nàm quando Deus illos clamantes ex tribulationibus audiebat, in die auditionis intendentes, & mittentes arcum, ideſt promittentes tunc ſeruare mandata; in die tamen tentationis defecerunt, quaſi præludentes armis conuerſi ſunt in die belli. Audi D. Hieron. de hoc quid dicat Pſalmo: O quanta, ò quanta myſteria, ò quanti flores; non dico dies, ſed totus menſis ad intelligentiam iſtius Pſalmi non poſſet ſufficere, in ſingulis verbis ſenſus ſunt; hæc Hieronym. Ephraim, & Manaſſes fratres ex Ioſepho nati, vt in Geneſ.cap.41.numer.50. videre poteris; ſi populum Chriſtianum, & populum Iſraeliticum interpretemur provt hìc Doctores, ſicut Iacob ſecundum præpoſuit primo, cancellatis manibus, & ponens dexteram ſuper Ephraim, ſiniſtram ſuper Manaſſem, Geneſ.48.num.14. ſic Deus, dimiſſo populo Gentili, Iudaicum populum elegit; ſed cum hic populus Iudæorum defecerit in promiſſis, quia promiſit, ſe legem Dei ſeruaturum, dicens Moyſi, omnia, quæ locutus eſt Dominus faciemus, Exod.cap.24.nu.4. propterea derelictus eſt, & populus Gentilis ad fidem conuerſus eſt electus.

O quanti filij Ephraim, qui intendunt, & mittunt rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatam Eccleſiam, intendunt arcum, falſa documenta imprimentes, & mittunt intrà Chriſtianos Catholicos, vt interficiant innocentem columbam. Conuerſi ſunt in die belli. Cum ſanare vellet Dominus Iſrael, reuelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati ſunt mendacium, & fur ingreſſus eſt ſpolians, latrunculus foris, Oſe. cap.7. in princ. ædificantes cum Ieroboam, 3.Reg.cap.12.nu.25. Sichem in monte Ephraim, hoc eſt humerum ſuum, ſeù fortitudinem ſuam in pulueris fundamento ponentes, vt in oculos paruulorum illam iacientes cum ipſis cæci fierent, ne amplius in Templum Domini, in Ieruſalem reuerterentur. Feceruntq. duos vitulos aureos, dicentes, hi Dei veſtri ſunt. Calix aureus Babylon in manu Domini, Ierem.cap.51.num.7. inebrians omnem terram; de vino eius biberunt gentes, & ideò commotæ ſunt, quia quæ ſibi placent, ab Hæreticis narrantur. Hi ſunt Dij veſtri, dicunt, aurum, & luxuria; Venite fruamur bonis, Sapien.cap.2. & ignorauerunt ſacramentum Dei; Ne amplius intrà Eccleſiam introeatis; quæ docet contraria operibus noſtris; conuerſi ſunt filij Ephrem in die belli, in die tentationis, ignorantes, quia omnes dij gentium dæmonia. Circumdederunt eos adinuentiones ſuæ, in malitia, & in mendacijs lætificauerunt gentes.

Si verò hiſtoriam de filijs Ephraim ſcire volueris, vide in 3.Reg. & 4. & in Oſea

Oſea per totum, & ſpecialiter in cap. 2. Ex duodecim enim Tribubus poſt Salomonis mortem, decem traxit ſecum Ieroboam Deo ingratus, qui prohibuit, ne irent illæ decem Tribus in Templum adorare Dominum Deum: duabus tantùm Tribubus, ac Leuitis cum Rege Roboam in Ieruſalem remanentibus, quæ Iudæ nomine nuncupatæ ſunt, alijs decem appellatis Iſrael, & Ephraim. Intenderunt ergo arcum Ephraim Tribus, ſed non attenderunt finem, miſeruntq. ſcilicet ſagittas linguarum ſuarum, vt non adorarent verum Deum, ſed vitulos aureos, terrena ſcilicet, & mundana; & ecce quia in die belli conuerſi ſunt, & occiſi; in die belli nempè, quando Deus dimiſit eos ſecundum deſideria cordis eorum, Pſalm. 80. num. 11. & iuxtà adinuentiones ſuas euntes, occiſi remanſerunt, & deſtructi. Auguſtin. verò hìc, vt ſupra dixi litera F. Quid aliud eſt tendere arcum, & mittere ſagittas, & conuerti in die belli, niſi attendere, & promittere in die auditionis, & deſerere in die tentationis? armis quaſi præludere, & ad horam certaminis nolle pugnare.

Filij Ephrem etiam intendentes, & mittentes arcum, & mittentes ſagittas, ideſt promittentes ſeruare legem, apertè dicentes, Exod. cap. 19. num. 8. Omnia verba Domini, quæ locutus eſt faciemus: Conuerſi ſunt in die belli, ideſt defecerunt in die tentationis, vndè Oſe. cap. 7. Ephraim factus eſt quaſi columba ſeducta, non habens cor, locutus eſt Dominus, & dedit eis legem. Conuerſi ſunt in die belli, quia non auditio, ſed tentatio probat; gloriabantur in ſe, quia ſuperbi, & fortes erant, defecerunt in die belli, in die tentationis, quia non erat creditus cum Deo ſpiritus eorum, non eſt cum illis etiam ſpiritus Dei, Eccleſ. c. 15. per totum: in die tribulationis ſint iſti filij Ephraim nobis exemplum, vt qui Deum illi non inuocauerunt, ideò conuerſi, nos in tribulationibus ad Deum accedamus, quia illum nobis propè inueniemus; nullus enim ſperauit in Domino, & confuſus eſt, d. cap. 2. Eccleſ. filij Ephrem ſuperbi.

Non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare. Non cuſtodierunt, inquit, ergo poterant, ſi voluiſſent, quod declarant verba ſequentia, & noluerunt ambulare; promiſerant obſeruare præcepta, vt ſupra: non obſeruauerunt, nec in illis ambulare voluerunt, ad Ægyptios iterum reuerti volentes contrà legem Domini, Num. cap. 13. Perrexerunt etiam contrà Amalecitas, & Cananæos ad pugnam, contrà Moyſis voluntatem, vt Numer. cap. 14. Et ſi aliquando in lege Domini ambulauerint, id fecerunt, vt viderentur ab hominibus, non vt Deo, & proximo ſeruirent, agentes quæ mallent non præcipi ſibi, ex corde autem nullo modo, quod fit ex formidine pœnæ, non ex amore iuſtitiæ, pares ſunt manu, ſed non corde. Vndè dicitur, labijs me honorant, cor autem eorum longè eſt à me, Matth. cap. 15. num. 18.

Quid dicis, ò infidelis Chriſtiane, ò hæretice, & inique, de te enim hæc ſcripta ſunt, quid in Baptiſmo promiſiſti? quid confeſſus es? quibus renuntiaſti? non cuſtodiſti teſtamentum Dei, quod ſcilicet Deo promiſiſti, nec in lege eius ambulare voluiſti: contrà eum conſurrexiſti, qui te regenerauit in Baptiſmate: extrà Eccleſiam ambulaſti, quæ te vt in viam redires docuit, & docet; & oblitus es benefactorum tuorum, & mirabilium Dei, quæ oſtendit tibi. Et mirabilium eius, quæ oſtendit eis, dicit Pſalmiſta. Quid enim inquies, benefecit mihi Deus? In quo es benefactor meus? ò te ingratum, ò te infidelem. Nonnè perditus eras, & te inuenit? Nonnè pro te ſanguinem

ſuum

ſuum fudit, vt te redimeret? Nonnè peccata tua ipſe tulit, vt tu, ſi velles, à morte liberareris? Pactum non obſeruaſti, & in lege eius ambulare noluiſti, perditio tua ex te eſt, ò impie, & inique: oblitus es benefactorum filij Dei, & mirabilium eius, quæ oſtendit tibi: & Patres noſtri Apoſtoli, & ſancti Dei annunciauerunt tibi.

De filijs enim Ephraim deſcendit Pſalmiſta ad hiſtorias præteritas, vt illud, quod ſcriptum eſt, Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio, vt parabolicè dictum oſtendat; Pro te enim loquitur Chriſtiano peccatore, qui in Deo ſpem tuam ponere debes, & ſocius voluiſti eſſe filiorum Ephraim, vt pulueruleneus, qui à vento rapitur, effectus cum illis, appenſus in ſtatera minus habens reperiaris. Ingrate, & tui ipſius homicida memorare, quanta fecit Deus coram Patribus in terra Ægypti in campo Taneos. Coram Patribus, ſcilicet Moyſe, & Aaron, & alijs Senioribus, qui de ſpiritu Moyſi acceperunt, & cæteris intelligentibus, in terra Ægypti, in campo Taneos, attendamus parabolis, ſpem in Deo ponamus.

Quid enim Ægyptus; niſi tenebræ, & mundi tribulationes, Taneos, Tanis ſcilicet, qui ſic in nominatiuo declinatur Tanis Taneos, humile mandatum dicitur, campus verò Taneos, humilis mandati planities, quid enim hæc ſunt? quod ænigma? Chriſtus in terra poſitus humile mandatum docuit, dicens Matth. cap. 11. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde; hoc mandato tribulationes mundi fugantur, ſi ſpes noſtra ſit in Deo, & ideò hìc humiliamur, vt in futuro exaltemur. Quid mirabilius facere potuit Deus in terra hac Ægypti, ſuſcipiens carnem noſtram, & in campo Taneos cum humilitate tam grandi, ſubijciens ſe ſeruis ſuis, vt crucifigeretur ab eis, vt illius documento tu humilis effectus cum illo exalteris in Cælis: Auguſtin. In hoc ſæculo humilitatis mandatum accipiamus, vt in alio ſæculo exaltationem, quam promiſit, qui propter nos factus eſt humilis, accipere mereamur; Sanctus verò Hieronym. hìc. Dicat aliquis, vim facis Scripturæ; ſimpliciter enim dicitur de populo Iſrael, quando eductus eſt de terra Ægypti, & propterea ſecundum hiſtoriam dicitur, & legimus, decem Tribus, quoniam dereliquerunt Deum; & Idololatræ effectę ſunt, & quaſi ſequuti ſunt vitulos aureos. Videamus Aſaph Prophera quo tempore fuerit; vtique illo tempore, quando fuit Dauid quadraginta annis, rurſus Salomon alijs quadraginta annis, poſt octuaginta annos ſub Roboam, poſteà ſciſſæ ſunt decem Tribus; vides ergo, quod dicitur, non dicitur de decem Tribubus, ſed de hæreticis prophetatur. Coram Patribus eorum fecit mirabilia, oblici ſunt ergo hæretici patris ſui, qui fecit mirabilia in terra Ægypti, in tenebris iſtius ſæculi, quomodò illos liberauit, in Eccleſia renati ſunt, & poſteà vbi nati ſunt, diſplicet eis Eccleſia. In terra Ægypti, in campo Taneos, vbi Idololatria, vbi Rex Ægypti, vbi equitatus Ægypti, vbi Iamnes, & Mambres aduerſarij Moyſi, vbi Idololatria; nos omnes eramus in Ægypto, & à Domino liberati ſumus: hæc D. Hieronym.

Interrupit mare, & perduxit eos, & ſtatuit aquas quaſi in vtre. Ambulans Dominus ſuper mare, mitigauit fluctus maris, nosq. perduxit, quando venit in terram, & per mortem ſuam nos perduxit ad litus, ad ſalutem. Hiſtoriam huius verſ. habes in Exod. cap. 13. & 14. quando populus ex Ægypto deſcendens, & diuiſe ſunt aquæ, vt facerent viam Iſraelitis, vt tranſirent ſicco pede,

Num.

Num.cap.14.num.15. Mirabiles elationes maris, sed mirabilis in altis Dominus, Psalm.92.num.4. Mare huius sæculi tumidum, & fluctuosum erat. Venit Dominus Iesus, iter nobis per medium illius nobis aperuit, vt illius vestigia sequi volentes, sicco pede transiremus. Ipse enim Dominus est via, adhæreamus illi, & erit nobis ad salutem, Deuteronom.cap.5.numer.33. hanc enim viam præcepit nobis Deus noster, ambulemus, & viuemus, & benè erit nobis. O fidelis, ò Christiane, quando educeris de Ægypto, interrumpitur tunc mare, & educeris per pœnitentiam in viam. Hieronym. hìc. Mare est mundus iste, amare tamen transiliens & tu fias, quia sine offensione pertransibis: Sequere Dominum Deum tuum, & dux, & via tua erit, namque dirupit mare, & traiecit eos, statuit aquas quasi in vtre, vt sic tamquam inclusa staret. Augustin. litera C. Potest per suam gratiam cohibere fluida, & labentia concupiscentiarum carnalium, cum huic sæculo renuntiatur, vt tamquam mimicis omnibus deletis, fidelium populus per Sacramentum Baptismatis traijciatur, hæc Augustin.

Et deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. In igne terror; in nube visionis blandimentum: dies vita iusti, nox verò vita peccatoris; Si vsque hùc tenebræ fumus, nunc si in Domino esse cupimus lux, in ipso sit vita nostra, quia lux in tenebris istis lucescet nobis, Ioan.cap.1. Vndè ad Ephes.cap.5.num.7. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate; probantes, quod sit beneplacitum Deo. Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite, &c. sed cur in die per columnam nubis, & in nocte per ignem? Nisi quia omnipotens Deus, & blandus iustis, & terribilis apparebit iniustis; in die apparebit per nubem, quia quotidie per Sacramentum Eucharistiæ nobis apparet in nube; in nocte verò, quando in ipso moriemur, nobis in columna ignis, & lucis apparebit, sicuti est, vt perducat nos in Paradisum exultationis: in die clamemus, & nocte coram illo erimus; ideò sequitur vers. 18.

Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos velut in abysso multa. Mare diuisum, durum sicut petra factum, vt transirent, & ex hac petra in hoc sæculi eremo, ipsi transilienti interrupta exiuit aqua fluens, & iucunda, quæ adaquauit sitientes in eremo stantes, & pœnitentes, itàvt ex illa, qui bibunt non sitiant in æternum. Prius aqua maris stetit quasi petra, modò petra fit fons; & hoc in eremo, vbi necesse est, vt munus sit gratius. Sitientes ergo fidei ad fontem Christum accedamus, cuius latus in Cruce ruptum fuit, dum in hoc moramur huius sæculi eremo, vt fluenta Spiritus sancti educat in nobis Dominus, vndè Apostol. 1.Corinth.cap.10.numer.4. Omnes eundem spiritualem potum biberunt; bibebant autem de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus, sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo; nàm prostrati sunt in deserto, hæc autem in figura facta sunt nostri, &c. sequitur Psalm.

Et eduxit aquam de petra, & deduxit tamquam flumina aquas. Historiam videas Num.cap.20. Qui sitit, ad petram accedat, accedat ad Christum, & in illum credat, tamquam flumina aquas deducens ex illo, Deuteron.cap.18. num.15. Vndè Ioan.cap.7.numer.38. clamat ipse Dominus Iesus; Qui sitit,

veniat

veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, iuxtà illud Ioel 2.num.28. Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij, & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, Seniores veſtri ſomnia ſomniabunt. Qui credit, dicit Ieſus, in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum, &c. Deduxit de petra cordis duri aquas lacrymarum, quia compuncti, & dolentes, lacrymarum copiam tamquam flumina profuderunt, Vndè Pſalm. 50. Lectum meum lacrymis meis rigabo, Ierem.cap 9. num. 1. Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum, &c. & in Thren.2.num.18. Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem, & noctem.

Contriſtemur ergo fratres ad pœnitentiam, & in remiſſionem peccatorum lacrymarum flumina de oculis noſtris fundamus, vt Deus noſtri miſereatur, vndè Iacob. in ſua Epiſt. Canonic.cap.4.nu.9. Miſeri eſtote, & lugete, & plorate; riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem, & Paul. 2.Corinth.cap.7.nu.9. Nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam, contriſtati enim eſtis ſecundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis; quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, ſæculi autem triſtitia mortem operatur, & S.Ephrem in Serm. de Compunct. & ſalute Animæ. Lacrymæ propter Deum, panis, ſalusq. animæ exiſtunt, Vndè Dauid prius dixerat, Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, Pſalm.41. Cur ergo, ò fideles Chriſti pane lacrymarum quotidie non nutriemur, paſcemurq. Ezech.2.num.9. Aperi os tuum, & comede, quæcumque do tibi, & quid vt comederet, exhibuit? Et, inquit, vidi, & ecce manus miſſa ad me, in quâ erat inuolutus liber, & expandit illum coram me, qui erat ſcriptus intus, & foris, & ſcripta erant in eo lamentationes, & carmen, & væ. Comedit ergo lamentationes, & carmen, & væ: vide ibi D.Thom. in d.c.2.Tom.1. ſequitur Ezech. dicens in c.3. n.3. Et comedi illud in ore meo, ſicut mel dulce. Dulcis, dicit D.Thom. eſt ob peccata lamentatio; & Chryſoſt. in Homil.12. in Epiſt. ad Epheſ. Nihil lacrymis iucundius, quouis cibo ſuauiores ſunt. Sed ſi lacrymæ tuæ in conſpectu Dei, quas pro te effudiſti, quia peccaſti; cur in corde tuo væ, & paſſiones, quas Dominus Ieſus paſſus eſt, vt te à pœna mortis liberaret, non erunt coram te omni tempore, vt flumina de ventre tuo aquæ viuæ fluant, & gaudium ſit tibi in æternum propter multitudinem miſericordiæ Dei, quæ te contingit, quia credidiſti illi, & in illum?

Quid ergo tibi cum iſtis de Ephrem, qui adhùc appoſuerunt peccare ei, vt in iram excitarent, & concitarent excelſum in inaquoſo? illi adhùc appoſuerunt peccare ei, non credendo, quæ à Patribus dicta ſunt beneficia. Et tu an ignoras, vel negare præſumis, quòd ipſe eſt Deus, qui, vt te ſaluum faceret, ſanguine ſuo te redemit? quod enim maius peccatum, quàm non credere in Deum? de peccato enim mundus redarguetur, quia non crediderunt in illum, Ioan.cap.16. ſi peccatum, vt ibi eſt non credere, ità & hìc peccare, dicit non credere. Non ſit tibi mens arida, ſed venter tuus plenus ſit aquæ de petra, non ſit in corde tuo ſiccitas, vt non credas omnia Deo poſſibilia. Præbe illi cor tuum in totum, qui totus fonte baptiſmatis lotus es: & non indiges, niſi vt pedes tui lauentur, vt ſcilicet ambulans vias Domini, credas omnia poſſibilia Deo, & cum Petro promptus ſis non ſolum pedes, vt lauet tibi Do-

minus, non ſolum pedes, ſed manus, & caput, Ioan. cap. 13. numer. 5. vt videlicet mens tua non ſit arida, neque ſicca, ſed gratia Dei plena, vt coniunctis manuum tuarum operationibus totus lotus cum Petro, & cæteris Apoſtolis ſeruiens Domino, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, bonorũ etiam cæleſtium ſis particeps cum illis in Regno Cælorum. Lapidem percuſſit Moyſes, & efluxerunt aquæ, ſed illorum mens arida dicebat, Nunquid poterit Deus dare panem, & menſam in hoc deſerto parare? ò peruerſitas, inquit Hieronym. cordis praui, carnem requiris, & olera, qui iuſtitiam eſurire debueras, nunquid Dei virtus ità eſt arcta, vt quæ perduxit aquam de petra, menſam etiam in deſerto parare non poſſit? Nunquid non panem Angelorum manducauit homo? Et cibaria miſit eis in abundantia?

Audiuit te Dominus, ò hæretice, & differt te, ne intres in terram promiſſionis in Eccleſiam, donec, ſi velis, reſipiſcas: alioquin ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſrael. Quia, ò hæretice, Deum tentans optabas præſtaret tibi, vt voluptates carnales, & deſideria tua carnalia perficere poſſes; Malè locutus es de Deo, quia contrarius tibi eſſet in operibus tuis malignis, dicens: Nunquid poterit Dominus parare mensã in deſerto animæ tuæ, vt compleantur deſideria tua carnalia. An ignoras, quòd Deus iuſtus eſt, & iuſtitiam diligit, & qui ſeipsũ non abnegat, vt ſequatur Dominũ, non intrabit in regnũ Cælorum? Matth. 16.

Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, non procul ſis tu à Deo, quia ipſe propè eſt tibi; accedas ad Eccleſiam, portas illius intra & percutietur petra cordis tui, infer digitum tuum, & cognoſce loca clauorum, & cum Thoma Apoſtolo dices, Deus meus, & Dominus meus; & fluent aquæ miſericordiæ Dei in corpus tuum, & torrentes inundabunt, & paratam menſam videbis populo ſuo in hoc deſerto. Menſam vis videre paratam? audi Matthæum, verba Domini proferentem, cap. 5. num. 5. Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur, Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur, Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur; Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, &c. Vis videre paratam menſam, Venite, inquit, benedicti Patris mei, quia vobis paratum eſt regnum Dei à conſtitutione mundi, Matth. cap. 25. nu. 34. Iàm diù parata eſt menſa, immo regnum; quid moraris hæretice, quid tardas? reuertere ad Dominum Deum tuum, ingredere in Eccleſiam Dei, ne aliàs veniens fur, ſecũm te trahat in infernum, poſt mortem non eſt confeſſio, ideò audiuit Dominus, & diſtulit.

Ideò audiuit Dominus, & reliquit, dimittens eum ſecundum deſiderium cordis eius, Pſalm. 80. num. 13. pœnam tamen infligendam tibi, vt daret, diſtulit. Reliquit eum in manu conſilij ſui, Eccleſ. 15. num. 14. Expectat te Dominus, vt in te reuerſus confundaris, & pœnitens miſereatur, & Sap. 12. nu. 18. Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, ſubeſt enim tibi, cum volueris, poſſe; das enim iudicans locum pœnitentiæ in peccatis, tarditatem tamen pœnæ grauitate recompenſas, Sap. 11. n. 5. Auguſtin. Ignis accenſus eſt in Iacob, & ira Dei in Iſrael, iram quippè appellauit ignem, Pſal. 88. nu. 45. Exardeſcet ſicut ignis ira tua; quanquam multos propriè etiam ignis accenderit. Diſtulit pœnam, vt prius ſatiaret etiam infidelem concupiſcentiam, ne propterea putaretur iratus. Audiuit, & diſtulit vindicare: & S. Paul. ad Rom. 2. nu. 4. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras

quo-

quoniam benignitas Dei te ad pœnitentiam adducet? ſecundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius, & Gregor. lib. 17. Moral. cap. 3. Quiſquis, inquit, delinquit, & viuit, ideircò hunc diuina diſpenſatio in iniquitate tolerat, vt ab iniquitate compeſcat; ſed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compeſcitur, munus quidem ſupernæ patientiæ percipit, ſed reatus ſui vinculis ex ipſo ſe munere arctius aſtringit. Nàm qui accepta pœnitentię tempora diuertit ad culpam, diſtrictius in vltimis Iudex impenſa argumenta miſericordiæ conuertit ad pœnam. Puer centum annorum morietur, Iſai. cap. 65. num. 20. & peccator centum annorum maledictus erit, ac ſi apertè diceret, vita quidem pueri in longum trahitur, vt à factis puerilibus corrigatur, ſed ſi à peccati perpetratione, nec temporis longinquitate compeſcatur, hæc ipſa longinquitas vitæ, quam per miſericordiam accepit, ei ad cumulum maledictionis creſcit; Vndè neceſſe eſt, vt cum nos diutius expectari conſpicimus, ipſa prorogata pietatis tempora, quaſi damnationis argumenta timeamus, ne ex clementia Iudicis creſcat ſupplicium damnationis, Et vndè quiſque eripi amore poterat, inde grauius ad mortem tendat: hæc Gregor.

Quia non crediderunt in Deo, nec ſperauerunt in ſalutari eius. Spes illorum in præſenti erat, in futuro nihil ſperabant; nec in Deo, quòd poſſet illis de meliori bono prouidere credebant; nec forſan Deum eſſe exiſtimabant: dixerat enim inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus, nec nos cognoſcet amplius: corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt, Pſalm. 52. numer. 1. & Pſalm. 13. numer. 1. Negantes tamen impij per fortitudinem brachij tui, flagellati ſunt, nouis aquis, & grandinibus, & pluuijs, perſecutionem paſſi, & per ignem conſumpti, Sap. cap. 16. num. 16. Vindex eſt enim orbis iuſtorum. Quodam enim tempore manſuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios nulla erant animalia: ſed vt ipſi videntes ſcirent, quoniam Dei iudicio patiuntur perſecutionem: & quodam tempore, in aqua ſupra virtutẽ ignis exardeſcebat vndique, vt iniquæ terræ nationem exterminaret. Pro quibus Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de Cælo præſtitiſti eis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Et ideò mandauit nubibus deſuper, & ianuas Cæli aperuit, vt viderent, quia potens eſt Dominus parare menſam in deſerto, qui de petra potuit etiam illis educere aquam, audiuit, & ianuas Cæli aperuit, ſed infra apparebit quantum vindex ſit Deus.

Adhùc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, vt ſuo loco dicemus; audiuit ergo Dominus, & eorum incredulitatem vidit, petitioni eorum conſenſit, mandans nubibus deſuper, vt pluerent eis manna ad manducandum, & cibaria in abundantia. Nonnè & prius alia beneficia Deus fecerat illis ingratis, & incredulis? Vide Exod. capit. 16. poteris & plenius in Pſalm. 104. cum alijs ſequen. Bis enim Hebræis datus fuit à Deo cibus carnium, vt dicto cap. 16. in Exod. ſemel vnà cum manna, & rurſum carnis ſolius, Numer. cap. 11. Et manna cum carnibus datum eſt, antequam producerentur aquæ ex petra, cibus verò carnis ſolius datus eſt poſt eductionem aquæ ex petra, bis enim murmurauerunt, vt in dicto cap. 16. quando aquam ad bibendum petierunt, ſecundò verò, quando in cordibus

ſuis dicebant, Nunquid poterit parare menſam in deſerto? & tunc pluit illis manna ad manducandum, & panem Cæli dedit eis, & pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata, vt infra dicemus, aquam ergo de petra, panem de Cælo pluit, & carnes.

Ingratis itaque illis, & incredulis ianuas Cæli aperire voluit, vt ſupradicta ſuper illos pluerent, & ſatiarentur, Quid autem prodeſt nobis, huius hiſtoriæ per Prophetam facta narratio? omnia in figura contingebant illis. Mandauit nubibus deſuper Dominus Apoſtolis ſcilicet ſuis, vt irent in vniuerſum mundum, & Euangelium ſanctum ſuum prædicarent, Matth. cap. vlt. in fine, & ianuas Cæli aperuit, vt qui verbum reciperent, ianuas Cæli ingredi valerent. Vel ianuas Cæli aperuit Apoſtolis, & Prædicatoribus, quia omnia nota fecit illis, quæ à Patre ipſe Ieſus audiuit, Ioan. cap. 15. num. 18. panis enim eſt verbum Dei, vndè dicebat ille, quia non erat, qui frangeret panem eis, Thren. cap. 4 numer. 4. & Ioan. cap. 6. num. 34. Panis Dei eſt Ieſus ipſe, qui de Cælo deſcendit, & dat vitam mundo, & numer. 35. ego ſum panis vitæ, qui veniet ad me, non eſuriet, &c. & num. 51. Ego ſum panis viuus, qui de Cælo deſcendi: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, Vndè dixit, & Verbum caro factum eſt, Ioan. cap. 1, numer. 14. Quid dicis, ò peccator, ò hæretice?

Mandauit nubibus deſuper, & ianuas Cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem Cæli dedit eis, vt ſi quis ex illo dignè manducauerit, habeat vitam æternam, Cæliquè aperti ſint illi, vos verò reos corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, vocat Apoſtolus, 1. Corinth. cap. 11, numer. 27. nàm nec illum ſumitis panem, nec alios ſumere permittitis, propterea nec portas Cæli ingrediemini, nec alios intrare ſinitis, Matth. cap. 23. num. 13. Væ vobis, quia ira Dei aſcendet ſuper vos, infrà verſic. 34. Manhu, ideſt manna admirantes, & ignorantes Iudæi, dicebant, ideſt, quid eſt hoc? manducauerunt tamen, & ſaturati ſunt. Vos autem rebelles Dei ſcitis, illum eſſe verum panem de Cælis, qui quotidie in Ara altaris à fidelibus ſumitur, illum tamen negatis, propterea dicetur vobis in die iræ, neſcio vos, & cum maledictis in tenebras exteriores proijciemini, ira enim Dei, ſicut ignis deſcendet ſuper vos.

Mandauit nubibus, dicens, Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem, Iſai. 45. num. 8. Germinet panem, & pluat ſuper terram ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata, Hinc canit Eccleſia, Et in mundo conuerſatus, ſparſo verbi ſemine, nàm in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, impletaq. eſt terra poſſeſſione Domini, Pſalm. 103. num. 24. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum, Pſalm. 18.

Panem Angelorum manducauit homo, cibaria miſit eis in abundantia: Panem Angelorum. Auguſtin. Nomine ſignificati intelligitur ſignificans, ideſt manna, quo ſignificatur panis Angelicus, ſcilicet Chriſtus; Et cibaria miſit in abundantia, ſcilicet quæ ab auidis non poterant conſummi: Vndè canit Eccleſia, Quantum iſte, tantum ille, nec ſumptus conſummitur. Iſtud ergo manna de Cælo deſcendit, vt manducaretur, Verbum caro factum eſt, quo

cor-

Digitized by Google

corruptibiles incorruptibiliter pascuntur; hinc Augustin. in Vigilia Paschæ, Serm.4. litera C. Tom.10. siuè quotidianum panem illum intelligamus, quem accepturi estis de Altari, petimus benè, vt det nobis eum. Quid est enim quòd oramus, ne malè aliquid admittamus, vndè à tali pane separemur? Et verbum Dei, quod quotidie prædicatur, panis est, non enim, quia non est panis ventris, non est panis mentis: cum autem ista vita transierit, nec panem illum quærimus, quem quærit fames, nec Sacramentum Altaris habemus accipere, quia ibi erimus cum Christo,&c. Ideò panis Angelorum dicitur,in qué prospicientes Angeli nutriuntur, propterea sequitur Augustin. dicens, quando etiam nos illum videbimus, quod est verbum Dei, per quod facta sunt omnia, quo pascuntur Angeli, quo illuminantur Angeli, quo sapientes fiunt Angeli, non quærentes verba locutionis infructuosæ, sed bibentes vnicum verbum, & inde impleti ructant laudes, & non deficiunt in laudibus, Beati enim, ait Psalm. 78. qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te; hæc Augustin. Panis Angelicus, cibus pretiosissimus, quo descendit de habitaculo Angelorum iuxtà Chaldæum; Panem hunc fortium manducauit homo, idest quem comedunt Angeli ministerij verbi, vndè Sap.cap.16.num.20. Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de Cælo præstitisti eis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem; substantia enim tua dulcedinem tuam,quam in filios habes, ostendebat,&c. Benè dixit, sine labore, quia ipse est refectio nostra, vndè dixit: Venite ad me, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, Matth. cap.11.num.28.

Transtulit Austrum de Cælo, & induxit in virtute sua Africum, quia vocauit Gentiles, vt venirent ad illum; iàm enim erant frigidi sub Aquilone, & Deum ignorabant. Transtulit Austrum de Cælo, quia qui cognitionem Dei habebant,Iudæi saltem carnaliter, facti sunt insipientes,& de Austro translati, quorum loco positi sunt Gentiles. Ideò induxit in virtute sua Africum, quia posuit Christum in lucem gentium, Isai.cap.49.num.6. Vndè Greg. Moral. 27. cap.26. Per Austrum populus Iudaicus designatur, quia illi, qui vnum, atque inuisibilem Deum nouerant, eiusq. legi saltem carnaliter seruiebant, quasi sub meridiano Sole seruentes, in fidei calorem tenebantur,& sic per Austrum signantur: Gentes autem, quia nullam scientiam supernæ cognitionis attigerant, velut sine Sole frigidi, sub Aquilone, siuè Africo remanebant. Modò ergo Deus de Cælo, idest de cognitione cælestium transtulit, & amouit Austrum, scilicet populum Iudaicum, & in virtute sua induxit, scilicet ad Dei cognitionem Africum, idest Gentilem populum. Et benè dixit in virtute sua induxit Africum, quia secundum Augustin. Maius est impium iustificare, quàm totum mundum creare de nihilo: verbo enim Dei solo Cæli, & terra creati sunt, dixit enim, & facta sunt, sed vt iustificaret impium, Deus homo factus, vt sanguine suo hominem redimeret, opus erat. Induxit in virtute sua Africum.

Augustin. ad Honoratum de Gratia noui Testamenti, Epistol.120.Tom.2. litera H. Vndè cum generi humano Diabolus incubaret, ventura gratia Saluatoris dicitur in Canticis Canticorum,cap.4.num.16. Exurge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Exurge qui irruisti,

qui ſubditis incubas, qui poſſeſſos præmis; exurge, vt à tuo pondere releuati erigantur, quorum animas præmendo curuaſti. Et veni Auſter, inquit, ſpiritum inuocans gratiæ, flantem de meridie, velut à parte feruida, & luminoſa, vt fluant aromata, vndè Apoſtol. 1. Corinth. cap. 2. dicit. Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Hinc etiam dicitur in Pſalm. 125. Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro; Captiuitatem, qua ſcilicet ſub Diabolo, tamquam ſub Aquilone tenebantur, vbi abundante iniquitate friguerant, & quodammodò congelauerant, tranſtulit ergo Auſtrum, & in virtute ſua induxit Africum; hæc Auguſtin.

Et pluit ſuper eum, ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata, coturnices ſcilicet, carnes in tanta quantitate, ſicut arenam maris, & quamuis volatilia pennata, pro voluntate tamen illa capiebant, & ideò ſubjungit, quomodò illa capiebant, quia inquit.

Ceciderunt in medio caſtrorum eorum circà tabernacula eorum. Et ne ità breue ſpatium eſſet, vbi erant illorum Caſtra; nàm vnius diei iter erat, quod Caſtra illa repleuerant, ex omni parte coturnices erant, nec vltra cubitos duos ſupra terram erat illorum volatus, vt facilius ab illis caperentur, ex Gloſſ. intima; Per id verò, quod dicitur ſicut puluis, & arena maris copiam illarum maximam fuiſſe intelligas, ſicut & in Geneſ. cap. 13. numer. 10. Deus ad Abraham dixit, Faciamq; ſemen tuum, ſicut puluerem terræ: ſi quis poteſt hominum numerare puluerem terræ, ſemen quoque tuum numerare poterit; & cap. 22. num. 17. Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas Cæli, & velut arenam, quæ eſt in litore maris, &c. ità etiam 1. Reg. cap. 13. num. 5. Et reliquum vulgus ſicut arena, quæ eſt in litore maris plurima; numerus verò qualis fuerit innumerabilis, colligere poteris ex lib. Num. cap. 11. numer. 21. & ait Moyſes, ſexcenta millia peditum huius populi ſunt, & tu dicis, dabo eis eſum carnium menſe integro; Nunquid ouium, & bouum multitudo cædetur, vt poſſit ſufficere ad cibum? vel omnes piſces maris in vnum congregabuntur, vt eos ſatient? cui reſpondit Dominus, Nunquid manus Domini inualida eſt? iàm nunc videbis, vtrum meus ſermo opere compleatur, & num. 31. ſequitur, Ventus autem egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit, & dimiſit in Caſtra, itinere quantum vno die confici poteſt, ex omni parte per circuitum Caſtrorum, volabantq; in aere duobus cubitis altitudine ſuper terram. Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac altero die, congregauit coturnicum, qui parum decem coros, & ſiccauerunt eas per gyrum Caſtrorum. Adhùc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuſmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus eſt in populũ, &c. ex his multitudinem coturnicum, ex te conſiderare poteris, quanta fuerit, ità etiam in Exod. cap. 16. narratur num. 13. ibi, Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix cooperuit Caſtra; Gomor per ſingula capita colligebant, Gomor eſt menſura, quæ quinque ſtaria continet, & eſt decima pars Ephi, hæc autem Ephi menſura trium modiorum, ſeù tre moggi, corus verò eſt triginta modiorum menſura. Adhùc ergo carnes erant in dentibus eorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos: Auguſtin. diſtulerat ergo vt prius faceret, quod facere non poſſe crediderant, deinde inferret quod, eos pati oportebat, & paulò inferius.

Ce-

Ceciderunt in medio castrorum eorum circà tabernacula eorum, & manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, nec sunt fraudati, seù priuati à desiderio suo. Potest, inquit Augustin. & non tentantium, sed credentium paruulam fidem carne edulis vocum signis, & per aerem transcurrentibus tamquam volatilibus pascere, non tamen ab Aquilone venientibus, vbi frigus, & caligo prævalent, ideſt eloquentia, quæ huic sæculo placet, sed transferendo Austrum de cælo. Quò nisi ad terram? & qui in fide sunt paruuli audiendo terrestria nutriantur ad capienda cælestia, si enim terrestria, inquit Ioan. 3. Dixi vobis, & non creditis, quomodò, si cælestia dixero vobis, credetis? Translatus enim erat ille de cælo quodãmodò, vbi exosserat mẽte Deo, vt temperans eis esset, quibus dicebat. Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, 1. Corinth. 3. Ibi enim audierat ineffabilia verba, quæ in terris sibi non licebat loqui, per verbum sonantia, quasi per volatilia pẽnata, & inducendo in virtute sua Africum, hoc est per ventos meridianos feruẽtes, & lucentes prædicantiũ spiritus; & hoc in virtute suâ, ne sibi tribuant Africum, quod habent à Deo. Veniunt autem vltrò isti venti ab homine, & apportant eis verba diuinitus missa, vt in suis sedibus, & circà tabernacula sua colligantur huiusmodi volatilia, & adoret vnusquisque Dominum de loco suo; omnes insulæ gentium: sed infidelibus tamquam prauæ, & amaricanti generationi, cum adhùc esca esset in ore ipsorum, ira Dei ascendit in eos, hæc Augustin.

Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, & non sunt fraudati à desiderio suo: Et saturati sunt nimis ventre, non mente; saturantur corpore, qui terrena sapiunt: saciantur mente, vt nunquam saris dicant, qui semper gloriam Dei quærentes, omnibus terrenis spoliati, quæ Deo solum placita sunt, quærunt, ideò docuit nos, vt panem quotidianum peteremus à Deo, sicut qui illo quotidie, & semper indigemus. Nunquid poterit, dicebant illi, Deus parare mensam in deserto? Pluit manna, cecidit in medio castrorum eorum circà tabernacula eorum, vt manducarent boni, manducarent etiam mali, sorte tamen inæquali, vitæ, vel interitus; mali ad corporis repletionem, & saturati sunt, repleti sunt, attenderunt enim ad terrena, & obscurati sunt, quia puluis iniquitatis pluit, & intrauit in oculos eorum. Obscurati sunt oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incuruatum, Psalm. 68. vt semper colligentes terrena, nunquam oculos eleuare possent ad inspicienda cælestia. Repleti sunt enim iniquitatibus; ideò obscurati sunt, & ceciderunt, & lumen scientiæ perdiderunt. Dominus enim pedes Sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent, 1. Reg. cap. 2. nu. 9 Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, quia Dominus dedit escam esurientibus, sed quibus esurientibus? Augustin. in Psalm. 145. lit. A. Hominibus. Quid est hominibus? omnibus animalibus, omnibus hominibus ipse dat escam? Et nullam escam seruat dilectis suis? Si habent aliam famem, habent & aliam escam, Quæramus primò famem ipsorum, & inueniemus escam ipsorum: Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, Matth. cap. 5. Famelici Dei esse debemus, ante ianuam conspectus illius in oratione mendicemus, ipse dat escam esurientibus, hæc Augustin.

Murmurantes manducauerunt, & saturati sunt nimis. Sed quomodò nimis,

&

& cur attulit desiderium illis? quid enim desiderabant? & cur non fraudati sunt à desiderio suo? Desiderauerunt manducare, & ecce cibum, qui illis allatus est, manducauerunt: & ecce nimis, quia saturati sunt, id desiderauerunt, & ecce quicquid desiderabant, habuerunt; desiderauerunt ergo manducare, & crapulati sunt, Eccles. cap. 37. numer. 34. Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adiiciet vitam; Quia nimis comederunt, Deut. cap. 32. num. 15. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo: impinguati, & incrassati sunt, & præterierunt sermones Domini, Ierem. 5. num. 28. Et adhùc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis; consummenturq. fame, & deuorabunt eum aues morsu amarissimo, d. cap. 32. num. 22. in Deut. Carnes ergo tantùm desiderauerunt, & non Deum; propterea licet saturati, tamen & puniuntur Dei furore. Cibum concupierunt, & datorem neglexerunt; terrena concupierunt, & Deum omnium bonorum auctorem, & datorem nescierunt, quia saturati sunt nimis, recesserunt à legibus, Num. 11. nu. 18. Audiuit enim vos Dominus dicere, quis dabit nobis escam carnium? benè nobis erat in Ægypto; & non vno die, & duobus dabit vobis Dominus carnes, vt comedatis, &c. sed vsque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam, eo quòd repuleritis Dominum, qui in medio vestri est. Sed cur puniuntur, si cibum petierunt; Nunquid non docuit nos Dominus, vt ab ipso panem quotidianum petamus? Si malè petierunt, cur Deus dedit illis panem, vt damnaremur? Qui iustè non petit, non exauditur à Deo, ideò non habetis, quia malè petitis, Iacob. cap. 4. num. 3. quæ ipse Deus odit, quoniam turpia sunt; Quomodò cæteris largitus est, quomodò dulcedinis fons, amarum aliquid scaturire poterit? Cyril. in lib. 9. in Ioan. cap. 43. Hi malè dixerunt de Deo, quòd illos conduxisset, vt perderentur in deserto, nec simpliciter panes ab illo; sed dixerunt, Quis dabit nobis in hoc deserto, vt saturemur panibus? Malè dixerunt de Deo: potentiam ipsius negauerunt, vt indicto cap. 11. Num. & nihilominus sine illorum labore, cibos illis dedit Dominus in abundantia. Et nota ingratitudinem illorum; nàm comederunt, saturati sunt nimis, nec Deo gratias dederunt, Deum ipsorum ventres esse credentes, quia in ventre, salutem suam credebant. Et saturati sunt nimis, & ideò adhùc escæ in dentibus eorum, & Domini ira ascendit super eos, quia nec Deum cognouerunt, nec in potentia illius sperauerunt, immo diffidentes, & infideles facti sunt, Vtinam de Ægypto nunquam descendissemus, &c.

Augustin. in Psalm. 85. Deum non inuocant, qui sic Deum orant; magis ea, quæ petunt amant, quàm Deum: Deum enim non inuocant, qui taliter orant, d. Psalm. 52. num. 6. inquit idem Augustin. Inuocant, sed non Deum, inuocant quicquid amant; inuocant quicquid in se vocant, inuocant quicquid volunt, vt veniat ad se. Porro si Deum propterea inuocant, vt veniat ad se pecunia, vt veniat ad se hæreditas, &c. illa inuocant, quæ volunt, vt veniant ad se. Sed Deum sibi ponunt adiutorem cupiditatum, non exauditorem desideriorum. Nec isti Deum inuocauerunt, sed illius potentiam negantes, dicebant, Nunquid poterit nobis parare mensam in deserto? iàm paratam vidistis,

iàm

Digitized by Google

iàm saturati estis, sed nimis, quia ventri, & non Deo attendistis, corpori, & non animæ. Sed nunquid anima non erat vobis pretiosior corpore? Matth. 6. num. 25. Non est Regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto, ad Roman. cap. 14. num. 17. Ibi trepidauerunt, vbi non erat timor. Si enim Deum ductorem habuistis, cur imporentem ad cibandum iudicastis? cur vt desertorem vestrum timuistis? qui in mare vobis viam fecit, & vt securè ambularetis exercitum Pharaonis demersit? Augustin. vbi supra, subdens, ait, Inuoca Deum, tanquam Deum, ipso melius nihil est, ipsum desidera, ipsum concupisce, vide inuocantem Deum: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, id petas, & omnia habebis illius bona.

Ventrem illi impleuerunt, & quæ in posterum implere possent, non inuenerunt; nàm Deus occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit: superbos enim hos Dauid vocat pingues; Deus occidit, illos morti tradidit, illis consepulti sunt, vbi ex ore illorum iniquitas prodijt, quasi ex adipe, vt latius suprà in Psal. 72. diximus. Ideò autem superbos pingues vocat, quia sicut Gregor. dicit 15. Moral. cap. 25. Sicut ex abundanti cibo adeps, ità ex abundantia rerum superbia nascitur, quæ mentem diuitijs impinguat, dum eleuatur animus superbientis: superbia enim mentis quasi quædam pinguedo est crassitudinis.

Occidit ergo pingues eorum murmuratores, nàm accensus in eos ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem, Num. 11. num. 2. & num. 33. Et ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis, vocatusq. est ille locus, sepulchra concupiscentiæ, ibi enim sepelierunt populum, qui desideraverat, Num. 14. num. 28. In solitudine iacebant cadauera.

Et electos Israel impediuit, Ne scilicet etiam ipsi in terram promissionis peruenirent; nam nec Moysen, & Aaron in illam intrauerunt, quia dubitarant petram percutientes, vt de illa aquam traherent, Num. 20. num. 12. Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis, &c.

Vel dicamus cum Augustin. Erant illic etiam electi, quorum fidei non contemperabatur generatio praua, & amaricans: impediti sunt autem, ne aliquid eis prodesset, quibus paterno affectu consulere cupiebant; murmur enim illorum impediuit electos, ne illis prodessent. Vel, dicit Augustin. potius compediuit illos, vt cum eis, qui patiebantur, ad exemplum iustitiæ Dei electi quoque sustinerent molestiam ad exemplum patientiæ suæ. D. Hieron. hìc. Impediuntur & nunc electi Ecclesiæ, si non & ipsi quoque Sacerdotes innocenter hæc Sacramenta percipiant. Et electos Israel impediuit, electos verò forsan fuisse illos, de quibus Num. 11. n. 6. Congrega mihi de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes sint, ac magistri, ac duces ad ostium tabernaculi fœderis, faciesq. ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamq. eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris, &c. Videamus an fortè congruus sit noster sensus, Audiuerat enim Dominus populum dicentem, quis dabit nobis escam carnium? benè nobis erat in Ægypto; propterea Moysi mandauit Dominus, vt populo diceret, Dabit vobis carnes, vt comedatis, nec vno die, vel duobus, vel quinque, aut decem, nec vi-

Digitized by Google

viginti quid eni, sed vsque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam, eo quòd repulerius Dominum, qui in medio vestri est, & fleueritis coram eo, dicentes, quare egressi sumus ex Ægypto? Audite Moysis dubietatem, &c. Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis, dabo eis esum carnium mense integro? nunquid ouium, & bouum multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in vnum congregabuntur, vt eos satient? Nunquid manus Domini inualida est? dicit Dominus, & num. 25. Cumq. in illis 70. spiritus Domini requieuisset, prophetauerunt, nec vltra cessauerunt. Electos ergo, quos congregauit, & cum Moyse ad gubernium populi, astiterunt; hos cum Moyse Deus impediuit, nàm quamuis prophetantes non cessauerint, nihil illi populo profuerunt, quia illius aures clausæ erant, vt non possent audire, eo quòd à peccato, & superbia contrà Dominum noluerunt recedere; propterea oculi eorum erant clausi, ne viderent similiter, & aures ne audirent; Hos ergo electos Deus impediuit, hoc est, permisit, vt verba illorum, populus non reciperet; magistri enim illi, atque senes docuerunt, non percepit iste populus duræ ceruicis; prophetabant illi, non credebat iste. Cibus in abundantia venit, comederunt populi, satiati sunt, sed nimis, nec dictis, nec miraculis factis crediderunt.

Aures eius aggrauatæ sunt, quia audaces, sibi placentes, in corruptione sua permanentes, & luto inoluti, impleuerunt luto aures suas, voluptatem existimantes diei dilitias, coinquinationes delitijs affluentes, oculos habentes plenos adulterij, & inceſſabilibus delictis, 2. Petr. cap. 2. nu. 12. Canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti, Iob cap. 10. num. 9. Aures eorum aggrauauit Deus, obcæcauit oculos, cor illorum indurauit, non quia illos saluare nollet, sed quia ipsi in superbia permanserunt, facti sunt longè à Deo, qui eos in sensu suo reliquit. Indurauit ergo cor eorum, quia ipsi per peccatum longè facti sunt, cor eorum carneum factum est, quia terrena tantùm sapuerunt; & cum terreni facti sint, nonnè & duri sunt facti; terra enim, quæ aqua rigata non est, dura fit, & quæ ob solis ariditatem fit puluis; incidit illa puluis à vento asportata superbiæ in oculos eorum, & obcæcauit illos. Non ergo censendum, quòd Deus simpliciter cor eorum indurauerit, vel ipsorum oculos obcæcauerit, sed quòd illi propter peccatum alieni facti à Deo, indurati sunt, quia aqua sapientiæ irrigari noluerunt, & ità cor eorum sine aqua terreum factum, in duratum est, & oculi eorum ex puluere obcæcati sunt; Augustin. verò hanc difficultatem suscitans in Tom. 9. in Euang. Ioan. Tract. 53. ab eo, quod scriptum est, cum autem tanta signa feciſſet coram eis, non credebant in eum lit. D. E. Audistis fratres mei præpositam quæstionem, nempè quàm profunda sit, cernitis, sed respondemus, vt possumus: Non poterant credere, quia hoc Isai. Propheta prædixit, hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præsciuit. Quare autem non poterant, si à me quæratur, citò respondeo, quia nolebant, malam quippè eorum voluntatem præuidit Deus, & per prophetam prænunciauit ille, cui abscondi futura non possunt. Sed aliam causam, inquies, dicit Propheta non voluntatis eorum. Quam causam dicit Propheta? Quia dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant, & excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum. Ecce hoc eorum voluntatem meruisse respondeo; sic

enim

enim excæcat, ſic obdurat Deus deſerendo, & non adiuuando, quod occulto iudicio facere poteſt, iniquo non poteſt. Hæc Auguſtin. Vide apud ipſum alia. Occidit ergo pingues eorum, & electos Iſrael impediuit.

Et in omnibus his peccauerunt adhùc, & non crediderunt in mirabilibus eius. Correpti enim, & occiſi, & adijcientes peccata peccatis, grauibus grauiora in humeris ſuis ſcelera etiam infidelitatis imponentes, & Dei mirabilibus minimè crediderunt. Ideò dies eorum defecerunt, in vanitatibus eorum. Siquidem credere nequibant, quia in ſua firmi erant ſuperbia, ſuoq. in peccato cæci erant, & indurati. Quomodò enim ad Deum accedere poterant, ſi quotidie peccantes longius ab illo fiebant, ſi in illum non credebant? Vexabantur, & non erat illis intellectus: occidebantur, & ad Dominum non reuertebantur, cum tamen ideò affligerentur, vt à peccato recedentes, Deo appropinquarent.

Nec crediderunt in mirabilibus eius. Tranſmiſſis enim de omni Tribu Principibus, vt terram conſiderarent, quam illis erat daturus Dominus, terram verè lac, & mel fluentem poſt quadraginta dies reuertentes, retulerunt ſecum fructus, vuam ſcilicet in palmite, & ficus cum malis granatis, ſed non crediderunt tamen, quòd terram illam daturus eis eſſet Deus; referentibus exploratoribus, quòd homines eſſent Gigantes, Num. 13. Ciuitates, dicebant, habet ad cælum muratas, & habitatores illius fortiores, & plures. Induxit nos Dominus, ò ſceleſtes, ò ingrati, & increduli, inquiunt, in terram hanc, vt cadamus gladio: vident bonum, terram lac, & mel fluentem, confitentur, & tamen induratum eſt cor eorum, vt videntes non videant, & intelligentes, non intelligant. Conſtituamus nobis Ducem, & reuertamur in Ægyptum. Bonum ante reſpiciunt, & recedere intendentes ab illo, retrorſum ire deſiderant, vt Diaboli ſerui fiant: vt Ægyptijs ſeruientes, in tenebris perpetuò remaneant, & ideò ſequitur Pſalm.

Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione. Cum feſtinatione enim anni eorum defecerunt, ſicut ſcriptum eſt, viri impij non dimidiabunt dies ſuos, Pſalm. 54. num 24. vbi diximus: poterant credendo dies in veritate ſine defectu habere, dies tamen in vanitate ſua elegerunt, Pſal. 101. num. 28. Dictum illis erat, quia anni eorum non deficerent, filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum dirigetur: Cum è contrà impij dixerint, Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus, Iſai. c. 28. num. 15. Quis verò finis eorum? meritò dies illorum in vanitate defecerunt; finis eorum in fumo erat, & ſine fine intruſi ſunt in inferiora terræ.

Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Sed quam ob cauſam quærebant eum? ne & ipſi occiderentur, non propter æternam vitam; at quia voluiſſent non mori, vel habere diuitias, & ſimilia, idcircò Deum colebant. Cæterum vanum fuit illis ſurgere ante lucem; in tenebris quærebant, quando ſcilicet vexabantur, & occidebantur, non in luce, non ſponte, quando bonis fruebantur ſibi à Deo datis, tunc enim recalcitrabant, Deum non agnoſcebant, in tenebris tantùm exiſtentes; quærebant Deum, non vt permanerent in oratione Dei, & ideò in Eccleſ. cap. 11. num. 11. dicitur. Eſt homo laborans, & feſtinans, & dolens impius, & tantò magis non abundabit. Eſt homo marcidus egens recuperatione,

plus

plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius, & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum. Pius in luce, impius ante lucem rogat: timore ergo pœnæ illorum oratio, ideò falsa, quia non amore iustitiæ, quia plus seipsos amant, quàm Deum, Gregor. 9. Moral. cap. 9. Humani generis conditorem, qui adhùc seruiliter formidat, procul dubio, non amat; cum enim occiderentur, quærebant Deum. Iusti verò viri ante Deum metuunt, quàm eius contrà eos ira moueatur; & ne commotum sentiant, tranquillum timent. At contrà peruersi tunc iàm ferири pertimescunt, cum feriuntur, eosq. tunc terror eius, à somno sui torporis excitat, cum vindicta perturbat. Vexatio dat intellectum auditui, Isai. cap. 28. num. 19. Tunc enim rememorati sunt, quia Deus est adiutor eorum, & Deus excelsus Redemptor eorum est, rememorati sunt, quia prius beneficia ipsis collata à Deo sciebant; memoriam enim fecerat Dominus mirabilum suorum, &c. Psalm. 110. nu. 4. Rememorati sunt, quia acceptis tot beneficijs, obliti erant, vt supra eodem Psalm. 77. num. 11. Obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium eius, quæ ostendit eis, & Psal. 105. num. 13. Occisi sunt, ideò rememorati, qui superstiterunt, quia timuerunt, & ideò iterum.

Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei. Quia non corde diligebant eum, quia non amore, sed timore credebant. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius, Psal. 72. num. 9. Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum mentiti sunt ei, & transiuit in terra. Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso, Psalm. 35. vbi latius. Quicquid loquitur iniustus, iniquitas est, quæ in suum redundat auctorem, nàm sicut spinæ nascuntur in manu ebrioſi, ità in iniusti sermone nascuntur, quæ compungunt loquentem. Serpens alijs infudit venenum, iniustus sibi; in eum enim refunditur quidquid effunderit.

Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius. Ad vos, ò hæretici, ò peccatores, quid Deo promisistis, quare Ecclesiam Dei contemnitis? quare ad illam non reuertimini, vt ibi permaneatis? & non rememoramini, quia Deus est misericors, & paratus recipere vos, si doleatis, si vos pœniteat. Deum fallere non poteritis, si corde eum non colueritis; si Deum pura mente, & corde non confiteamini Redemptorem vestrum, *Vt* quid ergo diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Psal. 4. num. 3. Quid terrena colitis? nunquid vt Deum decipiatis? nunquid Domini non est terra, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo? ò vos miserabiles, ò vos animarum vestrarum interfectores, & occisores, perditio ex vobis est infelices, terrena quærentes, & Dominum Iesum amittentes; morti appropinquantes, & vitam æternam fugientes. Heù, heù infelices, vt quid dereliquistis Dominum, & quæritis mendacium? vt quid vana in cordibus vestris obturatis, vt non impleantur præcepta cælestia, quæ obseruare promisistis? Audite Paul. 1. Corinth. cap. 10. num. 1. Nolo, vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus,

sed

sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo; nàm prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri; vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt, &c. neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, & cætera, quæ Apostolus ibi prosequitur. Recedite, recedite ab impietate, & infidelitate, conuertimini ad Dominum Deum nostrum Iesum Christum, quia est Deus misericordiarum, si ipsi cogitationes vestras præparauerit, sicut scriptum est, Isai. 64. num. 4. quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum, Paul. 1. Corinth. 2. num. 9. in operibus enim bonis præparauit nos Dominus, vt in illis ambulemus, ad Ephes. cap. 2. num. 9.

Nec fideles habiti sunt in testamento eius, quia fide carebant, & operibus bonis; quid enim per fidem hìc intelligitur, nisi facere, quod ante dictum est. Vide quod promisisti, & confidera, si opere compleuisti, & infidelem te confitere, quum nihil eorum, quæ promisisti, obseruasti. Noli ergo confidere, quia in vers. sequenti dixit.

Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos. Misericors enim est Dominus cum hominibus: finit enim zizania crescere vsque ad messem, & in hoc est misericors; sicut paleam cum tritico, attamen vt illa in fine comburatur, triticum verò in horreo suo reponat, Matth. c. 13. Pluit enim super iustos, & iniustos, solemq. super illos oriri facit, Matth. 5. Hæc est misericordia sinistræ, non dexteræ; temporalis, non spiritualis, quæ communis est bonis, & malis. Augustin. in Psalm. 120. lit. A. Dextera nostra dicitur, quicquid nobis æternum est, & incommutabile; sinistra verò dicitur, quicquid temporaliter habemus. Reprehenduntur igitur, qui dexteram veram pro sinistra habent, & veram sinistram dexteram sibi fecerunt, Psalm. 142. ibi. Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis. Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione nu. 33. Omnis enim homo, qui felicitatem hominis, putat esse solum in his temporalibus facultatibus, & delicijs, & affluentia, & copia rerum huius mundi, iste est stultus, atque peruersus, qui sinistram fecit sibi dexteram; tales fuerunt Hebræi. Quis nobis dare poterit panem ad manducandum, & saturabimur? tales sunt, de quibus in d. Psalm. 143. Quorum, inquit, locutum est os vanitatem, & dextera eorũ dextera iniquitatis. Istis sanè nihil felicitatis deficit, vt ibid. nu. 12. Quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ, vt similitudo Templi: promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: oues eorum fœtosæ abundantes in egressibus suis: boues eorum crassæ: non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum, beatum dixerunt populum cui hæc sunt; pro sinistra enim hæc sunt, vt habuit Iacob. cap. 1. de quo dicit Augustin. Percussa est sinistra tentationibus Diaboli, abstulit Diabolus, Deo permittente, omnia: sed Iob, qui nouerat sinistram esse, & dexteram non nisi dexteram; tenuit se ad dexteram, exultauit in Domino, consolatus est damna, quia non est passus damnum; de interioribus enim Dei diuitijs plenum cor habebat; Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ità factum est, sit nomen Dei benedictum; dextera ergo illius ipse Dominus, ipsa vita æterna: sinistra verò erat pro adiutorio consolationis, non ad firmamentum felicitatis: felicitas enim eius vera, & germana erat Deus. Non ergo beatus, cui hæc sunt bona; os tamen istorũ locu-

locutum est vanitatem, sólum verò beatus, cui est Dominus Deus ipsius.

Petierunt Hebræi illi temporalia, cum Deus ipse sit misericors, & propitius fiat peccatis eorum, & non disperdiderit eos; virtutem enim ostendis, tu Domine, qui non crederis esse in virtute consummatus, & eorum, quæ nescunt, audaciam traducis: nonnè & hanc quam fecisti nationem, perdere poteras, sicut & eos, qui murmurauerunt contrà te, in deserto perite fecisti? Voluisti tamen filijs eorum dare locum pœnitentiæ, docere voluisti populum tuum per talia opera, quoniam oportet iustum esse, & humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos, Sap. 12. num. 18. cum sequen. quia tu ipse es misericors, & propitius fies peccatis eorum, & non disperdes eos, dans illis locum pœnitentiæ, d.c. 12. in Sap.

Et abundauit, vt auerteret iram suam, & non accenderet omnem iram suam, In misericordia enim fuit abundantia Dei, vt iram suam scilicet, pœnam quam inceperat, auerteret; non enim puniuit eos, quantum digni erant. Dimitte, dicebat illi Moyses, hanc illis noxam, Exod. 32. & Num. 14. Feriam eos, dicebat Dominus, pestilentia, atque consummam; te autem faciam Principem super gentem magnam, & fortiorem, quàm hæc est; Dominus patiens, & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem, & scelera, qui visitas peccata Patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem, dimitte, obsecro, peccatum populi huius secundum magnitudinem misericordiæ tuæ. Dimisi dicit Dominus, iuxtà verbum tuũ. Ideò abundauit, vt auerteret iram suam, & non accendit omnem iram suam. De filijs ergo occisorũ loquitur, quorũ magna pars in Iesum Christum credidit, vt in Act. ex quibus Apostoli omnes, & alij complures, qui percutientes pectora, ad Apostolorum prędicationem conuersi sunt ad Dominum.

Misericordia ergo Domini, quia non sumus consumpti, Thren. 3. Quis Deus similis tui, qui auers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet vltra furorem suum, quoniam volens misericordiam est, Mich. 7. Deus enim iustus est, & saluans, non est præter illũ. Conuertimini ergo ad illum reliquiæ Israel, & salui erunt omnes fines terræ, quia ipse est Deus, & non est alius, Isai. 45. Iustitiæ enim verbum de ore eius egressum est, & vacuum non reuertetur, Isai. d. cap. dixit enim per Isai. cap. 10. Non adijciet residuum Israel peccare scilicet ei, & Iesum Christum negare Redemptorem, propterea reliquiæ conuertentur, reliquiæ inquam Israel ad Deum fortem, &c.

Recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, & non rediens, & misertus est illis. Misertus est ergo illis, sed ante iudicium, post iudicium verò peccatores peribunt, Psal. 111. nu. 9. Vndè August. hìc. Quis enim non videt quanta misericordię patientia malis parcat? sed ante iudicium: si ergo pepercit illi genti, vt non accenderet omnem iram suam ad eam penitus eradicandam, atque finiendam: Sed videamus, inquit Augustin. quantum illi genti pepercerit Dominus, & adhùc parcat. Nàm introduxit eos in terram promissionis, & seruauit eam gentem, quousque Christum interficendo, sceleri omnium maximo se colligarent: quod eos ex illo Regno eradicatos per cuncta gentium Regna disseminauit; Non vtique deleuit, sed manet idem populus prolis successione seruatus, velut Cain signo accepto, ne quis eum occidat, idest penitus perdat, Genes. 4. Ecce quemadmodum impletur quod dicitur, ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos. Et abundauit, vt auerteret iram suam, & non accendit omnem iram suam. Quia si omnis ira eius, idest quantum digni sunt, in eos accenderetur, gens illa nulla relinqueretur,

hæc

hæc Augustin. Saluauit ergo Dominus gentem illam, vt per illam salus ipse fieret omni carnj, eundem filium Dei crucifigendo, qui omnium peccata portando deleret, Isai.cap.53. Ideò abundauit, vt auerteret iram suam, & non accendit omnem iram suam, quia illos, qui conuersi sunt ad illum, saluauit, alios verò perdidit, & destruxit per Romanos, reliquum verò per orbem terrarum dispersit sine capite, sine Sacerdotio, sine Prophetis. Hos ità dispersos reliquit, quia caro sunt, & fragiles, vt vexati pœnitentiam agere possent, si vellent.

Mouit enim pium Iudicem fragilitas peccantium, & quòd spiritus hominis est vadens per se in peccatum, & non rediens per se à peccato, vndè in Prouerb.cap.2.num.19. de via iniquitatis dicitur, omnes, qui in ea ambulant, non reuertentur scilicet per se, sed per gratiam Dei reuocabuntur. Intret ergo cor vestrum verbum Dei, sapientia illius, ò dispersi Iudæi; stat ad ostium, & pulsat, vt intret, nàm si permiseritis, vt Sapientia, ideſt verbum Dei intret cor vestrum, & illi aperiatis; & scientia animæ vestræ placuerit, consilium custodiet vos, & prudentia seruabit, vt eruamini à via mala, & ab homine, qui peruersa loquitur, Prouerb.d.cap.2.num.10. Ipse enim Dominus misericors est, & propitius fiet peccatis vestris.

Quoties exacerbauerunt eum in deserto, in ira concitauerunt eum in inaquoso. Hæc sexta pars, in qua narrantur quanta Dominus fecerit contrà Ægyptios, vt populum hunc ingratum de manibus eorũ eriperet; oblitus enim erat iſte populus beneficiorũ, quæ fecerat illi Deus, quando illum in deserto exacerbauerunt; infrà enim primum biennim decies in deserto tentauerunt Dominũ, Num.14.Exod.14. dicebant enim; Nonnè iſte est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicẽtes, recede à nobis, vt seruiamus Ægyptijs; multò melius enim erat seruire eis, quàm mori in solitudine, &c. attamen dicebat Dominus, vt ind.Num.14. omnes homines, qui viderunt Maiestatem meam, & signa, quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentauerunt me iàm per decem vices, &c.

Quoties ideò dicit, exacerbauerunt eum in deserto? Nàm si in duobus annis itineris in deserto decies, & per quadraginta annos ibi steterunt, quot numero maiores fuerint exacerbationes, quilibet considerare poterit. Erat populus ille duræ ceruicis, ingratus, & ignauus, sine labore victum habebant à Deo, nec aliter sibi quærebant.

Et conuersi sunt, dicit Psalmus, & tentauerunt Deum, & sanctum Israel exacerbauerunt; conuersi sunt de bono, quod promiserant obseruare, ad malum. Præcepta enim tua obseruabimus, Exod.24.nu.3. & tamen ad Idola, ad ebrietates, ad malorum omnium concupiscentiam, conuersi irritantes Dominum. Denique & Deum negauerunt. Hunc autem, dicebant, nescimus vndè sit, Ioan.9.num.29. conuersi enim sunt ad pristinos mores, & sanctum Israel exacerbauerunt. Nolite flere super me, sed super vos & filios vestros, Luc.cap.8. num.82. Exacerbauerunt: nàm loquens de ciuitate Ierusalem, & de Templo, Non relinquetur, inquit, lapis super lapidem, qui non destruatur, Matth.24. Luc.21.cap.6. Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios, qui in te sunt, &c. eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ, sequitur Psalm.

Non sunt recordati manus eius die, qua redemit eos de manu tribulantis. Quando in brachio forti de manu Pharaonis liberauit eos Dominus; & quo-

modò, & per quæ prodigia, & signa, sequitur narrans.

Sicut, inquit, posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Thaneos; & conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent. Decem signa ponit hìc Dauid in sequentibus versi. non tamen ordinatim; nec omnia, omisit nàmq; signum virgæ Moysis, in serpentem conuersæ, quæ alias virgas Ægyptiorum deuorauit, similiter in serpentes conuersas, & alia, quæ per te videre poteris in Exod. à cap. 7. vsque ad 14. Et conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent; Augustin. Vel potius manationes aquarum sicut nonnulli intelligunt, quas scaturigines dicimus, ab imo aquas ebulientes: foderunt enim Ægyptij, & sanguinem pro aquis inuenerunt: Quare inuenerunt aquam sanguinem? ne biberent, inquit. Sed cur, ne biberent, nisi quia Dominus cor Pharaonis, & aliorum Ægyptiorum indurauit, ne saperent, ne Dei potentiam cognoscerent: Aqua enim sapientia dicitur, vndè Sapien. cap. 13. num. 3. Aqua sapientiæ potauit eos Dominus. Sed cur aqua in sanguinem versa est, nisi quia aqua sapientiæ illorum, erat apud Deum stultitia? Origen. super Exod. aquæ fluminis vertuntur in sanguinem illis, qui Hebræorum pueros tradiderunt necandos, vt auctoribus sceleris poculum redderet sanguinis, vt cruorem polluti gurgitis, quem paruulos in flumine necando polluerant, potando sentirent. Qui enim positus in fiscellam scirpeam, & positus in carrecto ripæ fluminis seruatus est, vt Ægyptios mergeret in medio maris, Exod. cap. 2. num. 3. aqua ergo fluminis Ægyptiorum, quæ illis ad sapientiam, conuersa est per baculum, per virgam Moysis in sanguinem; extendens manus, diuisit mare: nàm ex Hebræis suscipientes fidem Christi, baptizati sunt, & transierunt per medium maris: alij verò negantes cum Ægyptijs ab isto aquarum mari, idest huius sæculi sapientia in illo demersi suffocantur, quia virga crucis Christi illos non saluauit, quia in illum credere noluerunt, & in ignem æternum transmittuntur; ideò in istos.

Misit Dominus cynomiam, & comedit eos, & ranam, & disperdidit eos: cynomia enim dicitur musca canina: inter istos enim Iudæos incredulos, & Hæreticos musca canina immissa est, propter illorum malorum morum diuersitates, & mordacitates in Prælatos, in Ecclesiæ Doctores, & Fideles. Non enim parètes cognoscunt, nec illos videre volunt, sicut canes, qui dicuntur non videre parentes. Misit etiam ranam, loquacitatem scilicet, & hæreticorum garrulitatem; stat enim in cænosis sensibus, sicut rana in luto, propterea secundum eorum vanitates disperdet eos, & dedit erugini fructus eorum, & labores eorum locustæ: Hæc, & infra dicenda hæreticis, & infidelibus conueniunt, & pro illis scripta sunt, qui enim sunt fructus illorum? nisi erugo, & locusta. Rubigo enim secundum Augustin. occultè nocet: quam etiam æruginem nonnulli interpretati sunt cimiculam, quod malum cui vitiorum aptius comparatur, quam nimiæ confidentiæ in semet, quod difficillimè vitatur. Aura est enim noxia, quæ hoc in fructibus latenter operatur, Amos 4. & ibi Gloss. Percussi vos in vento vredine, & in aurugine multitudinem hortorum vestrorum, & vinearum vestrarum, sicut in moribus occulta superbia, quando se quisquam putat aliquid esse, cum nihil sit. Locusta est malitia ore lædens, infideli scilicet testimonio; Locustæ enim se inuicem comedètes, detractores denotat, qui alienos fructus inuidè rodunt. Ità faciunt hæretici, qui semper detrahunt veritati, inuicemq. se

rodunt,

roduat, nàm alij mendacio inhærentes aliud aliorum alterius generis hæreticorum mendacium impugnant, inuicem se mordent, falsas doctrinas docentes, itàvt nec illi in gremium Ecclesiæ intrent, nec alios intrare permittant, res alienas auferentes, sicut de illis scriptum est in Matth. cap.23. numer.13. & 14. & per totum. Propterea versiculus sequens de istis loquens sequitur.

Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina. Grando est iniquitas, res alienas auferens, furta rapinæ, prædicationesq. nascuntur, Plus enim dicit Augustin. vitio suo vastatur ipse vastator. Et moros eorum in pruina. Pruina enim significat vitium, quo charitas proximi stultitiæ tenebris, velut nocturno frigore congelascit. In Exod.cap.9. & 10. prius ponitur grando, deinde locusta, vt quæ grando non potuit lædere, ideſt mollia, residuum, dicit Exod. à locustis comestum; Et tradidit grandini iumenta eorum, & possessiones eorum igni; nàm quis hæreticorum finis, & infidelium, nisi luxuriæ sorditas, & auaritiæ? propterea tradidit grandini pecora illorum; Et possessiones eorum igni; nàm secundum Augustin. morte pecorum damnum pudicitiæ signatur, concupiscentiam quippè, qua fœtus exoritur, communem cum pecoribus habemus: Hanc itàque edomitam habere pudicitiæ virtus est; hanc autem laxare ad omnes motus, mors animæ est. Morte igitur pecudum, stultorum occasus ostenditur, qui velut bestialiter viuentes motus illicitos continentiæ fræno non cohibent, vndè scriptum est. Nolite fieri sicut equus, & mulus, Psalm.31.num.9. Auarus semper eget, propterea igni possessiones eorum tradidit. Ignis ergo, qui in Exodo dicitur cum grandine in fulguribus, vt fructus læderentur, & tamen non legitur possessionem aliquam incendisse, significat immanitatem iracundiæ, qua etiam fit homicidium. Vel ignis est cupiditas, quæ possessionem ideſt statum mentis, & quidquid boni est ex dote naturæ, vastat; hinc sequitur vers.54.

Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos. Non quia in Deo sit ira, sed quia peccator secum trahit pœnam peccati. Hinc Hierem.cap.7. nu.19. Nunquid me ad iracundiam prouocant, dicit Dominus? nonnè semetipsos in confusione vultus sui? Gregor.cap.32. Moral.cap.7. furorem illum; quem Deus in die iudicij habiturus describitur, sic explicat. Furor Domini dicitur non perturbatio diuinæ substantiæ, sed super peccatores malè sibi conscios examinatio iustæ vindictæ. Quamuis enim eum tranquillum in iudicio videant, tamen quia feriendos se ab illo non dubitant, eum suis motibus perturbatum putant, & ibid.Gregor. Districtum iudicium inconcussus exerit, quia permanens mansuetus iniustos punit. Notandum ergo quanta sit Dei indignatio, & ira, quanta sit pœna, quando à Deo derelinquimur; nàm in sanguinem aquæ conuersio, caninæ muscæ immissio, ranarum, & detrahentium, item eruginis fructuum omnium consummatio, primogenitorum occisio, locustarum mordacitas, grandinis, & pruinæ segetum, & fructuum dispersiones, & consummationes. Hæc enim omnia iram Dei præcedunt, & illius indignationem, ex quibus considerare possumus, quantum peccando, & in tenebris illis permanendo, erit peccatoris obstinati pœna, & punitio, inquit enim Psalm.

Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos. Quid enim grauius quàm Angelis

malis perditionis, & immissionis permissio? nàm si per bonos Angelos Sodomæ, & Gomorrhæ ignea facta est destructio, per malos Angelos, quid fiet peccatoribus, qui sunt ex illorum ouili? quibus Deus factus est absens? Non enim in illos potestatem haberent, nisi à Deo illis data fuisset, vt legimus de Iob, quem Diabolus tangere non ausus fuisset, nisi à Deo illi potestas data fuisset. Ecce enim, inquit, vniuersa quæ habet, in manu tua sunt, tantùm in eum ne extendas manum tuam, Iob cap. 1. num. 12. Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit, non dixit, Diabolus abstulit, ibid. numer. 21. In substantiam dedit Angelis malis Deus potestatem, quid si & in anima? quid erit, quando Satanæ tradet illos in ignem æternum? ò Domine miserere mei: si enim hæc omnia ad pœnam præcedunt iram tuam, & indignationem, quæ ex ira proueniunt, quantò maior erit pœna? ne tradas illis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem. Misit ergo in eos iram indignationis suæ, vt qui diuinis plagis non arguebantur: diabolicis insidijs tunderentur; Hieron. hìc. Qui verò sint Angeli mali, ipse Dominus declarat in Euangelio Matth. cap. 25. Ite, inquit, in ignem æternum, quem præparauit Pater meus Diabolo, & Angelis eius. Cæterum sciendum bonos Angelos factos esse à Deo, qui verò ex Angelis ab eodem Deo creatis mali facti sunt, non à Deo, sed culpa sua mali facti sunt, cum omnes prius boni essent creati, Deus enim malum non facit, sine ipso enim factum est nihil, ideſt peccatum, Ioan. 1.

Viam fecit semitæ iræ suæ, & non pepercit à morte animarum eorum, & iumenta eorum in morte concluſit. Sciamus primò quid sit semita; semita enim secundum Grammaticos dicitur à semis, quod est dimidium, quasi dimidium iter, quia semita est iter strictum, quasi dimidia via; est enim semita duorum pedum iter strictum, ideò vt alter in transitu obuianti transitum dare non possit. Via autem dicitur iter latum, ira autem Dei accipitur pro punitione peccatorũ. Cum exarserit in breui ira eius. Quid est ergo ex semita iræ facere viam, nisi de parua ad magnam deuenire, de parua punitione ad maiorem? & sic quia vltima plaga mortis omnium primogenitorum fuit maior pœna cæteris præcedentibus; ideò illam immittendo Deus viam fecit semitæ iræ suæ. Hanc viam semitæ iræ suæ fecit Dominus, quando tanto tempore in peccato persistente iniquo, & monito, vt ab iniquitate discederet; is nihilominus obdurato corde remansit in iniquitate; ex hac magna Dei miseratione erga nos percipitur, quanta sit & illius patientia. Nàm semita Dei ad iram, ad puniendum, stricta est, duo per illam non ambulant, quia erga peccatorem lento procedit gradu, non admittit Diabolum peccatoris socium in hanc suæ semitæ iram, vt statim pœnam inferat peccanti. Expectat Dominus, vt conuertatur, & viuat, expectat etiam post tanti temporis effluxionem, & in multitudine iniquitatum tuarum procliuam permanentiam; semita est iræ suæ, nondum viam illi aperit iræ, vt te dolentem, & pœnitentem, & ad illum confugientem, in sinum suum recipiat.

Quid tardas ò peccator, ò inique? considera quòd Deus socium, immo patrem tuum Diabolum in semitam iræ suæ admittet, vt tantò validior, vt pœna sit fortior, quantò diuturnior fuerit iniquitas tua? tarditatem pœnæ grauitate recompensabit; Lata erit via iræ, quæ te ducet cum socio Diabolo ad infernum: ò Hæretice, ò Iudæe, ò inique, quid moraris in iniquitate tua?

iàm venit, vt relaxet facinora tua; ecce quia his diebus pro te clamat ad Deum Ecclesia eius sancta. O oriens splendor lucis æternæ, & sol iustitiæ veni, & illumina sedentes in tenebris, & vmbra mortis. O sapientia, quæ ex ore Altissimi prodijsti, attingens à fine, vsque ad finem, fortiter, suauiterq. disponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiæ; veni, & redime nos in brachio extento. Semita nunc iræ tuæ suauis est Domine, strictiorem etiam illam facies, vt nos non inducas in tentationem. Ex semita viam non facias, & primogenita nostra non occidas, sed misericorditer nos corrigas, vt vexatis nobis, intellectus aperiatur, ne sicut iumenta viuentes ad mortem damnemur; in mortem concludamur. Semitam enim Dominus aperuit, & viam fecit, quando palam in illam ingressis peccatoribus Ægyptijs in prauitate obduratis, percussit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum in Tabernaculis Cham: decima plaga, quæ fuit mors primogenitorum, tàm hominum, quàm animalium, & fructuum, quanquam nec tunc defuit misericordia Dei, quia primogeniti solum, & non omnes sunt consumpti. In terra Ægypti stabant qui à Domino percussi sunt. Illic & bona dictorum Ægyptiorum erant, simulq. cum bonis erant eorumdem Ægyptiorum habitatio in Tabernaculis Cham: ex illo enim, qui filius erat Noe descendunt Ægyptij, Genes. cap. 10. inter alios filios Cham genuit Mesrain, à quo Ægyptus Hebraico vocabulo denominata est; hæc de Ægyptijs expressa sunt, quia occisi sunt, & fructus eius primitiæ laboris eorum consumpti; atque vt Dei potentiam, & miraculum simul aduerteremus dicitur, quòd tunc mors solum in Ægyptijs, & primitijs frugum illorum; Hebræis verò nullam offensionem obuenisse legimus, vel in bonis eorum, quamuis cohabitarent simul.

Immo sicut oues abstulit populum suum, & perduxit eos tamquam gregem in deserto. Hæc est septima pars huius Psalmi, Et abstulit sicut oues populum suum. Et quis abstulit; nisi qui decima plaga Ægyptios morte puniuit? propterea de ore luporum, & leonum vi illos abstulit.

Deducat nos Deus ex manibus Ægyptiorum in hoc deserto, sed in spe, vt patientes in tribulationibus, vt mundi corde, vt pacifici, & propter Deum persecutiones patientes, ex hoc deserto deducti, mereamur in terram lac, & mel fluentem adduci, audientes verbum Domini, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Seruemus, quæ sunt scripta, decem præcepta Dei, vt plagas Ægyptiorum fugiamus iram Dei; deducat nos Deus in spe, & non timebimus, & inimicos nostros operiet mare. Quid est enim operire mare, nisi tribulationes à Deo datas, seù permissas, pro amore ipsius in spe firmatos patienter ferre? probare enim nos vult Deus, tamquam aurum in fornace, Sap. cap. 3.

Et inducat nos Deus in montem sanctificationis suæ, montem, quem acquisiuit dextera eius, Ecclesiam scilicet suam sanctam, à qua Hæreticos, & Iudæos repellit, in monte enim Sion ipse passus est pro nobis Iesus Christus, vt Ecclesiam suam, vt nos traheret ad seipsum, cum exaltatus fuero, aiebat, omnia traham ad meipsum, ejciens tamen à iustis, & electis vitia, & errores, ab Ecclesia scilicet. Vndè sequitur vers.

Et eiecit à facie eorum gentes, & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis. Hæc omnia ad literam completa sunt, nàm cæteris de terra promis-

missionis exclusis, & occisis, Iudæos Dominus introclusit, & hæreditatem diuisit in funiculo distributionis. Hæcq. in figura contingebant illis, vt quæ futura essent in Ecclesia sua demonstraret nobis. Iudaicus enim populus Deo dilectus per 400. annos in terra Ægyptiorum permansit, qui cum non amplius quam 70. ingressi eo essent tempore Ioseph cum eius fratre Iacob, in sex centum millia, & vltrà numerus illorum ibi creuit, vt in Exodo, & cum essent in tanto numero Ægyptij timẽtes, seruos suos illos fecerunt, quos etiam grauiter opprimebant, itàvt clamorem eorum, & oppressiones Deus omnipotens audiret, & videret, Moysen seruum suum misit ad Pharaonem, vt populum electum in deserto ad sacrificandum dimitteret. Quid est hoc fratres, nisi figura figurati, Venit Iesus, ad cuius vocem populi multitudo accessit, eijciamus istum, quia totus mundus vadit post ipsum, occidantur credentes, quia tunc cessabunt verba, cum fuerit ventum ad verbera. Dicebant iniqui, timebant Reges, instabant persequentes, crescebant Martyres, tribulabantur viuentes, & credentes, in deserto tribulationum permanentes afflicti, angustiati, quibus mundus non erat dignus. Et ecce Iudæi in terram promissionis introducti, ipsorũ sanguine Ecclesiam ædificauerunt, vicerunt Regna, adepti sunt repromissiones, & totum mundum in fidei Christi confessione conuerterunt, & Crux, quæ prius ludibrio erat, nũc in frõtibus Regum portatur. Introducti sunt Iudæi in terram promissionis, & Ecclesia post multas tribulationes in tranquillitate pacis. Diuisa est terra inter Iudæos in funiculo distributionis, constructæ sunt Ecclesiæ per totum mundum, in funiculo fidei firmitatis, à facie illorum electæ sunt gentes, à facie Ecclesiæ conuersi sunt Gentiles.

Et habitare fecit in tabernaculis eorum Tribus Israel. Mysticè in cælesti gloria, in loco maiorum, qui de Cælo electi sunt, Isai. cap. 14. numer. 12. Ecclesiæ Dei, & nos, qui in ea sumus, per gratiam Christi subleuamur, qui sumus Tribus videntium Deum, Ioan. cap. 17. numer. 12. & per totum. Ij enim, in quibus regnabant peccata, introclusi in Ecclesiam, habitauerunt in Tabernaculis Dei, vbi regnant virtutes. Illi post tot beneficia, tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelsum, & testimonia eius non custodierunt in terra promissionis, sed non omnes, nàm multi salui facti sunt, quia in Christum crediderunt. Et intrà Ecclesiam Dei, quot sunt mali Christiani, hæretici, & infideles, qui non custodiunt mandata Dei, & Ecclesiam suam sanctam lacerare conantur.

Et auerterunt se, & non seruauerunt pactum, quemadmodum patres eorum conuersi sunt in arcum prauum; Lutherani scilicet, & Caluinistæ, cæteriq. sectatores malorum operum, qui sensum sequentes conuersi sunt in arcum prauum, Iudæorum Patres occiderunt Prophetas, illi verò Iesum Christum crucifixerunt, & arcus vester, ò ingrati hæretici, & infideles Iudæi, quos nec virtus, nec beneficia mollierunt diuina, peruersus est; & quem ferire intenditis, nisi vosmetipsos? dum contrà Ecclesiam iacere putatis sagittam, sauciat vos tenentes, aduersus eam verò, nec portæ inferi præualere possunt; cum supra petram fundata sit, quæ est Christus, contrà quem pater vester Diabolus non habet quidquam, Ioan. cap. 14. numer. 30. miseri resipiscite à Diaboli laqueis, 2. Tinoth. 2. num. 26. Qui enim facit peccatum ex Diabolo est, 1. Ioan. cap. 3. numer. 8. dolosi effecti, & iniqua meditantes, conuersi estis in animi

in-

Digitized by G

intentionem peruersam, vt contrà Deum, & Ecclesiam eius agatis, Augustin. hìc litera. G. Notandum sanè, quod ait, quemadmodum patres eorum, cum per totum Psalmi Textum, tamquàm de hominibus eisdem loqui videretur, apparet tamen nunc de illis sermonem esse, qui iàm in terram promissionis introducti erant, dicti patres eorum, qui in eremo amaricauerunt, in arcum prauum, vel peruersum conuersi sunt, In toto ergo Psalmo de Iudæis, & de Gentilibus, qui sunt extrà Ecclesiam; hìc verò de illis, qui in terram promissionis ingressi sunt, qui intrà Ecclesiam iàm admissi erant per Baptismum, quiuè recedunt ab illa. Vanitates, & Idola sequentes, hoc est terrena amantes, & qui Deum relinquunt, falsas doctrinas seminantes.

In iram concitauerunt eum in collibus suis, & operibus suis malis, & in sculptilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt. In collibus suis hæretici, in superbia scilicet eorum noua docentes, & populo dicentes, hi sunt Dij vestri, ista est doctrina vestra: ò falsarios, & iniquos superbos, nunquid maiores estis vos Christo, Apostolis, Ecclesia sua sancta, vt falsis doctrinis vestris, innocentes, & pauperes in infernum vobiscum adducatis? Nunquid contrà Deum, & magistrum nostrum Iesum Christum contrariam doctrinam falsè docere præsumitis? si non est discipulus supra magistrum, quomodò vos in collibus vestris, in superbia, & vanitatibus vestris contrà magistrum ceruices vestras erigere præsumitis? Resipiscite filij Diaboli, siliquas porcorum comedere desinentes. Videte, quòd in domo Patris omnes abundant panibus, spiritualibus scilicet gratijs; sequimini filium prodigum, ad Deum, & eius Ecclesiam reuertentes, ac fatentes, quòd coram illo peccastis, & coram hominibus, vt stolam candidam pœnitentes habere mereamini; Quid tardi corde estis, ò rebelles? Deus vltionum est contrà illos, qui non conuertuntur ad eum, intelligite quid vlterius Psalmista dicat de malis Israelitis.

Audiuit Deus, & spreuit, & ad nihilum redegit valde Israel. Audiuit ergo Dominus quæ in deserto dicta sunt, propterea puniuit, quia vidit, & audiuit Dominus spernens illos, & ex arcu prauo illorum sagittas in ipsos retromisit, & vulnerati sunt. Et lingua eorum exinimicis ab ipsos, quia lingua gladius acutus, per quem vulnerati ceciderunt omnes in deserto. Hæc est huius Psalmi octaua pars, in qua hæc omnia, quæ contrà illos Dominus fecit, narrantur. Nàm redegit ad nihilum valde Israel.

Ad nihilum redegit valde Israel, quia non omnes ex misericordia Dei sunt consumpti, & reliquiæ Israel saluæ fient in fine. Vndè Augustin. Quandiù hoc? Veniet tempus, veniet finis sæculi, & credet totus Israel, non illi, qui modò sunt, sed filij eorum, qui tunc erunt. Nàm modò isti per vias suas ambulantes ibunt ad loca sua, transibunt ad damnationem perpetuam. Quando autem factus fuerit vnus populus totus, fiet illud, quòd canimus, Satiabor, dum manifestabitur gloria tua, Psalm. 16. Dum venerit promissio, quæ promittitur, vt videamus facie ad faciem, modò videmus per speculum in ænigmate, & ex parte, quando autem vterque populus iàm purgatus, iàm resuscitatus, iàm coronatus, iàm in immortalem formam, & in incorruptionem perpetuam commutatus, videbit Deum facie ad faciem, & non erit Iacob, sed solus erit Israel verus, claudicauit, ideò valdè ad nihilum Deus reduxit eum.

Et repulit Tabernaculum Silo, & Tabernaculum ſuum vbi habitauit in hominibus. Benè dixit in Silo; Silo enim eſt Ciuitas, in qua erat Arca tempore Heli Sacerdotis, quando Hebræi deſtructi ſunt ab Allophylis, & arca Domini capta eſt; Repulit enim Dominus Tabernaculum ſuum vbi diſſoluit, diſcalceauit, ità enim interpretatur Silo; quia filij Heli Sacerdotis retrahebant homines à ſacrificio, 1.Reg.cap.4. repulit enim Tabernaculum, quia cœperat habitare cum hominibus, cum peccatoribus ſimoniacis; impellebant enim homines, vt darent eis partem crudam, & alia committebant facinora, repulit Tabernaculum ſuum, ne inhabitaret cum peccatoribus, quia longe à peccatoribus ſalus, neque habitat Dominus cum operantibus iniquitatem.

Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. Et non ſolum de Silo ciuitate Tabernaculum repulit cum occiſione multorum, verùm etiam Tabernaculum ſuum, vbi prius cum hominibus illis habitabat, abſtulit ab illis, & dedit gentibus. Ecce gentem, quam neſciebas, vocabis, & gentes, quæ te non cognouerunt, ad te current; & erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur, Iſai. cap. 55. num. 13. Eieciſti Domine à facie eorum gentes, & in funiculo diſtributionis, ſorte terram diuiſiſti eis; nunc gentes, quæ te non nouerunt, ad te currunt; dixiſti enim ad Eccleſiam tuam, Dilata locum tentorij tui, & pelles Tabernaculorum tuorum extende: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida; ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis, & ſemen tuum gentes hæreditabit, Iſai.cap.54.num.2. Derelicta eſt enim domus eorum deſerta, & non eſt qui habitet in Tabernaculis eorum, Matth. cap.23.num.38. Virtus enim veſtra, ò Iudæi tradita eſt in captiuitatem, & comminuta eſt, ſicut lagena figuli conteritur contritione perualida, Iſai. cap.30.numer.14. nec habitabitis vltra vſque in ſempiternum, nec extruetur vſque ad generationem, & generationem, Ierem.cap.50.num.39. & 40. Ad nihilum redegit valde Iſrael; Vos ex progenie videntis venientes, quomodò nuncupamini Iſraelitæ, ſi non videtis? quomodò cæci facti, & non videntes? Fracti ſunt rami veſtri ex oliuæ arbore, igni ad comburendum miſſi, inſertus eſt oleaſter in illo, ad Roman.cap.11.num.17. ſi Iſraelitæ, quomodò cæci? quomodò non videntes? forſan dicitis, quia non eſt Deus intelligens, aut videns, Pſalm.93. numer.7. non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob, qui plantauit aurem, non audiet, aut qui fixit oculum, non conſiderat? qui corripit gentes non arguet? Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus eius conſiderat, Prouerb.5. numer.21. ſi vbique eſt, quare non videbit te, ò inique, quare non fuit videns iniquitates tuas, ſi propter illas tradidit te in captiuitatem, virtutemquè, & pulchritudinem tuam, in manus inimici? virtus, & pulchritudo in arca, de qua tu gloriabaris, ſine qua factus es ſeruus, & abominabilis. Quod etiã alijs iniquis contingit, quibus ſicut & tibi virtutem auferri Deus ipſe permittit; cum ſecus eueniat in bonis hominibus, & Deo fidelibus, nàm & ſi ex permiſſione Dei, quo videlicet illorum virtus magis appareat, cum malis captiuentur corporaliter, non tamen re vera in mente captiui, ſed liberi, & Deo coniuncti; Sapien. cap.3.

Fiducia veſtra in arca fuit, 1.Reg.cap.4. capta arca cæſus eſt Iſrael, quia in illo virtus non erat, propterea non amplius Iſraelitæ veri, ſicut ille, de quo

in

in Euangelio dictum est, Ioan. cap. 1. numer. 47. ecce verè Israelita, in quo dolus non est, humilis, non superbus. Non manet Deus in tua domo superbe, quem repulit, atque spreuit, & spernet, & te in captiuitatem tradidit. Quomodò capti ab inimicis, nisi prius in iniquitatibus vestris fuisseris detenti, carceribus Dæmonis mancipati? Prouerb. cap. 5. num. 22. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur, ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur, Isai. cap. 52. num. 3. Excute de puluere pedem tuum; consurge, sede Ierusalem, solue vincula colli tui captiua filia Sion; Sequitur vers.

Et concluſit in gladio populum ſuum, & hæreditatem ſuam ſpreuit, iuxtà illud Ezech. cap. 25. num. 3. Pro eo quod dixisti, euge, euge, super sanctuarium meum, quia pollutum est, & super terram Israel, quoniam desolata, est, & super domum Iuda, quoniam ducti sunt in captiuitatem à Romanis, tempore Titi, & Adriani Imperatorum, & nunc hucusquè dispersi, & vsque in finem desolatio vestra, Daniel cap. 9. in fine, & 1. Reg. cap. 4. Et hæreditatem suam spreuit. Hæreditas enim Domini domus Israel, Isai. cap. 19. nu. 25. Nunc verò omnes iusti hæreditas Domini, Isai. cap. 60. num. 21. cum de illa Iudæorum dixerit Deus per Ierem. cap. 12. numer. 7. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius, facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylua, dedit contrà me vocem, ideò odiui eam.

Iuuenes eorum comedit ignis, & Virgines eorum non sunt lamentatæ; Ira enim bellantium sine remissione occidit iuuenes, nàm & tunc temporis occisi fuere à Philistæis triginta millia, & in Romanorum exterminatione Ierusalem, omnes ferè igne, & ferro consumpti, & fame, nec Virgines eorum sunt lamentatæ, nàm, vt dicit Augustin. hìc: hoc non vacabat in hostili metu.

Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, & Viduæ eorum non plorabantur. Ceciderunt enim in gladio filij Heli, Ophni scilicet, & Phinees, qui prælio ceciderunt, quando vxor Phinees viduata in partu, mortua est, itavt plangi non potuerit honore funeris, 1. Reg. cap. 4. Cur verò de duobus tantùm Sacerdotibus fiat mentio, & de Heli, qui de sella cecidit, & mortuus est, cum verosimile sit, etiam alios interfuisse Sacerdotes, ratio prompta est; quia iniquitas Sacerdotum maiorum magis nocet populo.

Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino; Vndè excitatus, nisi quando per disciplinam peccator ad te reuersus est? quomodò potens crapulatus à vino, nisi quia multipliciter inimicos nostros flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam, Sapien. cap. 12. numer. 23. Per similitudinem enim tamquam ebrius visus est Dominus in punitione eorum; quia etsi tamquam ministri populum flagellauerint, quia sic Deus permisit, & voluit, ipsi tamen inimici tamquam Deum dormientem cogitantes, & dicentes, vbi est Deus eorum, irruerunt in Iudæos, non amore iustitiæ, sed odio, & calore iracundiæ, ideòq. per hæc, quæ illis fecerunt, dedit eis Dominus summa tormenta,

Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis. Percussit inimicos in sedibus. Augustin. Quod eius pœnæ signum mihi vide-

videtur, quia quisque cruciabitur, si in posteriora perspexerit, quæ, sicut ait Apostolus, æstimari debent vt stercora, ad Philippens. cap. 3. num. 8. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Iesu Christi. Qui enim sic suscipiunt testamentum Dei, vt veteri vanitate non se exuant, similes sunt hostibus populi eius, qui arcam testamenti captiuatam, iuxtà sua Idola posuerunt, & illa quidem vetera etiam ipsis nolentibus cadunt, quia omnis caro fœnum, & claritas hominis, vt flos fœni: fœnum aruit, flos decidit, area autem Domini manet in æternum, secretum scilicet testamenti Regnum Cælorum, vbi est æternum verbum Dei, sed illi, qui posteriora dilexerunt, ex ipsis iustissimè cruciabuntur. Hæc Augustin. Vide hanc historiam, 1. Reg. cap. 5.

Quid dicis, ò peccator, ò Dei inimice, ò male Sacerdos, Scriba, & Pharisæe? Deo vis, & mammonæ seruire, non stat Deus cum Dagone, Matth. 6. numer. 24. Dei inimicus es, quia cum Dagone illum ponere audes. Mane Dagon tuum in terra iacet abscisis manibus, & capite; sed nec pœna sufficiens erit tibi, nàm in posteriora, in viliores tui corporis partes, in extalibus tuis ad opprobrium manus Domini percutiet te, vt omnibus sis in opprobrium sempiternum. Lassati enim sumus, dicitur in cap. 5. nu. 7. Sap. ab illis, qui in inferno positi sunt, in via iniquitatis, & perditionis, & viam Domini ignorauimus. In malignitate vestra consumpti estis. Quid ergo proderit vobis superbia vestra, vt mammonæ, relicto Deo, seruiatis?

Sed nunquid dicetis, quia de vobis non loquatur Dominus, Isai. cap. 52. numer. 5. Ablatus est populus meus gratis? Dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blasphematur, propter Sacerdotes ergo malos, ablatus est etiam pópulus, dicit enim, qualis Sacerdos, talis populus; audite etiam sequentia, quæ huic vers. coniuncta sunt:

Et repulit Tabernaculum Ioseph, & Tribum Ephraim non elegit. Nàm facta punitione supradicta repulit etiam Dominus ab illis sanctuarium, & Regnum. Grauabit eum iniquitas sua, & corruet, & non adijciet, vt resurgat, Isai. cap. 24. num. 20. & Ierem. cap. 10. num. 20. Tabernaculum meum vastatum est, & omnes funiculi mei dissipati sunt, filij mei exierunt à me, & non subsistunt, non est qui extendat vltra tentorium meum, &c. quia stultè egerunt pastores, &c. & Ierem. cap. 16. num. 9. Ecce ego auferam de loco isto in oculis vestris, & in diebus vestris vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ, quia dereliquerunt me Patres vestri, ait Dominus, & aliàs provt latius in libro nostro contrà Iudæos, Titulo de Reprobatione Iudæorum, Augustin. litera L. Quid enim, quia Dominus repulit Tabernaculum Ioseph, & Tribum Ephrem non elegit, nonnè præclari nominis erant isti? Ioseph enim in Ægypto Patrem pauit, & fratres suos, & impiè venditus, merito pietatis, castitatis, & sapientiæ iustissimè sublimatus est, & Ephrem maiori fratri Aui sui Iacob benedictione prælatus est, & tamen Tabernaculum Ioseph repulit Dominus, & Tribum Ephrem non elegit. Vbi per hæc præclari meriti nomina, quid aliud, quàm vniuersum populum illum vetusta cupiditate à Domino terrena præmia requirentem repulsum, & reprobatum intelligimus;

ele-

electam autem Tribum Iuda, non pro meritis ipsius Iudæ: hucusquè Augustin.

Elegit Tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit, quia de Tribu illa secundum carnem Christus nasci debebat, nouum populum Christi illi populo veteri prælatum Scriptura testatur, aperiente Domino in parabolis os suum. Montem Sion, quem dilexit, vt qui de peccatoribus nasci dignatus est, in montem Sion per mortem suam, Ecclesiam suam fundando, omnium peccata deleret. Propterea dicebat Iacob, Verè locus iste sanctus est, & ego nesciebam: in quo erigens lapidem, oleumq. fundens desuper Altare Domino consecrauit, Genes. cap. 28. lapis enim ille Christus est, super quem fundata est Ecclesia eius; ideò montem, quem dilexit, & Tribum Iuda, ex qua ipse Dominus carnem suscipere voluit in Maria Virgine.

Et ædificauit sicut Vnicornium sanctificium suum in terra, quam fundauit in sæcula. In mõte fuit redemptio, in tota terra est plantatio Ecclesiarum multarum; sed vna ædificatio, quia vna est Ecclesia: Vnam petijt à Domino, hanc requirit populus Christianus, ideò dixit sicut Vnicornium, quia populi Christiani vnica est spes salutis in ea. Sanctificium ædificauit, idest plebem sanctam, populum fidelem, regale Sacerdotium, de quo Petr. 1. cap. 2. num. 4. vt ad Deum accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum, & ipsi tamquam lapides viui superædificemini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum, quam fundauit in sæcula. Ædificauit ergo Dominus Ecclesiam in terra, quam fundauit in sæcula, in æternum enim quámuis in terra ex mortalibus, in sæcula tamen fundata est; cuius gubernationi præposuit dilectum suum: propterea dicit in sequen. vers.

Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum. De Iuda enim descendit Dauid, & ex eius semine Maria, de qua Beatissima Virgine carnem suscepit Iesus Christus. Sub Dauid ergo figura, & appellatione in hoc vers. intelligitur Christus. Elegit Christum seruum suum, non dicit filium, quia forma serui ex Dauide est, non Patri coæterna Vnigeniti substantia, Isai. cap. 53. numer. 11. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit, propterea minor Patre, vt homo, æqualis verò Patri secundum diuinitatem. Sustulit Dominus Dauidem de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum: Christus verò ab hominibus ad homines, à Iudæis scilicet ad gentes; ab ouibus, ad oues secundum parabolam translatus est. Non sunt enim modò in terra illa Ecclesiæ Iudææ in Christo, quæ fuerunt circumcisorum recenti passione, & resurrectione Domini nostri, de quibus Apostolus ad Galat. cap. 1. Eram enim ignotus facie Ecclesijs Iudææ, quæ sunt in Christo, tantùm enim audiebant, dicit Augustin. quia is, qui aliquando nos persequebatur, nunc euangelizat fidem, quam aliquando vastabat, & in me magnificabant Dominum, Iàm hinc illæ Ecclesiæ transierunt, populorum circumcisorum, ac per hoc in Iudææ terra, eiusquè populo modò non est Christus, ablatus est inde, nunc gregem gentium pascit. Sanè de post fœtantes inde acceptus est; illæ quippè priores fuerunt tales, de qualibus dicitur Cantic. cap. 4. Vni Ecclesiæ, quæ ex multis constat, idest vni gregi, cuius membra sunt multi greges, de talibus ergo dicitur, dentes tui, idest per quos loqueris, vel per quos

Digitized by Google

eumdem fuiſſe & pœnitentem, Pſalm. 50. ideò audiuit, Dominum peccatum ſuum tranſtuliſſe: Non enim Dominus iniquitatis noſtræ memor erit, ſi pœnitentes, & dolentes coram eo ex corde fuerimus, Ezech. cap. 18. num. 21. & cap. 33. numer. 12. Impietas enim impij non nocebit ei, in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.

Dominum ergo Ieſum, vt & nos rectè faciamus, vt intellectum nobis det, exoremus; intelligere nos faciat Deus, & legem ſuam perſcrutabimur; eius manibus nos ſubdamus credendo; ipſe in nobis faciet, vt in intelligentiam manuum ſuarum nos deducat, eòq. perducat, vbi iàm non poſſimus errare. Auguſtin. hìc. Eſt fructus populi Dei attendentis legem Dei, & inclinantis aurem ſuam in verba oris eius, vt dirigat in eo cor ſurſum, & ſit cum illo creditus ſpiritus eius; ne immutetur in generationem prauam, & amaricantem, ſed his omnibus ſibi annunciatis; non ſolum ad præſentem vitam, verùm etiam ad æternam, nec tantùm ad recipienda bonorum præmia, ſed etiam in ipſa bona opera facienda ponat in Deo ſpem ſuam, hæc Auguſtin.

SOLILOQVIVM PRIMVM.

ATTENDE anima mea legem Domini; ad Euangelij verba inclina aurem tuam, quia quod cæteris clauſum erat in parabolis, tibi in illo aperta ſunt, vt intelligas quæ de Ieſu Saluatore noſtro per Prophetas ſunt ſcripta. Teſtimonium in Iacob ſuſcitauit, vt legem tibi daret, in Ieruſalem, quæ eſt Eccleſia ſua ſancta. Accepi hæc à ſanctis Apoſtolis, eademq. & alijs enarrare me non pigebit. In te ſolo Deo ſpes eſſe debet mea; quod erit ſi tu anima mea in exquirendis mandatis Dei ſolicita eris. Murmur ſit à te longè, ne tibi, ſicut iudatis in deſerto malè contingat. Non quæras à Deo ſignum, ſicut quæſiuit generatio illa praua, cuius cor prauum, adeoquè & arcus prauus conuerſus in ipſam eſt. Filij Ephrem, conuerſi ſunt in die belli; non tu ſic anima mea, non extrà Eccleſiam, non extrà Templum, ſicut inſipiens columba, quæ alienata à domo Dei oblita eſt benefactorum eius, & mirabilium eius, quæ oſtendit eis, peregrina veſte induta.

SOLILOQVIVM SECVNDVM.

QVÆ in Ægypti tenebris poſita eras, à Domino liberata anima mea, & per Baptiſmatis fontem renata, noli obliuiſci retributiones eius, qui propitiatus eſt iniquitatibus tuis, qui eduxit te de campo Taneos, de deſerto Idololatriæ pomparum mundi, atque Diaboli, cui renuntiaſti in Baptiſmo. De Ægypto educit te, quoticſcunque pœnitens peccata confitearis; propterea in nube diei educet te precibus Beatæ Mariæ Virginis nubis ſine macula, & ad nubem quoque fidei puræ, & tota nocte in illuminatione ignis charitatis, Chriſtum Ieſum attinge anima mea, petram ſanctiſſimam, ex qua aquam hauries cæleſtis ſapientiæ, & flumina de ventre tuo fluent aquæ viuæ. Non amplius adijcias peccare te, terrena requirens, ſicut generatio illa peruerſa, ſed quod æternum eſt, manibus operando deſidera Regnum Cælorum. Qui

de duritia petræ cordis tui aquam deduxit lacrymarum, pane etiam cæleſti ſaturabit te, corporis, & ſanguinis ſui inebriabitq. te charitate ſua, nec derelinquet quouſquè in terram promiſſionis te perducat. Immenſas Deo agas gratias, quòd non ſis ſicut impij, quos tamquam puluis proiecit ſuperbiæ ventus de terra ad inferos, ira Dei aſcendente ſuper illos, cum non crediderint in eum, nec ſperauerint in ſalutari eius. Diſtulit Dominus, non tamen illicò receſſit ab eis, qui relicti ſunt, quia mandauit nubibus deſuper, Prædicatoribus Eccleſiaſticis, vt ianuas Cæli apertas illis demonſtrarent, & panem Cæli eis darent, Panem Angelorum, de quo ſumunt boni, ſumunt mali, vitæ, vel interitus. Tu verò anima mea cum timore, & tremore accedas ad illum, vt dignè manducans viuas in æternum: vt Spiritus ſanctus de Cælo in te veniens virtute ſua Africum inducẽs amoris ſui in te, Aquilonem frigiditatis ventum à te expellat, & tranſferat, ne ingluuies carnaliũ te abripiat. Fame tui Domine veſcatur anima mea, vt ſatier, cum venerit gloria tua; pluis enim ſuper iuſtos, & iniuſtos, & cibaria mittis in abundantia. Nimis ſaturantur iniqui, comeſtores panis quidem cæleſtis, ſed & ſimul viſcerum hominum, & deuoratores ſanguinis, & qui manducant domos viduarum. Sed adhùc eſcæ in ore ipſorũ, & ira Dei aſcendit ſuper eos, nàm iudicium ſibi manducant, & bibunt, Reiq. efficiuntur corporis Chriſti. Tu verò anima mea in Domino confide, vt in te dignè manducante maneat Deus tuus & tu in illo. Peccauerunt inſuper & in mirabilibus eius non credentes: propterea dies eorum, & anni eorum defecerunt in vanitate.

SOLILOQVIVM TERTIVM.

DVM cruciantur iniqui, te Deum confitebuntur, cor verò eorum rectum non eſt, quia in malignitate perſiſtentes, in ore ſuo diligunt te, & lingua ſua mentiuntur tibi, nec fideles inueniuntur in promiſſionibus ſuis, in teſtamẽto tuo. Etenim ab ijs, quæ promiſerunt in Baptiſmo, iniqua agentes receſſerunt, & mentiti ſunt tibi. Recordare etiam tu anima mea, quia patiens Dominus, & miſericordia plenus, diù te peccantẽ, vt reuertaris, expectauit, ne te diſperderet, ſed propitius tuis eſſet peccatis. Quid moraris? ſi mors interim te aggrediatur, vbi erit pœnitentiæ locus? Memor eſto beneficiorum Dei anima mea, ne obliuiſcaris in finem, ſicut peruerſa hæreticorum generatio, quæ non eſt recordata manus Dei, qua de manu tribulantis, Chriſti ſanguine redempti fuerant. Infelices dum per ſuperbiam alleuarentur, extrà Eccleſiam electi ſunt. Conuertit in ſanguinem flumina eorum, & imbres eorum, vt norint ſcientiæ ipſorum flumina eſſe ſanguinea, ob eos, quos in ijs interimunt paruulos doctrina ſua praua, ne bibant, & ſanguine inebrientur eorum, quos ſeduxerint. Cynomia, quã illorum ſectæ repletæ ſunt luxuria comedat eos, & ranæ loquacitatis illorum percutiatur fetor, inuidiæ inter ſemet erugine conſummantur, labores eorum deuorent locuſtæ, vt ſine capite, ac inter ſe diſcordes ſubmergantur in mare confuſionis. Vinea eorum faciens lambruſcas, igni tradatur, vt eradicetur. Semitam iræ tuæ paruam in immiſſis flagellis non intellexerunt, ſed ſpreuerunt, & in viam latam iracundiæ tuæ peruenerunt, vt per illam perdantur in Tabernaculis Cham, & in gehenna.

SO-

SOLILOQVIVM QVARTVM.

HABITET in te ò anima timor Domini, & peccatum longè erit à te, fietq. vt ejecto peccato à te, fias Tabernaculum Dei, & illius habitatio; cum Tribu Iſrael, totaq. cum Eccleſia ſancta. Quid in dicterijs veſtris gloriamini, ò Eccleſia malignantium? Audiuit Dominus, & ſpreuit, & ad nihilum redegit valde Iſrael, Eccleſiam veſtram finctam; ſicut antiquitus reppulit Tabernaculum Silo, Tabernaculum ſuum, vbi habitauit in hominibus, & iuſtorum animas in Eccleſia elegit ſibi in Tabernaculum. Vtinam & in te anima mea, Domino cooperante, fiat, vt erecta poteſtate virtutum, concupiſcentia decidat; amor Dei, & proximi creſcat, vt ardens, & pura Tabernaculum Dei fias. Suſcipe diſciplinam, age de præteritis pœnitentiam, non enim eſt dormiens Dominus, ſed excitabitur ab illa, vt, pœnitentia peracta, deleat tua delicta. Repulit Tabernaculum Ioſeph, & Tribum Ephraim non elegit; Si tu eleueris per ſuperbiam, & terrena concupieris, repellet, quod abſit, etiam te, & in ſponſam ſuam non eliget. Excita dormientem, vt vigilans ſaluet te pœnitentem, & dolentem. Elegit quippè Tribum Iuda confitentium. In montem Sion pura peruenias, & diliget te. Tu Domine ſicut Vnicornium Eccleſiam tuam fundaſti in ſæcula: vt immobilis ſemper permaneret, extrà quam non eſt ſalus. Tu illius caput, & nos membra: tu paſtor, nos oues, de poſt fœtantes acceptus es, quia, relicta Synagoga, alias oues, quæ non erant ex illo ouili, congregaſti. In hac Eccleſia paſcis paſtor bonus Iacob ſeruum tuum, & Iſrael hæreditatem tuam. Hanc Domine Ieſu ab hoſte maligno defendere, hanc ab incurſu hæreticorum protegere, & ſeruare digneris, qui illam lacerare quotidie non deſinunt. Fiat Domine Ieſu, qui propterea hodie in mundum venire voluiſti; ex Ægypto vocant te, & matrem tuam filij tui dolentes, & flentes, vt à ſeruitute Ægyptiorum, ab inſidijs Diaboli, & hæreticorum ipſos liberare digneris. Congrega oues tuas, diſperde ſuperbos, exalta humiles, diſſipa gentes, quæ bella volunt, & fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Amen.

IN PSALMVM LXXVIII.

Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam: polluerunt Templum ſanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam.

TITVLVS, Pſalmus Aſaph. Aſaph enim tempore Dauidis Propheta fuit, & vt dicunt hìc Scriptores, vndecim Pſalmos ſcripſit, incipiens à Pſalm. 72. Quàm bonus Iſrael, incluſiuè, vſque ad Pſalm. 84. excluſiuè, Quàm dilecta: Aſaph (vt aliàs diximus) interpretatur Synagoga, congregans, ſeù congregatio, & Eccleſia ſecundum Auguſtin. eſtq. Pſalmus iſte precatio pro ſubuentione, & auxilio ipſius Eccleſiæ.

Digitized by Google

Continuatur ad præcedentem, in quo visum est de vigilantia credentium in Deum, ne illusionibus, vel tentationibus, vel aliàs in tribulationibus sint deficientes, neque confidentes sint in ipsorum vocatione, qui in Ecclesia sint positi, sed in operibus sanctis in Deo fidem habeant, & perseuerent; In hoc autem Psalmo consequenter exponitur, quomodò ipsis fidelibus venit auxilium à Domino, & tribulantium destructio pariter monstratur.

Summa hæc est; Ecclesiæ Dei persecutio, & illius tribulationis deploratio, atque in fide permanentium, Martyrum scilicet, & aliorum iustorum exultatio.

Incipit ergo Psalm. Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam: hìc ergo prænuntiat Psalmista Deo, quæ Templo euentura erant, nàm quando Psalmum fecit nil Ierusalem Ciuitati, vel Templo Dei contigerat mali ex gentibus, quin nec etiam Templum adhùc ædificatum erat, quod post Dauidis mortem constructum per Salomonem fuit iuxtà Dei iussum, 3.Reg.cap.5. num.2. sed an forsan quæ futura erant, ignorabat Deus, & homo ista sciebat? Non ignorabat Deus, qui & futura docuit hominem, vt homini prædiceret; Vndè Augustin. Non enim nescienti indicantur, quo reuelante præciuntur; sed anima cum Deo loquitur pietatis affectu, quem Deus nouit. Nàm & Angeli, quæ hominibus nunciant, nescientibus nunciant, quæ autem Deo nunciant, scienti nunciant, quando orationes nostras illi offerunt, & ineffabili modo de actibus suis æternam veritatem, tamquam legem incommutabilem consulunt. In personam ergo eorum, quibus futura erant hæc euentura, loquitur Propheta, nomine eorum miseriam futuram deplorans, & deprecans, vt Deus illis parcat, & misereatur. Dicitur ergo in præteritum, quod in spiritu videbatur esse futurum. Deus venerunt, &c. sicut etiam de Domini passione, ità loquitur Propheta, Psalm.21.num.18. Foderunt manus meas, & in Psalm.68,numer.22. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt mè aceto.

Non erat adhùc Templum factum, nec Ierusalem aliquid passa fuerat tempore Psalmi compositi. De futuris ergo calamitatibus prophetat Asaph, de quibus verò calamitatibus sermonem habeat variæ sunt Doctorum sententiæ; aliqui enim accipiunt eam de qua sub Antiocho, 1.Machab.cap.1.num.12. & in cap.3. Machab. lib.1. num.45. Sed quamuis tunc Ierusalem non habitaretur, & esset tamquam desertum, non tamen erat destructa, nec penitus euersa, immo filij alienigenarum erant in Arce, & ibi erat habitatio gentium; de Iudæis verò non erat, qui egrederetur, vel ingrederetur, habitabatur ergo, quamuis ab aliena gente; adeoquè haud posita erat tamquam in pomorum custodiam, quæ collectis fructibus destructa remanet. Sunt, qui ad Regis Babylonis tempora hæc referunt; cæterum nec de ea accipi possunt destructione à Rege Babylonis facta, etenim si in escam volatilibus Cæli morticina posita sunt seruorum Dei, & carnes sanctorum bestijs terræ; tunc certè in illa strage non sancti, sed sceleſti fuerunt trucidati, vt in 4.Reg.cap.vltimo, quod est 25. & in Ierem. in cap. 40. 41. & 42. noluerunt enim Ieremiæ de ore Dei loquenti credere, pollicenti auxilium illis à Deo venturum, si in Ægyptum non transirent; propterea omnes trucidati, quia Idololatræ facti sunt

in

Digitized by Google

in Ægypto. Dicamus ergo, ſermonem hìc eſſe de Titi, & Veſpeſiani tempore facta deſtructione Templi, & Ieruſalem, de illorum cæde, & incendio, & captiuitate; de diſperſione, & afflictione eorundem, quæ adhùc durat, & vſque in finem durabit. Daniel.9. in fine, & Ierem.cap.50.num.39. & 40. Et non habitabunt vltra, vſque in ſempiternum, nec extruetur vſque ad generationem, & generationem, &c.

Voca eum, quia non populus meus, & ego non ero Deus veſter, Oſee cap.1.num.9. & dicam non populo meo populus meus es tu, & ipſe dicet, Deus meus es tu, Oſee cap.2.num.24. De hac ergo deſtructione Propheta loquitur, quia nec maior illa inueniri poteſt; nam vltra ſupradicta deſtructa, carent etiam Sacerdotio, carent Prophetis, & Templo, carent gratia Dei, quia non amplius populus eius.

Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, & ità deſtruent illam, vt non amplius reſurgat, Iſai.cap.24.num.20. Tabernaculum enim dicit Dominus per Ierem.cap.10.num.20. vaſtatum eſt, omnes funiculi mei dirupti ſunt, filij mei exierunt à me, & non ſubſiſtunt, non eſt, qui extendat vltra tentorium meũ, &c. De iſtà ergo Romanorum facta deſtructione intelligitur Pſalmus noſter, qui benè concordat cum Ierem. cap.26.num.18. Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem in aceruum lapidum erit, vndè Iſai.cap.3.num.1. inquit; Ecce dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum, & fortem, virum bellatorem, iudicem, & Propheram, & deuorabunt Iſrael toto ore, Iſai. cap.9.num.12. & populus erit quaſi eſca ignis, num.19. & 21. nec auerſus eſt furor ab eis, ſed adhùc manus eius extenta. Hæc eſt illa vinea, de qua Iſai cap.5.num.5. dicitur, Ablata eſt ſepes eius, & facta eſt in direptionem, & maceria eius in conculcationem, & deſerta facta, nec potata amplius, nec foſſa, &c. Vinea autem quæ ſit, declaratur, ibid.num.7. Vinea Domini exercituum domus Iſrael eſt.

Difficultas tamen videtur in verbis Pſalmi, nàm venerunt, inquit, gentes in hæreditatem tuam, quod ex ſuperiori corroboratur, Oſee cap.1.num.9. nàm ſi non amplius poſt mortem Chriſti populus eius, quomodò erit hæreditas ipſius, ſi de eis, quæ per Romanos facta fuere incendio, & deſtructione intelligit? ſi figura tranſijt, quia venit figuratus, quomodò amplius Templi ſancti ſui poterit dici pollutio; inſuper, ſi tunc qui erant Ieruſalem habitatores, omnes iniqui erant, & ſeditioſi, quomodò adaptari poterunt verba Prophetæ ſecundi verſiculi, poſuerunt morticinia ſeruorum tuorum, &c. carnes Sanctorum beſtijs terræ? effunde in gentes iram tuam, quæ te non nouerunt, & in Regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt, &c.

Cæterum non eſt, quòd nos turbet appellatio hæreditàtis Dei, ſicut nec vineæ Dei, ſi verba Iſai.in d.cap.5.Conſideremus, etenim ſemper illam Deus ſuam vocat vineam, dicens num.3. Nunc ergo habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meam; quid eſt, quod debui facere vineæ meæ, & non feci ei? Et nunc oſtendam, quid faciam vineæ meæ. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem; & ponam eam deſertam. Non putabitur, & non fodietur, Domus enim Iſrael eſt vinea Domini exercituum. Et quomodò vinea Domini dicta eſt, etſi conculcata, etſi deſerta. Ità & hæreditas Domini, quamuis deſerta, &

ab

Digitized by Google

ab illis inculta. Tametsi re vera populus ille haud amplius populus Dei sit; quia rami oliuæ fracti aruerunt. Non ergo mihi hoc obstare videtur, quòd hæreditatem suam vocet Propheta, quia ante delictum erat, & hæreditas & populus Domini; quamuis post illius populi casum facti sint alieni; Patrem etiam vocat filius prodigus, qui totam substantiam suam alienus factus à Patre consumpserat, dicens, ibo ad Patrem meum.

Confirmatur idipsum ex Ierem.cap.12.num.7. vbi Deus ipse hæc habet. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius. Facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in syluis dedit contrà me vocem; ideò odiui eam. Nunquid auis discolor hæreditas mea mihi? nunquid auis tincta per totum? Venite, congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad deuorandum.

Ad ea verò, quæ de Templo dicta sunt, videtur satis responsum ex infrascriptis, nàm illius venit pollutio, in hominibus iustis, ac fidelibus, qui Templum Dei dicuntur, ideò orabat, ne illa in Templo fierent, & facta tolleretur, & purificaretur; Templum enim Domini erat, quia vt infrà dicemus, adhùc in Ierusalem aderant Iusti, quamuis pauci, ex semine Iudæorum, & Gentilium, & ex vtroque factum est vnum Templum, ad Ephes.cap.2. & ideò quamuis omnes tunc Ierusalem habitatores iniqui remansissent, nonnè & qui extrà positi erant iusti, persecutionem sustinuerunt à gentibus, occisi, dilaniati, quot millia Martyrum bestijs terræ traditi, vt illorum esca essent? quot millia millium Sacerdotum, & Virginum: quocircà ad Roman.cap.11. Nunquid repulit Deus plebem suam? absit: nàm & ego Israelita sum ex genere Israel de Tribu Beniamin. Videatur Augustin. hic litera D. longius hac de re agens. Absit ergo dicere, quia Dominus plebem suam repulerit, ad Rom.cap.11. Non enim plebem repulit suam, quam præsciuit, Psalm.93.numer.4. Non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet. Hæreditas Domini illi omnes iusti, qui ex semine Iudæorum ortum habuerunt, non ergo totum illum populum repulit Dominus, cum & Paulus ex Tribu Beniamin Apostolus Christi fuerit, 3.Reg.cap.19.num.10. Zelatus erat Elias zelo, quia filij Israel pactum Domini derelinquerunt, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, &c. numer.24. Vade, inquit illi Dominus, & reuertere in viam tuam, &c. & num.18. Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal, & omne os, quod non adorauit eum osculans manus: reliquias enim Iustorum reseruauit sibi Dominus, quæ hæreditas Domini dictæ sunt, & plebs eiusdem; cæteri verò excæcati sunt, qui hæreditas Dei dici non possunt, cum & adhùc in sua cæcitate remanserint.

Si ergo hæreditas Dei intelligatur post resurrectionem Christi, & illius ascensionem; quanta Ecclesia Dei perpessa est in tanto Martyrum numero. Istud ipsum Templum sanctum tuum, polluerunt gentes flagellantes, persequentes, occidentes, & ad bestias condemnantes, vt illud in totum tollerent, & dissiparent. Ità fecerunt iniqui Iudæi, ità Gentiles, Nerones illi, & eis similes. Sed non est potestas contrà Dominum: ex illorum sanguinis effusione semen fidei crescebat, numerus credentium augebatur. Fundebant iniqui, vt perderent; plantabant isti in sanguine Ecclesiam sanctam, vt ædificarent, polluebant

illi

Digitized by Google

illi Templum, vt illud prophanatum extinguerent; dilatabant isti locum tentorij sui, & pelles Tabernaculorum extendebant, Isai.c.54. Non sunt viæ Domini, viæ vestræ ò iniqui, Isai.cap.55.nu.8. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, dicit Dominus,neque viæ meæ, viæ vestræ. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Nunquid,quia Sanctos occidistis,fidem Dei euacuare poteritis? ad Roman.cap.3.num.3,

Auditæ Dominum, qui gentibus dedit testem, Isai.d.cap.55.num.4. Ecce, inquit, testem populis dedi eum, Ducem, ac Præceptorem gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis, & gentes, quæ te non cognouerunt ad te current, &c. Et quis resistet ei? Iob cap.9.num.4. & num.13. Deus, cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur, qui portant orbem; & vos puluis, & vmbra, fidem Dei euacuare poteritis? ò stulti, ò vos pauperes, qui ità in vos iram Dei incitatis, vt perpetuò in flammis ignis æterni cruciemini: Sapien.cap.5.num.13. cum sequen. vidè Augustin.

Posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam, quia in illis partibus iàm penè fructus deficiunt, iàm Christi fides euanuit, iàm Ecclesia in pomorum custodia facta est, & destructa, iàm non est qui requirat eam.

Posuerunt enim morticina seruorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestijs terræ, Morticina enim propriè sunt mortuorum corpora. Antequam enim paterentur iustorum corpora, morte præoccupati ex animorum afflictione, vt etiam in mortuos sæuitiam suam, illi iniqui ostenderent, carnes volatilibus cæli tradiderunt; non enim amplius animas illorum tentare poterant, vt bestijs terræ illas traderent, nàm scriptum habebant, ne tradas animas nostras bestijs terræ, & animas interfectorum tuorum, seù pauperum tuorum, ne obliuiscaris in finem, Psalm.73.num.19. Sed quare volatilibus cæli tradiderunt? crederem, quia vitam illorum æstimabant insaniam, & finem illorum sine honore, Sapien.cap.5.num.9. ideò dicebat Apostolus, se prædicare mortem Christi, Gentibus stultitiam, Iudæis verò scandalum, 1.Corinth.cap.1.num.23. volatilibus cæli morticina tradebant, quia illorum honorem volatilibus similem existimabant, qui, vt vagantes hùc, illùc perducuntur, donec transeat spiritus illorum, & euanescat, quasi similes eis essent. Carnes verò Sanctorum bestijs terræ, quia illis visum erat insipientibus eos mori vt bestias, cap.3. in Sapien.num.2. & exitus illorum æstimata est afflictio, calamitas, seù punitio in exterminium illorum insipientium opinione, ideò traditæ eorum carnes bestijs, quasi bestiarum carnes.

Augustin. verò hìc litera C. dicit, Quod dictum est morticina, hoc repetitum est, carnes, & quod dictum est seruorum tuorum, hoc repetitum est, Sanctorum tuorum, illud tantummodò variatum est, volatilibus cæli, & bestijs terræ, &c. sequitur. Cum ergo, sicut dixi, ad agricolam suum spiritus Martyrum velut poma transissent, morticina eorum, & carnes eorum posuerunt volatilibus cæli, & bestijs terræ, quasi quicquam eorum resurrectioni deperiret. Et occultis naturæ finibus totum reintegratur ab illo, cui & capilli capitis nostri numerati sunt. Hæc Augustin. Nec paucos fuisse illos, quorum corpora bestijs proiecta sunt, existimes, quorum morticina volatilibus cæli dederunt, subditur enim,

Etiu-

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem, & non erat, qui sepeliret; In circuitu Ierusalem, tempore Titi, & Vespesiani, non erat nec illis dabatur aditus ad fugam; intus verò numerus erat Iudæorum, & aliorum, qui ferè omnes occisi sunt, itàvt illorum sanguis extrà ciuitatem per cloacas exiret, tanta erat occisorum sanguinis abundantia.

Sed nunquid, & Ecclesiæ nostræ hæc excidia in toto terrarum Orbe fuerunt? Legant, qui scire desiderant Ecclesiasticas historias, Martyrologia Sanctorum, & stupebit, quanta & intra Ecclesiam sanctam Romæ degentem fuerint millia millium, & centena millia, quanta in eius circuitu, idest per totum terrarum Orbem excidia iustorum, & martyrio, Isai. 54. Multi filij desertæ magis, quàm eius, quæ habet virum, & paulò post. Et qui eruit te, Deus Israel vocabitur, Augustin. circuitus ergo huius Ierusalem in hoc Psalmo intelligendus est, quousque tunc fuerat eadem Ecclesia dilatata, fructificans, & crescens in vniuerso mundo, quoniam in omni parte eius persecutio sæuiebat, & Martyrum stragem, quorum sanguis sicut aqua effundebatur, cum magnis lucris thesaurorum faciebat, nec erat qui sepeliret, quia iàm charitas defecerat, vel timor crescebat, ideò sepelire mortuos non audebant. Idem Augustin. lib. 1. de Ciuit. Dei, et in lib. Vnico de cura pro mortuis gerenda, lit. A. Tom. 4. vbi, Multa, inquit, corpora Christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam à cœlo, & à terra separauit, quam totam implet præsentia sui, qui nouit, vndè resuscitet, quod creauit. Ad exagerandam magis ergo hìc crudelitatem eorum ponuntur insepulta corpora Sanctorum, qui ista fecerunt, non ad eorum inclementiam, qui ista perpessi sunt; dura enim, & dira hæc videri possunt in conspectu hominum, pretiosa tamen est in conspectu Domini mors Sanctorum eius, sequitur vers.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio, & illusio his, qui in circuitu nostro sunt. Sed quomodò subsannatio facta es, & opprobrium vicinis tuis, ò Ierusalem, ò Hebræorum Synagoga, quomodò in circuitu, si nec vicinos, nec existentiam habes in aliquo loco? Is Dominus lætatus est in dispersione tua? Audi quid dicat Moyses, Deut. cap. 28. num. 63. Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosq. multiplicans; sic lætabitur, disperdens vos, atque subuertens, vt auferamini de terra, ad quam ingredieris possidendam, dispersit te Dominus à summitate terræ, vsquè ad terminos eius, &c. vbi ergo circuitus tuus, si inter gentes pauidus, dispersus es? si oculi tui deficiunt, & anima tua consumpta est mœrore, & vita tua quasi ante te pendens, timens nocte, & die, & non credens vitæ tuæ? ibid. num. 65. vbi ciuitas tua? Ierem. cap. 32. num. 31. cum iàm à conspectu Dei sublata sit, vide quid dicat Deus ibi, In furore, & in indignatione mea facta est mihi ciuitas hæc, à die, qua ædificauerunt eam, vsque ad diem istam, qua ablata est à conspectu meo, propter malitiam filiorum Israel, & filiorum Iuda. De ciuitate ergo Ierusalem, idest de Ecclesia sua sancta loquitur Deus, vndè Augustin. hìc. Secundum autem Ierusalem liberam matrem nostram vicini sunt, & in conspectu eius, inter quos inimicos suos habitat Ecclesia in circuitu Orbis terrarum, quibus inimicis, idest hæreticis, existentes salui in Ecclesia Dei facti sunt in opprobrium, nàm qui prius fratres erant, hæretici facti, separati sunt ab illa, quam quotidie persequuntur, portæ tamen inferi non præualebunt aduersus eã.

Quid

Quid dicimus? an impleta sit hæc Prophetia in Ecclesia Dei? & quidem si tempora Romanorum inspiciamus vsque ad Constantinum Imperatorẽ, consideremus, quot millia Martyrum, quot Sanctorum corpora bestijs terræ, & volatilibus cæli tradita? itàvt qui pauci ex Christianis remanserunt, quæ reliquiæ superfuerunt, & in speluncis, criptis, & in sepulturis stragem fugientes persequentium diù ibi latuerint. Quid de Maumethica persecutione, & Arrianorum seditione in Africæ partibus? & quid de modernis dicam hæreticis, & Ecclesiæ persecutoribus, quot terrarum spatia deturpauerunt, & Templa? quot Ecclesias, & Ecclesiasticas personas destruxerunt, & interfecerunt? dicant qui in Gallia, in Anglia, in Germania, & in alijs partibus, quorum nominum longa esset enarratio, & adhùc durant.

Sed vsquequò Domine irasceris in finem? accendetur velut ignis zelus tuus? Vsquequò Christiani peccatores, vsquequò qui aliquando ex gremio fuistis, ò hæretici facies vestræ confundentur? Ierem.cap.7.num.19. Nunquid ad iracundiam prouocant me, dicit Dominus, ecce furor meus, & indignatio mea conflatur super locum istum, super viros, & super iumenta, & super lignum Regionis, & super fruges terræ. Et succendetur, & non extinguetur. Non irascitur ergo Dominus, nec perturbatur, sed ipsi se dignos efficiunt ira eius propter scelera sua, quibus iram thesaurizant, & vasa iræ euadunt, vndè Gregor.lib.32. Moral.cap.7. Furor Domini dicitur non perturbatio diuinæ substantiæ, sed super peccatores malè sibi conscios examinatio iustæ vindictæ; quamuis enim eum in iudicio tranquillum videant, tamen, quia feriendos se ab illo non dubitant, eum suis motibus perturbatum putant. O Domine libera Ecclesiam tuam ab hoste maligno, quia tu misericors, & iustus, & tu Domine miserere nobis, Psalm.114.nu.4. Conuertamur fratres ad Dominum, & ipse auertet iram suam à nobis; Schismatici enim sunt, & Hæretici, quorum Ecclesiæ destructæ sunt, & ipsi dispersi, & extrà Ecclesiam positi. Cessabit ergo Domini ira, si adimpleueritis Dei præcepta: cessabunt verbera, si conuersi ad Dominum, de commissis delictis pœnitentiam agentes, confiteamini peccata vestra, & tunc cessabit iniquitatis vindicta, Ezech.cap.18. & 33.

Accendetur velut ignis zelus tuus: vsquequò Domine irasceris? an in finem vsque accendetur velut ignis zelus tuus? & continebis vsque in finem in ira tua misericordias tuas? vsquequò exaltabitur inimicus super Ecclesiam tuam? respice Domine, & exaudi preces tribulatæ Ecclesiæ tuæ, Psalm.12.nu.1.& 3. Vsquequò iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ? Psalm.73.num.1. Non irascitur Deus vsque in finem, nisi tu hæretice, & peccator persistens in delicto tuipsius obliuus fueris, vsque ad finem, vsque ad exitum animæ tuæ, & tunc accenditur sicut ignis zelus eius contrà te, ad Roman.cap.1.num.18. Reuelatur, inquit, ira Dei de cælo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Ille in tranquillitate ingiter manens, exercet admirabili æquitate vindictam, Augustin. ad Simplicianum, lib.2. quæst.2. lit. F. Tom.4. Sed quærendum est, quomodò zelus Dei, sicut ignis accendatur, quid est zelus Dei? quid est alium zelare? Nàm cum Deus suam creaturam non vult perire, sæpe castigat, corripit, atque flagellat, vt flagellando ad se reducat, Idèò velut ignis accendetur zelus eius, sicut in igne probatur argentum, & aurum, Sapien.cap.3.num.6. Tanquam aurum

in

Digitized by Google

in fornace probauit illos, &c. Vel aliter zelare Dei est, cum nullum peccatum impunitum vult reliquere. Iustus enim est, & ideò omnis iniustitia execrabilis est illi, quam, vt dictum est, impunitam vllo modo relinquere patitur. Irasci verò dicitur Deus, inquit Augustin. in lib. Vnico de essentia Diuinitatis litera G. Tom. 4. Non animi motu, vel qualibet perturbatione, quæ illi omninò accidere non potest, sed creaturæ delinquenti, idest hominibus impijs, & peccatoribus iustam inferre dicitur vltionem, hoc est enim illis reddere, quod merentur, & hæc vltio diuina, & ira, vel furor eius dicitur, hæc Augustin.

Vos ò Hæretici, Schismatici, Ecclesiam Dei speluncam latronum fecistis: Zelus domus suæ comedit illum, castitatis enim exactionem à vobis, & à Christianis specialiter requirit, & ecce cum vos inuenisset ementes, & vendentes in domo sua, flagellis eiecit de Templo, & sicut palmites à vite separatos dabit vos igni, vt comburamini, Ioan. cap. 15. numer. 6. Nos verò castigat, vt ab eo correcti, & castigati legem ipsius non contemnamus, sed opere exerceamur in illa. Non ergo Domine in nos, qui intrà Ecclesiam tuam, in vite sumus, accendatur vt ignis zelus tuus; non tuam decet misericordiam, quòd sæuiat zelus tuus, & vt ignis vsque in finem continuet in nos, qui lignum quidem sumus fragile per nos, non tamen excisi ab illo, qui est lignum plantatum secus decursus aquarum, & vitis vera, in qua & viuimus; Non accendatur ignis in nobis, ne nos comburat, consummat, & ad nihilum reducat, vt in igne perpetuò comburamur.

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, & in Regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt; Iàm in hæreditatem tuam venerunt gentes, polluerunt Templum sanctum tuum, comederunt Iacob, &c. nos afflicti, & sustinentes, quia peccauimus tibi, & tu Domine illos misisti, vt flagellarent nos, vt cum de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam; & illis, qui in vita sua insensatè, & iniustè vixerunt, per hæc, quæ fecerunt iniquè, dedisti summa tormenta, Sapien. cap. 12. nu. 22. Quæ hìc Psalmista gentibns imprecatur, haud maledictio sunt, sed Prophetia, per quam quæ iniquis mala sint præparata, declarat. Effundit enim Deus super istos, iram suam, quando minus gentes illæ alienæ ab ipso videntur; tunc enim non solum eas castigat, sed consummit, & ad nihilum redigit. Effunde iram tuam, August. hìc lit. G. ista prophetatio est, non optatio, non maleuolentiæ voto ista dicuntur, sed spiritu præuisa prædicuntur, sicut de Iuda traditore, quæ mala illi fuerant pro suis meritis euentura, ità propherata sunt, quasi optata sint, Ierem. 10. nu. 25. Effunde iram tuam super gentes, quæ non te cognouerunt, & super Prouincias, quæ nomen tuum non inuocauerunt. Quia comederunt Iacob, & deuorauerunt eum, & consumpserunt illum, & decus eius dissipauerunt. Hæc Ierem. Sed si gentes illæ Romanæ diuinæ iustitiæ executores fuerunt; quare prophetatur malè de illis? Cur puniuntur? quare indignationem iræ Dei contrà illos precatur, vel prophetizat? Responsio colligi ex illo potest, quod legimus in libro Iob c. 1. n. 6. Interrogatus Satan à Deo vndè veniret, &c. Nunquid considerasti seruum meum Iob, cui non sit similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo? nunquid dicit illi Satan, frustra timet Deum Iob? vallasti enim eum, ac domum eius, &c. Exequutorem

illum

illum fecit Dominus, vt probaret Iob; vide ibi Diaboli contrà Iob inuasiones; exequutor Dei fuit. Quamuis iniquus, & creatura Dei, inimicus Dei, cuius iussioni, & voluntati, quamuis contradicat, non tamen resistere potest. Romani, vel Antiochus; quamuis fuerint iustitiæ diuinæ exequutores, mala tamen voluntate fecerunt, ex odio nempè, & suæ virtuti arroganter attribuendo, quod à Deo fiebat, extulerunt se in cogitatione animarum suarum, sicut Satan ex odio, & inuidia inuasit res, & domum Iob, & carnem quoque eius graui vlcere vulnerauit, vt eum desperatum perderet. Sic gentes in hæreditatem Domini venerunt, vt perderent omnes; comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt, non tamen contrà Ecclesiam Dei prævaluerunt, nec vnquam prævalere poterunt; licet ad tempus patiatur Dominus iustos in illa existentes tentari, vt ij magis probentur. Pascua enim Ecclesiæ, hæretici, & hostes aliquando comederunt, & comedunt, & in ouile irrumpere tentant, vt perdant.

Effunde Domine iram tuam super illos, dicamus nos, quia te cognouerunt; Luc. cap. 12. numer. 47. ille seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis, qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Cognouerunt te Domine isti hæretici, isti infideles, nàm in omnem terram exiuit sonus Apostolorum. Dissipentur Domine Iesu, quia te cognouerunt, & à te recesserunt; immo locum Iacob, idest Ecclesias tuas, in partes diuersas existentes inuasorunt, desolauerunt; gregem tuum comederunt, locum Iacob, idest loca tua Christe dissipauerunt, comederunt. Nec est inconueniens hæc dilatatio, vt locus pro locis intelligatur, vt Augustin. hìc litera I, nàm ab ipsa diuina Scriptura, hoc genus locutionis alienum non est, posuit enim ranam pro ranis, locustam pro locustis, & innumerabilia talia.

Comederunt Iacob, nàm multos in suum malignum corpus, hoc est in suam societatem terrendo transire coegerunt. Augustin. Quamuis illis pro merito pessimæ voluntatis ex ira Dei digna reddenda hæc sint, non tamen aliquid aduersus hæreditatem eius valere potuissent, nisi eam voluisset ipse pro peccatis eius flagellando emendare.

Effunde iram tuam in illos, nàm te cognouerunt Domine, indurauerunt enim facies suas supra petram, & noluerunt reuerti, & etiam effunde iram tuam in regna, quæ te non inuocauerunt, nàm etsi scirent vias tuas, ipsi tamen simul fregerunt iugum, ruperunt vincula. Veniat leo de sylua, & percutiat illos, Ierem. cap. 5. num. 4. Comederunt Iacob, sic comedet eos, vt vermis vestimentum, & sicut lanam ità deuoret eos tinea; salus autem tua Domine in sempiternum erit, Isai. cap. 51. num. 8.

Sequitur vers. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Reddit rationem dispersionis, & punitionis Iudæorum, quia nempè in iniquitatibus Patrum suorum permanentes, iram Dei meruerunt, propterea dicit iniquitatum nostrarum antiquarum, quod ad litteram declarat Hieron. cap. 9. numer. 14. dicens ex ore Domini, Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non ambulauerunt in ea, & abierunt post prauitatem cordis sui, & post Baalim, quod didicerunt à Patribus suis. Idcircò ego

Digitized by Google

cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis, & diſperdam eos in gentibus, quas non nouerunt ipſi, & Patres eorum, &c.

Poſtquam vexati reuertentes ad Dominum præuentionem miſericordiæ Dei cito poſtulant dicentes; Iàm pauperes facti ſumus nimis, ne memineris iniquitatum parentum, & noſtrarum, ſed cito anticipent nos miſericordiæ tuæ Domine, quia valdè pauperes facti ſumus. Peccatum enim noſtrum cognouimus, dolentes confitemur, præueniat Domine indulgentia tua in iudicio, vt abſoluti veniam conſequamur, pauperes enim nimis facti ſumus, Auguſtin. Hoc vult intelligi anticipare nos miſericordiam Dei, vt noſtra paupertas, ideſt infirmitas, eo miſerante, adiuuetur ad eius præcepta facienda, ne ad iudicium eius damnandi veniamus. Notandum eſt ergo, vt adiutorium à Domino mereamur accipere, quid faciendum, nempè præmittendam ex corde noſtrorum peccatorum confeſſionem, dolorem de illis habentes, quia ſi in peccatis permanſerimus, nimis pauperes facti ſumus. Quæ enim maior paupertas, quàm ſummo bono carere, quàm Deum non habere appropinquantem ſibi? ſine ipſo enim nihil ſumus, Ioan.c.1. Vndè in Append. Auguſt. ad Tom.5. num.43. fol.249. in paruis. Creaturæ rationalis, vel intellectualis bonum, quo beata ſit, non niſi Deus eſt, quod ei non ex ſeipſa eſt, quia ex nihilo creata eſt, hoc enim adepto, ſit beata, quo amiſſo, miſera. Hæc decerpta ex Auguſtin. de bono naturæ.

Ne ergo, inquit, memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Quaſi dicat, quia nos de præteritis ſumus dolentes, & confuſionem noſtram cognoſcimus, & confitemur tibi; concedè nobis Domine, quod promiſiſti, quòd quotieſcunque peccator ingemuerit, & de perpetratis pœnitens, & confeſſus fuerit, non amplius peccatorum eius reminiſcentiam habebis, nec de illis recordaberis, Ezech. cap.18.nu.21. Sed cum dicit Pſalmiſta, Ne memineris, &c. an forſan obliuio cadit in Deum, vel memoria? cadit memoria in puniendo, ſi tu peccator in peccato perſiſtis delinquendo; non cadit verò illa, ſi peccator pœnitens recedit à peccato, & præcepta Dei ſeruat, vt ſupra in Ezech.d.c.18. & 33. pœniteat ergo te peccaſſe, & Deus non recordabitur iniquitatis tuæ, vt puniat, vt te deleat, allegatur notabile Gregor. dictum in lib.32. Moral. c.5. Quis neſciat, inquit, quia Dei memoria, nec obliuione rerum rumpitur, nec recordatione ſarcitur? ſed cum aliqua deſerens permittit, more noſtro obliuiſci dicitur, & cum poſt longum tempus, quæ voluerit, viſitat, noſtræ mortalitatis more recordatus vocatur. Quo enim pacto diuinitatis eius vim obliuio diſſipat, cui ipſa quoque laudabilis memoria concordat? nullus namque niſi præterita, aut abſentia recordatur. Quomodò ergo Deus præteritorum reminiſcitur, cum ipſa in ſemetipſis prætereunt, eius verò nutui ſemper præſentia exiſtunt? Aut quomodò abſentium recordatur, dum omne, quod eſt, per hoc illi præſto eſt, quòd in ipſo eſt; quòd ſi præſto non eſſet, omnino non eſſet; nàm non exiſtentia videndo creat, exiſtentia videndo continetur. Quidquid creator non videt, eſſentia ſubſiſtendi caret. Adde tu; quæ Auguſtin. ſubtiliter ſcripſit in lib.15. de Trinit.cap.16. Tom.3. litera C. Nàm in ſcripturis dicuntur cogitationes Dei, ſed eo locutionis modo, quo ibi & obliuio Dei datur, quæ vtique ad proprietatem in Deo nulla eſt, &c.

Niſi recedas ergo ab impietate tua, non miſerebitur tui Deus, & tunc dicitur

Digitized by Google

citur etiam obliuiſci Deus, quod vtique non per crudelitatem facit, quæ in Deo non eſt, ſed per occultum, iuſtumq. iudicium ſuum. Auguſtin. in lib. Vnico de Eſſentia Diuinitatis litera H. Tom.4. Sicut indurare dicitur Deus quorundam malorum corda, ſicut de Pharaone Rege Ægypti ſcriptum eſt, non quod omnipotens Deus per potentiam ſuam induret, quod eſt impium ità credere, ſed exigentibus eorum culpis, cum duritiam cordis, quam ipſi ſibi mala perpetrando nutriunt, non aufert, quaſi ipſe eos induret, quia iuſto iudicio indurari ſinit: ſic dicitur Deus peccatoris obliuiſci, quando eum relinquit in ſuo ſenſu, & ità vt ſua culpa augeatur illi pœna delicti.

Nos verò Domine Deus adiuua, quia tu es ſalus noſtra, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum: adiuua nos Deus ſalutaris noſter; Quomodò Saluatorem confiteretur Deum, niſi ſeipſum pauperem agnoſceret, vndè Auguſtin. hìc litera K. Salutaris noſter, ſatis exponit, quam voluerit paupertatem, in eo, quòd dixerant, quoniam pauperes facti ſumus nimis, ipſa eſt quippè infirmitas, cui ſalutaris eſt neceſſarius. Cum verò adiuuari nos vult, nec ingratus eſt gratiæ, nec tollit liberum arbitrium, Qui enim adiuuatur, etiam per ſeipſum aliquid agit, hæc Auguſt. Agnoſcas ergo Ieſum Chriſtum Redemptorem tuum neceſſe eſt, qui in infirmitatibus, in tribulationibus petis illum tui adiutorem; & vt habeas adiutorem, confitere te pauperem peccatorem. Citò ergo anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes ſumus, & peccatores, & mandatis tuis non obediuimus; nunc parce confitentibus, quia intrauerunt aquæ vſque ad animam noſtram, ſaluos fac nos Domine, Pſalm.68.num.1 Quid eſt enim homo, qui viuat ſine peccato, niſi tu miſereariſ, qui ideò veniſti, vt crucifigereris pro peccatore, vt morte tua mortuum illum à morte liberares; propter ergo nominis tui gloriam libera nos à morte, qui tollis peccata mundi, miſerendo nobis, & deprecationem noſtram ſuſcipendo. Iàm paupertatem meam miſeriam, & infirmitatem ego cognoſco; paratum eſt cor meum Domine, exurge Domine, adiuua me, Pſalm.107.numer.1. & 2. quia ſine te anima ſalua non poteſt conſiſtere.

Ne dicant in nationibus coram oculis noſtris. Qui erunt dicentes in nationibus? qui? niſi hæretici, niſi Optimates? de quibus ſupra, qui reperti ſunt magis fregiſſe iugum? dixerunt enim in corde ſuo, non eſt Deus Chriſtianorum, Pſalm.13. Veni Domine, adiuua nos propter nomen ſanctum tuum, quod eſt Ieſus, vt à facie tua defluant montes, & notum fiat nomen tuum inimicis tuis, Iſai.cap.64.num.1. & ardeant igni, & ſicut exuſtio ignis tabeſcant; es namque tu Domine ignis conſummens, Deut.cap.4.num.24. Mich.1.nu.3. Sub te conſummentur montes, & ſcindantur eorum iniquitates, & impietates, ſicut cera à facie ignis, & ſicut aquæ, quæ decurrunt in præceps, ignis ante faciem tuam præcedet, & in circuitu tuo à facie tua inflammentur inimici tui, Pſalm.96.num.1.

Nos verò, qui nomen tuum in auxilium inuocamus, & in illo ſperamus, clementiam tuam imploramus, vt in nomine tuo ſaluos nos facias, & ab inimicorum noſtrorum manibus nos eripias; propter nominis tui gloriam, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum, quod eſt ſalus noſtra, propterea quia ſuper Chriſtum filium tuum poſuiſti tu Domine omnia peccata

noſtra, qui attritus eſt propter ſcelera noſtra, Iſai. cap.53. num.5.

Ne fortè dicant in gentibus, vbi eſt Deus eorum, & innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris. Simile habemus, Exod.cap.32.num.12. Ne quæſo dicant Ægyptij, callidè eduxit, vt interficeret eos in montibus, &c. Ne fortè dicant in gentibus, & innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris. Sed quæ ſunt gentes, & nationes? Inſuper quid te extollis Propheta? Gentes venerunt, polluerunt Templum, deſtruxerunt Ieruſalem, ſanguinem Iudæorum veſtrorum effuderunt, & occiſorum numerus ità magnus, vt in circuitu Ieruſalem ſanguis, vt aqua flueret, & neque reperiretur, quis ſepeliret eorum cadauera, &c. ſi coram oculis veſtris Deum veſtrum non eſſe dicerent, quid faceretis? contrà quos erit veſtra vindicta, ſi nec veſtrorum vllus remanſit in illa terra. Dici poſſet gentium nomine ſignificatum populum in afflictione poſitum, qui nec Deum forſan ſciuerunt, Ierem.cap.5.nu.4. nationum verò appellatione eas deſignatas, quæ ex diuerſis Iudæorum Tribubus oriuntur, vndè dicit Pſalm.72. num.15. Ecce nationes filiorum tuorum reprobaui, & Pſalm.17.nu.50. Confitebor in nationibus, & Pſalm.105.num.47. Saluos nos fac Domine, Domine Deus noſter, & congrega nos de nationibus, ideſt de diſperſione noſtrorum Iudæorum, quæ eſt inter gentes. Melius tamen de Gentilibus intelligamus, qui dixerint, Vbi eſt Deus eorum, quaſi non ſit hæc inſultatio ferenda, quòd coram oculis noſtris in nationibus Iudæorum diſperſis, gentium perditarum vox emanet, quia ſic mala irruerint ſupradicta in nos, & ciuitatem noſtram, vt videatur, vel non eſſe Deus Hebræorum, vel ſi eſt, non valere tamē Hebræos iuuare, quaſi impotens ſit, ſed ſi impotens, neque Deus eſſe poſſit, quia Deus eſt omnipotens. Simile quid habemus in Iudith.cap.6 numer.2. cum ſequen. Quoniam prophetauit nobis Achior, dicens, quòd gens Iſrael defendatur à Deo ſuo, vt oſtendam tibi, quoniam non eſt Deus, niſi Nabuchodonoſor, &c.num.5. Si ergo eſt Deus Iudæorum, vel non poteſt iuuare, & erit impotens, vel poteſt, & non iuuat, neque vult, ergo crudelis. Contrà te Domine eſt iſtorum blaſphemia; non panaris, vt in oculis noſtris talia dicere præſumant, talis enim iniuria non eſt ferenda. Cæterum hoc dicent forſan gentes, nos tamen dicamus, quòd quia iuſtus eſt Dominus, & vos Iudæi peccatores, non eſt Deus Hebræorum, quia à peccatoribus longè eſt ſalus, Pſal.118.in.155. & vos propter peccatum longè facti eſtis à Deo veſtro, Iudith 5. Vſque dum non peccarent in conſpectu Dei ſui, erant cum eis bona, Deus enim illorum odit iniquitatē, & cum receſſiſſent à via, quam dederat illis Deus, vt ambularent in ea, exterminati ſunt prælijs à multis nationibus. Non ergo vt ipſos vindicet, iactant ſe boni æmulatores, ſed rogant ne in oculis ſuis magis affligantur, & doleant, ne ex ſuis ſint, qui nomen Dei negent, qui Deum Iudæorum non eſſe aſſerere præſumant.

Neque verò, quia Iudæos flagellauit Dominus, ideò dici poteſt crudelis, ſed iuſtus, & qui iuſtitiam diligit. Non eſt enim crudelis Iudex, quia crudeles iugulare mandat, latro enim crudelem Iudicem appellat S.Hieron. in Iſai.cap.13. in principio, relatus in cap. Non eſt crudelis 23. quæſt.5. cap. Non eſt crudelis cum ſequen. & Auguſtin. in Pſalm.6. litera E. Non ergo, inquit, æſtimandus eſt Deus tamquam crudelis, cui dicitur, & tu Domine vſquequò? non eſt Deus Iudæorum, qui negantes illum, alieni à ſalute facti ſunt, propterea tener, quod dicitur de conſequentia, quia factis negauerunt, & negant; Pilato

enim

enim dixerunt, se alium Regem non habere, nisi Cæsarem, Ioan. 19. nu. 25. Rogant iusti Dominum pro remissione vindictæ, dicentes.

Vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum. Quid est, quod Propheta dicit, nisi quod hæc vltio semper sit in exemplum, & in memoriam peccatorum, & iniquorum; quia si olim filijs suis, & dilectis hæc talis inflicta est pœna sanguinis tàm generalis, quia in Dominum peccauerunt, quanta erit illorum pœna maior, qui olim in oliuæ arborem inserti sunt, si alieni facti sint ab Ecclesia propter iniquitates, & scelera sua? Exciditur ramus, vt igne comburatur perpetuò, & hoc est quod dicit Propheta, & Deum deprecatur; vt hæc vltio sanguinis intret in conspectu Dei, & gemitus compeditorum, idest illorum, qui peccatorum, & iniquitatum vinculis ligati, quasi in compedibus sunt adstricti, facit Eccles. cap. 7. num. 8. Non alliges duplicia peccata, nec in vno eris immunis. Si ità filijs, quia deliquerunt, hæc vltio Domini, qualis maior in te erit, qui adoptiuus iàm factus, ingratus, & sceleribus plenus, à Domino Saluatore recesseris? cum Psalmista ergo pœnitens, & dolens, dicas.

Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum, idest mei peccatoris à nexibus peccatorum meorum in compedibus detenti, & ità iuxtà Græcos, & etiam secundum D. Hieron. diuidemus versiculum, dicendo:

Vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est, deinde sequitur, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum, S. Hieron. hìc hanc particulam explicat, dicens, vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est; Iudicium hìc innocat, quo sanguis Martyrum exquiratur à Domino, qui in Apocal. cap. 6. ait, Quiescite modicum, donec impleatur numerus conseruorum vestrorum.

Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum, qui te per longas lacrymas requirentes absolui, & tecum esse desiderant: Hæc Hieron. Nostra verò superior prima expositio illi, quam Augustin. hìc ponit conformari videtur litera D. ibi, sed nimirum compedes sunt infirmitas, & corruptibilitas corporis, quæ aggrauant animam. Per eius enim fragilitatem, velut quorumdam dolorum, molestiarumq. materiam, ad impietatem poterat compellere persecutor. Ab his compedibus concupiscebat dissolui Apostolus, & esse cum Christo, manere autem in carne necessarium propter illos, quibus Euangelium ministrabat, ad Philip. cap. 1. num. 23. Donec ergo, inquit, corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem, velut compedibus caro infirma promptum impedit spiritum, 1. Corinth. c. 15. n. 53. Nos compedes non sentiunt, nisi qui in semetipsis ingemiscunt grauati, habitaculum, quod de cælo est, superindui cupientes, quia & mors horrori est, & mœrori vita mortalis; pro his Propheta gemitibus ingemiscit, vt intret in conspectu Dei gemitus compeditorum: Addit & Augustin. quòd possunt illi compediti intelligi, qui præceptis sapientiæ colligati sunt, qui patienter sustentata in ornamenta vertunt, vndè scriptum est, Inijce pedem tuum in compedes eius.

Secundum magnitudinem brachij tui posside filios mortificatorum. Non solum quorum sanguis est in terra perfusus, sed & eorum filios in magnitudine, in potentia brachij tui posside, vt quos dedit tibi Pater, nemo à te tollat. Filios mortificatorum, inquit, idest illorum, qui in fide permanentes

Digitized by Google

mortui sunt. Et erit sensus, vt non solum Martyrum filios, sed & fidelium, qui post baptismum in Domino mortui sunt. Mortificatorum ergo filios intelligamus dictum de his, de quibus in Psalm. 43. num. 22. Propter te mortificamur tota die, & æstimati sumus sicut oues occisionis, mortificantur enim mundo, vt viuant Deo, viuunt autem Deo, verbo, & exemplo filios procreando, vnde dicit Paul. 2. Corinth. 6. num. 13. Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris, pariem habentes remunerationem; tamquam filijs dico, dilatamini & vos, &c. & idem Paul. 2. Corinth. cap. 6. nu. 18. Et ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias. Maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare, & ad Galat. cap. 4. num. 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Postlide ergo filios mortificatorum secundum magnitudinem brachij tui, ne aliquo errore maculentur. Non sit infructuosus sanguis noster effusus, dicunt Martyres, non sit infructuosa fides tua, quam filijs nostris docuimus, idipsum dicunt & mortificati in Domino; sed illos in adoptionem tuam recipias: Inde creseat seges, quam perituram putabant hæretici, & infideles.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, improperium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi Domine. Quid per vicinos, nisi qui extrà Ecclesiam sunt, intrà quos vsque ad finem separationis habitura est Ecclesia? non optat malum, dicit Augustin. sed prophetizat, quod illis erit venturum: Occidunt illi corpus, persequuntur Sanctos Dei: dilacerant Ecclesiam sanctam, quid amplius facere possunt? nihil certè: sed Martyribus, sed Ecclesiæ Sanctis, quod maius est tribuunt, quamuis insensati, eos perdidisse præsumant: illis verò sic persequentibus plenitudo pœnarum reseruata est. Hìc in sinu, idest in abscondito, in occulto, vt vindicta, quæ nunc agitur in occulto, post innotescat in nationibus ante oculos. Augustin. litera G. Homo namque cum datur in reprobum sensum in interiore sinu accipit suppliciorum meritum futurorum; hæc Augustin. Septuplum redde; Isto numero plenitudo significatur, sicut & de bonis, cum dicitur, centuplum accipiet in hoc sæculo, quod positum est pro omnibus, quasi dicat, nihil habentes, & omnia possidentes, Marc. cap. 10. num. 30. Perfecta erit pœna illorum, quæ in retributionem malorum, quæ fecerunt, retribuetur illis. Arbitrabantur, nomen Dei delete de terra exprobando nomen Domini. Improperium ipsorum, quod exprobauerunt tibi Domine.

Quatenus verò septuplam retributionem in bonam partem recipiamus, vt censuit hìc Cassiodor. dicamus, Redde pro improperio compunctionem cordis, vt dolentes, & pœnitentes reuertantur ad cognitionem nominis tui, & salui fiant; redde septuplum, idest perfectam pœnitentiam, & dolorem in corpore, vt salua fiat anima illorum. In sinu ergo eorum redde septuplum, per quod perfectione doni cælestis impleantur, vt Spiritu sancto repleti, in secreto animæ, vbi fit conuersio. Ideò in sinu dicit; pro iniurijs, & opprobrijs laudes tibi reddent, & gratiarum actiones.

Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ confitebimur tibi in sæculum. Nàm consolatione sancti Spiritus repleti, per totum mundum prædicabimus, confitentes, quia tu Domine Iesu Christe es filius Dei viui, redemptio nostra,

Via,

Google

Via, Veritas, & Vita; nos verò, quorum gloria in te solo est, confitebimur tibi in sæculum; quia oues pascuæ tuæ sumus, quia ex Euangelio nati, & nutriti, & pasti sumus, & lac sicut oues Ecclesiæ tuæ accepimus, laudes tibi canentes in æternum confitebimur tibi.

In generatione, & generationem annunciabimus laudem tuam; ideſt in sæculum sæculi, qui oues pascuæ tuæ sumus, quos delere conabantur inimici tui, cum Ecclesia permanentes in generatione, & generationem, quia semper duratura est, nec prævalere contrà eam potuerunt portæ inferi, annunciabimus laudem tuam, quia vt nos saluares, nostra peccata tulisti, vt nos liberares mortem nostram, morte tua doleſti. Annunciabimus, & confitebimur, quia opera tua Domine bona sunt valde, Eccles. cap. 39. numer. 21. Tui memoria Domine non recedat à nobis, sed semper à generatione, in generationem nomen tuum requirimus, laudes tuas annunciet Ecclesia tua; Florete Martyrum flores, & piorum confessiones, quasi lilium, & date odorem florentes in gratiam, vt nos filij vestri collaudantes, Dominum benedicamus in operibus suis, & nomini eius demus magnificentiam, & illi confiteamur in voce labiorum nostrorum, Eccles. cap. 39. num. 13. cum sequen.

Veniat nobis in exemplum Ignatius sanctus, cuius hodie memoria agitur in Ecclesia, tertius enim post Petrum Apostolum Episcopus Antiochenæ Ecclesiæ, Traiano Ecclesiam persequente, ad bestias damnatus Romam mittitur de Syria, scripsit illemet ad Romanos. Pugno ad bestiás in mari, & in terra, nocte, dieque ligatus cum decem Leopardis, militibus scilicet, qui me custodiunt, quibus & cum benefeceris peiores fiunt, iniquitas enim eorum, mea doctrina est, sed non idcircò iustificatus sum. Vtinam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparatæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & allici ad comedendum me, ne sicut aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere. Quòd si venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuorer. Ignoscite, inquit, mihi filioli, quid mihi profit, ego scio; nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his, quæ videntur desiderans, vt Iesum Christum inueniam. Ignis, Crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant, tantùm Christo fruar. Cumque damnatus iàm esset ad bestias, & ardore patiendi rugientes audiret Leones, ait, Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. Psalmus Asaph, Canticum in Cithara Ignatij, Asaph congregans, Ignatius Episcopus, vt congreget martyrio coronatus. Quid psallitis? quid canitis Deo Prophetæ, & Sancti Dei? psallite, & canite, vt & ego vobiscum psallens, dicam.

SOLILOQVIVM.

DEVS venerunt gentes in hæreditatem tuam, in templum animæ meæ, quod est tuum, in qua spiritus tuus habitat, vt succumbens in tentationibus, in vitijs crescentibus aduersario subdatur, vt coinquinata criminibus dispergatur. Circuunt Dæmones, & custodiunt illam, sicut poma custodiuntur, vt irruentibus vitijs, & tentationibus consentientem, illam deuorent. Car-

nem

nem meam varijs oblectamentis, & imaginarijs tentationibus exponere tamquam morticinum fatagunt ſibijpſis volucribus cæli, ac beſtijs terræ, Sanguinem affectuum meorum non in Ieruſalem, ac in cæleſtia, ſed extrà in circuitu ad vana effundere conantur, vt non ſit qui ſepeliat, illos compeſcens. Dumq. per gratiam tuam Domine conſtans eſſe obnitor in cordis mei ſimplicitate, opprobrium factus ſum, & ſubſannatio ijs, qui me oderunt, vicinis Chriſtianis quidem, at impijs, & extrà Eccleſiam vitam meam, inſaniam reputantibus.

Vſquequò Domine accendetur zelus tuus? an iraſceris vſque in finem; ecce Domine, quia & vſque in finem, te adiuuante, te miſerante, diſciplinam tuam paratus ſum ſuſtinere, quia per hanc ſcio, te me diligere. Effunde Domine iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, qui legem tuam ſcire neglexerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt, in Primates, qui magis iugum tuum frangere conantur, qui populum tuum comederunt, & hæreditatem tuam perdiderunt, illam ſibijpſis incorporantes, & ad falſa, & iniqua trahentes. Mearum verò iniquitatum, vel parentum meorum ne memineris; anticipent me citò miſericordiæ tuæ, quia ſine te pauper factus ſum nimis in hoc mundo. Veni Domine, & relaxa facinora mihi ſeruo tuo, propter merita paſſionis filij tui, Domini mei Ieſu Chriſti, ne quando dicant, qui me perſequuntur inimici mei, ſenſus mei, domeſtici mei, vbi eſt Deus tuus; ſi tota die ſine adiutorio perturbationes mentis, & corporis pateris? Adiuua me Domine Deus propter gloriam nominis tui, vt per mortem filij tui, à morte me eripias, & propitius ſis peccatis meis. Gemitus cordis mei quaſi in compedibus inimicorum meorum detenti, in conſpectu tuo introeat, & preces Eccleſiæ tuæ ſanctæ, & ſanguis ſanctorum tuorum pro me clamantium, ad te perueniant, vt me dignum facias promiſſionibus filij tui. Poſſide Domine per potentiam brachij tui filium mortificatum, vt exemplo ſanctorum tuorum à vitijs, & concupiſcentijs abſolutus, euadam minas Iudicum. In ſinu meo, in carne mea potius redde ſeptuplum, ne in iudicio cum reprobis reprobus fiam: Tu paſtor, ego ouis tua intrà paſcua Eccleſiæ tuæ poſita in ſæculum confitebor, quia tu es Deus meus, & Redemptor meus, tibi filio cum Patre, & Spiritu ſancto, Trinitati indiuiduæ honor, & gloria in ſempiterna ſæcula ſæculorum. Amen.

Aue Virgo Virginum, & Mater Chriſti, quę hodie filium tuum in Templo preſentaſti, ecce ego ſenex cum Simeone adoro filium tuum, & te Matrem, & Virginem confiteor, & agnoſco, & adoro, fac me dignum Mater miſericordiarum, vt me ſene infantem Chriſtum ferente in cordis mei vlnis, ipſe filius tuus regat meam ſenectutem, vt factus in puero puer, innouatus in ętate efficiar mundus totus à peccato. Tunc & ego dicam exultans; Nunc dimittas ſeruum tuum Domine, quia dignus factus ſum tua pietate à ſpirituali morte liberari, & eripi. Amen.

IN.

Digitized by Google

IN PSALMVM LXXIX.

Qui regis Israel, intende: qui deducis velut ouem Ioseph.

TITVLVS, In finem. Pro ijs, qui commutabuntur, testimonium Asaph, Psalmus. Sic habetur in vulgata: Augustin. verò, & alij iuxtà Textum Græcum habent, In finem. Pro ijs, qui commutabuntur, Psalmus pro Assyrijs, testimonium Asaph.

Asaph quod significet congregans, suprà dixi. In finem, psallit Asaph, prophetizat laudes Christi, qui est finis, cantando pro ijs, qui commutabuntur, ferens testimonium fidele de Christo venturo, ideſt de primo aduentu Christi, ijs, qui commutabuntur, qui verbo, & testimonio eius crediturí sunt, siuè Iudæis, siuè Gentibus, ex quibus Iudæis scilicet, & Gentibus vnica vinea Domini, vnica Ecclesia fit. Ex isto igitur Psalmo, in finem diriguntur, ideſt in Christum Iesum ij, qui commutabuntur, qui, relictis Idolis, qui auditis, quę de Iesu Christo per Apostolos, & Euangelistas Ioannem, & alios plenè crediturí sunt, simulq. factis implebunt, quę in Euangelio præcipiuntur, relictis figuris, & antiquis obseruationibus, ad Dominum conuertentur, scriptum enim habemus, quia lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem, Matth. cap. 11. num. 13. & Luc. cap. 16. num. 16. Ex eo enim dicit Lucas, Regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit; omnia enim priora in figuris contingebant illis, cessarunt figuræ postquam venit, per quem factæ sunt figuræ, Iesus Christus: Psalmus ergo iste Asaph Synagogæ tendens in finem, estquè testimonium pro ijs, qui commutabuntur, & pro superbis, & Assyrijs conuertendis, quibus & bonis, & malis est testimonium Asaph, quo iusti consolentur, superbi commutentur, relicta ipsorum superbia, & perfidia, atque humiliati teneant Catholicam fidem, iter conuertentes ad Dominum, qui est vera via, Etenim Asaph illuminatus prophetizat de capite Christo, de Rege & plebe, de pastore & grege, vt cu factus de grege Domini pastoris simul, ac ducis illum sequens, illuminata fias ouis, nec amplius ambules in tenebris.

Et ità ad præcedentem Psalmum continuabitur præsens, vt scilicet dicamus, quia supra visum est, quòd credentibus in Domino, & bonum operantibus veniat auxilium à Domino Iesu Christo, nunc cum duorum testimonio credendum sit, propterea Asaph illuminatus psallens duplici ratione idipsum contestatur, quia idem nempè Iesus noster sit pastor, & noster item agricola, quæ illiusmet luce agnoscimus.

Summa hæc esse videtur; Liberantur à dæmonis captiuitate, qui in finem, ideſt in Christum commutantur.

Incipit ergo Psalm. Qui regis Israel intende, qui deducis velut ouem Ioseph. Quis regit Israel, nisi Deus? Exod. cap. 3. num. 7. cum sequen. & cap. 6. num. 7. Assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus, & scietis, quia ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, & induxerim in terram, super quam leuaui manum meam, vt dare eam Abraham, Isaac, & Iacob, dabóq. vobis possidendam ego Dominus, Psalm. 47. num. 15.

&

& Psalm.80. Quoniam ipse est Dominus Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula. Intendat ergo, qui regit Israel, deducat qui deducit velut ouem Ioseph, quas oues, nisi de quibus in Euangelio, Ioan.cap.10.num.16. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas me oportet adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor? quas ex Israel regit, & alias ex ouili alieno adducit, vt fiat vnum ouile, & vnus pastor. Qui ergo Israel regit, deduxit velut ouem Ioseph, nàm nos, qui longè aliàs eramus, sumus propè in sanguine Christi, ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem macériæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, &c. ad Ephes. cap.2.numer.14. & 18. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem, &c. & veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem illis, qui propè. Deduxit ergo Ioseph, idest fidelem populum de Gentibus: Ioseph enim augmentum interpretatur, & mortuo grano frumenti auctus est multus populus Dei; Augustin. hìc: Qui deducis, inquit, velut ouem Ioseph, ipsum Ioseph, velut oues, ipse Ioseph oues sunt, & ipse Ioseph ouis est; Ioseph enim, vt in Genes. cap.37. & 41. à fratribus venditus, à suis exhonoratus, apud alienigenas exaltatus, ex quo intelligere possumus, in cuius grege esse debeamus, simul cum illis, qui iàm dirigunt cor suum, vt lapis reprobatus ab ædificantibus fiat in caput anguli, tenens duos parietes, de diuerso venientes, sed in angulo concordantes, hæc Augustin. Quis Ioseph Iesus Christus, qui tamquam ouis ad occisionem ducitur, Isai. cap.53. Oues Ioseph & nos quoque sumus, quia sub grege pastoris ouis, nos ducimur ad pascua eius.

Qui sedes super Cherubin, manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse. Qui cælestibus, ait, notus es Angelis, manifesta etiam teipsum hominibus hìc nominatis, Ephraim, qui fructificatio interpretatur, vt & ipsi, quos tu Domine scis, & ad quos mittendus es, sint Cherubin, qui sedes gloriæ tuæ sunt, & plenitudinem habent scientiæ. Quod hisce explicat Gregor. in homil. de Angelis, Cherubin sunt vocata illa summa Angelorum agmina, cum tantò perfectiori scientia sint plena, quantò Dei charitatem vicinius contemplantur, ideò omnia sciunt amplius, quò vicinius Deo facti sunt appropinquantes, & ideò sedere dicitur, quia omnis scientia, & cognitio creata ei subditur, vndè 1.Reg. cap.2. Deus scientiarum dicitur & Dominus, sedet ergo super Cherubin, quia omnem scientiam creatam dat illis, ideò sedens, quia sedendo docet; Sap.cap.9.num.4. Da nobis sedium tuarum assistricem sapientiam, vtq. anima nostra eiusdem sedes sit sapientiæ.

Appare coram Ephraim, Ephrem fructificatio, Beniamin filius dexteræ, Manasses oblitus, Augustin. Appare coram fructificatione, coram filio dexteræ, appare coram oblito, vt iàm non sit oblitus, sed venias illi in mentem, qui eum liberasti. Si enim gentes commemorabuntur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, populus ipse de Abraham veniens, non habuit parietem suam, qui gaudeat in angulo, cum scriptum sit, Isai. cap.10.num.2. reliquiæ saluæ fient? & ad Roman. cap.9.num.27. Cherubin, sublimes esse Cælorum potestates, atque virtutes, tamen si vis, Cherubin eris; si enim Cherubin sedes est Dei, audi quid dicat Scriptura, Anima iusti sedes est sapientiæ,

quo-

quomodò, inquit, ero plenitudo scientiæ? quis hoc implet? habes vndè impleas, plenitudo legis charitas, ad Roman.cap.13. noli per multa ire, atque distendi, terret te ramorum diffusio, radicem tene, & de magnitudine arboris noli cogitare, sit in te charitas, & necesse est plenitudo scientiæ consequatur; quid enim nescit, qui charitatem scit? quandoq. dictum est, Deus charitas est, hæc Augustin.

Manifestare te, ò fili Dei, manifestare Ephraim, hominibus iustis tuis, qui repleti sapientia tua, nomenq. tuum prædicantes fiant fructiferi, vt gentes, quæ illos de doctrina tua loquentes audierint suscipiant verbum tuum.

Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos, Non ergo de illis duobus Cherubin de auro puro, qui erant in Arca testamenti, vt in Exod.37. Orat enim filium Dei, qui est sapientia Dei, qui sedet super Cherubin, vt veniat, nostq. scientiam suam doceat, & potentiam suam manifestet, in liberando nos à morte peccati, ideò inquit, veni vt saluos nos facias; Vndè in alio loco dicitur, Veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ.

Veni ergo tu Domine Iesu in carne nostra ad nos, sed excita potentiam, postquam veneris, vt virtute tua resurgas à mortuis, quia in passione Iudæis te crucifigentibus visus infirmus es; dicebant propterea, si filius est Dei, descendat de Cruce, Matth.c.27. prævaluerunt homines, qui te ausi sunt crucifigere, sed quando prævaluerunt? quando tu voluisti: prius enim prævaluerat Iacob Angelo in luctando, Genes.cap.28. vt supra, prævaluit homo, & victus est Angelus, & homo victor tenet Angelum, & dicit, non dimittam te, nisi benedixeris mihi, Augustin. hic dicit, Magnum Sacramentum, & stat victus, & benedicit victorem; Victus, quia voluit, carne infirmus, maiestate fortis, & benedixit, vocaberis, inquit, Israel; tetigit tamen & femoris latitudinem, & aruit, eundemq. hominem vnum fecit & benedictum, & claudum; Vides claudicasse populum Iudæorum, vide & ibi benedictum genus Apostolorum, hæc Augustin.

Coram ergo Ephraim appare potentiam excitando, vt resurgendo fructificent in fide Apostoli, claudus verò remaneat, quia Iudæi à te sine benedictione tua recedentes, te negauerunt, dicentes, quis es tu? quem te facis? Crucifixus in infirmitate resurge in virtute, vt tecum nos resurgentes, efficiamur similes tui, ad hoc enim sancti omnes ad illa gaudia perueniunt, vt tibi similes esse possint, Vndè D. Gregor. in Exposit. Beati Iob lib.18.cap.27. ante medium. Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, & quamuis in alio loco Psalm.34.num.10. scriptum sit, Domine quis similis tibi: & iterum quis similis erit Deo inter filios Dei? Psalm.70.num.19. & Psalm.85.num.8. & Psalm.88.num.7. Similes enim erimus ad imaginem, non tamen ad æqualitatem similes ei erimus; aspiciendo quippè æternitatem Dei sit nobis, vt æterni simus; & dum visionis eius donum percipiemus, ex perceptione beatitudinis, imitabimur quod videbimus. Similes ergo erunt Sancti, quia Beati sunt, & tamen Creatori similes non sunt, quia creaturæ sunt; similitudinem habere quandã dicuntur, & tamen increati æqualitatem non habent, Gregor. siuè Paterius in lib. super Psalm.34. cap.78. Excita ergo Domine potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos, vt tui similes facti, cum Sanctis tuis vita fruamur æterna, sed si Domine nos non conuerteris,

teris, vt faciem tuam videre possimus, quomodò salui esse poterimus? quocirca optimè subiungit Psalm. orando, dicens.

Deus conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus. Iàm auersi sumus à te, & nisi tu conuertas, non conuertemur; & si nubem carnis faciei tuæ posuisti, quomodò faciem tuam super nos illuminabis, si tu Domine nos non conuerteris? Cum pendens in ligno non es putatus filius Dei, tamquam velum infirmitatis ante te positum est; propterea dicebatur in Isai. 53. num. 2. Non est speices ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & num. 3. & quasi absconditus vultus eius, & despectus, vndè nec reputauimus eum. Augustin. Ità, ait, factum est; præsentem in terra Christum, & miracula facientem non agnouit Asaph; mortuum tamen, postquam resurrexit, & ascendit in Cælum, agnouit, compunctus est, dixerat & de illo totum hoc est testimonium, quomodò agnoscimus in hoc Psalmo, Illumina faciem tuam, & salui erimus; lucidam & tu fac faciem tuam, si faciem Iesu Christi illuminantem videre cupis: illuminat te in terra, vt in Cælo faciem illius illuminatam videre possis; est enim, dixit Ioan. c. 1. lux vera, quæ illuminat omnem hominem in hoc mundo: si ergo te conuerteris anima, & Deus conuertetur ad te, & conuertet te, & ante faciem eius stabis. Et si separaueris pretiosum à vili, quasi os eius eris, Ierem. cap. 11. numer. 19. iàm enim velum Templi scissum est, surrexit Dominus, faciesquè eius lucida est, aperta est, iàm ad Patrem iuit, facies Dei glorificata est; suscipe verbum, quod tibi prædicatum est, & sta in excelso, & illuminaberis à Deo: si stans eris respiciens terrena, quomodò faciem eius, qui est Deus virtutum videre poteris, qui stat in Cælo? si ab illo auersus sis, quomodò faciem illius videbis? Conuertere ergo tu, idest vocationi diuinæ assentias, & conuerteris ab illo, vt & ille conuertatur ad te, & videbis faciem eius, ideò factus est homo, vt tu conuersus, qui iàm eras auersus ab illo, faciem, idest filium Dei videas, & gratiam illius plenè consequaris, facies enim Domini est plena gratiarum, Esther cap. 15. numer. 17. sed si Domine nos serui tui sumus populus tuus, cur quotidie nos vexari permittis ab inimicis tuis? ideò Psalm. dicit.

Domine Deus virtutum, quousquè irasceris super orationem serui tui? Quousquè Ecclesia tua, populus tuus orans non exaudietur à te? Scrutemur fratres Christiani vias nostras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum; leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in Cælos. Ideò oppositi nubem sibi, ne transeat oratio, quia peccauimus ei, & iniquè egimus, ad iracundiam illum prouocantes, Thren. cap. 3. num. 40. Tolle peccatum, & nubes lucida fiet. Auertet iram suam à nobis, si ad illum nos pœnitentes conuertamur, Ierem. cap. 12. num. 4. Quousquè lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea. Augustin. Conuertisti nos, agnouimus, & adhùc irasceris in oratione serui tui. Ità planè irasceris, vt Pater corrigens, non vt Iudex damnans, ità planè irasceris, quia scriptum est Eccles. cap. 2. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Ne putes iàm transisse iram Dei, quia conuersus est, transijt, sed ne damnet in æternum, flagellat autem, non parcit, quia flagellat omnem filium, quem recipit. Si flagellari detrectas, recipi quare desideras? Flagellat autem omnem filium, quem recipit: flagellat omnem,

quia

d by Google

quia vnico filio suo non pepercit? sed tamen quandiù irasceris in orationem serui tui? non iàm inimici tui, sed in orationem serui tui irasceris: quandiù? sequitur.

Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis, in mensura. Vt Dominus veniat, precatur, desiderat, & quodammodò impellit, sed si, ò Dauid, cibum lacrymarum sumpturus tunc es tu, & qui aduentum Domini expectant, cur excitas illum, vt veniat? qui regis Israel intende inquis: Nunquid calicem, quem ipse bibiturus est, & tu bibes? cur si potum dabit in lacrymis, & in mensura: quid te de potu lacrymarum, & pane doloris iactas, si tu taliter sumpturum te profers? in alio quippè loco dixisti, panem te tamquam cinerem manducare, & potum cum fletu miscere. Damnum, quod quis sua culpa sentit, dicunt Legistæ, sibi imputetur. Non se iactat Propheta, sed te docet, te monet, qui ad seruitutem Dei accedere cupis, vt tu ad tentationes sustinendas sis paratus, ad tribulationes, & persecutiones pro Dei exaltatione, & honore sis securus; quia illas sustinendo tibi duplicabitur corona ad gloriam æternam, iacula enim præuisa minus feriunt.

Cibabis ergo, inquit, pane lacrymarum, vt spiritualis ignis in nobis accendatur, qui secreta mentis nostræ illuminat, Vndè Augustin. Tom.4. lib. Vnico de Salutaribus documentis, cap.42. litera E. Vbi, inquit, fuerint lacrymæ, ibi spiritalis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat; nullus nos sæculi amor ab amore Christi segreget, & totæ nostræ cogitationes ad præmia futuræ patriæ tendant, & de cælestibus meditentur; hæc est gloria tua, hæc est perfectio cursus certaminis tui, &c. Iàm tunc absterget Dominus lacrymas ab oculis Sanctorum, neque erit amplius luctus, neque vllus dolor, quoniam priora transierunt, Apocalyps.cap.7.numer.17. Vndè Augustin. in Psalm.41. litera G. Cibum istum, qui panis dicitur, die comedunt homines, panis autem lacrymarum, & die, ac nocte comeditur, siuè totum tempus accipias diem, & noctem; siuè diem intelligas pro huius sæculi prosperitate, noctem verò pro huius sæculi aduersitate; siuè, inquit, in prosperis rebus sæculi, siuè in aduersis rebus sæculi, ego desiderij mei lacrymas fundo, ego desiderij mei auiditatem non defero, & cum in mundo benè est, mihi malè est, antequam apparebo ante faciem Dei. Quid ergo dicis? quasi gratulari me cogis, si aliqua huius sæculi prosperitas arriserit, nonnè deceptoria est? nonnè fluxa, caduca, mortalis? nonnè temporalis, volatica, transitoria? nonnè plus habet deceptionis, quàm delectationis? Cur non & in ipsa fiant lacrymæ meæ panes? siquidem, & cum felicitas sæculi circumfulget, quandiù sumus in corpore, peregrinamur à Domino, & dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus? dabis ergo nobis panem lacrymarum, dum veneris, & potum in lacrymis, in mensura, nàm & si Domine veneris, in carne tamen nostra venturus, neque te videbimus, quia hac nube carnis operieris, quia te tamquam despectum videbimus, vbi, inquiunt, crucifigentes, & Pagani, est Deus tuus? fuerunt mihi quotidie lacrymæ meæ panes, dulciores sunt lacrymæ orantium, quàm gaudia Theatrorum. Quomodò ergo non dulcis lacrymarum panis, qui faciem Domini, ex qua omne bonum procedit, visurum spero.

Potum dabis nobis in lacrymis, sed in mensura, quousquè scilicet fiat immutatio nostra. Sed quando cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis

in mensura? nisi quando in finem commutabuntur ex testimonio Asaph, Ecclesiæ tuæ sanctæ, quæ te Deum verum Iesum Christum filium Dei prædicat, & te talem esse credendum præcipit. Quando fidem habueris etiam tamquam granum sinapis, nunquid gloriaberis, quia dæmonia eijcere poteris? non in hoc erit gloria tua, Matth. cap.17.numer.19. Luc.cap.17.numer.6. sed quia filius Dei factus eris, si vsque ad finem vitæ tuæ perseueraueris, quia nomen tuum scriptum sit in Cælis, Luc.cap.10.nu.20. Quis ergo fidem habens non præstolaueris in finem, vt ad perfectionem transeat? quis non quotidie panem manducabit doloris, donec perueniat, & dignus fiat, vt panem vitæ percipere valeat in Cælis? Ingemiscit, pauidus est, timens est, ne in vno offendat pedem suum, semper timet, dum venerit discussio, atque ventura ira. Potum dabis in lacrymis, in mensura, quia si à dextris vocaberis inter oues, cessabunt lacrymæ, & dicetur, Veni benedicte Patris mei, quia mecum in tentationibus permansisti; in mensura enim fuerunt, quia non est passus Deus, te tentari supra id quod potuisti, 1.Corinth.cap.10.numer.13. Quis ergo cogitans, & anhelans ad cælestem patriam non effundet lacrymas, cognoscens se adhùc esse in tenebroso deserto? quis non benedicet Deum, ex quo ad breue tempus dat cibum lacrymarum, & potum, vt in perpetuum amplius non esurias, in æternum amplius non sitias? Veni Domine, adauge mihi fidem, Luc.cap.17.numer.5. quò fide feruens ardenti, ità ebulliam, vt semper ficiens, & esuriens, panem lacrymarum manducando, & potum bibendo, tibi soli feruens, peccata mea lacrymis redimere valeam. Veni Domine, & produc de oculis meis lacrymarum flumina, quibus debita flammarum incendia extingui valeant.

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, & inimici nostri subsannauerunt nos. Sed quomodò coronaberis, nisi legitimè certaueris? Dei seruus es, hìc peregrinus es in mundo, Vndè dicebat Apostol. 2.Corinth.cap.5.numer.6. Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus, non per speciem; audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum, & ideò conrendimus, siuè absentes, siuè præsentes placere ei; Vndè Augustin. in d.Psal.41. litera M. Etsi vtcunque nebulis diffugatis ambulando per desiderium, ad hunc sonum (festiuitatis æternæ) peruenerimus interdum, (loquitur enim de gloria Dei) vt aliquid de illa domo Dei interdum capiamus, onere tamen quoddam infirmitatis nostræ ad consueta recidimus, & ad solitá ista dilabimur; & quodmodò ibi inueneramus, vndè gauderemus, sic hìc non deerit, quod gemamus. Etenim ceruus, de quo ibi, manducans die, ac nocte, lacrymas suas, raptus desiderio ad fontes aquarum, interiorem scilicet dulcedinem Dei, effundens super se animam suam, vt tangeret quod est super animam suam, ambulans in locum Tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, & ductus interioris, & intelligibilis soni iucunditate, vt omnia exteriora contemneret, & in interiora raperetur, adhùc tamen homo est, adhùc hìc gemit, adhùc carnem fragilẽ portat, adhùc inter scandala huius mundi periclinatur, Respexit ergo ad se tamquam inde veniens, & ait sibi constituto inter has tristitias, & comparans hæc illis, ad quæ videnda ingressus est, & post quæ visa egressus est, Quare, inquit, tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Vndè

Vidè hìc Pſalm. quaſi eadem meditando, & in hac peregrinationis miſeria exiſtens. Quare, inquit, poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannauerunt nos? Nonnè ad gentes, vt prædicarent, miſiſti Apoſtolos, de Aſaph, ideſt de Eccleſia Diſcipulos, & alios miſiſti fideles, vt prædicarent? & mandata docerent; & ecce poſuiſti nos in contradictionibus vicinorum. Iuſſiſti irent ſine calceamentis, & pera, vt mundo, & pompis eius renunciaremus, ſi tui velimus eſſe Diſcipuli. Et ecce reputati ſunt à vicinis dæmoniorum nouorum annunciatores. Prædicabant, mortuum Ieſum reſurrexiſſe. Lacrymarum cibus erat illorum, quia ij, quorum conuerſioni inhiabant, non credebant, & deridentes illos dimittebant, præcipientes, ne in nomine iſto populos ſeducendo prædicarent, Act. Apoſtol. cap. 3. cum ſequen. Contradicebant, ſed viſis miraculis, fideles facti conuertebantur, conuincebantur. Præcedebant tamen flammæ magnæ; Martyrum cibus lacrymarum, & in lacrymis potus; veruntamen in menſura, vt poſt menſuram lacrymarum ſequeretur corona gaudiorum. Et inimici noſtri ſubſannauerunt nos. Auguſtin. hìc. Et vbi ſunt qui ſubſannauerunt? diù dictum, qui iſti ſunt colentes mortuum, & adorantes crucifixum? diù dictum eſt, vbi eſt naſus ſubſannantium? nonnè nunc, qui reprehenduntur, in cauernas fugiunt, ne videantur?

Deus virtutum conuerte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Hanc orationem ter repetit in hoc eodem Pſalmo, nec ſine aliqua conſideratione quærere poſſumus, cur ſupra verſic. 4. Deus, inquit, conuerte nos, hìc verò addit Deus virtutum, nonnè ſemper idem eſt Deus virtutum? crederem, vt facilius laudando Deus excitetur ad ſaluandum. Iàm venturum Deum prædixerat, & noſtram carnem ſuſcepturum; iàm venit, & humanam carnem ſuſcepit, non hoc ſolum ſibi ſufficiens viſum eſt Domino; dilectionem erga nos ſuam voluit magis oſtendere, tradi enim voluit pro nobis, Cruci affigi, & mori, ſed & virtute ſua reſurgere, Ioan. cap. 10. numer. 17. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam, nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.

Deus virtutum, quia poteſtate tua à mortuis ſurrexiſti, qui ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & tu fili Dei, quos tu vis, viuificas, Ioan. c. 5. num. 21. Oſtende nobis nunc tu, qui es ſine mortalis carnis velamine, faciem tuam, vt viuificemur, & ſalui ſimus. Iàm in ſermone tuo manemus, te filium Dei confitemur, & Redemptorem noſtrum cognoſcimus, liberemur ergo Domine, ſicut aliàs dixiſti, Ioan. cap. 8. numer. 32. Vt oſtendas ergo nobis faciem tuam, quia in ſermone tuo manemus, & veritatem tuam cognoſcimus; fac ergo, vt tui ſimus Diſcipuli veri, & veritas tua liberet nos. Iam conuerſi ſumus, qui aliàs diſtorti eramus, oſtende ergo nobis faciem tuam, Domine virtutum, & ſaluabis nos.

Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam. Iàm vinea, Eccleſia ſcilicet, de Ægypto tranſlata eſt in manu potenti Dei, & brachio excelſo, & in terram promiſſionis, eiectis illis gentibus Amorrhæis, Hethæis, Iebuſæis, Gergezæis, & Euæis plantata, Exod. cap. 33. num. 2. Deuteron. cap. 7. numer. 24. & cap. 8. & in Ioſue cap. 11. numer. 8. Vinea ergo ex Ægypto plan-

Digitized by Google

plantata in terra promiſſionis: quid amplius Propheta ſancte quæris à Deo, niſi illius faciem, vt ſaluus ſis? Si ex Ægypto, ex ſeruitute, à malis Idololatris Ægyptijs tranſlata eſt vinea, Synagoga cum omnibus Iudæis, & in terra promiſſionis plantata, vbi lac, & mel, & in pace collocata eſt; quid amplius deſideras? iàm plantata eſt vinea, domus Dei, Iſai. cap. 5. numer. 7. qui etiam Dux itineris in conſpectu eiuſdem fuiſti. Tranſtulit, viam fecit in conſpectu eius, nondum tamen erat perfecta vinea, ſolum Iudæorum erat, ideò ſubiungit Aſaph, oſtende, inquit, faciem tuam, quia ſalui tunc erimus; planta radices eius, vt impleatur terra, nàm tempore Aſaph vſque ad mare, & vſque ad flumen regnauit, ergo de Eccleſia Dei loquitur Pſalmiſta, dicens: Plantaſti radices eius, & impleuit terram, cuius vmbra operuit montes, Prophetas ſanctos, & Patriarchas, Auguſtin. hìc. Qui ſunt, inquit, montes? Prophetæ quare operuit illos vmbra eius? quia obſcurè locuti ſunt, futura annunciauerunt, dicentes: obſerua Sabbatum, circumcide octauo die infantem, offer ſacrificium Arietis, Vituli, & Hyrci, noli moueri, vmbra eius, & cooperiens montes Dei, veniet, & poſt vmbram manifeſtatio, hæc Auguſtin.

Operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius cedros Dei, extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius. Hæc omnia de Eccleſia ſumenda ſunt, & illam dilataſti Domine à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos terræ. Cum ergo Domine vineam, quæ à Iudæis cœpit initium, ità dilataſti, ità extendiſti: Vt quid deſtruxiſti maceriam eius, & omnes, qui prætergrediuntur viam, vindemiant eam? exterminauit eam Aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Dolens Aſaph, quòd ex Gentibus, & ex paucis Iudæis amplificata ſit Eccleſia Dei, cæteri verò Iudæorum, qui viam prætergreſſi ſunt, extrà illam poſiti, maceriam vineæ deſtruxerunt. Vt quid Domine deſtruxiſti, ait, maceriam eius? iàm illa gens Iudæorum euerſa eſt, nàm non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare, & malè locuti ſunt de Deo, & tradidit Deus in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici, & hæreditatem ſpreuit, vt latius ſupra Pſalm. 77.

Vt quid deſtruxiſti maceriam eius? iàm euerſa eſt gens illa, iàm diſperſi ſunt iuxtà illud Deuteronom. cap. 28. numer. 63. Et ſicut ante lætatus eſt Dominus ſuper vos, benè vobis faciens, vosq. multiplicans; ſic lætabitur diſperdens vos, atque ſubuertens, vt auferamini de terra, ad quam ingredieris poſſidendam, &c. diſperdet te, &c. & repulit tabernaculum Silo, & tabernaculum ſuum, vbi habitauit in hominibus, in ſecuri, & aſcia deiecerunt eam, vel in dolabro, & fractorio deiecerunt eam; ſed cur deiecerunt eam? quia eorum erat ſuperbia magna, muniti erant maceria ſuperbiæ, ideò maceria deſtructa eſt eorum; tutos enim ſeipſos cenſebant in maceria vineæ, quia in Templo Domini confidebant, dicentes, quia Templum Domini, Templum Domini, Ierem. cap. 7. num. 4. Viæ tamen illorum non erant rectæ coram Domino. Venerunt gentes, deſtructa maceria, & intrauerunt in vineam, deletum eſt regnum Iudæorum. Vt quid deſtruxiſti maceriam eius? & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam, quia inimici illorum in illum præualent populum: iàm eſt deſtructa maceria, quid mirum ſi prætergredientes vindemiant eam, Deuteronom. dicto capit. 28. numer. 68. Venderis ini-

Digitized by Google

inimicis tuis in ſeruos,& ancillas,& non erit,qui emat ; deſtructa vineæ maceria prætergredientes Romani, quid fecerunt Templo, & Ciuitati ? quid Iudæis accidit ? omnes trucidati,& quod reliquum populi fuit, venditum, immo nec erat, qui emeret, talis erat illorum ignominia, & ſuperborum abiectio.

Exterminauit eam Aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam ; Aper de ſylua, porcus ſcilicet Iudæis aduerſus, & in porco ponunt tamquam immunditiam gentium : ſed à quibus gens Iudæa auerſa eſt, niſi à porco, à gentibus ; immo Aper erat, qui illos exterminauit, clauus clauo truditur ſuperbia Iudaica à ſuperbo Apro, ſublata, deuaſtata, deſtructa, ò infelices vos Iudæos ab Apro, porco ſolitario, ſeù agreſti ? ſyluæ enim erant Gentiles illi, ideſt ſylueſtres, extrà viam ſalutis : Aper ex illis, ideſt Rex ſuperbus gentium depaſtus eſt vos.

Exterminauit eam Aper de ſylua, ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Hic verſ. iudicio meo à ſuperiori verſ. recipit declarationem, quòd ſcilicet Deus poſt aſcenſionem ſuam in Cælos maceriam ſuæ deſtruxerit vineæ : hocquè à prætergredientibus viam, à gentibus fieri fecit, vt ante fidem ſuſceptam à gentibus, quæ inimici erant, fieret, quæ gens Aper, ſeù porcus dicebatur, atque immunda propter malos eorum mores : prohibitum autem erat Iudæis, ne aliquid immundum tangerent, 2.Corinth. cap.6.numer.17. nec immundam comederent ſuinam carnem, Leuit. cap.11.num.14. verùm quia iàm propter legis tranſgreſſionem, & Iudæorum grauiſſima peccata, & Idololatrias, immundi facti ſunt, & indigni, vt domum Dei inhabitarent deſtructa prius illorum vineæ maceria, permiſit, vt in immundos immundi ingrederentur. Vineam illorum diſſipauit, itàvt omnes prætergredientes dilacerarent illam, & fructus, vuam ſcilicet vindemiarent. Aper ergo, ideſt porcus de ſylua, quia extrà viam poſitus erat, vt exterminaret vineam permiſit. Verùm quia nec ei ſufficiens pœna erat, nec condigna delicto, mandauit & ſingulari fero, vt depaſceret illam.

Quis verò ſit ſingularis ferus, declarat idem Dominus per os Iſai. cap.5. num.13. propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam, &c. & num.14. propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino, & deſcendent fortes eius, & populus, & ſublimes, glorioſiq. ad eum, &c. & incuruabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi ſublimium deprimentur. Singularis ferus depaſcet eam. Quis magis ferus, ideoquè ſingularior Diabolo ? quis magis ſuperbus illo ? Iſai.cap.14.num.12. cum ſequen. Inuidia enim illius mors introiuit in orbem terrarum, Sapien. cap.2.num.24. quot millia millium deglutiuit os eius in deſtructione Ieruſalem facta à Romanis ? & quos ab illo tempore vſque adhùc poſuit in inferno, & ponit ? Singularis ferus depaſtus eſt eam, Iob cap.40.num.18. Ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius. Quid mirum ſi os eius deglutiuit illos ? ecce Iudæi ſecundum Diabolum viuentes, facti ſunt ſimiles illi, vndè dicebat Ieſus, Vos ex patre Diabolo eſtis, Ioan.cap.8.numer.44. Faciunt, quæ dixit S.Petr.2.cap.2. Hinc Auguſtin. de Ciuitat. Dei ad Marcellin. lib.14. cap.3. Tom.5. litera A. Omnium malorum caput, & origo ſuperbia eſt, quæ ſine carne regnat in Diabolo ; quis autem illo eſt inimicitior Sanctis ? quis aduerſus eos conten-

riosior, animosior, & magis æmulus, atque inuidus inuenitur? & hæc omnia cum habeat sine carne, quomodò sunt opera carnis, nisi quia sunt opera hominis, quem nomine carnis appellat? non enim habendo carnem, quam non habet Diabolus, sed viuendo secundum seipsum, hoc est secundum hominem factus est homo similis Diabolo, quia & ille secundum seipsum viuere voluit, quando in veritate non stetit, Ioan. cap. 8. vt non de Dei, sed de sub mendacium loqueretur, qui non solum mendax, verùm etiam mendacij Pater est; Primus est quippè mentitus, & à quo peccatum, ab illo cœpit esse mendacium. Desideria Diabolj Patris compleuerunt filij Iudæi; propterea inferni os apertum deglutiuit illos, & Aper de sylua vineam illorum deuastauit.

Deus virtutum conuertere, respice de Cælo, & vide, & visita vineam istam. Deus cuius virtute, cuius passione redemptus est mundus conuertere, & respice de Cælo, quia facta est quasi desolata vinea tua. Reliquiæ tantùm reseruatæ videntur; respice de Cælo, & secundò manum tuam adijcias per tuorum Apostolorum prædicationem, vt residuum populi tui possideas, Isai. 11. numer. 11. Iàm Hæretici, atque Pagani vndiquè lacerant illam, & in totum destruere conantur, respice de Cælo, & vide vineam, quam ex vtroque populo vnicam fecisti, & perfecisti eam, quam plantauit dextera tua, & super filium hominis, quem confirmasti tibi: hanc perfice Domine, vt omnes ingrediantur in illam, reliquiæ conuertantur, quia fideles tui pauci remansisse videntur ad te verè conuersi. An putas Domine, quando veneris, quod in mundo fidem inuenies? Luc. cap. 18. num. 8. Respice de Cælo Domine, & vide, & visita vineam istam tuam: An tu Domine non facies vindictam electorum tuorum ad te clamantium die, ac nocte, & patientiam in illis habebis? Vide Domine, vindictam illorum cito faciás. Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam, Isai. cap. 10. num. 22. Consummationem enim, & abbreuiationem fac Domine in medio omnis terræ, &, vt Chald. habet, Consumptionem impiorum, vt consummetur illorum nequitia, fiat vnum ouile, & vnus pastor.

Et perfice eam, quam plantauit dextera tua, & super filium hominis, quem confirmasti tibi. Et perfice, inquit, quam plantauit dextera tua, potentia tua, radix enim sancta erat, & rami, ità delibatio sancta, & massa; aliqui ex ramis oliuæ fracti sunt, siccati sunt, dextera tua oleastrum inseruit in illis, vt socius radicis oliuæ pinguedinis fieret: fracti sunt rami, & gens inserta est; per infidelitatem fracti sunt rami, ad Roman. cap. 11. num. 15. Iàm ex illis præinserti erant ramis, multi infideles, multi hæretici, & schismatici, iterum fracti sunt, rami excisi sunt, sicut & illi, qui in infidelitate permanserunt: omnia Domine in incredulitate concluseisti, vt omnium miserearis. Perfice vineam tuam istam, quam plantauit dextera tua. In illa enim est radix, ibi portatur oleaster insertus, ipsum est semen Abraham, ipsum est semen, in quo benedicentur omnes gentes, Genes. cap. 12. numer. 2. & 3. In te, inquit, benedicentur vniuersæ cognationes terræ, & cap. 26. nu. 4. benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Perfice vineam istam, quam plantauit dextera tua.

Super filium hominis, dicit, quem confirmasti tibi, perfice illam. Quis sit filius hominis, ipsemet se talem esse declarat, Matth. 8. num. 20. & cap. 9. nu. 6. Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, & dixit Paralytico surge, &c. & cap. 12. numer. 8. Dominus est filius hominis, &c. & numer. 40. &

cap. 13.

cap.13.num.41. Ioan.1.num.41. & in cap.5.num.27. Dedit enim ei iudicium facere, quia filius hominis est; Vndè Augustin. hìc. Perfice super filium hominis, quem confirmasti tibi. Quid, inquit, euidentius quid expectatis, vt vobis disputando exponamus, & non potius vobiscum admirando clamemus, Perfice vineam istam, quam plantauit dextera tua, & super filium hominis eam perfice? quem filium hominis? quem confirmasti tibi: magnum firmamentum, edifica quantùm potes; fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus, 1.Corinth.cap.3.num.11, hæc Augustin.

Perfice ergo eam, quia ante aduentum tuum Domine Iesu, nec dum erat perfecta, omnia enim in figura contingebant illis, vndè ad Hebræos cap.7. num.19. Nihil ad perfectum adduxit lex, perfice istam, vt per eandem ad gloriam perducamur. Lex enim, & Prophetæ vsque ad Ioannem: per aduentum tuum Domine, & passionem tuam cæremonialia primò adimpleta fuerunt, quarum loco Sacramenta instituisti, vt conferant gratiam, & ad gloriam introducant. Perfice ergo vineam istam, vt perfecta facta conferat nobis salutem, & gratiam super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Ab increpatione vultus tui peribunt peccata, & incensa igni, & suffossa erunt incendia, si Dei amore à peccatis abstinueris: suffossa, si timore Dei à peccatis recesseris, ab illis aufugeris: tunc ab increpatione vultus Domini peribunt, Augustin. hìc. Omnia peccata duæ res faciunt in homine, cupiditas scilicet, & timor; sic è contrà amor Dei, & timor eius ducunt ad omne bonum: amas enim vt benè sit tibi; times, ne malè sit tibi; hoc age in Deo non in sæculo, vterque amor incendit, vterque amor humiliat, sed aliter, & aliter. Perfice eam, quam plantauit dextera tua, nàm etsi incensa igni, & suffossa, si tu Domine illam visitaueris virescet, & iterum fructus afferet, & à vultu iræ tuæ peribunt inimici eius. Increpa inimicos, & fiat tranquillitas maris, mitte in os tuum amoris spiritum. Perfice ergo eam, & visita, & incensa igni superbia, & suffossa auaritia ab increpatione vultus tui peribunt, humiles enim fient ex superbis, & thesaurizabunt sibi thesauros in cælo, non in terra, non in fossa, vbi ærugo, & tinea demoliuntur. Veni ergo Domine, & noli tardare, vt à vultu iræ tuæ deleantur peccata populi tui; mitte Domine, quem missurus es, vt vineam tuam visitet, quæ desolata reperitur.

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium tuum sit omnis potestas tua, provt factum idemmet dixit, Data mihi est omnis potestas in cælo, & in terra, Matth.cap.28.num.18. Et super filium hominis, quem confirmasti tibi. Ipse enim dixisti, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite, Marc. cap.9.num.6. Et super filium hominis, idest super filium Mariæ Virginis, ex progenie Dauid, de qua Ierem. cap.31.nu.22. Creauit Dominus nouum super terram, femina circumdabit virum, dicit Deus omnipotens; femina enim illa est Virgo Maria, quæ vtero circundedit virum à conceptione perfectum Iesum Christum, filium Dei.

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, quia sine illo, quem mittendum rogo, non est salus hucusquè Synagogæ tuæ, Ecclesiæ tuæ. Magnum Sacramentum, quia nemo veniet ad illum, nisi Pater suus traxerit illum, Ioan.c.6. num.44. venit enim adimplere legem, Matth.cap.5.nu.17. nisi legem adimple-

pleuisset, quomodò ex lege salus facta esset ? ex operibus enim legis non iustificabitur omnis caro coram illo, ad Roman.cap.3.num.20. Ipse enim virtus est in salutem omni credenti, ad Roman.1.nu.16. Vnde ad Hebr.cap.5.num.9. Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam; & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxtà ordinem Melchisedech.

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ; Fiat manus tua, misericordia tua super nos per filium tuum, quem missurus es, & ab illo non discedemus, qui viuificabit nos, & ipsius inuocabimus nomen, quod est Saluator, vt nos saluet, quia ipse docebit nos, terrena despicere, & solum cælestia desiderare. Habebat vetus illud testamentum promissa terrena, & hæc amabantur à nobis, ideò diligebatur, vt aliquid nobis daret in terra. Augustin. hìc. Quid amas? vt Deum non ames? amas ne aliquid, quod ille non fecit? circumspice vniuersam creaturam, vide vtrum alicubi cupiditatis visco tenearis, & à diligendo creatorem impediaris, nisi ea re, quam creauit ipse, quem negligis: amas ista, quia pulchra sunt? possunt esse tàm pulchra, quàm ille, à quo facta sunt? miraris hæc, quia illum non vides: sed per ea, quæ miraris, ama quem non vides; interroga creaturam, si à se ipsa est, remane in illa: si autem ab illo est, non ob aliud pernicioſa est amatori, nisi quia præponitur creatori? quare hoc dixi? propter istum versum fratres; mortui ergo erant, qui propterea Deum colebant, vt eis secundum carnem benè esset; Sapere enim secundum carnem mors est, ad Roman.cap.8. & mortui sunt, qui non gratis Deum colunt, deest quia ipse bonus est, non quia dat talia bona, quæ dat, & non bonis: pecuniam vis à Deo? habet & latro. Vxorem, fœcunditatem filiorum, salutem corporis, dignitatem sæculi, attendo quàm multi mali habent; hoc est totum propter quod eum colis, nutabunt pedes tui, putabis te sine causa colere, quando in eis vides ista, quæ ipsa dat etiam malis, se solum seruans bonis.

Viuificabis ergo nos, nàm mortui eramus, quando terrenis rebus inhærebamus; mortui eramus, quando terreni hominis imaginem portabamus; viuificabis nos, innouabis nos, vitam interioris hominis dabis nobis. Et nomen tuum inuocabimus, deest te diligemus, tu nobis dulcis eris, remissor peccatorum nostrorum, tu eris totum præmium iustificatorum, hæc August. Deus virtutum conuerte nos, ostende faciem tuam, & salui erimus, vt latius suprà diximus.

SOLILOQVIVM.

O Domine, qui regis me tota mente cupio te videre, Pastor meus es, qui in cruce, & sanguine tuo me ouem in tuo deduxisti ouili; intende, & te mihi manifestare, qui sedes super Cherubim, quatenus scientia plenus es totus, & charitate. Veni Domine, & de morte salua me; si conuersus conuerteris me, faciem tuam videns, saluus profecto ero. Tibi peccaui, pœnitens sum, ne vltra irascaris super me, quem lacrymarum pane cibasti, atque potasti: in mensura tamen, vt permanens, & sustinens, tuam merear super me exci-

Digitized by Google

excitare potentiam; Qui ad me appropinquantes sunt, vicini mei, & subsannantes me contradicunt, blasphemantesq. aiunt, vbi est Deus tuus? Tuere Domine sanctam Ecclesiam tuam, vineam, quam de Ægypto transtulisti, & eiectis gentibus plantasti, Patriarcharum, & Apostolorum virtutibus, & fide refertam, & opertam, prædicationibus Euangelij ornatã: ità vt palmites eius vsque ad mare extensi sint; & propagines eius per baptismi regenerationem vsque ad flumen. Præsta Deus meus, vt & ego illius propago, in vinea hac permaneam, quò plus fructus afferre iugiter possim. Cæcitatem aufer à me, ne maceria animæ meæ diruatur: at semper firmus in fide, valeam tibi sincero corde seruire. Singularis, & ferus est inimicus Diabolus, animam meam circuit ingredi vt possit in illam, & tamquam aper de Sylua ingrediens eam, depascat. Conuertere Domine Deus virtutum, cuius nomine fugantur dæmones, conuertere respiciens de cælo, visita & vineam istam animæ meæ, quam dextera tua plantauit, & confirmasti tibi; nàm mecum vsque ad consummationem te esse velle dixisti. Incensa igni superbia, & suffossa in terra auaritia, à vultu iræ tuæ peribunt eius destructores. Fiat Domine sancte Pater super populum tuum, & me manus tua, ipsoquè mediatore, Saluatoreq. meo, pane vitæ, quem de cælo misisti, refectus nunquam discedam à te, & tibi fide adhærens viuificabis me. Patri gloria, & imperium tecum, & cum Spiritu sancto, & nunc, & in sæcula sæculorum. Amen.

IN PSALMVM LXXX.

Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob.

TITVLVS, In finem. Pro Torcularibus, Psalmus ipsi Asaph, quinta Sabbati; idest die Iouis, qui vnus è celebrioribus erat post Sabbatum,

Continuari potest ad præcedentem, vbi de fide cum operibus dictum est, talibus ergo ità operando obtemperantibus, hìc diuinum, Propheta promittit præsidium, & fauorem. Exultate, inquit, Deo, &c. qui scilicet fidem cum operibus habetis contemptis sæcularibus mente in cælestibus eleuemini, qui fonte Baptismatis estis abluti.

Iàm aliàs supra de torcularibus diximus, Psalm. 8. Non hìc de torcularibus actualibus, de quibus hìc nulla fit mentio: de spiritualibus ergo intelligit, hoc est de Ecclesiæ mysterijs, non enim tribulationum pressuræ deficiunt in Ecclesia, in cuius torcularia proijciuntur mali, boni verò, & iusti præmia consequuntur, & ne, quia dixi in Ecclesia esse torcularia, rem nouam dixisse videar, audi Isai. 5. num. 2. Vineam plantauit Dominus, &c. & torcular extruxit in ea, quæ verò sit Domini vinea, declarat ibid. nu. 7. Vinea Domini exercituum domus Israel est. Calcauit ipse Dominus solus torcular in Ecclesia, vt per Isai. ipse dixit, cap. 63. num. 3. Ego, qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum, quare rubrum est ergo indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular, inquit Dominus, calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum; calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aspersus

est

eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui, &c. Torcular ergo calcauit Dominus, Thren.cap.1.num.15. Matth.cap.21. num.33. Torcular in Eccleſia, in qua ſunt boni, & mali, racemus, & vua, oleum, & amurcha, vinum, & acinum, quando plenum eſt torcular, quando exuberant torcularia, quando multiplicata erit malitia, Ioel cap.3.num.3. Calcabit Dominus in furore, & malos conculcabit, Iſai.d.cap.5. in ira ſua; vinum verò de torcularibus ſuſtollet, Ierem.cap.48.num.33. vinoq. & oleo redundabunt torcularia, Ioel cap.2.num.24. Auguſtin. hìc litera C. Accipite ergo torcularia myſterium Eccleſiæ, quod nunc agitur; in torcularibus tria animaduertimus, preſſuram, & de preſſura quædam duo, vinum condendum, alterum, proijciendum, fit ergo in torculari conculcatio, tribulatio, pondus, & in his oleum eliquatur occulto gemellarium, amurcha publicè per plateas currit. Intendite ad hoc magnum ſpectaculum, non enim Deus deſerit dare nobis, quod cum gaudio magno expectemus, aut circi inſania huic ſpectaculo comparanda eſt? illa ad amurcham, hoc ad oleum, &c. ità ergo in Eccleſijs eſt præſſura tribulationum pondus paſſionum, per quod fit diſcretio bonorum, & malorum, quos eadem Sacramenta coniungunt, racemus in vite habet vinum, & acinum, & oliua in arbore oleum, & amurcham; ſic Eccleſiaſtica Sacramenta bonis, & malis communia ſunt. Sicut autem vinum, & oleum preſſura torcularis eliquata reconduntur, acinus, & amurcha proijciuntur velut in ſordibus conculcanda, & accedente preſſura tentationum, iuſtus iuſtior fit, & ſordidus ſordeſcit magis, Apocal. Ioan.cap.22.num.11. Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhùc, & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhùc. Quando ergo, dicit Auguſt. auditis contumaciter garrire blaſphemos, & dicere, abundare preſſuras temporibus chriſtianis, ſcitis enim, quia hoc amant dicere. Et vetus quidem, ſed à temporibus chriſtianis cœpit prouerbium; Non pluit Deus, dic ad chriſtianos, quanquam priores iſta dixerunt; Iſti autem modò dicunt, & quia pluit Deus, dicant chriſtiani, non pluit Deus, non ſeminamus; pluit Deus, non triturabimus, & inde volunt ſuperbire, vndè deberent amplius ſupplicare, eligentes blaſphemare magis, quàm orare; non vos conturbent, cum talia hìc iſti dicunt: puta, quia preſſuræ abundant, tu oleum eſto; nigra tenebris ignorantiæ amurcha inſultat, & illa tamquam per plateas proiecta publicè inſultat, tu apud te in corde tuo, vbi qui videt in occulto reddet tibi, liquare in gemellarium. Oliua in arbore quibuſdam quidem tempeſtatibus agitatur, non tamen preſſuris atteritur, ideò vtrunque ſimul pendet ex arbore, & quod proijcendum eſt, & quod recondendum eſt, at vbi ad torcular, & preſſuras ventum fuerit, vtrunque diſcernitur, dirimitur, & aliud appetitur, aliud reſpuitur. Auguſt.

In finem ergo, ideſt in Chriſtum pro torcularibus, ideſt pro bonis, & iuſtis, qui in torcularibus poſiti vinum remanſerunt, & oleum, Aſaph, ideſt Eccleſia gratias agit Deo quinta Sabbati; nàm quinta die ſeptimanæ fecit Deus ex aqua piſces, & volatilia, Geneſ.cap.1. ſed piſcibus in aquis remanentibus, aues volant ad alta, per quod Baptiſmi, ſacramentum ſignificatur, quo aliqui renati ſunt tamquam aues, qui temporalibus contemptis mentes ſurſum eleuant ad cæleſtia; alij verò tamquam piſces in fluctibus huius ſæculi remanent curioſi.

Pro torcularibus ergo, ideſt pro his, qui baptizati ſunt, & in torcularium

preſſura

preſſura diſcreti ſunt, & iuſti inuenti, Pſalmus iſte cantatur congregationi Dominicæ; ità Aſaph interpretatur, Fortis ergo, & in fide permanens ſis anima mea, vt in torculari poſita, & ſuppreſſa vinum ex illo exiens, de fructu boni operis tui, exultes Aſaph, & Eccleſia in Domino. Vosq. omnes Chriſtifideles, qui Pſalmum Aſaph canitis, qui in finem, in Chriſti torculari exiſtitis.

Exultate cum Aſaph Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob. Quia vos eſtis minor populus, cui maior ſeruit; exultate Deo pſallendo, interiora cordis veſtri manifeſtantes, ità vt nihil aliud præter Deum quæratis. Non ventri exultetis, ſicut Eſau, qui propterea primogenituram amiſit; Sed Deo Iacob, qui ſacrificium Deo obtulit. Ex vos nanque Iacob dici poteſtis, quia ex populo minori Iacob eſtis. Exultate, & ſimul iubilate; quòd ſi explicare voce non poſſumus, non tamen ab exultatione ceſſemus. Auguſt. hic. Quod poteritis explicare, clamate, quod non poteſtis, iubilate, etenim ex abundantia gaudiorum, cui verba ſufficere non poſſunt, in iubilationem ſolet erumpere, hæc Auguſtin.

Exultate ergo Deo noſtro, laudes ei debitas hilari animo canentes, hilarem enim datorem diligit Deus, 2. Corinth. cap. 9. num. 7. Non ex triſtitia, aut ex neceſſitate. Tu verò, qui tot poſſides præbendas, & beneficia, aliaquè bona, quæ omnia à Deo ſunt, adeòq. cum gaudio percipis fructum, cur cum triſtitia laudes Deo offeres? dedit tibi Deus libenter, & tu gratias agas illi hilariter; vt ab illo etiam diligaris. Si quidquid habes, à Deo habes; ſi temporalia tibi dedit, quare ambigis quòd ſpiritualia recipies, ſi benè illa diſtribueris? Date tympanum, ideſt carnalia, quæ in ſæculis habetis veſtris, & ſumite Pſalmum, Deum laudantes, vos qui iàm ſpirituales eſtis, vos qui cum Dauid in manu ſorti pro torcularibus Pſalmum ſumpſiſtis, & ex vuæ preſſione fructum vini dediſtis.

Sumite ideò, dicit Aſaph, qui torcular calcaſtis, ſumite Pſalmum, & date tympanum, Pſalterium iucundum cum cithara, accipite, & date, Auguſtin. Quid accipite, & date? accipite, inquit, Pſalmum, & date tympanum, &c. ſumite Pſalmum, & eſtote auidi in ſpiritualibus accipiendis; quod facilè erit, ſi deuoti eritis in carnalibus erogandis. Accipite Pſalmum, ideſt vocem Eccleſiæ, vocem Pſalmorum, documenta Apoſtolorum, & reddite manus veſtras, vt operantes bonũ, digne laudetis Deum, ne aliàs vobis dicatur, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Pſalm. 49. num. 6. Sumite Pſalmum, ideſt ſpiritualia accipite, & date tympanum, ne laus ſine operibus ſit vobis vacua, tympanum enim pro operibus accipitur corporalibus, propterea ſequitur Pſalm.

Pſalterium iucundum cum cithara, vt ſi expectamus cæleſtia, non ſimus pigri ad operandum terrena. Quid verò ſit Pſalterium, quid cithara, aliàs dixiſſe meminimus, & hìc latius explicat Auguſtin. litera K. Verba ergo Dei, & humani actus in vnam ſocietatem conueniant, & hæc eſt ratio dati, & accepti, ideò Pſalmo iungamus tympanum, & ſequitur Pſalmus, Pſalterium iucundum cum cithara, quod idem eſt Pſalmum cum cithara, quaſi dicat, Qui expectat cæleſtia, non ſit piger ad operanda terrena, prædicationi verbi Dei corporalibus reſpondeamus operibus.

Buccinate in neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ. O vos ſcili-

Digitized by Google

ſcilicet iuſti, qui in finem, in Chriſtum credidiſtis, & qui in torcularibus preſſi vinum extraxiſtis, ideſt bonorum operum veſtrorum fructum Domino reddidiſtis, hæc enim dies ſolemnitatis, qua animæ iuſtæ ſalus annunciatur, canite nunc tuba, quæ noua eſt vobis feſtiuitas annunciata, & inſignis, quia ad ſalutem veſtram: in torcularibus enim Eccleſiæ poſiti per baptiſmum conſtantes fuiſtis. Vinum ex torcularibus preſſis ex vobis extractum eſt inſignis ſolemnitas veſtra, in qua filij Dei declarati eſtis ab Eccleſia, quia in tentationibus cum Domino permanſiſtis. Buccinate in neomenia tuba, quia hæc eſt ſolemnis feſtiuitas veſtra.

Quia præceptum in Iſrael eſt, & iudicium Deo Iacob. Sed quod eſt in Iſrael præceptum? quod præceptum dedit nobis Ieſus Chriſtus? niſi quia ſi in altum ædificium conſtruere velimus, à fundamentis humilitatis fodiendo incipiamus, Auguſt. Tom. 10. de Verb. Domini Serm. 10. litera G. Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis, & quantò quiſque vult, & diſponit ſuperimponere molem celſitudinis, quantò erit maius ædificium, tantò altius fodit fundamentum. Propterea dicit Deus, Iſai.d.cap.5. Vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant. Quid eſt, inquit Auguſtin. vt qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant, niſi humiles exaltentur, ſuperbi deijciantur? non enim qui vident cæci fiant, ſed qui ſibi videre videntur, de cæcitate conuincantur, hoc agit myſterium torcularis, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant. Præceptum ergo erit charitatis, hoc eſt dilectionis Dei, & proximi, Deut. cap.6. num.5. Matth. cap.5. num.43. Cur ergo buccinandum in neomenia tuba? niſi quia in torculari poſitus, conſtans euaſit; ſed quomodò in torculari? niſi quia humilis fuit; ideò humilis propter Deum, quia dilexit Dominum, humiles enim ſpiritu ſaluat Deus.

Auguſtin. de Ciuit. Dei lib. 14. cap. 13. Eſt aliquid humilitatis miro modo, quod ſurſum faciat cor, & eſt aliquid elationis, quod deorſum faciat cor: hoc quidem quaſi contrarium videtur: vt elatio ſit deorſum, & humilitas ſurſum; ſed pia humilitas facit ſubditum ſuperiori, nihil eſt autem ſuperius Deo, & ideò exaltat humilitas, quæ facit ſubditum Deo. Buccinate in neomenia tuba, quia per humilitatem anima facta eſt ſubdita Deo, eſto ergo paruulus in oculis tuis, vt ſis magnus in oculis Dei. Deſcende ergo, dicit idem Auguſt.d.Ser.213. litera D. vt aſcendas, humiliare, vt exalteris; ne exaltatus humilieris; qui enim vilis ſibi eſſe videtur, ante Deum pulcher eſt, qui ſibi diſplicent, Deo placent. Eſto ergo paruulus in oculis tuis, vt ſis magnus in oculis Dei. Quia præceptum eſt in Iſrael, & iudicium Deo Iacob, quia tu exaltaberis, quia iuxtà præceptum Eccleſiæ humilis in terra fuiſti.

Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud, cum exiret de terra Ægypti, linguam, quam non nouerat, audiuit, Auguſtin. Ioſeph interpretatur augmentum, Ioſeph in Ægyptum venditus, Chriſtus ad Gentes tranſiens: ibi Ioſeph poſt tribulationes exaltatus, & hìc Chriſtus poſt paſſionem Martyrum glorificatus, ergo ad Ioſeph magis Gentes pertinent, & ideò augmentatio, quia vt per Iſai.cap.54. multi filij Deſertæ magis, quàm eius, quæ habet virum.

Liceat tamen nobis altiora petere, & quare Patribus antiquis, & Iacob præceptum ſit, vt in die illa eductionis ex Ægypto, & in terram Chanaam populus

Psalmi Israelitis exultans buccinaret, & diem solemnem illorum, & insignem vocaret, dicit enim: Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ, quia præceptum in Israel est, & iudicium Deo Iacob: testimoniũ in Ioseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti, linguam, quam non nouerat audiuit. Quomodò buccinandum, si dies solemnis cessatura erat? Hai. 1. Non accipiam sacrificia vestra, nec festiuitates vestras, quod est ergo testimonium in Ioseph, quod posuit? Linguam, quam non nouerat audiuit: quia in Ægyptum translatus, quando à fratribus fuit venditus, linguam Ægyptiorum non intelligebat Ioseph. Hæc ergo scripta in figura, quia ad Gentes, dies solemnis erat transferendæ, quia vos Iudei fratrem Iesum vendidistis, occidistis, & ideò quia pauci erant Apostoli, pauci credentes, vt magis potentia, & gloria Dei in mundo manifesta fit: diem hanc solemnem per paucos in totum mundum transferendum prædicarent, quia nempè redemptio facta est Gentibus. Ad cuius maiorem intelligentiam præmittenda, quæ Deus Abraham promisit, Genes. c. 17. & 37. & ad Isaac, Genes. 26. & Iacob. Genes. c. 28. quod etiam habetur Psalm. 104. num. 8. vsque ad nu. 14. Memor, inquit, fuit testamenti sui, &c. quod disposuit ad Abraham, & iuramenti sui ad Isaac, & statuit illud Iacob in præceptum, & Israel in testamentum æternum, dicens: tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ, &c. facta est hæc promissio Hebræis, cum essent numero pauci, vt admiranduin id certè ponitur à Prophetis, & ad lætandũ, quia essent paucissimi incolæ, id est peregrini in terra Chanaan, transeuntes de gente, in gentem, & ad populũ alterũ, neque reliquit hominem nocere eis, immo corripuit pro eis Reges. Audi Dei mirabilia. Famem Deus super terram vocauit, & firmamentũ panis contriuit, venditur puer Ioseph à fratribus in seruum, Dei permissu, nàm dicit propheta d. Psal. 104. Misit ante eos virum, in seruum venditus est Ioseph; qualia autem, & quanta passus ille sit, vide per teipsum in d. Psal. & in Genes. vt supra. Donec veniret verbum eius, quòd dixit Ioseph ad Regem, qui eum liberari mandauit, illumq; super Ægypto Principem fecit: nàm dixit Iesus, Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Venundatus est Ioseph à fratribus; defecerunt propterea solemnitates, & sacrificia; Attamen non erat Dei promissio vacua, nàm promissum, seù pactum, de quo hìc est sermo; est promissio Abrahæ, & semini eius, ac Israeli, de danda ei terra Chanaan, terra promissionis, cœlum scilicet, vbi est habitatio æterna iustorum. Vni nationi facta est hæc promissio, ex tot nationibus, & gentibus in hoc mũdo electæ: hæc promissio Israeli, id est Ecclesiæ facta, & iudicium Iacob, qui idem est, quod Israel, Genes. d. c. 37. Cuius est iudicium discernendi oues ab hędis. Omnium prædictorum Deus posuit testimonium Ioseph designante populum Gentilem, quod scilicet esset congregationis Dei filius, ex familia sua, scilicet ex Ecclesia, ex christianis, quibus esset daturus terram promissionis, cùm exiret de terra Ægypti. Non ergo dum staret in terra Ægypti. Propterea filius hominis Iesus Christus, extrà portam, extrà ciuitatem voluit crucifigi, vt totam familiam suam, quia fames erat super vniuersam terram, cibando saturaret; quod in figura factum est, & à Ioseph frumentorum omnium collectore, per quem omnes tempore famis satiati sunt de sua familia Israelitica, Ecclesiastica scilicet, & Christiana.

Linguam, quam non nouerat populus gentilis, Euangelicum scilicet verbum Dei, nàm nec si esset Deus, norat Psal. 13. Dixit enim impius in corde suo, non est Deus: At gentes ergo verbum Dei peruenit, & illud audierunt, atque per-

ceperunt, & salui facti sunt credentes in Iesam, & ijs, quorum, idest Gentilium manus in cophino seruierunt, liberis factis dictum est: Venite benedicti, qui mecum laboraſtis, & ego refigiam vos; Et ità diuertit ab oneribus dorsum illorum, & vbi manus in cophino seruiebant, in operibus luuosis, & mortalibus, nunc Dominum sequentes, facti sunt participes Regni cælorum.

Testimonium in Ioseph posuit, vt testimoniũ de semetipso perhibens, testimonium perhiberet veritatis, Ioan. 8. Ego sum, qui testimoniũ perhibeo de meipso, & testimoniũ perhibet de me, qui misit me Pater. Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso mundo in testimonium omnibus Gentibus, Matth. 24. Testimonium posuit in Ioseph, in tota Ecclesia, Ioseph enim augmentatio dicitur cum exiret de terra Ægypti, nàm Propheta in sua patria honorem non habet, extrà patriam testimonium perhibere debebat, Ioan. 4. Ecce enim, dixit Dominus, dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, Isai. 49. Vndè Act. 3. Oportebat primùm vobis Iudæis loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cõuertimur ad Gentes, &c. Cũ exiret de Ægypto, tunc audiẽtes Gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbũ Domini, & crediderunt quotquot erant prœordinati ad vitã æternã.

Tibi ergo Ecclesiæ Deiterram Chanaan promisit, terram in funiculum distributionis, quæ sempiterna erit, quia in regno cælorum. Hac die, quam fecit Dominus redemptionis nostræ, buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ, quia Dei promissio est adimpleta, vt liberet populum christianum ab Ægypto; quia filium suum vnigenitum misit, vt tolleret crimina nostra, & Deo Patri pro nobis satisfaceret. Testimonium in Ioseph posuit illud, cum de portis Ierusalem exiret, vt pro ouibus suis moriens, daret animam suam. Linguam, quam non nouerat audiuit in Israel, sicut in Centurione, propterea miratus Iesus dixit, se non inuenisse tantã fidem in Israel, Matth. 8. Dixerat etiam, nõ esse bonũ sumere panem de manu filiorum, & dare canibus, etiã Domine, dixit illa mulier, nàm & Catelli comedunt de micis, quę cadũt de mensa Dominorum suorum, Matth. 15. linguam, quam non nouerat audiuit, dicẽs, ò mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, & sanata est filia eius ex illa horã, Matth. c. 15.

Buccinate in insigni die solemnitatis iſtius, qua extrà Ægyptum existi, & aqua Baptismi totus mundus factus, ò fidelis, ò christiane. Quid moraris, ò peccator, ò inique, quia non venis ad fontem Baptismi? præmunt Ægyptij, vrgent, instant peccata, sed vsque ad aquam. Auguſt. hìc lit. M. Quid ergo times, qui nondum venisti, venire ad Baptismum Christi, transire per mare rubrum, per sanguinem scilicet Domini consecratum? quid times venire? conscientia fortè aliquorum immanium delictorum stimulat, & excruciat in te animum, & dicit tibi, tàm magnum esse illud, quod commisisti, vt desperes tibi dimitti? Time, ne remaneat aliquid peccatorum; si vixit aliquis Ægyptiorum, hæc Augustin. Rubrum ergo mare transeas, vt eductus à delictis tuis in manu potenti, & brachio forti percipias mysteria, quæ prius non nouisti; audies vbi cor habere debeas, exi & tu cum Ioseph de terra Ægypti, & linguam, quam non noscis, percipies.

Diuertit ab oneribus dorsum eius, & manus eius in cophino seruierunt. Si ergo anima mea refici cupis, si ab oneribus absolui desideras, si manus tuas innoxias habere velis, ne in cophino amplius terram Pharaoni, vt lateres fiant, immittas. Ne mundanis innixa quidquid opereris, Diabolo malè operando acquiras. Exi de Ægypto, fuge peccatum, accelera, vt te peccasse pœniteat, ne

præ-

præoccupata die mortis ſpatium pœnitentiæ requiras, & non inuenias. Quid enim operando malum, immiſcendo te carnalibus aliud facis, niſi quòd in ramis arboris vanitatis, in vmbra ſpem tuam ponis, vt ad ima deſcendas? vt ignē ramis imponendo lateres coquas, vt Diabolo, & Pharaoni teipſum domum facias, vt perpetuò cremeris cum illo? Fuge peccatum; deſcende cogitatu tuo ad arboris radices, & cognoſce, quia in terra es vilis creatura, quæ ſi in infernum deſcendes, perpetuò igne cremanda. Manus ergo tuæ exeant de cophino, & ſtudeant ſe exercere in benè operando, vt tibi, qui ſedebas in regione vmbræ mortis, lux oriatur, vt non ambules amplius in tenebris, Iſai. 9. & Dominus ab oneribus dorſum tuũ, ſi clamans in tribulatione ipſum inuocaueris, liberabit te, & in abſcondito tẽpeſtatis, exaudiet te; probaui enim, dicit Deus, te apud aquã contradictionis.

Manus eius in cophino ſeruierunt, Hieron. hìc. Alij ſunt cophini Ægypti, alij Ieſu: habet & Ieſus cophinos ſuos, & duodecim cophinos de fragmentis impleuit Saluator noſter. O rem, inquit, miram, & ingentia myſteria ſignificantem. Quinque millia populi veſcebantur in Eremo ſine paruulis, & mulieribus, Matth. cap. 14. in loco deſerto non inueniuntur, niſi tantùm quinque panes, locus enim deſertus erat; requiro te, qui tantùm literam ſequeris, in deſerto loco non inueniuntur, niſi quinque panes: & duodecim cophini quomodò inueniuntur? ſi deſertus erat locus, vtique duodecim cophinos habere nõ poterat; ſed hoc totum ſignificatur, quòd populum ſuum Dominus in deſerto huius ſæculi eduxit de Ægypto: pauit panibus ſuis, & quodcunque ſupererat, in duodicim cophinis condidit, hoc eſt in duodecim Apoſtolis, vt quod perierat in duodecim Tribubus, ſaluaretur in duodecim Apoſtolis, hæc Hieron. Auguſtin. verò, Duodecim cophinos buccellis impleuit, vt fortia quæque confunderet, 1. Corinth. c. 1. nu. 27. Sequitur ergo Pſalmus in perſona Dei loquens.

In tribulatione inuocaſti me, & liberaui te. Dorſum eorum ſemper erat incuruatum; & diuertit ab oneribus dorſum eius, quia fatigati nimis, & tribulati ab Ægyptijs inuocauerunt Dominum, & ideò ſunt à Domino liberati. Exaudiui te in abſcondito tempeſtatis: nàm quantò maior erat tribulatio, & illarum frequentia, hùc enim, atque illùc, quaſi fluctus maris trahebant populum frequentationes tempeſtatum, ac tribulationum; non tamen vnquam illi defuit auxilium à Domino. Sperabat auxilium, & non videbat populus manum auxiliantis, quia in abſcondito erat Dominus. Tentatus es, tribulatus es, percute petram in virga, & dabit tibi aquas refrigerij in abundantia, Exod. cap. 17. Num. c. 20. nu. 2. Noli tentare Dominum, noli iurgari, quia in deſerto es tentationis; ideò Deus deſeruit te? ſtat in abſcondito Deus, vt tentatus probet te, Sap. c. 3. clamabat in cruce Ieſus Eloi, Eloi, Lamma Sabbacthani, hoc eſt, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Nunquam diuinitas carnem dereliquerat, nunquam ab illo diſceſſerat, in abſcondito videbatur eſſe, quæ, vt nobis oſtenderetur, quanta humanitas paſſa eſſet, magisq. nobis innoteſceret paſſio eius: ſtetit in abſcondito, ſic continuè ſtat cum tribulato Deus, vt auxilium manifeſtum præbeat in tempore opportuno. Adhùc ergo ſuſtine modicum, quia & ſi magna nunc tibi videantur, parua tamen ſunt, vt adipiſcaris regnum cælorum.

De tribulatione inuocaſti me, & liberaui te, exaudiui te in abſcondito tempeſtatis, probaui te apud aquam contradictionis. Sed cur probauit illum ad

Digitized by Google

aquam contradictionis? Nonnè decies ante Deum tentauerunt? Num. 14. attamen, inquit, omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentauerunt me iàm per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui Patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxerit mihi intuebitur eam: Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuiuit, & semen eius possidebit eam, quare ergo tu illos probasse dicis, cum nec tunc tuis sermonibus obedierint?

Ad aquam contradictionis probauit illum, inopia aquæ laborabat, & sitiebat, illos, quos prædestinauit, haud diù passus est pati sitim salutis, propterea fontem de petra eduxit aquæ viuæ, vt non amplius sitirent ad eam accedentes. Ad aquam contradictionis inquit, non enim salutem ex aqua sperabant, quia illam non habebant, fluentem in deserto, illã non cernebant, non enim aqua salutis est illi, qui solam spem habet in deserto huius mundi; Ideò dicebat Moyses: Numquid de petra hac poterimus educere aquas? de petra Christi, petra enim erat Christus virga ligni crucis, in qua affixus est Iesus, vt aquam, & sanguinem ex pectore suo emitteret, vt sitientes ad aquas Baptismi, & ignei amoris ad illum venientes, & in eum credentes, non amplius sitirent res mundanas, sed animarum salutem, quia per lotionẽ in Baptismi aqua omnes mundantur. Probauit ergo illos, qui in fide Christi Iesu crediturí essent, eorumq. fidem, per aquam de petra sui corporis manantem, dum anteà titubarent, confirmauit. Probaui te apud aquam contradictionis, voci Domini non obedierunt, Nu. 14. propterea terram promissionis non sunt ingressi præter Caleb, & semen eius, & Iosue, qui corde seruiebant Domino, propterea dicebant, Veni Domine, noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ.

Aquæ largissimæ egressæ sunt ex percussione petræ, ità vt populus biberet, & iumenta, Num. 20. Omnes ergo biberunt, sed & iumenta, quæ sine ratione sunt, omnes baptizati sunt, sed non omnes terram promissionis ingressi; omnes vocati sunt, sed pauci salui facti sunt, vndè Paul. 1. Corinth. 10. nu. 2. Omnes baptizati sunt in Moyse, in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt, bibebant autem de spiritali, consequente eos petra; petra autem erat Christus, sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nàm prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt, neque Idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est, Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere, Exod. 32. num. 6. omnes quidem manducauerunt, sed duodecim cophini tantùm ex fragmentis, quæ superfuerunt, collecti sunt; ex Apostolorum prædicatione pauci ex Iudæis audierunt, & escam spiritalem, & potum biberunt, qui in Iesum Christum crediderunt, hi non perierunt, sed salui facti sunt, quia prædestinati sunt ad salutem, nec illos quisquam de manibus Domini potuit eripere, Ioan. cap. 6. num. 39. & cap. 10. num. 29. Ad aquam contradictionis murmurarunt; nunquid in deserto poterit quis mensam præparare, Psal. 77. numer. 19. quare egressi sumus ex Ægypto? Num. 11. numer. 19. & tu Moyses quid dixisti? ad vocem Domini escas præparantis? quid respondisti? sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis, dabo eis escam carnium mensę

inte-

Digitized by Google

integro? nunquid ouium, & bouum multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum? murmurauerunt, quia & panem non habuerunt, Exod. cap. 16. Ecce ego, dicit Dominus, pluam vobis panem de cælo, ibid.numer.4. murmurauerunt,& Discipuli,quia audierant Dominum Iesum,panẽ esse,qui descenderat, vt manducantes vitam æternam haberent; Ego sum panis viuus,qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, Ioan.c.6. n.51. Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? caro enim mea, dixerat, verè est cibus; & sanguis meus, verè est potus; qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, &c. Durus est hic sermo. Retrorsum abierunt multi ex Discipulis eius, Ioan.d.cap.6.num.67. Et vos ò Apostoli, dixit Iesus, vultis abire? Ad quem ibimus, cum Simone Petro, & nos respondeamus, verba æternæ vitæ habes, & nos credimus, & cognoscimus, quia tu es Christus filius Dei; Non sit ò fratres Christiani inter nos, qui Diabolus sit, vt Iudas, omnes ex semine Caleb corde Iesum Christum confiteamur, illum corde diligamus, & amemus, vt terram promissionis possideamus.

Audi populè meus, & contestabor te, Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Populum suum nos vocat Deus, & populum Dei esse, gloria est christianis. Quomodò ad extraneos actus transfibis, vt non amplius populus eius sis, vt omittentes facere voluntatem eius, efficiamur filij Diaboli, tenebrarum hæredes, non populus Dei? Ioan. cap.8. num.44. Quis ex nobis timens Dominum, audiens vocem serui sui? qui ambulauit in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum, Isai.cap.50.num.11. sequitur Isai. Ecte vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis, & in doloribus dormietis. Sursum ergo corda fratres christiani; non sit nobis amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ, vt nos illuminet; sit verò nobis Dominus Iesus in lucem sempiternam, & Deus noster in gloriam nostram: non occidat sol tuus vltra, sed sit nobis Dominus Deus in lucem sempiternam, vt completi dies luctus nostri, luna nostra non amplius minuatur. Germen plantationis Domini sumus, simus iusti omnes, vt populus Domini nominemur dignè, & simus, Isai.cap.60.num.18. & sequen. Nomen Domini inuocemus, vt dicere valeamus, in eius gloriam ab illo creati, formati, & facti sumus, Isai.cap.43.num.7.

Ad aquam contradictionis, quousque viuimus, permanere necesse est, vt probati filij Dei exemplo, in ipso, & cum ipso viuamus: iàm propè siccata est aqua contradictionis, si corde firmo Iesum Christum confitentes, cordis tempestates reijcientes, & aquas contradictionis hæreticorum superantes, in fide Domini permanserimus: dicit Augustin. Quod qui exauditus est in tempestate cordis, debet probari in aqua contradictionis, cum enim crediderit, & baptizatus fuerit, iàm gradiens per viam Dei, habet multos exagitatores, multos insultatores, dehortatores, multis modis deterrentes, deprimentes: hæc est enim aqua contradictionis, sed iàm penè siccata est, iàm enim Gentilium persecutiones cessarunt, iàm populus Dei lege diuina imbutus, & fortis expellit omnem tribulantem: occidit leonem Sampsoni obuiam in itinere venientem. Iàm in leonis ore fauus mellis inuentus est, Et quamuis aliqua duret aquæ pars contradictionis, Hæreticorum scilicet, & Iudæorum, iàm ferè siccata est illorum aqua:

aqua; per diuersos enim riuulos dispersa, facta est sicca, non habet vires, non est nisi in vanitatibus, & mundanis perditionibus inuoluta, sicut fœnum arescit. Et quamuis huic sanctæ Ecclesiæ non deficiant contradictores, portæ tamen inferi prævalere non possunt aduersus eam; nec mirum, vt probatio nostræ fidei pretiosior ex contradictionibus fiat nebulonum. Christo etiam in natiuitate aqua contradictionis fuit, Luc.cap.2. Erit enim, dixit Simeon, in ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur: hunc scimus quis sit, dicebant Iudæi; Titulo etiam Crucis contradixerunt, non ità scribas Rex Iudæorum; sed, quia se fecit Regem Iudæorum, Ioan.c.19. Quod scripsi, scripsi, dixit Pilatus.

Audi, inquit Dominus, & est secunda pars Psalmi, populus meus, & contestabor te; quia testis fuit ipse Dominus in Ierusalem, in Ecclesia sua, in qua est torcular, si vinum ex illo extrahere cupieris, & non amurcham, non sit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum, sed quare, In te, dicit, Deus recens, quia in corde nouæ veniunt cogitationes, & desideria, nàm si rectè non senseris in corde tuo, nonnè in te erit imago phantasmatis tui? Vndè Hieron. hìc: Quod quisque cupit, & veneratur, hoc illi Deus est; cui Deus venter est, Deus ei recens est; quotcunque peccata, quotcunque vitia habemus, tot recentes habemus Deos: in te ergo sunt, quia de corde tuo exeunt, de corde enim malo, inquit Iesus, Matth.15. exeunt adulteria, homicidia, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, hi sunt malorum hominum recentes Dij. Si ergo audieris me, inquit Dominus, nó erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Non sis ergo in te christiane, torcular ad amurcham emoliendam, sed ad oleum, quod tibi erit, si Deum audiendo secutus fueris.

Non erit in te Deus recens. Nàm quis Deus sicut Deus noster? non recens, sed ab æterno in æternum. Et si Iesus Christus homo factus sit, sempiternus tamen Deus est, Isai.cap.48.num.16. Non à principio in abscondito locutus sum; ex tempore antequam fieret ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius, &c. Ioan. c.1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, & Verbum caro factum est, & habitauit in nóbis, &c. Non erit ergo in te Deus recens, quia hec Patres tui illos coluerunt, Deut.cap.32.num.17. Noui recentesq. venerunt, quos non coluerunt Patres eorum.

Audi, dicit, populo meus, cui aliàs iudicia mea manifestaui, & non alteri genti, Psalm.147.nu.19. Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israel, & num. sequen. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis: Populus meus, quia solus ille Deum colebat, d.Psal.75. Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius. Et contestabor te, quia ego testimonium de meipso perhibeo, & Pater meus testimonium perhibet de me, Ioan.d.cap.5.num.37 & qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me, & ipsa opera, quæ facio testimonium perhibent, quia Pater misit me, ibid.nu.8. Propterea contestabor te, quia ego quod vidi apud Patrem meum, loquor, Ioan. vt supra num.38. Sed quid contestatur Iesus? Vt cognoscant te Deum Patrem, & quem misisti filium tuum, solum esse vitam æternam, Ioan. cap.17.num.3. Qui accipit, quem misero, me accipit, qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit, Ioan.cap.13.num.21. Pater verò de filio inquit;

Hic

Digitized b

Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite, Matth. cap. 3. num. 17. Ioan. cap. 9. num. 35.

Audi populo meus Israel, & contestabor te, quia omnia mihi sunt aperta.

Contestabor te, quia testis ero, & Iudex, vt de delictis tuis, quæ mihi non sunt abscondita, sim testis, vt iudicem te, Ierem. cap. 29. num. 23. Antequam ergo ad iudicium vocem te, audi me, vt custodias mandata mea, quorum principale est mandatum, vt recens Deus non sit in te, neque Deum alienum adores, Exod. cap. 20. numer. 3. Nec facies tibi sculptile, &c. neque adorabis ea; ego sum Dominus Deus tuus, visitans iniquitatem patrum in filios, &c. ecce contestabor te populo meus, quia ego sum Dominus Deus tuus, & solus, qui eduxi te de terra Ægypti. Si ad alienos respicies, & adoraueris dimittam te secundum desiderium cordis tui, & seruus eris genti, ità vt nunquam tibi benè sit, & morieris in perpetuum, 1. Reg. cap. 8. num. 9. contestor te, & prædico tibi mala, quæ ventura sunt tibi.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, dilata os tuum, & implebo illud. Ego Dominus, qui creaui te, qui redemi te, quia perditus eras in terra Ægypti, de terra tenebrarum harum eduxi te, quando pro te passus sum, & sanguine meo redemi te; nàm quando me creauit, me mihi dedit, quando regenerando per Baptismum redemit, ipse se mihi dedit, Euseb. Emyssen. in homil. 6. in Pascha: Magnum, inquit, mihi est de Deo, quòd esse me sentio opere suum, sed multò plus, quòd transijsse ipsum video in pretium meum; quandoquidem tàm pretiolo munere ipsa redemptio agitur, vt homo Deum valere videatur; nunquid quia talia, & tanta pro te fecit, se abstinet, vt lassus, quia tu ingratus, dereliquerit te? Non certè, audi.

Dilata os tuum, & implebo illud; dilata os tuum confitendo peccata tua, frangè vanum simulachrum de corde tuo, & confitere, quia non est extrà Deum alius Deus, qui creauit te, qui Baptismo regenerationis recreauit te, qui peccata confitentibus dimittit; & si os tuum dilataueris, illud Spiritu sancto implebit; ipse enim est fons vitæ. Os verò maledicentium ignominia implebit; quid enim absurdius gratias ei non agere, per quem beneficijs quotidie replemur? Chrysostom. homil. 26. in Matth. Est prorsus absurdum nos opere quidem ipso beneficijs eius quotidie perfruentes gratias ei, nec sermone persoluere, & hoc cum ipsa confessio in nostrum commodum iterum cedat. Optima beneficiorum custos, est ipsa beneficiorum memoria, & perpetua gratiarum actio: propterea & reuerenda, & salutaria illa mysteria, quæ in omni Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, idest gratiarum actio nuncupatur; beneficiorum enim recordatio plurimorum, caput diuinæ prouidentiæ ostendit, nosq. facit debitas Deo gratias semper exoluere, Agamus igitur gratias, non ob propria tantùm, verum etiam ob aliena bona; idcircò etiam Sacerdos, pro vniuerso orbe terrarum, pro absentibus, & præsentibus Deo nos gratias iubet offerre.

Si ergo tu anima mea à Deo creata, ab ipsomet redempta, à Deo tot beneficijs es ornata, cur Dijs recentibus consentiens eris; qui te in destructionem conducere procurant; qui te ex immortali regno adipiscendo, in infernum ducent, vbi nunquam in pœnis moriaris, & semper pœnaliter crucieris? Iàm peccasti; Confitere peccata tua, & dimittentur tibi. Sed vlterius quid tibi promit-

mittit Deus ; dilata os tuum, & implebo illud ; cur non te Abrahami exemplum mouebit ? Dixit illi Deus, Faciam te Principem in gentem magnam, multiplicabo ſemen tuum, ſicut arenam maris, Geneſ. cap. 13. numer. 16. & cap. 18. numer. 17. & ſequen. & benedicentur in te omnes nationes terræ, & cap. 12. numer. 3. nunquid quia nondum adimpletæ fuerunt Dei promiſſiones, dum idem viueret, gratias interim Abraham non dedit Deo ? Dilata, inquit Deus, os tuum, & implebo illud ; Cur Deo gratias quotidie agendo, non acceptabis quod ille in os tuum dare ſe tibi obtulit ? Abrahamo in futurum erant promiſſiones, & gratias agebat ; tibi verò ex nunc, & modò offert Deus gratiarum plenitudinem, & adhùc in Dijs recentibus moraberis ? Exurge anima mea, quare adhùc dormis ? Quid eſt Deo gratias agere, quid gratiarum actio, niſi cuſtodia beneficiorum diuinorum ? Chryſoſtom. in Matth. dicta homil. 26. & homil. 34. in Geneſi, ponderans Abrahamum in omnibus ijs locis Geneſis, vbi tabernaculum fixit, erexiſſe ſimul Altare, in quo gratias Deo redderet pro acceptis beneficijs ; inquit. Vidiſti mentem gratam, quia mox vt Tabernaculum fixit, ſtatim pro facta ſibi promiſſione (ſcilicet de multiplicanda poſteritate) gratiarum actiones obtulit Domino ; in ſingulis locis, vbi Tabernaculum fixit, inuenies hoc præ omnibus ei fuiſſe curæ, vt extructo Altari preces offerret. Vidiſti animam diuino amore ſuccenſam, per omniaq. gratias agentem : non enim expectauit, donec promiſſa complerentur, ſed & mox pro promiſſione gratias egit, & faciebat quod in ſe erat, vt de præcedentibus dignam, & ſinceram gratitudinem præferens, Dominum ſuum prouocaret ad promiſſiones ſuas implendas. Eduxit te Dominus anima mea per Baptiſmum de terra ignorantiæ, propterea à Diabolo, & pompis eius renunciaſti : ſi in corde tuo ſint vana ſimulachra, ſi ſint anguſtiæ in illo, dilata confitendo os tuum, amando frange Idolum cordis, quòd te anguſtat : recentem Deum de conſcientia tua tolle, & os tuum implebit Dominus pane vitæ, & intellectus, & in lumine eius videbis lumen, quia apud ipſum eſt fons vitæ, Pſalm. 35. num. 10.

Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi. Sed quomodò vis Domine, vt audiant te, ſi te loquentem recuſarunt audire ? An non recordaris, quia dixerunt, Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur, Exod. cap. 20. num. 19. Sed cur mortem ab illo vobis inferendam timetis, qui propterea venit, vt morte ſua mortem veſtram deſtrueret ? Ipſe eſt vita, quomodò in illum non intenditis, vt vitam in illo habeatis ? Non loquatur, inquiunt, ne moriamur ; ne Dij noſtri recentes à nobis recedant, ſuperbia ſcilicet noſtra, auaritia, & diſcordia. Contrarius eſt enim operibus noſtris, Sap. cap. 2. num. 12. & improperat nobis peccata legis, quomodò illum audiemus, ſi nobis eſt contrarius ? dixere impij de viro iuſto, quomodò diligemus eum, ſi diſcordia ſit inter nos ; & ipſum, Matth. cap. 23. O vos imbecilles, & terrena ſapientes nunquid Deo, & mammonæ ſeruire poteritis ? Matth. cap. 6. num. 24. Nunquid non omnes Dij gentium Dæmonia ? Pſalm. 95. numer. 5. ſi filij eſtis Diaboli, quomodò intendere Domino poteritis ? vos ex patre Diabolo eſtis, propterea Domino non intenditis, Ioan. cap. 8. numer. 44. quia longè per peccatum à Deo facti eſtis, ideò longè à peccatoribus ſalus, Pſalm. 118. numer. 155. Longè, inquit, in alio loco, à ſalute mea verba deli-

&to-

Digitized by Google

ctorum meorum, Pſalm.21.nu.2. quia non audierunt vocem Domini, propterea à lege tua longè facti ſunt, dicto Pſalm.118.num.150. ideò non intenderunt Domino, tu enim Domine ab impijs longè es, Prouerb.cap.15.nu.29. Quid ſuperbis puluis, & cinis, ſi propter tuam ſuperbiam longè factus eſt à te Deus? Eccleſ. cap.15.num.7.

Et Iſrael non intendit mihi, Auguſtin. hìc litera A. Quis? cui? Iſrael mihi, ò ingrata anima, per me anima, à me vocata anima, à me in ſpem reducta, à me à peccatis abluta. Et Iſrael non intendit mihi. Baptizantur enim & tranſeunt per mare rubrum; ſed in via murmurant, conqueruntur, ſeditionibus perturbantur, ingrati ei, qui liberauit à perſequentibus hoſtibus, qui ducit per ſiccum, per eremum cum cibo tamen, & potu, cum lumine nocturno, & vmbraculo diurno, & Iſrael non intendit mihi, hæc Auguſtin. Et propterea Dominus tradidit eos in concupiſcentias cordis eorum, ad Roman. cap.1.num.24. in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis, ſequitur idcircò Pſalm. dicens.

Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, & ibunt in adinuentionibus ſuis. Ecce quia aperta ſunt torcularis foramina, currit amurcha, proijcitur in cloacas, in terram, quia ſecundum affectiones cordis eorum à Domino ſunt dimiſſi: eos ſibijpſis donauit, propterea quia non amplius ſunt Dei, ſine ratione facti ſunt, iumentis inſipientibus ſimiles, & comparati ſunt illis, Pſalm.48.nu.21. Facti ſunt ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, & iuerunt in adinuentionibus ſuis, vbi ſenſus illos trahebat, ibant Pſalm.105. numer.39. Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum, & fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis, Ierem.cap.17.num.33. Omnes qui te derelinquunt confundentur, recedentes à te, in terra ſcribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium. Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, nàm mala, & bona oſtendit illis Dominus, Eccleſ. cap.17.nu.6. ipſi verò in adinuentionibus ſuis iuerunt, neque in vijs Domini ambulare voluerunt, & ideò ſequitur Pſalm.

Si populus meus audiſſet me, Iſrael ſi in vijs meis ambulaſſet. Sed quis ſit populus eius declarat, Iſrael ſcilicet, qui in vijs Domini ambulare noluit, quia Domino non crediderunt, quia mandata eius ſeruare recuſarunt: illa enim ſunt via, per quam ambulamus ad Dominum, Matth.c.19.nu.17. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: non ergo quæritur Deus, quòd verba ſua, & leges Iudæi non audierunt, ſed quod illa ſeruare noluerunt, vndè dicebat Paul. ad Rom.c.2.n.13. Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur, & Iacob in ſua Epiſtol. Canon. cap.1.numer.22. Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes voſmetipſos, quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum nariuitatis ſuæ in ſpeculo. Conſiderauit enim ſe, & abijt, & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit: hinc etiam Luc.12.num.47. Seruus, qui voluntatem Domini ſui cognouit, & non præparauit, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis, & Auguſtin. in Serm. de Blaſphemia in Spiritum ſanctum, Scopus Chriſtianæ religionis eſt, vt quæ ex doctrina veritatis didicimus, opere impleamus.

Audi populo meus, & quis populus tuus Domine Ieſu? an forſan populus Iſrael,

Iſrael, populus Eccleſiaſticus ? ſed quomodò populus tuus ? ecce Domine, quia tu Agnitor cordis es, Eccleſ. cap. 7. num. 5. tu ſcis Domine infirmitates noſtras; percuſſiſti nos, & non dolemus, attriuiſti nos, & renuimus accipere diſciplinam : Vndique mala noſtra circumſtant, hæretici nomen tuum blaſphemantes, & Eccleſiam tuam lacerantes, & ad fidem tuam reuerti noluerunt, pauperes, & ſtulti ſunt ignorantes vias tuas Domine, iudicium Dei ſui. Mitte Domine ad Optimates, vt loquantur eis, nàm ipſi cognouerunt vias tuas, & iudicium tuum Deus noſter. Sed vtinam inuenias, qui cuſtodiant vias tuas, Ierem. cap. 5. num. 5. Ipſi enim, inquit, magis confregerunt iugum, ruperunt vincula, &c. Domine, quis ergo populus tuus, ſi populus tuus omnes iuſti, Iſai. cap. 50. numer. 21. & iuſtus vix inueniri poſſit ? Pſalm. 13. numer. 2. & 3. ad Roman. dicto cap. 2. num. 10. Noli timere Eccleſia Dei, iuſti, qui in fide permanſiſtis, quia non confunderis, neque erubeſces, non enim te pudebit, quia confuſionis adoleſcentiæ tuæ obliuiſceris, opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius ; quia dominabitur tibi, qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius : Paul. ad Rom. 11. Nunquid Deus repulit populum ſuum ? abſit, non repulit Deus plebem, quam præſciuit. An neſcitis quid dicat Scriptura de Elia Propheta ? 3. Reg. 19. nu. 10. quemadmodum interpellat ille Deum aduerſum Iſrael : Domine Prophetas tuos occiderunt, Altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus ; Et quod dedit illi Dominus reſpõſum ? Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal, &c. ſic ergo & hoc tempore, reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt, hæc Paul. Vndè ad Roman. dicto cap. 2. nu. 19. ſcimus autem, quoniam quæcunque lex loquitur, iis qui in lege ſunt, loquitur, vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo.

Pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam. Cur ergo populo Chriſtiane conquereris, quia ab inimicis torquearis : ſi culpa tua illi aduerſum te prævalent ? ſi in vijs Domini non ambulas, cur Deum adiutorem interpellas ? nàm quis magis inimicus Dei, quàm qui eius legem cuſtodire deberet, longè ſit ab illa ? inimici eius, domeſtici eius, Vndè Auguſtin. hìc litera B. Iſrael ſi in vijs meis ambulaſſet, in nihilum omnes inimicos eorum humiliaſſem, ergo ſi plebs mea audiſſet me ; quare enim mea, ſi non audit me ? ſi plebs mea audiſſet me. Quis eſt plebs mea ? Iſrael, quid eſt audiſſet me ? ſi in vijs meis ambulaſſet. Quæritur & gemit ſub inimicis. In nihilum inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam ; Nunc verò quid quæritur de inimicis ? ipſi facti ſunt peiores inimicis ; quomodò enim ? quid ſequitur ? de inimicis quærimini ? Vos quid eſtis ?

Inimici Domini mentiti ſunt ei. Renuncias ? Renuncio ; & redit ad quod renunciatur. Vtique quibus rebus renuncias, niſi factis malis, & Diabolicis, factis à Deo damnatis, furtis, rapinis, periurijs, homicidijs, adulterijs, ſacrilegijs, ſœtris abominandis, curioſitatibus ? his omnibus renuncias, & rurſus his inflexus ſuperaris ; facta ſunt tibi poſteriora deteriora prioribus, &c. Inimici Domini mentiti ſunt ei : Auguſtin. hìc. Sed quare non trucidantur ? quare non terrà dehiſcente ſorbentur ? quare non Cælo refragrante incenduntur ? hæc Auguſtin. Nàm dixit, peccaui, & quid mihi accidit triſte ? Altiſſimus enim

eſt

eſt patiens redditor, Eccleſ.5.n.4. & 7. Miſericordia, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius; Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ, & in fine hominis, denudatio operum eius, Eccleſ.11.nu.29.

Et notandum quod ſupra de inimicis Iudæorum locutus eſt Dominus, dicens. Pro nihilo forſan inimicos eorum humiliaſſem; in hoc verſiculo de inimicis Dei loquitur Propheta, dum ait, Inimici Domini mentiti ſunt ei; mentiti ſunt, quia, vt dixi, quod promiſerunt Domino non ſeruauerunt, præcipuè mali Chriſtiani, qui in Baptiſmo renunciantes Diabolo, & pompis eius, poſteà ſicut canes, ad vomitum reuerſi ſunt, facti vt ſus lota in volutabro luti: Siquidem Pagani non promiſerunt Domino aliquid, Iudæi verò promiſerunt, & pactum fecerunt, de ſeruandis mandatis Dei, & lege ipſius, Exod.9.num.8. & ſequen. Cuncta quæ locutus eſt Dominus faciemus, & cap.24. omnia verba Domini, quæ locutus eſt, faciemus.

Et erit tempus eorum in ſæcula, inimicorum ſcilicet punitio, non erit ad tempus, ſed in ſæcula duratura, Daniel cap.9.numer.26. Et non erit eius populus, qui eum negaturus eſt, & vſque ad conſummationem, & finem perſeuerabit deſolatio, ibidem numer.27.

Et nihilominus, quamuis mentiti ſunt Domino inimici eius, pœnaquè eis debeatur in ſæcula, niſi conuertantur, & dolentes pœniteant; dum tamen ſunt in via, quia Dominus pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos; cibauit etiam, atque cibat illos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos: donec fodiatur peccatori fouea, & reddat illis iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum diſperdat eos, Pſalm.92.numer.13. & in fine. O ingratos nos Chriſtianos, qui cum Iuda buccellam panis corporis Chriſti ſumere præſumimus, vt cum eodem indignè ſumentes & ipſi medij crepemus. Cibauit eos ex adipe frumenti, & ſumentes inimici mentiti ſunt ei, Vndè Ierem. cap.11.num.15. Nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? Sanè qui iniuſtè manducat, & bibit, iudicium ſibi manducat, & bibit; non dijudicans corpus Domini? & reus eſt Corporis, & Sanguinis Domini noſtri, d. cap.11. 1.Corinth. num.29. Sumunt enim boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali; vitæ, vel interitus.

SOLILOQVIVM.

EXVLTA Deo anima mea, adiutori noſtro, & cum iuſtis iubila Deo Iacob Redemptori tuo, quia ſupplantans vitia tua, te de tenebris liberauit Ægypti. Sint voces cordis tui in laudando Deum, & in operando manibus tuis. Ità cantando pſallas, vt pura ſint tui cordis, voces, & opera. Buccina in Neomenia tuba, quia in hac die pro te paſſus eſt Dominus ſpes tua. Non moreris confiteri peccata tua Chriſto Domino, qui ideò pati voluit, vt ea à te tollat; inſignis enim eſt dies ſolemnitatis paſſionis eius, per quam donans tibi vitam, redemit te de terra Babylonis, de morte, ac pœnis inferni: Idcircò præceptum eſt tibi, vt illud ſeruando fugias diem iudicij, iudicij Dei Iacob. Hoc enim præceptum in Ioſeph, in Eccleſia poſuit in teſtimonium; vt linguam Apoſtolorum, quã aliàs non audiſti, quamve non noueras audiendo cu-

Digitized by Google

custodias, & liberata ab Ægypti tenebris, Redemptori tuo gratias agas Iesu Christo.

Diuertit dorsum tuum ab omnibus, quibus prius Dæmoni laperes portando, domos in tui ruinam illi construebas. Ex fragmentis duodecim cophinorum ne pereres, saluata es, quæ prius manibus tuis demoni in illius cophinis seruiebas; Surge ergo anima mea, quia dum in hoc vitæ pelagi permanes deserto, grandis tibi restat via. Sequere caput spinosum, quia si post illum ire desideras, non amat militem sub ipso delicatum. Promittit tibi Deus liberationem à peccatis, si in tribulatione inuocaueris eum, & ea deabsumitur vt nix, etiam si fuerint vt coccinum. Sustine tribulationes pro Dei amore anima mea, vt probata apud aquã cõtradictionis exaudiatur à Domino oratio tua. Audi vocem Domini; quia, si à peccatis abstinueris, si recentes Deos à te alienaueris, promissio Domini est ad antidora, vt saluetis. Qui hæc tibi promittit, Dominus est Iesus, qui morte sua in hac nocte de terra Ægypti eduxit te. Aperi os tuum, & dilata, & Spiritu suo sancto implebit illud. Ipse tuus cibus est, carnem suam dedit tibi ad manducandum, vt in illo, qui est Via, Veritas, & Vita, in viis eius ambulando, vitam habeas in seculum.

O clementissime Iesu rogas me, & non exaudiam te? stas ad ostium, & tibi vt ingrediaris, non aperiam? non sic anima mea, non fac. Contremisce, ne & tibi eueniat, quod perfidis illis Iudæis, à quibus benignissimus idemmet Iesus, quasi dolens coactus, longè factus est, doleris quia perierunt, cum se audiuissent, haud magnum fuisset Domino de manibus aduersariorum illos, tametsi aliàs sibi aduersos eruere, inimicos ipsos eorum humiliando, & manu sua potenti ad nihilum reducendo. Negauerunt te inimici tui, & erit tempus pœnæ eorum in seculum: confitearis tu anima, quia ipse est filius Dei, qui redemit te, qui ex adipe frumenti sui corporis immolandi pascebat te, vt de petra melle, Christi Iesu hic satiata, eius gratia plena, mel in ore tuo sentias, & cum Dauide psalles, dicas, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauum ori meo? De petra melle post resurrectionem suam Dominus comedit, & saturatus est, vt sciat tu anima mea, quia si mel, quod ex verbis Domini oritur, comederis, cum eodem Domino in Cœlo post tuam resurrectionem saturaberis gloria eius. Adiuua me gloriosa Virgo Maria, quæ hodie iuxtà Crucem stabas dolorosa, dum pendebat filius tuus in illa; fac me tecum plangere, crucifixo condolere; gladius doloris cordis tui pertranseat & animam meam, quia pati voluit ipse, & tu simul Domina mea pro me misero peccatore, vt delerentur scelera mea. Intercede pro me dulcissima Virgo Mater Iesu, vt post exilium dignus efficiar audire: Euge serue fidelis, ingredere in requiem Domini, quia te pœnitentem vidi, & dolentem. Amen.

IN

Digitized by Google

IN PSALMVM LXXXI.

Deus ſtetit in ſynagoga deorum: in medio autem deos dijudicat.

TITVLVS Pſalmus Aſaph. Continuatur ad præcedentem, in quo de iuſtorum exultantium in Domino laudibus: Nunc de ijs agit, qui inter prædictos primum habent locum, cum autem in Aſaph, in congregatione, in Synagoga ſint inter iuſtos & mali Prælati, & Iudices, aſſeritur iuſtos quidem extollendos, malos verò damnandos.

Summa hæc eſt, Pontificibus, & Epiſcopis, alijsq. Prælatis admonitio, quòd cum Dij vocentur, quia locum Dei in terra obtinent, eniti debent, vt iuſtum iudicium iudicent, ne ſicut alij homines terreni morte perpetua moriantur; Vel aliter dicamus Deum hominem factum in medio Eccleſiæ ſtetiſſe, qui & in die iudicij iterum veniet, atque in medio iudicandorum ſtabit.

Deus ſtetit in Synagoga Deorum: ſed nonnè Deus cælum, & terram implet? & vbique eſt? cur tantùm in Synagoga ſtetiſſe dicitur? cur ſtetit, inquit, & nõ dicit ſtat, cur ſtetit, & non ſedit? Ad primum reſpondet Propheta Moyſes, in cap. 7. n. 14. in Deuter. dicens, En Domini Dei tui, cælum eſt, & cælum cæli, terra, & omnia, quæ in ea ſunt, & tamen Patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amauit eos, elegitq. ſemen eorum poſt eos, ideſt vos de cunctis gentibus, &c. circumcidite igitur præputium cordis veſtri, & ceruicem veſtram ne induretis amplius, quia Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus Deorum, & Dominus dominantium, &c. Non dicas, abſcondar à Deo, & ex ſummo quis recordabitur mei? Eccleſ. 16. n. 16. Deus eſt immẽſus, & incircumſcriptus, Pſal. 138. n. 7. Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illìc es, ſi deſcendero in infernum ades, Amos 9. nu. 2. cum ſeq. populus tamen Hebræus factus eſt Domino Deo, & elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terrã, dicitur in d.c. 7. n. 7. in Deut. non quia cunctas gentes nùmero vincebatis, vobis coniunctus eſt Dominus, & elegit vos, cum omnibus ſitis populis paùciores; ſed quia dilexit vos Dominus, &c. & ibid. cap. 26. Dominus elegit te hodie, vt ſis ei populus peculiaris, & cuſtodias omnia præcepta illius, & faciet te excelſiorẽ cũctis gẽtibus, quas creauit in laudẽ, & nomen, & gloriam ſuã, vt ſis populus ſanctus Domini Dei tui.

Sed cur dicitur ſtetit, & non ſedit? ideò dictum ſtetiſſe arbitror, quia hinc erat tranſiturus ad gentes. Non ſedit, quia ipſa Iudaica gens non erat ſeruatur pactum, & præcepta. Hocq. colligi videtur ex multis, & præcipuè ex his, quæ in Deuter. 28. nu. 15. Ierem. 7. nu. 23. & Thren. 1. & 2. per totum, & ideò Ierem. cap. 14. n. 7. Quare quaſi colonus futurus es in terra, erant enim afflicti, & tribulati Iudæi propter offenſiones Deo factas ab ipſis; ſequitur ergo, dicens, Et quaſi viator declinans ad manendũ? Quare futurus es, velut vir vagus, vt fortis, qui nõ poteſt ſaluare? Stetiſſe autem dicitur Dominus, quouſquè & ipſi ſtarẽt; cum tamen illi dilexerint mouere pedes ſuos, & non quieuerint, & eidem Domino non placuerint, quis dubitet, nec illum ſtetiſſe in medio eorum?

Vel aliter; Stetit Deus in Synagoga Deorum, in domo ſua ſtetit Deus, &

Iudæos, quia iniqui fuerunt, ex illa eiecit, illosq. ex illa dimisit; stetit ibi vigilans, vt videret, si ibi erat qui faceret bonum, ideò in medio eorum dijudicans: iuxtà illud Ierem. cap.7. in princ. Sta in porta domus Domini, & prædica ibi verbum istud, & dic: Audite verbum Domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has, vt adoretis Dominum. Stetit in Synagoga Dominus, & quid dixit? Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto. Stetit in medio eorum, dicens, Si benè direxeritis vias vestras, & studia vestra, si feceritis iudicium inter virum, & proximum eius, aduenæ, &c. non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, & post Deos alienos non ambulaueritis in malum vobismetipsis, habitabo vobiscum in loco isto, in terra, quam dedi Patribus vestris. Stetit dijudicans, quia vidit eos confidentes in sermonibus mendacij, furari, occidere, adulterari, &c. & ire post Deos alienos, quos ignorabant. Stetit in Synagoga Deorum, nàm venerunt, & steterunt in domo hac, in qua inuocatum est nomen meum. In medio dijudicans, quia domum Patris sui plenam inuenit latronũ; nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego vidi, dicit Dominus, proijciam vos à facie mea sicut proieci omnes fratres vestros, vniuersum semen Ephraim, &c. Mane consurgit Dominus, & loquens eiecit ementes, & vendentes de domo Dei, quia illam fecerunt speluncam latronum, Matth. cap. 21. num. 12. & quia non receperunt Verbum Domini, immo negauerunt, Christumq. crucifixerunt.

Stetit Dominus in Ecclesia sua, & eiecit Iudæos iniquos ab illa, in qua vocauit gentes, & ex vtraque fecit vnam, Isai. cap. 49. numer. 6. Act. Apost. c. 13. numer. 47. Et impleta est domus Domini, in qua oculi credentium viderunt præceptorem, & aures illorum audierunt verbum post tergum monentis, Isai. cap. 30. num. 21. Stetit Dominus in Synagoga Deorum, vt alias oues congregans dilataret eam vsque ad fines terræ, fundatam in iustitia Domini. In medio Deorum dijudicat. Nàm inter vniuersos filios Ecclesiæ doctos à Domino, Apostolos scilicet, & Doctores, stat nunc Dominus, Isai. cap. 54. numer. 13. Vniuersos filios tuos doctos à Domino, & Ioan. cap. 6. num. 47. Et erunt omnes docibiles Dei, nàm omnes iusti populus Dei, Deuteronom. dicto cap. 26. numer. 18. Stetit in Synagoga Deorum, in congregatione ouium, quæ sine intellectu factæ sunt, congregatio enim ad gregem ouium pertinet. Nàm sciendum est, quòd Synagoga propriè Iudæorum congregatio dicitur, quæ etiam pecoribus, seù ouibus conuenit; hæc enim talis erat Iudæorum Synagoga, plena effecta indiscretorum, & iniquorum hominum; propterea stetit Dominus in domo sua, ex qua iniquos, & indiscretos eiecit, & separauit oues ab hædis; & gentes in illa vocauit, quocircà Ecclesia nostra dicta est conuocatio, quasi rationabilium, & discretorum, & dicta Catholica, quia vniuersalis, & in toto orbe terrarum dilatata.

A principio Dominus Iesus, quando venit, & carnem nostram assumpsit, quando erat duodecim annorum stetit in Synagoga Deorum, in medio Doctorum, Luc. 2. num. 46. inuenerunt eum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos: stupebant autem omnes, qui eam audiebant super prudentia, & responsis eius; steterit, & sedit, quia homo factus est, & habitauit in nobis, Ioan. cap. 1. Stupebant in responsis eius, quia

venit,

venit, vt Iudæos docendo vocaret, vt eos, qui perditi erant ſaluaret, quia erant oues errantes, ſine ratione ambulantes; non enim ſum miſſus aiebat, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, Matth. cap. 15. num. 26.

Stetit in medio dijudicans, bonos ab iniquis ſeparando, in medio Deorum illorum nimirum, qui erant filij Dei, Iſai. cap. 1. nu. 2. Filios enutriui, & exaltaui; ipſi autem ſpreuerunt me. Auguſtin. hìc litera A. Inuenimus etiam ſæpe eos filios appellatos, non ea gratia, quæ ad nouum Teſtamentum pertinet, ſed illa, quæ ad vetus, quia & ipſa gratia eſt, qua elegit Abraham, & ex eius carne tàm magnum populum propagauit, qua nondum natos Iacob dilexit, Eſau autem odio habuit; qua liberauit ex Ægypto, qua in terram promiſſionis, eiectis gentibus, introduxit, niſi enim & ipſa eſſet gratia, non vtique de nobis, quibus non ad terrenum, ſed ad Cælorum regnum capeſcendum data eſt poteſtas, filios Dei fieri, in eodem mox Euangelio diceretur, quòd accepimus gratiam pro gratia, Ioan. 1. num. 16. ideſt pro Teſtamenti veteris promiſſionibus, Teſtamenti noui promiſſiones, ad Roman. cap. 9. num. 13.

Deus ergo ſtetit in Synagoga Deorum, illa nimirum, qui de ſe dixit, non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael; idem Auguſtin. Dicitur & cauſa, in medio autem Deos diſcernere. Agnoſco igitur Deum ſtetiſſe in Synagoga Deorum, quorum Patres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, vt enim ſtaret Deus in Synagoga Deorum, ad hoc ex ipſis ſecundum carnem. Sed quis Deus? neque enim quales illi, in quorum Deorum Synagoga ſtetit, ſed ſicut illìc Apoſtolus ſequitur, Qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. In medio autem qui ſtat, ille eſt, de quo idem Ioan. 1. nu. 26. Ego baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Vndè dicebat, hunc autem, vndè ſcit neſcimus, Ioan. 9. num. 29. & hìc dicitur, Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: In medio ſtat dijudicans, qui in vijs iuſtitiæ ambulat, in medio ſemitarum iudicij, vt ditet diligentes ipſum, & theſauros eorum repleat, Prouerb. d. cap. 8. num. 20. propterea ſcriptum eſt, Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices, Exod. d. cap. 22. num. 28.

Stetit in medio Deorum, in medio Iudicum. Vndè Ioſaphat Paralip. 2. c. 19. num. 6. Videte, inquit, quid faciatis; non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini, quodcunque iudicaueritis in vos redundabit. Conſtituerat enim Iudices terræ in cunctis Ciuitatibus Iuda. In medio Deus ſtetit, quia iudicium Dei eſt, Deuter. 1. nu. 17. Non eſt enim diſtinctio perſonarum, ità paruum audietis, ſicut magnum, nec accipietis cuiuſquam perſonam, non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, neque perſonarum acceptio, nec cupido munerum, Paralip. d. cap. 19. num. 7. ad Roman. 2. num. 12. Epiſtol. Iacob. cap. 2. num. 4. Vgo de S. Victore de Inſtitut. Nouitior. cap. 5. & Auguſtin. Tom. 2. Epiſtol. 29. poſt medium. Nec ſanè, inquit, quantum arbitror putandum eſt leue eſſe peccatum in perſonarum acceptione, habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Si illam diſtantiam ſedendi, ac ſtandi ad honores Eccleſiaſticos referamus: quis enim ferat eligi diuitem ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiori, atque ſanctiori? ſi autem de confeſſibus quotidianis loquatur, quis non hìc peccat, niſi cum ad ſeipſum intus ità iudicat, vt ei tantò melior, quantò ditior eſſe videatur.

In medio Deorum dijudicat, quia cum illis eſt, ſi rectum iudicium proferãt, ſi

innocentem absoluant, & nocentem damnent: quia rectum est iudicium Dei! in medio Iudicum, qui vices Dei in terris, gentium congregatione, & consensu gerunt, eorum actiones contemplans, & quale ius vitæ ipsius alijs dicant, vt sciant iudices, & qui præsunt alijs, quia Deus in medio eorum stat, vt illos dijudicet, & eorum actiones examinat, & attendit; propterea sciant manus Dei se non euasuros; Audi quid dicat, qui in medio Deorum dijudicat:

Vsquequò iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? & Psalm. 4. num. 3. Filij hominum vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? vsquequò graui corde? vsquequò cæci, & surdi? iàm misit Deus filium suum ad vos, vt filios vestros congregaret, sicut gallina congregat pullos suos, Matth. cap. 23. nu. 34. & Luc. 13. num. 34. sed nec voluistis, immo Prophetas, & alios, quos ad vos Dominus miserat, occidistis, & lapidastis, Matth. cap. 21. num. 33. & d. cap. 23. num. 34. & 37. Marc. 12. num. 1. Luc. cap. 5. nu. 12. Audi vocem Dei discernentis, audi & vocem Domini diuidentis flammam ignis, Psalm. 28. num. 7. Misit Dominus Prophetas, & vos illos occidistis, Matth. cap. 21. num. 33. cum sequen. vsque ad 37. Luc. 13. num. 34. Marc. 12. num. 1. Quomodò conuersa es in prauum Domino vinea electa, in qua omne semen verum sanum est, & in amaritudinem vinea aliena? à sæculo confregisti iugum Domini, rupisti vincula eius, dicens, non seruiam, Ierem. cap. 2. num. 20. & 21. Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur à siti. Et dixisti; desperaui. Nequaquam seruiam; adamaui quippè alienos, & post eos ambulaui, ibidem Ierem. numer. 25. degenerans scilicet à fundamento veritatis, doctrinas, & mandata hominum docens. Matth. cap. 15. numer. 9. Nunquid vsque ad aduentum filij Dei, qui lumen est cordis? vsquequò facies peccatorum sumitis?

An non illum agnouistis, qui in medio vestri diù stetit? viderunt illum in medio eorum stantem: propterea & illum occiderunt, quia non eum videbant, qualem se videri volebat, Ioan. cap. 14. num. 9. Qui me videt, videt & Patrem meum. Vsquequò faciem peccatorum sumitis, adeò vt videntes Deum, & hominem, non agnoscatis, quia Deus, & homo vnus est. Hominem tantùm videtis, quia cæcitas, quæ in peccatis vestris est, Deitatem vt videatis impedit. Sed si filius Dei coram vobis talia fecit miracula, qualia nemo alius facere potest, mortuos suscitando, mari, & ventis imperando, &c. cur iudicium vestrum, & intellectus vester ità obscurus, vt hæc non ab homine, sed à Deo, & homine facta intelligatis? nisi quia iniquitatem iudicatis, & faciem peccatorum sumitis?

Augustin. Nunquid & nunc ipse hæres veniens occidendus est? nonnè ipse propter vos sine Patre esse voluit tamquam pupillus, esuriuit, & vt egenus propter vos sitiuit, Matth. 11. & idem ipse clamans, dixit, discite à me, quia humilis sum, & mitis, 2. Corinth. 8. Pauper factus est, qui diuites facit, vt ipsius paupertate ditemini & vos; cur hæc non discernitis vos, ò stulti, quia faciem peccatorum sumitis. Hæc omnia auribus vestris percepistis, & non intelligitis, videntes vidistis, & non viditis, Isai. cap. 6. nu. 4. Ioan. cap. 12. num. 40. Matth. cap. 13. num. 14. Scindite velum à facie vestra iniquitatis, audientes aliquando sapite, quia hic verè est filius Dei viui, qui semetipsum tradidit, nos non à Diabolo in profundum trahamini.

Iudi-

Iudicate egeno, & pupillo, humilem, & pauperem iuſtificate. Non illos propter ſe ſuperbos, & diuites, ſed iuſtum propter vos humilem, & pauperem, iuſtum credite, iuſtum prædinate: ò res mirabilis, qui Dominus eſt, humilis factus carnem noſtram aſſumpſit, pauperem ſe fecit, & humilem, vt iudicetur ipſe ab hominibus; ipſe enim fecit nos, non ipſi nos, Pſalm. 99. num. 3. qui vult iudicium in ſe ſumere ex nobis, ex iniquis Iudæis, prauis Hæreticis; non ideò venit, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluificet mundum, Ioan. cap. 3. nu. 17. & cap. 12. num. 47. Et vos iniquè iudicaſtis illum. Sed cur non confitebuntur eum Deum, qui in medio illorum ſtetit, qui tot mirabilia ſigna fecit? qui ſeipſum à mortuis ſuſcitauit? Ergo alioquin, dicebat Ieſus, operibus credite, & iudicando iuſtè confitebimini, quia ipſe eſt Redemptor noſter. Tu ergo, ò populo, ò Iudæe infelix, ne iudiceris, cur nunc confitendo non iudicabis, quia ipſe eſt Ieſus filius Dei, qui ideò miſſus eſt primò ad te, vt redimeret te, Ioan. 4. cap. 3. num. 18. nàm ſi non credideris, iàm iudicatus es.

Cur tu cum Principibus tuis clamaſti, Crucifige, crucifige, qui prius dicebas, Oſanna in excelſis? cur pauperem, & egenum de manu peccatoris non liberaſti? Timebant illi populum, propterea Ieſum anteà non comprehenderunt, vt crucifigerent, ne tumultus fieret in vobis, Matth. cap. 25. num. 5. Marc. cap. 14. num. 2. Non ideò vos à tanto ſcelere immunes fuiſtis, qui Chriſtum Principibus permiſiſtis, & à conſenſu, & à facto liberare poteratis, quia vos Iudices illi iniqui timebant tumultuantes: conſenſiſtis etiam vos, qui expreſsè etiam clamaſtis, vt ille crucifigeretur ab illis iniquis Iudicibus ad hoc inducti, Matth. cap. 27. num. 20. Principes autem Sacerdotum, & Seniores perſuaſerunt populis, vt peterent Baràbbam, Ieſum verò perderent. Hieronym. in 1. Prologo Bibliæ. Quantùm quis ex vitæ merito Eccleſiam ædificat, tantùm nocet, ſi deſtruentibus non reſiſtat, & refertur in cap. Sancta quippè ruſticitas, 2. quæſt. 7. & cap. Negligere eadem quæſt. conſentire conuincitur, qui cum poſſit, peruerſis negligit obuiare.

Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ. Sed quomodò non intellexerunt, cum illis ſupra dictum ſit, ne faciem peccatorum ſumerent, & pupillo, egeno iudicarent? humilem, & pauperem iuſtificarent? Neſcierunt Dominum, quia ſi ſciuiſſent, nunquam Regem gloriæ crucifixiſſent, Paul. 1. Corinth. cap. 2. num. 8. Auguſtin. In tenebris ambulant, quia & illi ſi cognouiſſent, nunquam Baràbbam liberandum, & Chriſtus vt crucifigeretur, inſtitiſſent: ſed quoniam memorata cæcitas ex parte Iſrael facta eſt, donec plenitudo gentium intraret, ad Roman. cap. 11. ideò non intellexerunt; lutum enim maluerunt, quàm vnguentum pretioſum: in luto erant inuoluti, ideò magis terrena amantes, in tenebris permanentes, legem Domini non intellexerunt, lucem veram obcæcati non viderunt, Sap. cap. 2. per totum, Sacramenta Dei non intellexerunt: Suem eſſe maluerunt animal immundum, nàm vt dicit Apoſtol. ad Tit. cap. 1. num. 15. omnia munda mundis; coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens, & conſcientia. Confitentur enim ſe noſſe Deum, factis autem negant, cum ſint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. Immundi enim ſunt iſti Iudæi, & Hæretici, non natura, ſed proprio vitio; nàm omnis creatura Dei bona eſt, Geneſ. 1. num. 31.

Sap.cap.11.numer.25. Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti omnium, quæ fecisti. Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: per hoc ergo animal, immundi significantur propriò vitio, non naturæ.

Nescierunt ergo, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ. Hoc conuenit omnibus Prælatis, & subditis, nàm vt dicit Ierem. cap.5.num.1. In plateis, & vijs facta perquisitione non inuenietis est habens fidem, induratæ enim sunt faciès eorum, & noluerunt reuerti; ibidem numer.5. quia pauperes, & stulti ignorantes erant viam Domini, &c. ad Optimates, & Prælatos locutus est, quia ipsi cognoscere debebant viam Domini Dei sui, & iudicium, & ipsi magis simul confregerunt iugum: in tenebris enim ambulant; Ità vt potius fundamenta terræ moueantur, hoc est omnes Reges terræ ad Dominum conuersi suscipiant fidem, quàm ipsi iniqui qui Iudæi de tenebris ad lucem veniant: donec enim plenitudo gentium intraret, cæcitas contigit in Israel, tunc omnis Israel saluus fieret, ad Roman. cap.11.numer.25.

Vel dicamus, referri hæc ad prædicationem Apostolorum, quorum vocibus omnia fundamenta terræ, idest omnes, qui terrena tantùm sapiebant, qui Idola adorabant mouendi erant; nàm in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Propterea subiungit Propheta, quæ de Apostolis Dominus dixerit, nempè, Vos autem Dij estis, & filij excelsi omnes: excelsi, quia filij Dei facti sunt, Isai. cap.14.numer.13. Vniuersos filios tuos doctos à Domino, & Ioan. dicto cap.6.numer.48. & erunt omnes docibiles Dei, & Ioan. cap.1.numer.12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, quia ex Deo nati sunt. Hæc ad iustos dicta sunt, qui ad vitam sunt prædestinati.

Vos autem Iudæi, qui terrenis adhærentes non credidistis, nec credere curatis in Christum, sicut homines moriemini, & sicut vnus ex principibus cadetis. Diabolus erat in Cælo, & ibi creatus est; Iudæi in domo Dei, in Synagoga, ipse Diabolus de Cælo superbus cecidit ad inferos; vos increduli cecidistis è domo Dei, è Synagoga. Vos Hæretici, & peccatores obstinati ab Ecclesia Dei eijciemini; moriemini enim per infirmitatem carnis sicut homines, & cadetis per superbiam sicut Diabolus vnus de Principibus exaltari videmini, ò impij, & eleuari sicut cedrus Libani, Psalm.36.num.35. citò morituri estis sicut homines; non tamen corrigimini, sed vt Diabolus extollimini, vt cadatis: populus malus morietur sicut homines infideles, & iniqui; ac sicut præcipui infernales spiritus cadent in tenebras exteriores, ità vt dicatur de ijs, qui in inferno positi sunt, Et vos nati continuò esse desiuistis, & virtutis quidem nullum signum valuerunt ostendere, Sap.5.num.13. mors depascet eos; Spes enim impij tamquam lanugo est, quæ à vento tollitur, Prouerb.cap.10. num.25. quasi tempestas transiens non erit impius, & cap.12.num.7. Verte impios, & non erunt, Psalm.2.nu.4. tamquam puluis, qui proijcitur à vento. Dominus verò, quem vos impij crucifixistis, exurget à mortuis, & veniet iterum iudicare terram, vndè sequitur vers.

Exurge Deus, iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. Tibi data est omnis potestas in Cælo, & in terra, quia tu hæreditabis in omnibus gentibus, nàm ad hoc omnes gentes congregatæ sunt simul, Isai.c.45. num.9.

num.9. in Ecclesia sua sancta, in qua saluantur per Iesum Christum, qui ideò annunciauit, vt saluaret, ibidem num.11. Quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus, Psalm.2.num.8. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ; Surge ergo Domine à mortuis, iudica terram, idest terrena sapientes, Iudæos, aliosq. iudicium carnis sequentes, non vt cadant, sed vt illorum delicto gentibus fiat salus, ad Roman.c.11. numer.12. **Numquid sic offenderunt, vt caderent? absit, sed illorum delicto salus est Gentibus, vt illos æmulentur.**

SOLILOQVIVM.

VTINAM Deus, qui sterit in Synagoga Deorum, ster & tecum anima mea; stabit autem, si tu in præceptis eius persistes. Ne ergo tu mandata Dei transgrediaris, alioquin enim longè ab illo facta cum Adam vocem Dei in Paradiso deambulantis audiens, fugies nuda, nec tamen à facie Domini abscondere te poteris. Quæ in Ecclesia posita es, gaude potius, & lætare, quod in medio tui ster Deus, qui tibi suum largitus est ipsum Dei nomen, vt cælestia largiatur & regnum. Exultate iusti omnes, qui Dij estis; in medio vestrum stat Deus: Nolite tamen gloriari, quia inter Deos sitis Ecclesiæ fideles, sed state in timore, quia Deus stat, vt & Deos iudicet, Quod si Deus Deos dijudicat, quid erit, si tu anima mea stans in Ecclesia alios malè iudicaueris; si faciem potentis aspicies, & non quod iustum est, si pupillum, & viduam despexeris? si tu peccando rea in iudicium pertraharis?

Te deprecor Altissime, vt dirigas in veritate viam meam, vt & ego per tui gratiam merear à te audire cum iustis alijs; Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Ne sim sicut homines morientes, sed sicut filij tui redempti recum, viuam in æternum. Cecidit vnus de Principibus factus tribulatorum, & pennatorum Princeps, solicitusq. est, vt secum trahat & terrenos, & eos, qui in te non sperant, nec credunt. Surge Domine adiuua terram hanc corporis mei, ne propter illius infirmitatem, cadat cum Diabolo anima mea. Surge, qui humilis hùc venisti, & contemptus. Veni Iudex, & vindica me. Surge Domine, & hæreditabis terram hanc meam, quæ morte testatoris facta est hæreditas tua. Philippe sancte Dei Apostole, quem hodierna festiuitate sancta colit Ecclesia, cui de panibus emendis cura data est, & qui Domino carus, alios, vt viderent Iesum introduxisti; intercede pro me, vt panis cælestis & ego particeps sim ad saturitatem, vtq. videns filium Dei, videam & Patrem, qui in filio est, & filius in Deo, vt introductus etiam ad illum, qui te vocauit in Apostolatum, absolutas à delictis, innocens per gratiam Dei, illùc & ego introducar per te, vbi cum Iacobo Domini fratre regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

IN

IN PSALMVM LXXXII.

Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus.

TITVLVS: Canticum Psalmi Asaph. Continuatur ad præcedentem, in quo actum est de iustis, & iniquis iudicandis à Deo, iustis ad dexteram Dei, iniustis verò ad sinistram. Quale verò futurum sit istud iudicium, & quis illi præerit, explicat, psallens in Psalmo isto 82. Asaph, qui (vt aliàs diximus) interpretatur Congregatio, vel Ecclesia, quòd nempè is est filius Dei Iesus Christus, qui ad iudicandum venturus est, dicit ergo Deus. Quis similis tibi erit, quando ad iudicandum veneris, tunc in tàm grandi maiestate iudicaturus? qui primùm hùc, vt ab impijs iudicareris similis nobis venisti, quum carnem nostram assumpsisti: quando & passus es sicut homo, cuius dolori alius similis dolor esse non potuit: adeò vt dixeris per Prophetam; Attendite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus, Thren.cap.1.nu.12. Tunc certè Deus, quando ad iudicandum veneris, non erit reperire similem, quia cum virtute multa, & maiestate venturus es, Matth.cap.24.numer.30. vt sermo sit de secundo Christi aduentu.

Vel aliter eadem sumamus de primo eiusdem aduentu, vt Propheta, cui futura tamquam præsentia apparebant, dicat, Deus quis erit tibi similis, quando venies, & ab impijs Iudæis iniustè iudicaberis, absque iudicij forma, & indefensus condemnaberis. Quis talia audiuit? quòd in iudicio (nàm ad Pilatum ductus est Iesus) sine iudicio iudicis ordinarij: sine ordine: à seruo sine potestate, à Iudice iniustam querelam Iudæorum, dicente, & innocentem condemnante, & bis in idem iudicante? flagellatum enim primò dimisit Iesum; deinde ad illorum clamorem Iudæorum, sine processu, sine ordine, & sine tempore; statim postquam captus, flagellatus, corona spinea coronatus in crucem actus, vt moreretur.

Deus quis similis erit tibi? cui nec species, neque decor; quem vidimus, & non erat aspectus, immo despectum, & vultus tuus quasi absconditus, vndè nec te reputauimus, Isai.cap.53.num.3. Deus quis erit tibi similis, qui vt mortem nostram destrueres, mori voluisti tu, qui es Vita, Via, & Veritas, vt sicut inuius, & sine veritate ab impijs iudicareris, & vitam tuam perderes, vt nobis vitam donares? & resurgendo vitam nostram reparares? Ne taceas Domine, neque compescaris, nàm quando te apprehendere voluerunt, te dicente illis, qui te quærebant, ego sum, retrorsum infelices illi abierunt. Ne compescaris, neque taceas: non ab incepto mitescas; nequam est enim hanc istam, & naturalis malitia eorum, nunquid non potens es impios istos bestijs sæuis, aut verbo duro exterminare? quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti, Sap.cap.12.num.9. & 13. ne compescaris Deus.

Deus quis similis tibi, qui talia passus es, vt misereris nostri? immo vt crucifigentes te, & pœnitentes ad te reuertentes à morte liberares? Deus quis similis tui? qui ex morte vitam, ex passione lætitiam, ex inuio viam, ex tenebris

lucem,

lucem, moriens tua ex morte viuificares peccatores?

Domine Iesu, quis similis tibi? qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumq. dispensas, & à ministris Diaboli passus fuisti, vt sine ordine iudicareris? non poterant enim alios iudicare cum ordine, cum ipsi essent sine ordine, in perpetua confusione detrusi, vbi sempiternus horror inhabitat.

Ne taceas, neque compescaris Deus, sicut primò tacuisti, vt iudicareris, quasi do sicut agnus coram tondente se fuisti sine voce, sic non aperuisti os tuum, & tuam compescuisti potestatem, Isai.cap.53.num.7. Iàm Domine tacuisti, & patiens fuisti, nunc sicut parturiens loquere in vi, & virtute tua, effunde iram tuam conceptam in Gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt, Psalm.68.numer.25. & Psalm.78.num.6. Duces Domine cæcos in viam, quam nesciunt, & in semitas, quas ignorant, fac eos te prosequentes ambulare: pone tenebras in lucem, & prauia, & distorta in directa, Isai.cap.42.num.15. cum sequen. Confundantur confusione Hæretici, & omnes Ecclesiam tuam persequentes; laqueus enim iuuenum omnes, fortiter illaqueati remanent, in rapinam facti sunt diaboli, nec est qui eruat: in direptionem, nec est qui dicat; redde. Effunde super eos iram indignationis tuæ, donec conuersi reuertantur ad te. Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum tuorum, Psalm.7.num.6.

Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput. Sonuerunt falsa dogmata docentes, linguas acuentes, sicut serpentes contrà Ecclesiam tuam, tumultus excitantes, feruisq. tuis derrahentes. Non dicit extulerunt capita sua, sed caput, quod extollitur super omne, quod colitur, aut nominatur Deus: qui oderunt, plures sunt; sed vnum est caput eorum scilicet Antichristus, quod ità elevatum est, vt Deum se audeat dicere, 2. ad Thessalon.cap.2.numer.4. Augustin. hìc litera M. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, &c. Mihi videtur nouissimos dies significare, quando hæc, quæ nunc metu comprimuntur, in liberam vocem eruptura sunt; sed planè irrationabilem, vt sonitus magis, quàm locutio, vel sermo dicendus sit. Non ìtaque tunc odisse incipient, sed qui oderunt te, tunc leuabierunt caput, nec capita, sed caput, quando eò peruenturi sunt, vt etiam illud caput habeant, quod extollitur super omne, quod dicitur Deus, & quod colitur, vt in illo maximè impleatur, qui se exaltat, humiliabitur, Luc.cap.14. & cum ille, cui dicitur, ne taceas, neque mitescas Deus, eum interficiet spiritu oris sui, & euacuabit illuminatione præsentiæ suæ.

Sed cur, dicit Augustin. quando eò peruenturi sunt, vt etiam illud caput habeant; iàm enim venit Antichristus, vt dicit Ioan.1.cap.2.numer.18. Filioli nouissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus venit. Iàm suum caput habent Diabolum, quia desideria eius volunt facere, quia verba filij Dei nolunt intelligere, Ioan.cap.8.num.44. Vos, inquit, ex patre Diabolo estis; semper ergo præsens est Antichristus negantibus Deum, & Christum odientibus, in quo caput extollunt, gloriantes se Patrem habere Diabolum, & illius se esse membra: tunc verò, quando manifestè apparebit Antichristus, magis illum extollent, ità vt nisi abbreuiati dies illi fuissent, non esset salua omnis caro, sed propter electos abbreuiabuntur dies illi, Marc.cap.13.num.20. & Matth.cap.24. n.23. Dicit ergo inimici tui sonuerunt, quia post Hæreticos istos, & infideles

abeunt

abeunt multi, itàvt benè dixerit Iesus. Quando venerit Dominus, putas ne inueniet fidem in terra? gloriantur in infirmitatibus suis, itàvt claudentes Regnũ cælorum ante homines, nec ipsi intrant, nec introeuntes sinant intrare, Matth. cap.23.nu.16. & si nunc sonant, quid facient, quando venerit ille Diaboli filius Antichristus? extollent enim caput illorum, qui sunt membra sua; & eius faciunt voluntatem; quia irrationabiles erunt voces illorum, ideò sonuerunt tumultuantes, & contrà Ecclesiam sanctam frementes, superbiaq. superbientes; minaciter enim inimici Ecclesiæ, inimici Dei minaciter eleuant voces, cum sine ratione sint, suas voces extollentes: ità faciunt ignorantes, vt in publico videantur sapientes; voces suas extollunt, vt ab insipientibus, & simplicibus existimentur victores, & sapientes, dolum, & Diaboli fallaciam extollentes: De persecutione verò, quæ erit Antichristi tempore, loquitur Propheta; tunc inimici Christi apertius iniquitates suas defendere conátes, contradicent Christo.

Super populum tuum malignauerunt consilium, & cogitauerunt aduersus sanctos tuos. Erant isti consiliarij, qui ea, quæ ad salutem essent consulere deberent, satagentes, vt consilijs bonis quotquot possent, adducerent, vt studerent de Dei populo esse, & Sanctos Domini effici; sed secus factum est; nàm qui pallium consulentium habere videbantur, reperti sunt habere illos venenum perimentium; Augustl. Psalm. 119. litera H. in fine; Propterea super populum tuum malignauerunt consilium, vt Sanctos tuos disperderent, dicentes, Venite, & disperdamus eos de Gente, & non memoretur nomen Israel vltra: Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum, Psalm. 2. nu. 3. Sed nunquid est consilium contrà Dominum?

Super populum tuum malignauerunt consilium, idest hominum malignantium consilium collegerunt, hominum scilicet carnalium, & mundi amatorum, & ad inuicem separatorum; tales enim sunt, vt dicit Augustin. in lib. Vnico de salutaribus documentis, Tom. 4. litera G. & Ezech. cap. 11. num. 2. Hi sunt viri, qui cogitant iniquitatem, & tractant consilium pessimum, &c. Nonnè dudum ædificatæ sunt domus; hæc est lebes, nos autem carnes, quasi nihil timentes, ex quo in vrbe illa erant; sumus, dicebant, in vrbe, vt in olla, carnes, nec exibimus, dum vixerimus, vt nec carnes ex olla quamdiù coquuntur, sed ò miseros, & vos infelices; gladium metuistis, & dicentes: Melius est, vt vnus moriatur prò populo, quàm tota Gens pereat, Ioan. cap. 11. num. 47. Consilium malignantium contrà Dominum, vt innocentem illum occideretis tenuistis? & ecce gladium induxit Dominus super vos, Ezech. ibid. num. 8. & quæ ibi sequuntur.

Venite dixerunt, & disperdamus eos de Gente, venite, inquiunt, quia tamquam diaboli ministri, quærunt, vt & alij simul cum ipsis in inferno crucientur: Venite, inquiunt, quorum pueri prius dicebant, benedictus qui venit, &c. Osanna in excelsis: clamantes coram Iudice Pilato, vt crucifigatur instate, vlulate, vociferate, vt socios vos habeatis Diaboli ministros. De Domino hæc intelligo, quia de Discipulis, & fidelibus etiam talia dixerunt; qui metuentes terrena, amiserunt cælestia: sunt enim membra Christi omnes fideles, & ipse Christus caput, propterea tollantur, & dispergantur de Gente, vt amplius non sint in mundo, nomen Christianum in totum tollere de mundo enitentes.

Super populum tuum malignauerunt consilium. Nàm obseruantes miserũt: insi-

Digitized by Google

insidiatores, qui se iustos simularent, vt caperent eum in sermone, vt traderent illum Principatui, & potestati Præsidis, Luc. cap. 20. num. 20. Stupebant omnes turbæ, & dicebant, nũquid hic est filius Dauid? Pharisæi autem audientes dixerunt, hic non eijcit Dæmones, nisi in Beelzebub Principe Dæmoniorum, Matth. cap. 12. num. 23. quæ enim de fidelibus, & iustis cogitauerunt hæc de Christo, vt nomen eius deleretur, intellexerunt, propterea sequenti vers. dicit Propheta.

Quoniam cogitauerunt vnanimiter; simul aduersum te testamentum disposuerunt. Malignauerunt consilium, nàm solum malignantes in concilium ipsorum vocauerunt, quos verò rectos, & iustos sciebant, eiecerunt foras, Ioan. 9. num. 35. Quare non adduxistis illum? Nunquam, responderunt, locutus est homo, sicut hic homo. Nunquid, dixerunt Pharisæi, & vos seducti estis? Nunquid ex Principibus aliquis credit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt, Ioan. cap. 7. num. 46. Solum ergo malignantium acceperunt consilium, cæteros verò in concilium non admiserunt; Ioseph autem non erat consilio eorum consentiens, Luc. cap. 23. num. 51. Concilium malignantium contrà Paulum, vt interficerent eum, Act. Apost. cap. 9. num. 23. iniecerunt & manus in Apostolos, Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant, & in custodia publica posuerunt eos, Act. Apost. cap. 5. num. 17. & num. 33. Cum audissent Iudæi Apostolos prædicantes dissecabantur, & cogitabant interficere illos.

Cogitauerunt aduersus Sanctos tuos. Omnes ergo delere cogitabant, propterea dicebant Apostolis, ne amplius in nomine illo prædicarent, & turbas seducerent. Et quia Act. Apost. cap. 6. num. 7. multa turba Sacerdotum obediebat fidei, tunc submiserunt viros, qui dicerent, se Stephanum audiuisse dicentem verba blasphemiæ in Moysen, & in Deum. Conuocauerunt itaq. plebem, & Seniores, & Scribas num. 12. & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium, & statuerunt falsos testes, qui dicerent; Homo iste non cessat loqui verba aduersus sanctum locum, & legem: audiuimus eum dicentem, quoniam Iesus Nazarenus hic distruet locum istum, & mutabit traditiones, &c. Audientes autem eum, illos reprehendentem, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum, num. 54. cogitauerunt aduersus Sanctos tuos, & illorum cogitationes adimpleuisse, Sanctos occidendo putabant.

Sed quid cogitabant conuocantes perditionum socios, dixerunt, Venite, & disperdamus eos de Gente. In singulari christianos Gentem dixerunt, quia populus Domini omnes iusti, Isai. cap. 60. num. 21. Faciunt quæ in Genes. 34. nu. 22. Si circumcidamus masculos nostros, ritum Gentis imitantes, tunc enim Gens, omnes circumcisi vocabantur. Gentem dixerunt ministri Antichristi, quasi qui seruiunt Deo, pauci sint numero, respectu iniquorum Diabolum sequentium in terra; vndè dicebat, Matth. cap. 20. num. 16. Multi sunt vocati, pauci verò electi, & D. Gregor. 29. Moral. cap. 4. Diabolus lapsus suo crimine in mensura ruinæ suæ minimè permansit. Sed quantò ab omniporentis gratia defuit, tantò magis reatum criminis cumulauit, nàm qui ideò cecidit, quia peruerso ordine Deo esse similis voluit, eòusque perductus est, vt in Antichristum veniens videri Deo similis dedignetur, atque quem non potuit habere superbus æqualem, damnatus putat habere inferiorem: nàm cum de illo

illo dicitur, extollens se supra omne, quod dicitur Deus, 2. ad Thessalon. 12. num. 4. aut colitur, aperte monstratur, quòd appetendo dudum Dei similitudinem, quasi iuxtà Deum se erigere voluit. Sed in superbiæ culpa crescendo, iàm supra omne, quod dicitur Deus, extollitur.

Vel disperdamus, dixerunt, de Gente, vt inter Gentes non sit istorum christianorum memoria, vt Gentis nomine designati sint infideles, quia absque consilio remansit, quæ Deo non credidit, Sap. 2. videamus si sermones illius veri sint, Gens quæ non direxit in Deo cor suum, sed Dominus dissipat consilia Gentium, Psalm. 32. numer. 10. & manus Domini Gentem disperdidit, Psalm. 43. num. 3.

Dixerunt, venite, & disperdamus eos de Gente, & non memoretur nomen Israel vltra. Meditantes inania, dixerunt, sed quid dixerunt? Fruamur bonis istis; contrarij enim sunt nobis isti prædicantes Christum, & opera nostra damnant, dispergentes illos, ne etiam nomen Israel vltra sit in terra, non memoretur; meditati sunt inania inanes isti, Psalm. 2. strepentes sonuerunt vocibus, quia sermonem Apostolorum audire recusarunt: non rectè enim apud se cogitantes talia dixerunt, Sapien. 2. non memoretur vltra Christus. Israel enim videns Deum dicitur; isti ergo sonuerunt, qui contrà Israel cogitauerunt, hoc est vnanimiter in eorum conciliabulo statuerunt, & per testamentum, idest pactum, Eccles. cap. 11. num. 21. pepigerunt, Gentem nostram Christianam de Gentibus tollere, quia sibijpsis videbantur plures, & potentiores, adeòq. id, quod pepigissent facilè demandarent executioni; sed qui fuerint isti paciscentes, declarat idem Psalmista, dicens.

Tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ. Hoc est de quibus supra Iesus in Matthęo mentionem fecit, d. cap. 23. num. 3. & sequen. idest inter malos christianos, qui dicunt, & non faciunt, inter Gentiles omnes, superbi, auari, & luxuriantes, solum seipsos considerantes, neque Deum superiorem habere volentes, Idumæi enim terreni, & veritatis inimici, & sanguinei, terrena enim amant, & sanguinem sitiunt, Ismaelitæ ideò dicti, quia sibimet obediunt, & non Deo; Idumæi sanguinei, ex Esau nati, qui fratrem Iacob occidere tentauit, quia odio illum habebat; hæc viperarum progenies illorum Patri similis fuit, & ideò nec Moysen audire voluerunt, qui transire per illos desiderabat, Num. 20. num. 18. Auara progenies, & sanguinem sitiens, per hæc enim nomina, hos Christi inimicos declarat, qui temporibus Antichristi illis malis similabuntur.

Tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ, idest illorum omnium malorum congregationes inimici Christi testamentum, idest pactum fecerunt isti terreni; quæ enim sua sunt, sequuntur, non quæ Iesu Christi; hi sunt etiam quorum nomina inferius narrat Psalmista, dicens.

Moab, & Agareni, Gebal, & Amon, & Amalech, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Quid ergo per Moabitas, nisi falsi christiani, qui legem Christi non seruantes nomine tantùm sunt christiani? Moab enim filius fuit Loth, quem Ebrius de maiori filia habuit, Genes. cap. 19. num. 37. ipso quasi inscio genuit: nàm dicit Tex. & ingressa est maior, dormiuitq. cum Patre, & ille non sensit, nec quando accubuit cum filia, nec quando surrexit; Moabitæ ergo exleges sunt Gentes, quæ recedentes à Deo Patre, sunt ex patre Diabolo: bonus

enim

enim Lot, Pater fuit, ſed filia illicitè eo vſa eſt; bona eſt lex, ſed abutentes ſunt mali chriſtiani. Agareni verò ab Agar ancilla Abrahæ, iſti ſunt Sarraceni, ab Iſmael dicti, filio ancillæ Agar, de quo Iſmaele dicit Scriptura Geneſ. d. cap. 16. numer. 12. Hic erit ferus homo, manus eius contrà omnes, & manus omnium contrà eum, & è regione vniuerſorum fratrum ſuorum figet tabernacula. Et ſignificat poſteros eius, ſcilicet Sarracenos, incertis ſedibus vagos impugnaturos omnes, & ab omnibus impugnandos: de quibus Sanct. Hieronym. in Iſai. cap. 22. litera D. Tom. 2. Et conſidera quomodò Iſmaelitarum, hoc eſt Sarracenorum propriè Gentem deſcripſerit, qui habitant in tentorijs, qui quas nox compulerit, ſedes tenent, &c. de quibus etiam Paul. ad Galat. cap. 4. numer. 22. qui de ancilla ſecundum carnem natus eſt, qui autem de libera per repromiſſionem, &c. & numer. 29. Sed quomodò tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum, ità & nunc; eijce ancillam, & filium eius, Geneſ. cap. 21. numer. 16. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ: Falſo ergo Sarraceni, quia ex Sara nati ſunt, dicuntur, ſed ab Agar verius Agareni appellantur. Et alieni, ſeù Proſelyti, & aduenæ, per quos falſi fratres ſignificantur, qui nomine tenus ſunt in Eccleſia, qui non ſunt ciues, ſed alieno animo ſubintrant explorare libertatem Eccleſiæ, & inuenta occaſione nocendi, ſe oſtendunt, & Auguſtin. hìc litera F. Agareni Proſelyti, ideſt aduenæ, quo nomine ſignificantur inter inimicos populi Dei, non illi, qui ciues fiunt, ſed qui in animo alieno, atque aduentitio perſeuerant, & nocendi occaſione inuenta, ſe oſtendunt. Sequitur verſ.

Gebal, & Amon, & Amalech, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Gebal, qui vallis vana interpretatur, Geennom vallis, Bal vana; vel dicamus Geennom, vallis decipiens, vel contriſtans eos, ſeù vallis diuitiarum ſuarum, vel Syriacè infernus: nomen vallis, Tribui Beniamin datæ, Ioſue cap. 15. Omnes ergo hypocritæ, vani, & qui ad infernum ſpectant. Necnon Ammon furioſus populus, & mœroris, iſte enim ex Lot ebrio, vt ſupra diximus, natus eſt: de filia minore Lot ebrij, hìnc Ammonitæ; hi ſunt inimici populi Dei, & Antichriſti miniſtri, populus certè mœroris, & cum alienigenis cruciabuntur, & cum habitantibus Tyrum. Amalech filius primogeniti Eſau, à quo Amalecitæ, contrà quos pugnauerunt filij Iſrael, quos ſuperabant, quando Moyſes manus eleuabat, Exod. cap. 17. Populus lingens terram: cupidi ergo, & auari per eum denotantur, terrena amantes; filius enim Eliphaz ex Thamna concubina, Geneſ. cap. 36. numer. 12. à quo Amalecitæ, populus luxurioſus, bruta, Antichriſtum ſequentium ſocietas; cum quibus etiam alienigenæ copulantur, & in Hebræo vocantur Philiſtijm, vndè Auguſt. Alienigenæ quamuis & ipſo nomine Latino ſe indicent alienos, & ità inimicos, tamen in Hebræo dicuntur Philiſtijm, quod interpretatur cadentes potione, velut quos fecit ebrios luxuria ſæcularis, de quibus 2. Paralip. cap. 17. numer. 11. Sequitur, cum habitantibus Tyrum; Sur interpretatur, & ſignificat anguſtiam, & tribulationem, vndè ad Roman. cap. 2. Tribulatio, & anguſtia in omnem animam operantis malum, quod propriè eſt inimicorum Dei. Ecce inimicorum Dei cathalogus. Iam per Prophetam enarratur, cui adiungitur Aſſur, propterea dixit.

Etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adiutorium filijs Lot. Isti ergo ideò inimici Dei; Assur ad literam, Nabuchodonosor Rex est Assyriorum, & interpretatur deprimens, vel elatus, & sic per eum diabolus significatur, qui malorum Princeps est, & in profundum peccati deprimit, & ij omnes (operante diabolo) facti sunt in adiutorium filijs Lot, idest adiuuant inuisibiles hostes, qui per istos populum Dei oppugnant; Lot declinans interpretatur, vndè Apostatæ sunt Angeli filij Lot, qui sunt filij declinationis, quia à veritate declinando, in satellitium diaboli discesserunt, vndè in Apocal. cap. 12. Draco cecidit, & traxit secum tertiam partem stellarum, de quibus Apostolus ad Ephes. cap. 6. numer. 12. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potestates, Rectores tenebrarum harum.

Considera ergo quæ sit Antichristum sequentium confusio, & terrenorum perditio: Idumæi enim primo loco ponuntur, terreni scilicet: nàm illorum spes tantùm in immunditijs; sequuntur Ismaelitæ, qui non Deo obediunt, sed sibi; venit Moab, quia sine lege sunt, sicut equus, & mulus: Agareni sequuntur, qui falsi dicuntur, & nihil credentes; & propterea Gebal, designans hypocritas, ponitur; & quia non sine mentis furore hæc fiunt, idcircò Ammon illos supradictos sequitur, cumq. furor non sit sine auaritia, Amalocitæ sequuntur, quorum genus auarum; quia verò ad hoc congregant auari, vt luxurientur, alienigenæ sequuntur, qui terrenorum cupidi dicuntur, & luxuriosi: & quia repletionem corporum angustiæ concomitantur, ideò in ipsorum societate post eorum expletam cupiditatem, & luxuriam veniunt Tyrij, nempè qui angustiati, & tribulati dicuntur; Finis denique supradictorum est infernus, propterea Assur caput istorum succedit, sub cuius vexillo militant omnes supradicti ministri, & simul iuncti cum ipsorum capite, in infernum detruduntur, vt pœnis ignis, & sulphuris crucientur.

Sed quid facturus est Dominus etiam in terris, vt cognoscat generatio altera, quia Dominus ipse est Deus, qui dat vnicuique secundum opera sua, explicat Psalmista non deprecans, sed quæ Dominus de istis sit facturus, annuncians, & dicens,

Fac illis sicut Madian, & Sisaræ, sicut Iabin in torrente Cisson; quorum finem, & historiam videre poteris in Genes. 25. & Iudic. c. 6. num. 15. cum seq. & num. 34. & cap. 7. num. 6. In trecentis viris, qui lambuerunt aquas liberabo vos, & tradam in manu tua Madian, & num. 9. tradidit Dominus in manu Gedeon, num. 19. & 22. & nu. 25. vide etiam in eod. lib. Iudic. cap. 4. In manu mulieris tradetur Sisara, num. 9. & 17. & cap. 5. & spiritu Domini interficietur & Antichristus, & socij eius dispergentur, sicut Madian, & Sisara, & sicut Iabin, &c. sequitur ergo Psalm.

Disperierunt in Endor, facti sunt vt stercus terræ: Disperierunt hi omnes in torrente Cisson, & fonte Endor perierunt, ergo sicut omnes illi victi sunt in figura à populo Dei, sic istos prædicit in veritate superandos: ità cadauera eorum putrefacta futura sint, vt stercus terræ. Vndè in lib. Iudic. cap. 5. num. 21.

Pone Principes eorum, sicut Oreb, & Zeb, Zebee, & Salmana, August. hìc lit.

D.

Digitized by Google

D. Interpretationes eorum nominum istæ sunt: Madian interpretatur declinans iudicium, Sisara, gaudij exclusio; Iabin, Sapiens, de quo Apost. 1. Corinth. cap. 1. vbi Sapiens? vbi Scriba? vbi conquisitor huius sæculi? Oreb siccitas, Zeb lupus, Zebee victima, sed lupi; habet enim & ipse victimas suas; Salmana vmbra commotionis, hæc omnia congruunt malis, quos in bono vincit populus Dei. Porrò autem Cisson, in quo torrente victi sunt, interpretatur duritia eorum, Endor, vbi perierunt, interpretatur fons generationis, carnalis tamen, cui dediti perierunt, non curantes regenerationem, quæ perducit ad vitam, vbi non nubent, neque vxores ducent, Matth. 22. numer. 30 non enim incipient mori. Meritò ergo de ijs dictum est, facti sunt vt stercus terræ, de quibus nihil propagatum est, nisi terrena fœcunditas, hæc Augustin.

O Madianitas insanos, iudicium sine indicio declinantes, ò vos cæteros subsequentes, Sisaræos nunc quasi gaudentes, sed à gaudio æterno exclusos; ò vos Iabinas terrena sapientes, & sapientiam Dei declinantes, & cum Cisson duri in vestra duritia prævaricantes; ò generationem Endor sequentes sine generatione, vt stercora terræ permanentes: ò vos aridos, & siccos cum Oreb persistentes, quia aridos, & siccos ignis vos facilius vret in perpetuum sine fine: lupi nunc loues deprædantes cum Zeb socio vestro, & victima lupi facti, cum Zebee cum rapacibus dæmonibus eritis & vos damnati; quæ nunc est vestra societas, nisi vmbra commotionis cum Salmana, ductore vestro, vmbra vt ducamini in vmbra mortis?

Pones eos Domine, qui Principes malorum hìc facti sunt, sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana, omnes Principes eorum, qui dixerunt: hæreditate possideamus Sanctuarium Dei. Nunquid Sanctuarium Dei factum est spelunca latronum? nunquid iniusti possidebunt regnum Dei? nunquid iudicium Dei fugientes, non erunt à gaudio perpetuo exclusi? nunquid Sapientia huius mundi, non est stultitia apud Deum? nunquid in illos, quorum corda lapidibus duriora sunt, intrabit Sapientia? nunquid carnales, & terreni, non erunt sine generatione in vita æterna, fructum nullum ibidem afferentes? nunquid quia frumentum fructum faciet, cum illorum sit sicca terra? Nunquid tamquam lupi rapaces ex victima lupacitatis placabilem facietis Dominum? Vmbra est vita vestra, ò iniquitatum socios, ò Salmanistas diaboli ministros, & memoria vestra delebitur in sæcula; resipiscite ò stulti, ò duri corde, ò carnales, & superbi, ò generatio sine generatione, ò lupi rapaces, & superbi. Deus scientiarum Dominus est, ipsi præparate cogitationes vestras in simplicitate cordis vestri, Psalm. 72. Quàm bonus Deus his, qui recto sunt corde? Augustin. Psalm. 63. lit. H. Duplex corde vis detorquere cor Dei, quod semper rectum est, ad prauitatem cordis tui? reuertimini ad Dominum, qui fecit vos, qui sanguine suo redemit vos, quia benignus est, & misericors, neque claudit gremium redeunti. Quid cogitastis, cur inania consuluistis? strepentes vocibus quid sonastis? Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei; Templum, quod sunt omnes Sancti, vt dixit Apostolus 1. Corinth. cap. 3. num. 16. est Sanctum, vos subiugare molimini; vt de Gente dispersis iustis, vt hæreditatem Domini vsurpetis, vobisq. subijciantur Sancti Domini? & cadant in vestras impias voluntates? ex Augustin.

Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei, dixerunt, fidem Christi diabolo vestro capiti subjcere vociferatis? Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui consensus Templo Dei cum Idolis? Paul. 1. Corinth. cap. 6. num. 15. Vos enim, inquit Apostolus, estis Templum Dei vivi, sicut in Levit. 26. num. 12. quoniam inhabitabo in illis, & ambulabo inter eos, & eorum Deus ero, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis. Si Deus est in nobis, est in fidelibus, quomodò istos hæreditatem Domini possidere poterit? an Deo, & mammonæ servire possibile est? an duobus Dominis servire potestis? nemo, dicit Dominus, servire potest duobus Dominis, Matth. cap. 6. num. 24. Sed nunquid ò scelestes à pœna euadere poteritis? audite quæ præparavit vobis Deus, dicit enim [illegible]

Deus meus pone illos, ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti, sicut ignis, qui combuit sylvam, & sicut flamma combürens montes. Pone eos, vt rotam, quæ agitata nunquam in eodem statu permanet: & tandem tamquam instabiles, & inconstantes sint, vt stipula ante faciem venti, à quo trahitur, & amplius non reperitur. Quid per stipulam nisi peccatum, quod nihil est, Ioan. cap. 1. & sine ipso factum est nihil? quid per venti faciem, nisi peccantium levitas designatur. Rugæ meæ testimonium dicunt contrà me, Iob cap. 16. num. 9. Gregor. lib. 9. Moral. cap. 4. Quid per rugas, nisi duplicitas significatur? Rugæ enim sunt sanctæ Ecclesiæ omnes, qui fidem verbis clamant, operibus denegant, qui in ea duplicitate vivunt, has autem rugas in electis suis sancta Ecclesia non habet, quia nesciunt aliud de se foris ostendere, & intus aliud habere, unde ait Ephes. cap. 5. num. 27. mundus Ecclesiam suam lavacro in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, &c. maculam enim non habet, quæ & turpitudine operis, & duplicitate sermonis caret.

Pone ergo illos peccatores, qui nihil aliud apud te sunt, quàm stipula ante faciem venti, vtpote, qui vt fœtissimi propter peccata ità trahantur, vt amplius non sint, & nomen eorum non memoretur amplius. Non sint ergo peccatores isti, & infideles aliquid apud justos servos tuos, neque aliquam sui speciem exhibentes, nec in aliquo considerabiles apud illos: illorumq. superbia, quæ vanitas est, justos tuos non deterreat, sed à facie venti Spiritus sancti tui ità ipsi illos depellant, quasi stipulam ante faciem venti; Augustin. verò hìc litera E. Pone illos vt rotam, quæ rota ex his, quæ retro sunt extollitur, ex his quæ ante sunt dejicitur, sic fiant omnes inimici populi Dei; non enim hæc optatio, sed prophetatio est. Sicut stipulam ante faciem venti, faciem dicit præsentiam, nàm quæ facies est venti, cui nulla lineamenta sunt corporis, cum sit motus, ideſt quasi fluctus aeris? Ponitur autem pro tentatione, quæ levia, & inania corda rapiuntur, levitatem porrò, qua facilè consentitur ad mala grauis sequitur cruciatus, hæc Augustin.

Vel aliter dicamus: Pone eos, vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti, ideſt duplici contritione contere eos, simile habemus in Isaiæ cap. 28. num. 27. Non enim, inquit, in serris triturabitur Geth, nec rota plaustri super Cyminum, sed in virga excutietur Geth, & cyminum in baculo, non fœnum,

vt

vt dicit Pſalmiſta, in rota, triturabis inimicos, ſed etiam in baculo. Sicut ignis, qui comburit ſyluam, & ſicut flamma comburens montes. Quid gloriamini? quia multi eſtis numero? excedits iuſtos? flamma comburit ſyluam, ſed & fortes veſtros Duces, qui montium nomine hìc ponuntur, comburentur: flamma combuſſit etiam montes; Deus enim humilibus dat gratiam, & ſuperbis reſiſtit, Prouerb. 3. numer. 34. Mundate manus peccatores: purificate corda veſtra, duplices corde: adulteri an ignoratis, quia amicitia huius mundi, inimica eſt Deo; & quicumque voluerit eſſe amicus huius ſæculi, inimicus Dei conſtituitur? Epiſt. Iacob. cap. 4. numer. 4. & 8. Qui mit.ens iram ſuam deuorabit vos, ſicut ſtipulam: quid gloriamini, quòd inimici Dei ſitis, dicentes, perſequamur; & comprehendamus, diuidamus, & implebitur anima noſtra. Euaginabit Dominus gladium ſuum, & interficiet vos manus ſua, flabit ſpiritus eius, & mare vos operiet, & quaſi plumbum ſubmergemini in aquis vehementibus, Exod. cap. 15. numer. 17. cum ſequen. vbi Origen. in Homil. 6. per illum Textum, inquit: An non tibi videtur terra deuorare illum, qui ſemper de terra cogitat, qui ſemper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, terram deſiderat, de terra litigat, & omnem ſpem ſuam ponit in terra, qui ad cælum non reſpicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata ei promiſſa deſiderat, ſed ſemper de præſentibus cogitat, & terrena ſuſpirat? Hos tales deuorat terra, qui nec aliud cogitant, quàm deuorare terram, cum propter eam litigent, occidant, & iugiter laborent. Gregor. 8. Moral. cap. 7. Oſeas verò in cap. 4. nu. 10. Et comedent, & non ſaturabuntur, fornicati ſunt, & non ceſſauerunt; quoniam Dominum dereliquerunt. Quare, ò infelices, & cur tanto labore emitis voluptates, & bona ſæculi, quæ tamen nec alere, nec ſatiare vos poterunt? Iſai. cap. 55. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum, non in ſaturitate? & ideò dicitur in Pſalm. 33. Odiſti vanitates ſuperuacuè: hæc enim terrena delectamenta vana ſunt, & vacua, quæ ventum ſecum adducentes, ducunt homines ad interitum ſine ſubſtantia; inanes iuſtitiæ, pleni ſuperbia, nimirum ſi elati prope ignem cæli accedere volentes, quamuis potentes in terra, comburemini, & ſi montes ſitis, ab illo, & eodem modo ab eodem igne, ſicut ſylua in cinerem reducemini. Sed quomodò cecidiſtis in infernum, qui vt montes, & fortes tales fuiſtis, & ſicut ſylua circundati ab iniquis? ſed ecce flamma combuſſit montes, & ignis deorſum eos tranſtulit, Pſalm. 105. num. 18. Vnde Eccleſ. cap. 36. num. 11. In ira flammæ deuoretur, qui ſaluatur, & qui peſſimant plebem tuam inueniant perditionem. Conteret caput Principum inimicorum, dicentium, non eſt alius præter nos.

Sicut ignis, qui comburit ſyluam, & ſicut flamma comburens montes. Sed cur ignis deuorabit illos? niſi quia inimici Dei ignem accendentes nomen Chriſti de terra tollere, & comburere tentauerunt, propterea Iſai. c. 50. nu. 11. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulaſtis in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis: de manu Domini factum eſt hoc vobis, in doloribus dormietis; & ideò ignis ante ipſum præcedet, Pſalm. 96. num. 3. & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Ità perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos, & in alio

Digitized by Google

Psalm.49.num.3. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. In tempestate tua, idest quando iudicaturus veneris, in iudicio ergo. Sed quomodò in iudicio tempestas, nisi quia tamquam fur veniet? Ioel cap.2.numer.9. per fenestras intrabunt quasi fur, à facie eius contremuit terra, moti sunt cæli, Sol, & Luna obtenebrati sunt, & Stellæ retraxerunt splendorem suum, & Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia, & facientia verbum eius. Magnus enim dies Domini, & terribilis valdè, & quis sustinebit eum? In tempestate tua, inquit Zach.cap.5. num.3. Hæc est maledictio, quæ egredietur super faciem omnis terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur, & omnis iurans similiter iudicabitur, &c. educam illud, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter. Et commorabitur in medio domus eius, & consummet eam, & ligna eius, & lapides eius.

Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine, vexatio dat intellectum, Isai. cap.28.numer.19. vt erubescentes, & pudefacti ad te reuertantur pœnitentes, prout multi ex Iudæis conuersi sunt ad Dominum, Act. Apost. per totum; confusi, hoc enim denotat ignominia, idest confusio; percutientes, pectora dicebant Apostolis, quid faciemus viri fratres, Act. Apost. c.2.nu.17. compuncti enim erant. Imple ergo eos ignominia, vt scilicet cognoscentes, quia sunt sine nomine, sine Deo, sine capite, compuncti quærant nomen tuum Domine, & salui fiant, suscipientes Baptismum in nomine tuo Iesu Christo. Qui verò obstinati nolunt audire, vt conuertantur, erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi; & confundantur, & pereant; vt in quantum sunt mali, fiant boni, propterea & cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra, vndè Augustin. litera H. Ad hanc cognitionem venientes sic confundantur, vt placeant, sic pereant, vt permaneant; hæc Augustin. non ergo alius in mundo est Dominus, nisi solus, qui fecit terram, & cælum, Dominus Deus.

Erubescant ergo ex peccatorum conscientia, & reminiscentia, & conturbentur ex memoria pœnæ æternæ. Confundantur in sæculum sæculi, amisso salutis consilio, si non conuertentur, ac in perpetuum damnentur in inferno; ex quo cognoscent, quando in lumine erunt iudicij, quia non est extrà te Dominus, & quia tibi soli nomen est Dominus, & tu solus Altissimus in omni terra. Benedicat nos Dominus, & custodiat nos, ostendat Dominus faciem suam nobis, & misereatur nostri, conuertat Dominus vultum suum ad nos, & det nobis pacem; inuocemus & nos nomen eius super filios Ecclesiæ sanctæ: & tu Domine benedic nobis, Num. cap.6.

SOLILOQVIVM.

RECORDARE anima mea, quòd non est tibi colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus mundi tenebrarum harum potestates: Induere fidei armaturam, quia neminem Deo similem inuenies. Hunc obserua: & obsecra ne is taceat, nec diutius se compescat, ad debellandos inimicos suos, virtutem suam ostendens. Vocibus strepunt inimici, caputq. Diabolum illorum extollunt contrà te, & Dei populum: cogitant aduersus sanctos Dei, maligna concilia congregantes; non est autem consilium contrà te Dominum. Voces emittunt illi, sed strepitantes, & incertas; nunquid propterea tu anima mea, & populus Dei, relinquentes Dominum per incertas voces, ad locum illorum, qui est infernus, te duci patieris? si incertam vocem det tuba, quis præparabit se ad bellum? quasi in aëra loquentes strepunt inimici vocibus, & tu anima mea deuita illos, ne cum illis barbara, vel aërem verberans inueniaris. In direptionem populi Dei est illorum malignantium consilium, ideò exterminabuntur de gente, & nomen Ecclesiæ remanebit in perpetuum. Illos destrues Deus meus sicut Madian, & Sisare, qui in Endor dispersi, & à Gedeone occisi, facti sunt stercus terræ. Et sicut rota instabiles, & à vento stipula, agitata; syluam illorum sequentium nempè illos turbam combussit ignis tuus, & montes, capitaq. eorum combussit flamma. Quod illorum residuum erit, ad tempestatem iræ tuæ ea ratione conturbentur, facie eorum plena confusionis ignominia, vt ad te conuertantur, nomen tuum confitentes; peruersi verò in perpetuum damnentur. Nunc quæso misericors Domine, fac, illos pœniteãt, quia post mortem non est confessio; nunc dolentes confiteantur, quia nomen tuum est Dominus, & tu solus Altissimus in omni terra; nobiscum, & cum Apostolis (eunte te Domino hodie in Cælum) Angelos tuos audire mereantur, dicentes: Viri Galilæi, ascendentem Dominum in Cælos mente, & fide videte, viri pœnitentes, & qui Galilæos Apostolos sequimini: hic Iesus qui assumptus à vobis in Cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cælum. Sic veniet, & quis similis ei? cum potestate magna, & maiestate veniet, iudicaturus vinos, & mortuos. Domine Iesu impelle nos ad faciendam voluntatem tuam, vt & tunc in iudicio audiamus & nos, te Redemptorem dicentem; Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi, per hanc sacratissimam Ascensionis tuæ in Cælum solemnitatem, per merita Beatæ Virginis Matris tuæ, cum cæteris te in Cælum ascẽdentem inuentibus. Parce nobis Domine, & miserere nobis, quos pretioso sanguine tuo redemisti. Amen.

IN PSALMVM LXXXIII.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.

TITVLVS, In finem. Pro torcularibus filijs Core: Pſalmus. Continuari ad præcedentem poteſt, in quo de his, qui antequam accedant ad ſeruitutem Dei, fruuntur in ſæculo delitioſa libertate, pro quibus orabat Pſalmiſta, vt relictis terrenis eos pœniteat: alijs verò in peccatis permanere volentibus pœnas minabatur perditionis, nunc verò in hoc Pſalmo declarat Prophera, quàm ſint dilecta tabernacula Domini, vt ad ſeruiendum Deo promptiores fiant, qui relictis terrenis, & caducis, in tabernaculis Dei habitare deſiderant; ad excitandum ergo amorem æternorum, ſpretis temporalibus, ſcriptus eſt Pſalmus iſte; Titulus, In finem. Pro torcularibus, filijs Core Pſalmus.

De quo titulo aliàs fuſius tractauimus in ſuperioribus Pſalmorum enarrationibus; ſed modò aduertemus, cum in hoc Pſalmo nil videamus actum de torcularibus viſibilibus, aſſerendum de alijs inuiſibilibus torcularibus Prophetam intellexiſſe. Filijs verò Core, hoc eſt filijs Caluarij (ſic enim interpretatur vox Core) vbi Chriſtus eſt pro nobis crucifixus, ideſt Chriſtianis, eundem Chriſtum ſequi volentibus, Eccleſiæ, cuius finis eſt Chriſtus, Pſalmum cantandum proponit; Vndè videndum, quomodò in Eccleſia de torcularibus ſpiritualiter agatur. Vua certè pendet in vitibus, & oliua in arboribus, his enim duobus pro fructibus ſolent torcularia præparari, at quandiù pendent in vite, ac olea libero aëre perfruuntur, & nec vua vinum eſt, nec oliua oleum ante preſſuram; ſic ſunt & homines, quos prædeſtinauit Deus ante ſæcula conformes fieri imaginis vnigeniti filij ſui, qui præcipuè in paſſione, magnus botrus expreſſus eſt. Huiuſmodi ergo homines antequam accedant ad ſeruitutem Dei, fruuntur in hoc ſæculo delitioſa libertate, velut vuæ, aut oliuæ pendentes, ſed quoniam in Eccleſ. cap. 2. in princ. dictum eſt; Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, accedens quiſque ad ſeruitutem Dei, ad torculariade venille cognoſcat, cum tribulatur, cum teritur, cum premitur, non vt in hoc ſæculo pereat, ſed vt in apotheca Dei deinde exuatur carnalium deſiderioruni integumentis, quaſi vinacijs: propter quod & Apoſtolus ad Epheſ. cap. 4. dicit, Exuite vos veterem hominem, & induite nouum. Hoc autem non fit, niſi per preſſuram; propterea torcularia proponuntur Eccleſiæ Dei huius temporis, & aſſeruntur in torcularibus poſiti qui ſunt filij Core; ſic enim additum eſt pro torcularibus filijs Core: ideſt filijs Caluariæ, filijs Ieſu Chriſti, vtpotè qui & ipſi ſicut ille patiens ſuſtinent in mundo Caluariæ paſſionem Crucis, patienter & ſuſtineant tribulationum preſſuras.

Summa videtur, conſideratio æternorum vileſcere faciet terrena Chriſtianis. Vel dicamus: Vinum, & oleum meditanda, & vileſcent, quæ in preſſura torcularis remanſerunt. Vel cum Auguſtin. hìc dicamus; nulla in-

infelicitas fingit, quem felicitas nulla corrumpit.

Quòcirca hic fidelis Christi filius in montis suæ excessu positus, clamat, dicens, Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Ad hujus versiculi majorem intelligentiam quærendum est, quid sint Dei virtutum tabernacula: quomodò dilecta dicantur, & quare? quid sit animam deficere concupiscendo in atria Domini.

Quò ad primum occurrunt nobis consideratione digna, quæ in Leuitic. cap. 23. numer. 42. & 43. scripta sunt, Qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis, vt dicant posteri vestri, quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Ægypti, ego Dominus Deus vester. Pro filijs ergo Israel in tabernaculis habitatio. Quid verò sit tabernaculum in lege veteri, lege in Exod. cap. 26. vbi est præceptum Domini, quomodò fieri id debeat, alias verò dicitur quoddam operimentum frondibus, aut stragulis opertum, aduersus Solis, tempestatisq; iniuriam; caulimodi sunt, quæ in castris eriguntur, & modò hùc, modò illùc transferuntur. Cæsar. de Bell. Gallic. 6. Vndè Augustin. Tom. 8. in Psalm. 14. in princ. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, litera D. Tabernaculum, belli res est, vndè & contubernales milites dicuntur, tamquam simul habentes tabernacula. Ad tempus enim, dicit Augustin. cum Diabolo dimicamus, & tunc opus est tabernaculo, quò refugiamus, quod significat maximè fidem temporalis dispensationis, quæ pro nobis facta est temporaliter per incarnationem Domini.

Quàm dilecta ergo tabernacula tua Domine virtutũ, illorum scilicet Christianorum, qui sub vexillo fidei incarnationis Christi militant, atque ad illius secutum tabernaculum, de quo Augustin. Tom. 8. Psalm. 18. litera F. In Sole posuit tabernaculum suum: Dominus autem vt aduersus regna temporalium errorum belligeraret, non pacem, sed gladium missurus in terram in tempore, vel in manifestatione posuit tamquam militare habitaculum suum, hoc est dispensationem incarnationis suæ, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, &c. In Sole posuit tabernaculum suum, idest in manifestatione, tabernaculum suum, hoc est Ecclesiam sanctam suam; cum Verbum caro factum est, in vtero virginali thalamum inuenit, atque inde natura assumpta humana, tamquam de carissimo procedens cubili, humilis misericordia infra omnes, fortis maiestate supra omnes, hæc Augustin. ibi litera E.

Quàm ergò dilecta tabernacula tua Domine virtutum, dicebat vir iustus, qui domum istam ingredi desiderabat, vt ad vitam æternam exaudiretur, militando tamen, dum in tabernaculo Dei hic in mundo permaneret, nàm vt dicit Augustin. Psalm. 42. litera H. Cum audis tabernaculum, bellum intellige, hostem cane, nàm tabernaculum peregrinantium est, domus cohabitantium est, & tabernaculum militantium; quia in Ecclesia Dei contrà hostes tenebrarum harum militare debent. Vt sciamus, inquit, Christiani, quòd habitare faciũ in tabernaculis filios Israel, filios Ecclesiæ: Vndè Titulus, Pro filijs Core, & non pro Core, quem terra deglutiuit cum sociis. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? non ergo de tabernaculis illis, quæ in figura erant, dicta hæc sunt, sed de Ecclesiæ tabernaculis virtutum, de torcularibus, quæ in eâ posita sunt, intelliguntur, quæ enim maior virtus illorum, quorum vitia purgantur, contrà dæmonum tentationes bellando resistitur mens

ad

ad cælestia dirigitur? Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum; quis in atrijs eius existens, ea non concupiscet? cuius anima illa meditando non deficiet?

Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum, Psalmus filijs Core cantandus, Christianis exhibetur, vt laudes Deo debitas vocibus extollamus in illo: in quo vniuersæ viæ eius misericordia, & veritas, Psalm. 24. num. 10. Quàm dilecta tabernacula, per quæ, & in quibus Dei misericordia, in peccatores respicitur, & veritate Dei promissio adimpletur, qui ideò in terram venit, vt peccantem redimeret. Psalmus filijs Core, quia misericordia Domini adiuti saluamur, & in iudicando veritas eius exhibetur & iudicium, & dabit vnicuique secundum opera sua. Filij Core Christiani psallamus Domino, quia vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas, Psalm. 24. numer. 10. his adiuuamur à Deo, his promeremur Deum. Sed si corpus Christi est Templum, est tabernaculum, quomodò dicit in plurali, Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? tabernacula ergo dixit, quia constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum. Vndè 1. Corinth. cap. 3. numer. 17. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, & iterum 2. Corinth. 6. num. 16. Vos enim estis templum Dei viui: in illius enim corpore sunt omnes, vndè Augustin. in tit. Psalm. 130. in princ. Non quasi vnius hominis cantantis vocem accipit, quándo ibi dicitur Canticum, sed omnium, qui sunt in Christi corpore; & quia in illius corpore sunt omnes, tamquam vnus loquitur, & ipse est vnus, qui & multi sunt; multi enim sunt in semetipsis, vnus sunt in illo, quia vnus est, &c.

Sed si in torculari, vbi pressuræ, tribulationes, & væ, quomodò dicit iste, amabilia, & dilecta esse tabernacula? Si dum in mundo sumus peregrinamur à Domino, quomodò dilectio in eum, vbi absentes sumus ab illo? si à Patre tuo homine peregrinareris, miser esses, à Domino peregrinaris, & felix es? non se benè esse putabat iste Propheta, quamuis Rex esset, & in maxima voluptatum copia, quamuis ad nutum cuncta sibi deseruirent, in malo tamen se esse videbat, quandiù à Domino peregrinabatur: immo tunc tribulationem, & dolorem quasi inuenisse dicebat; tribulatio, & dolor me inuenerunt, & nomen Domini inuocaui, Psalm. 114. num. 3. ò sanctus vir, ò homo Dei, sed si dilectus à Deo, si Rex & potens, & delicijs affluens, quid times? quare tribularis? vbi sunt angustiæ tuæ? Oculos linceos habebat iste, futura considerabat, leuia esse mundana, & mutabilia, neque ad futuram gloriam esse videbat: sepulchrum esse ista cognoscebat, dicens intrà se, Quid tu hic, aut quasi quis hic? Isai. cap. 22. numer. 16. scilicet, quid agis hìc in terra? quasi quis hic? cum nihil sis; abundans diuitijs, cum quibus crescit & tribulationum corona.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Quando scilicet in monte hoc Caluario facies conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, & præcipitabis in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam, quam ordimus est, scilicet diabolus super omnes nationes, & præcipitabis mortem in sempiternum, Isai. cap. 25. num. 6. Qui ergo canat in hoc Psalmo est de corpore Christi. Augustin. hìc litera E. Quis est iste? Vos, inquit, si vultis, nos omnes, si volumus, omnes filij Core, & omnes vnus homo, quia,

vnum Christi corpus: quomodò non est vnus homo, qui vnum caput habet? caput omnium Sanctorum Christus est, corpus illius capitis omnes nos sumus, & omnes in hac vita, in torcularibus sumus: ergo in pressuris tentationum constituti edamus hanc vocem, & præmittamus desiderium nostrum; Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: hæc Augustin.

Non ergo desiderabat tabernacula, quæ in torcularibus istis, vbi pressura, sed quæ in Cælo sunt æterna, vbi visio Dei, vbi exultant omnes Angeli Dei, ideò sequitur. Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Si enim concupiuit, ergo adhùc non retinebat, nec ad illa peruenerat. Non habet certè quod desiderat, quia adhùc vua in vite remanet, & aues comedere possunt illam, vel latrones furari: stat in tristitia, cuius anima deficit, præ illius cupiditate pressuræ vuæ, vt vinum citò efficiatur. Anima deliquium patitur, dum in atria Domini demoratur, nec illùc perducitur, vbi non est amplius pressura: nec torcular; speramen gaudet qui in torculari ità positus est: erat in tabernaculis torcularium, sed alia desiderabat tabernacula, vbi nulla est pressura: Ex his ad illa suspirabat, ab his in illa desiderium quodammodò defluebat.

Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini, Augustin. litera F. Sed quò deficit, quia concupiscit? deficit in vinum, & in lacum, & in apothecæ requie seruanda, in quiete magna. Hìc desideratur, ibi capitur, hìc suspiratur, ibi gaudetur, hìc oratur, ibi laudatur, hìc gemitur, ibi exultatur: hæc Augustin. Cur ergo hìc æterna meditans non deficiet anima, dum in hoc mari tempestoso permanet cum tanto suæ perditionis, & submersionis periculo? In atrijs Domini existit qui Christianus in Ecclesia Dei militat, fluctuat, turbatur, donec ad portum gaudij perueniat. In magna permanet tristitia, quia concupiscit, & deficit, non tamen à fide, nec à spe, quam certam habet, si in via, quæ est Christus, ambulauerit: Vndè Augustin. supra Psalm. 36. & infra 118. Vires fidei tentatione discutiuntur, eademq. inexercitata languescit, sic ergo custodi innocentiam, ne tibi extorqueatur à Diabolo. Quid enim tibi proderit lucrum auri, & damnum innocentiæ? Deus persecutionibus Tyrannorum, & fraudibus Hæreticorum illam examinat, exploratq. vtrum solida, constansq. permaneat; nec ab illa deficiamus, etiam si de hac vita propter eam exeundum fuerit. Facit quòd in Isai. cap. 54. numer. 16. Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, &c. vbi per fabrum intelliguntur Tyranni, & persecutores, qui sanctis viris tribulationes infligunt, vt apud Deum probentur. Hinc Tertullian. lib. de Fuga in persecutionibus, dicens, cum exurimur persecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore, &c. vbi enim nullus est aduersarius, non manifestantur dexteri Regis milites, Athanas. quæst. 7. Noli ergo piger esse flagellari, vt sis inter eos, qui merentur recipi; pressuris temporalibus flagellaris, ditaberis, quando audies: Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi, Matth. cap. 23. si ergo concupiscis, si amas, si est charitas Dei in corde tuo, quid dolore afficeris? Amor non potest esse sine dolore, quidquid amamus, & non habemus, necesse est vt doleamus; Vndè Cantic. cap. 2. numer. 4. & cap. 5. numer. 8. Quoniam, inquit, charitate vulnerata sum ego: Vulneratam se dixit charitate. Augustin. dicto

Psalm.

Digitized by Google

Psalm.36. litera K. quia amabat, & nondum tenebat; dolebat, quia nondum habebat, ergo si dolebat, vulnerata erat, sed hoc vulnus ad veram salutem rapiebat. Qui hoc vulnere non fuit vulneratus, ad veram sanitatem non potest peruenire. Concupiscit ergo, & deficit anima istius in atria Domini, in requiem cælestis apothecæ tendens, desiderio, & amore languet. Tristitia istius est magna, quia adhùc non habet, quod desiderat; tolerat tamen torcularis pressuram, quia in spe gaudens, illùc peruenire desiderat; vbi nulla est pressura, quocircà sequitur.

Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Nàm caro domita, & ratio dominans, insimul exultauerunt in Deum viuum, in quo est vita æterna nostra, qui nobis dat viuere in æternum, Bernard. in Psalm. Qui habitat, Sermon.17. Ibi verè viuitur, vbi vinida vita est, & vitalis; ibi dies boni, vbi interminabilis longitudo dierum, quod quidem in sola patria contingit, Psalm.26.num.13. Credo videre bona Domini in terra viuentium. In Hebræo dicitur, In terra vitarum, quia multipliciter in beatitudine vita possidetur, propterea dicebat Iacob. in sua Epistol. Canonic.cap.1.num.3. Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes, & Gregor.lib.8. Moral. cap.3. Iob verba ponderans, cap.7. Sicut mercenarij dies eius; electus quisque, inquit, vitam suam quasi mercenarij dies pensans, tantò fidentius spe tendit ad præmium, quantò nunc robustius perdurat ad laboris incrementum; qui si decursus præsentis temporis pensat, dies cum operibus numerat, ne à labore transeant vacua vitæ momenta formidat, aduersis gaudet, passione reficitur, mœrore refouetur, quia subsequentis vitæ præmijs, tantò se remunerari largius conspicit, quantò pro amore illius quotidianis se mortibus verius impendit.

Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum. Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum. Si concupiuit, & defecit, quomodò domum inuenit, quod enim concupiscimus, licet habere speremus, non tamen habemus illud. Sed si benè, quod superius dixit iste iustus, considerabimus, videbimus, eum iàm habuisse, quod aliàs concupiuit: inquit enim, cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum, corde ergo, & opere seruiuit Domino, Vndè S. Gregor. homil.30. in Euangel. Deus, inquit, charitas est, qui ergo mente integra Deum desiderat, profectò iàm habet, quem amat: neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum, quem diligit non haberet, sed non est dilectio, nisi sit operationi sociata; Vndè in Euangel. Ioan. cap.14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Verè etenim, inquit Gregor. Deum diligimus, si mandata eius custodimus, si nos à nostris voluptatibus coarctamus, nàm qui adhùc per illicita desideria defluit, profectò Deum non amat, qui ei in sua voluntate contradicit. Diligit ergo Deum iste iustus, quia turtur eius inuenit nidum, vbi reponat pullos suos, iàm opera sua Deo accepta sunt, quia legi Domini sunt consona, quia passer anima eius inuenit domum; cum toto corde, & opere, tota anima, & totis visceribus Deum diligat, & à voluntate Dei non discedat. Propterea, inquit, cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum,

Digitized by Google

viuum, quia deficiens in atrijs anima, & in deliquio existens soporata mente, sicut passer pacis requiem inuenit, domum scilicet Dei, vbi recumbat, & sicut turtur nidum, vbi reponat pullos suos. Quid per passerem nisi populus fidelis Christi, qui credens in Iesum Christum sicut passer ereptus est de laqueo venantium, quia domum Ecclesiam sanctam, corpus Christi inuenit, ibiq. sicut turtur, peccata sua plangens inuenit nidum quietis suæ, & pacis, vbi reponat pullos suos: vbi confitendo peccata sua, & absolutionem ab illis pœnitens reponit pullos suos, videlicet lacrymarum copiam, donec ad altaria virtutum Domini ascendat.

Vel secundum D. Gregor. in lib. 19. in cap. 16. in princ. in lib. Iob, seù cap. 29. Quid hoc loco, inquit Iob, in nidulo meo moriar, &c. Quid in nidulo, nisi tranquilla quies fidei, qua vnusquisque nutritur? multitudo quippè illa bonorum, quæ persecutionum temporibus fuerit deprehensa, nutrimentorum suorum dies, quasi in nido, sic in loco quietis explere se credidit. Nàm nisi sancta Ecclesia infirmos quosque filios nunc in nido pacis enutriret, Psalmista non diceret, Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi ponat pullos suos. Iàm quippè domum inuenit sibi passer, quia æternum Cæli habitaculum noster Redemptor intrauit, & turtur inuenit nidum, quia sancta Ecclesia amore conditoris affecta crebris gemitibus vtitur, & velut nidum sibi, idest pacatissimam fidei quietem construit, in qua crescentes filios quasi plumescentes pullos, quousquè ad superiora euolent, charitatis gremio calefactos fouet.

Transmigra ergo anima in montem sicut passer, Psalm. 10. num. 2. vt illam turturis audire possis vocem in alto etiam positæ, vbi nidus sibi est in altiori arboris parte, de qua Cantic. cap. 2. numer. 12. Vox turturis audita est in terra nostra: vox dilecti mei, Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: Vox Domini dulcis, & facies eius decora, ibidem num. 8. & 14. Transmigra sicut passer anima mea in montem, qui Christus est, ibi nidulum pone tuum, & turturis vocem audies, vocem dilecti tui percipies, quæ tibi securam viam ostendet, vbi pullos tuos reponas; vbi cogitationes tuas in Domino habebis: vbi tota mens, & opera tua permanere debent, vt ex torculari oleum tibi oriatur, & vinum; & cum filijs Core psallendo, dicas.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus. Ibi enim animæ, cælesti conuiuio epulantur, ibi anima in domo gaudet, & caro reponit opera sua, Rex meus, cui data est omnis potestas in Cælo, vt de terra me eripiens, ibi tecum collocares: Deus meus, qui de tenebris lucem tuam in animam meam splendescere fecisti in Cælis, vt meditarer eloquia tua. Audi quàm pulcher ascendat iustus iste, vt super Altare se Regi nostro dignum sacrificium offerat Deo Domino suo. In tabernaculo prius peregrinantium, idest miles in Ecclesia Dei positus clamat in tribulationibus; Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, scilicet splendida, & ornata: in monte enim modo suo erat, idest in Ecclesia eius, in tabernaculis eius, nàm tabernaculum peregrinantium est, & militantium, militauit, firmus fuit in fide, hostem vicit; peruenit passer in domum, vbi habitant iusti in Ecclesia Dei, iàm passer non amplius in tabernaculo, sed & in domo positus, in loco sancto Domini: altare factus est Dei, in quo sacrificium purum, & mundum

Domino Deo seipsam offert. Ergo spes tua, ò iuste quousque perducitur? vbi sacrificium hominum iustorum Deo offertur, & illi est acceptabile. Tunc enim, dicit Dauid Psalm. 50. in fine, acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos, Quos vitulos, nisi iustorum corda? Ad illud non accedit iniustus, sed solus ad illud securus accedit, inuenitquè ibi vitam, qui in ipso discernit causam suam, in quo altare. De monte sancto Domini, de tabernaculo eius, de sancta Ecclesia eius, intras ad altaria Dei sublimia, clamans, & gaudens.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus. Quale sacrificium ibi, nisi illemet, qui intrat, nàm assumetur in holocaustum, propterea in alio Psalmo dicit, Introibo ad altare Dei, Psalm. 42. ibi Augustin. litera H.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, quàm scilicet dilecta sunt tibi Domine corda eorum, qui in Ecclesia positi, mundi sunt corde, & conscientiam habent sine grauamine, sine peccato? hæc enim tabernacula virtutum plena vocantur; nàm Templum sanctum est Deo mens pura, & altare optimum est ei cor mundum, & sine peccato, dicit Sanctus Sixtus Papa, quem Augustin. refert in lib. Vnico de peccatorum meritis, & remissione, litera E. Tom. 7. ad istam enim perfectionem perducendum cor mundum, dum interior homo renouatur de die in diem, non tamen sine gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Ad illum fratres recurramus, vt renouantes iuuentutem nostram, Psalm. 42. sincero, & puro corde illi seruiamus, & de tabernaculo exeuntes, in domum eius intrantes, altaria Domini efficiamur.

Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te; In altum peruenit passer, vt ibi turtur reponeret pullos suos. Sed quomodò adhùc viuens in altum peruenit, vt propterea beatos dixerit, qui in domo Dei habitarent; Extrà tabernaculum non erat anima istius, quæ Deum quærebat; sed in locum tabernaculi iàm ingressa erat, vsque ad domum Dei in terra; sed quomodò adhùc in hoc tabernaculo, in terra existens, in quo sunt fideles Dei, potuit altiora se penetrare? Vide Augustin. in Psalm. 41. incipiente, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te Deus; litera H. Tom. 8. Quærens enim, inquit Augustin. eius subsstantiam in meipso, quasi aliquid sit, qualis ego sum, non inuenio. Aliquid super animam sentio esse Deum meum, ergo vt eum animi intellectu tangerem, hac meditatus sum, & effudi super me animam meam; quando anima mea contingeret, quod super animam meam quæritur, nisi anima mea super seipsam effunderetur? si enim in seipsa remaneret, nihil aliud quàm se videret, & cum se videret, non vtique Deum suum videret. Dicãt nunc insultatores mei, vbi est Deus tuus? dicant, ego quandiù non video, quandiù differor, manducabo die, ac nocte lacrymas meas; dicant illi adhùc vbi est Deus tuus? Quæro ergo Deum meum in omni corpore, siuè cælesti, siuè terrestri, & non inuenio. Quæro subsstantiam eius in anima mea, & inuenio; meditatus sum tamen inquisitionem Dei mei, & per ea, quæ facta sunt inuisibilia Dei mei, cupiens intellectu conspicere, effudi super me animam meam, & iàm non restat quem tangam, nisi Deum meum; ibi enim domus Dei mei super animam meam habitat, inde me prospicit, inde me creauit, inde me gubernat, inde me consulit, inde me excitat, inde me

me vocat, inde me dirigit, inde me ducit, inde me perducit; ille enim qui habet altissimam in secreto domum, habet etiam in terra tabernaculum. Tabernaculum eius in terra Ecclesia est adhùc peregrina, & in hoc tabernaculo inuenitur via, qua peruenitur ad domum. Etenim cùm effunderem super me animam meam ad attingendum Deum meum, quare hoc feci? Quoniam ingrediar in locum tabernaculi; nàm extrà locum tabernaculi errabo quærens Deum meum.

Iàm Augustine sanctè in locum tabernaculi es ingressus, quid in tabernaculo miraris, quid te ad visionem domus Dei, ex illius tabernaculi admiratione, vt videas illum, perducit? Ecce, inquit, quanta admiror in tabernaculo. Tabernaculum enim in terra homines sunt fideles, admiror in eis ipsorum membrorum obsequia, quia in eis non regnat peccatum ad obediendum desiderijs eius, nec exhibent membra sua arma iniquitatis peccato, sed exhibent Deo viuo in bonis operibus animæ seruienti Deo, membra corporalia militare admiror; respicio & ipsam animam obedientem Deo, distribuentem opera actus sui: frænantem cupiditates; expellentem ignorantiam: extendentem se ad omnia aspera, & dura toleranda: iustitiam, & charitatem impendentem cæteris. Miror & istas virtutes in anima, sed adhùc in loco tabernaculi ambulo. Transeo & hæc, & quamuis admirabile sit tabernaculum, stupeo cum peruenio vsque ad domum Dei, de qua in Psalm. 72. Vbi difficilis, & dura quæstio proponitur, quare in hac terra plerunquè benè est malis, & malè est bonis? ait, Nunc cœpi cognoscere, hoc labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissima. Ibi enim est fons intellectus in sanctuario Dei, in domo Dei, ibi intellexit iste in nouissima, & soluit quæstionem de felicitate iniquorum, & labore iustorum. Quomodò soluit? quia mali cum hìc differuntur, ad pœnam sine fine reseruantur; & boni cum hìc laborant, exercentur, vt in fine hæreditatem consequantur. Et hæc alta à sanctuario Dei cognouit, in nouissima intellexit, ascendens tabernaculum, peruenit ad domum Dei. Dum miratur membra tabernaculi, & perductus est ad domum Dei, percepit quandam dulcedinem, sequendo interiorem nescio quam & occultam voluptatem, tamquam de domo Dei sonaret aliquid organum; & cum ille ambularet in tabernaculo, audito quodam interiore sono, ductus dulcedine, sequendo quod sonabat, abstrahens se ab omni strepitu carnis, & sanguinis, peruenit vsque ad domum Dei: sed quomodò mirando in hac terra tabernaculum Dei, peruenisti ad secretum domus Dei?

In voce, inquit, exultationis, & confessionis, soni festiuitatem celebrantis. In domo Dei festiuitas sempiterna est, non enim ibi aliquid celebratur, & transit, festum sempiternum, chorus Angelorum, vultus præsens Dei, lætitia sine defectu, & dies festus illìc ità est, vt nec aperiatur initio, nec fine claudatur, de illa æterna, & perpetua felicitate sonat nescio quid canorum, & dulce auribus cordis. Sed si non perstrepat mundus: ambulanti in hoc tabernaculo admirabili Dei in redemptionem fidelium consideranti, mulcet autem sonus festiuitatis illius, & rapit ceruum ad fontes aquarum, &c. hæc sunt Augustin.

Beati ergo qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Altare virtutum, ergo in tabernaculo, in Ecclesia Dei esto tu anima

mea, in qua est firmissimum habitaculum supra petram, quæ est Christus Iesus, vt cum iustis ad domum Dei cælestem perueniens in sæcula sæculorum, & tu laudare possis Dominum. Efficiaris tu anima mea domus Dei, vt verba eius audiendo, & operando iuxtà illa, sapiens inuenta, & supra petram fundata læta dicas, In domum Domini ibo, quia lætata sum in his, quæ dicta sunt mihi à Domino, Psalm. 121. Tabernaculum enim Domini erit in te, Ezech. cap. 37. numer. 27. Apocalyps. cap. 21. numer. 3. Nunquid tu anima mea, quia multa possides prædia, & bona, nunquid? quia in dignitate magna constituit te Dominus in terra, beata eris? An ignoras, quid ipse dixerit Dauid, quem de post fœtantes accepit Dominus, & Regem constituit inuentum hominem iuxtà cor suum. Pauper sum ego, ait, à iuuentute mea, nunc exaltatus humiliatus sum, & conturbatus. Non est beatitudo nisi in Ecclesia Dei, nisi spes tua sit in Domino, nisi in atrijs virtutum sis anima mea: Sed quomodò sine te Domine, in atria Domini ascendere potero? ideò sequitur.

Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit. Disponat Dominus in cordibus nostris, vt imis hisce despectis, ascensiones in nostro sint corde: quandoquidem propterea nos posuit in hac lacrymarum valle, vt ad suprema per virtutes, quas nos docuit ascendamus. In corde nostro ponat Dominus graduum ascensiones, quia præ grauedine corporis aliàs scalam Cæli ascendere non possumus: Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, & si difficile æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore, quæ autẽ in Cælis sunt, quis inuestigabit, Sap. 9. num. 14. ideò sequitur, Sensum autem tuum quis sciet; nisi tu dederis sapiẽtiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de Altissimis?

Beatus ergo vir, cuius auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit Dominus, in valle lacrymarum; Nàm per sapientiam sanati sunt, quicumque tibi placuerunt Domine, à principio, vt ibi in d. cap. Sap. & Ioan. 15. num. 19. Non vos elegistis me, sed ego elegi vos. Beatus ergo vir, cuius auxilium abs te, quia nemo venit ad te, nisi Pater traxerit illum; neminem autem trahit Pater, nisi eum qui crediderit in eius filium Iesum Christum, qui mortua sua venit liberare populum suum, ideſt omnes credentes in illum, Isai. cap. 42. num. 7. & cap. 60. nu. 11. Beatus vir, cuius auxilium est à Domino, extrà enim Dominum non est auxilium, Esther cap. 14. num. 14. Psalm. 61. num. 20. Auxilium enim nostrum à Domino solum est, Psalm. 120. num. 1. & 2.

Beati, inquit, qui habitant in domo tua Domine, quia in sæcula sæculorum laudabunt te. Nàm cum similes ei erimus, & cum videbimus sicuti est, nunquam à laude eius cessabimus, cum namque Deus amor sit sempiternus, illius etiam insatiabilis pulchritudo est, quia ergo semper illum amare poteris, semper eum laudare non deficies. Beati ergo, &c. quia in sæcula sæculorum laudabunt te, quia cum semper erunt amantes, semper etiam erunt laudantes, Eccles. cap. 42. in fine. Et quis satiabitur videns gloriam eius?

Sed quomodò illic veniemus, cum nostra vita sit in carne fragili, profectò nec illius pondere grauati illùc volare poterimus. Augustin. hìc litera S. Spiritus sursum vocat, pondus carnis deorsum reuocat. In torculari ergo positus est vir sanctus, contritus, premitur. Quis, inquit Apostol. ad Romanos

Rap.7.num.24. liberabit me de corpore mortis huius? Vidit iste in interiori homine gaudia cælestia, præmit caro terrena. Beati, inquit, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te: condelectatur iste cum Paulo legi Dei secundum interiorem hominem. Aliam, dicit, video legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, quis me liberabit? Gratia, inquit, Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: Præuidebat Dauid incarnationem, & mortem, & filij Dei resurrectionem: nemo enim ad Patrem erat iturus, nisi prius esset descendens filius, ad Patrem ipse iterum ascensurus, Ioann.cap.3.num.13. Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo, filius hominis, qui est in Cælo.

Beatus ergo vir, cuius est auxilium abs te Domine Iesu, quia tu Domine in corde illius, amoris tui ascensiones, ponis vt ad te facilius peruenire possit. Quantò, dicit Augustin. plus amaueris, tantò magis ascendes. In corde ergo hoc nostro carnali, & mortali diligas tu anima Dominum, ex toto corde tuo, ex totis viribus, & istæ sunt ascensiones, quas ponet Deus ipse in corde tuo. Sustine tribulationes in torculari, illas cum lacrymis tuis reponas in hac conualle lacrymabili, vt ex illo vinum, vel oleum amoris erga filium Dei in holocaustum illi offeras: cum Paulo delectare, vt acceptabile sit sacrificium tuum in conspectu Dei; Pluant de pectore compunctionis lacrymæ, vt per gratiam Iesu Christi fiant in te ascensiones cordis tui ad Dominum in sacrificium. Recede anima à malo, vt fructus vberior lacrymarum tibi proueniat à Deo, dicit S. Augustin. in Tom.4. lib.11. de Salutaribus Documentis litera E. Nullum habebit accessum cordis compunctio, vbi fuerint immoderata vitia, & concupiscentiæ malæ; vbi autem fuerint lacrymæ, ibi spiritualis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat.

Disponet ergo ascensiones in corde suo in valle lacrymarum, tunc ascensiones ipso fient in corde tuo; cum tu abstinens à peccato, lacrymarum effusione poposcris à Deo vt præterita deleantur: Vndè dicebat in alio loco Augustin. in Tom.5. de Ciuitat. Dei ad Marcell. lib.20. cap.17. litera B. Lacrymæ tantò sunt vberiores in homine, quantò est sanctior, & desiderij sancti plenior; quantò enim, dicebat ille, est sanctitate plenior, tantò fit eius in orando fletus vberior. Fiant ergo mihi quotidie lacrymæ meæ panes die, ac nocte, vt ascensiones mihi Dominus det in corde, Psalm.41. Ascensiones, dixit, disposuit in corde suo, quia illarum plures sunt gradus: Vndè Psalm.23. numer.3. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens, inquit, manibus, & mundo corde: Vndè Psalm.100.num.2. Psallam, & intelligam in via immaculata, quando venies ad me: perambulabam in innocentia cordis mei, & ibi per totum Psalmum: sequitur Psalm.93. nu.18. & Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Ascensiones in valle lacrymarum posuit, qui ideò descendit, vt in locum humilem te posuisse cognoscas, vt ex illo ascendere posses, si te humilem cognoueris, vndè ad Ephes. cap.4. Quòd ascendit, quid est, nisi quia descendit primùm in inferiores partes terræ?

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion. Quid est quia benedictionem dabit legislator,

niſi quia fructum percipies ex his operibus bonis, quæ feminaſti. Prima beatitudo præſens, Beatus vir, cuius auxilium à Domino. Secunda eſt de futuro, Benedictionem dabit tibi legiſlator: Dum in domo Dei permanes, beatus es; cum ad benedictionem legiſlatoris peruenèris, & ità fructum laborum tuorum habebis, benè tibi erit: Auguſtin. in Pſalm. 127. litera H. Si benè tibi erit, vtique beatus eris, & ſi beatus eris, benè vtique tibi erit. Sed intereſt inter ſpem, & rem; ſi ſpes tàm dulcis eſt, quantò res dulcior erit?

Beatus ergo, cuius eſt auxilium à Domino, qui præuentus eſt in benedictionibus Domini, Pſalm. 20. num. 4. Sed etiam cooperatio noſtræ voluntatis requiritur, quæ cum gratia ad benè merendum concurrat, propterèà dixit, quia ibunt de virtute in virtutem; non irent, niſi voluntariè cooperantes bonum, de virtute in virtutem proficerent. Beatus ergo, qui vocatus à Domino, in Eccleſia ſua ſancta poſitus eſt, qui ambulant in vijs Domini, qui ambulant in domo tua Domine. Si ità in hoc ſæculo bonum operentur, benedictionem in alio ſæculo accipient à Domino: De fructu enim operum ſuorum ſatiabuntur, Pſalm. 103. num. 13. Videbitur Deus Deorum in Sion, vt nunquam ſatientur; Vndè Eccleſ. cap. 42. num. 26. Et quis, inquit, ſatiabitur videns gloriam eius?

Etenim benedictionem dabit legiſlator. Sed quid proſit benedictio Dei, declarat, dicens: Ibunt de virtute, in virtutem; & quid amplius? Videbitur Deus Deorum in Sion; Sequitur ergo quod benedictio Dei ad multiplicationem valet, & vt metuant omnes fines terræ. Sed nunquid non erat prius à Deo data lex, vt adimplentes illam benedicerentur à Domino? Exod. cap. 20. ibi datur lex, & per totum, & dicitur. Quod ſi audieris vocem eius, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te: dixerat enim cap. 23. num. 20. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & introducat in locum, quem paraui; obſerua eum, & audi vocem eius: nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaueris: & eſt nomen meum in illo; ità in Leuit. cap. 19. Benedictionem ſeruantibus legem ſe daturum, dixit Dominus Leuit. cap. 26. num. 3. inquit enim, Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet meſſum tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem, & comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & abſque pauore habitabitis in terra veſtra. Dabo pacem in finibus veſtris, dormietis, & non erit qui exterreat, auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit terminos veſtros. Perſequimini inimicos veſtros, & corruent coram vobis, perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia, & cadent inimici veſtri gladio in conſpectu veſtro. Reſpiciam vos, & creſcere faciam, multiplicabimini, & ſeruabo pactum meum vobiſcum, &c. Quomodò ergo dabit benedictionem legiſlator, ſi iàm data reperitur à Domino Deo Veteris Teſtamenti legiſlatore?

Etenim benedictionem dabit legislator, quem miſſurus erat Dominus, qui peccatum in ipſum non dimiſſurus erat, in quo nomen Dei erat, qui ſeruantes vocem eius introducturus erat in locum, quem parauerat. Non ergo ſermo eſt de lege, in veteri teſtamento data, pro cuius obſeruantia promittebantur

tan-

Digitized by Google

tantùm temporalia ; pro cuius inobseruantia pœnæ debebantur, & damna : nec obseruati erat adhùc accessus ad locum : nec dum etiam angelus , cui nomen esset Deus, aduenerat . Ergo de alio legislatore Iesu Christo Angelo testamenti missio à Patre , cum quo , & cum Spiritu sancto vnus est Deus . Hic benedictionem reliquit in terra , nec peccantem dereliquit sine adiutorio . Lex enim veteris testamenti , & prophetiæ vsque ad Ioannem : promissio verò hæreditatis Dei in cœlo per Iesum Christum , Matth. cap. 11. num. 13. Etenim Dominus Iesus ipse est , qui benedictionem dat sequentibus eum , venientibus post illum , qui primos à se vocatos fecit piscatores hominum , Marc. cap. 1. nu. 17. Matth. cap. 4. num. 19. Hic est , qui bonum semen in terra bonâ seminauit , vt daret fructum centuplum, Matth. cap. 13. num. 23. Hanc dat Dominus Iesus largam benedictionẽ sensuis suis, quibus & visio Dei promittitur de virtute in virtutem procedentibus , & ambulantibus ; de quibus Matth. cap. 5. num. 3. cum sequen. Beati pauperes spiritu , quoniam ipsorum est regnum cælorum , Beati , qui lugent , quia consolabuntur, &c. & num. 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt .

Non enim in lege veteri faciem Domini videre cuipiam permissum erat ; Exod. cap. 33. in fine, tollamq. manum meam , & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris . Vide horum verborum Augustini expositionem in Psalm. 138. litera H. I. & K. Etenim ergo , inquit Augustin. hic, idest ; Quia lator legis veteris , quæ in quinque portibus, quinque librorum Moysi habebat ægrorum multitudinem , quos non curabat , dabit benedictionem Euangelicæ gratiæ, quia post legem mortis, veniet gratia iustificans. Ecce Christus vtriusque testamenti auctor est , & quid præstat gratiæ benedictio ? Ecce per eam ibunt fideles de virtute in virtutem, donec videbitur Deus Deorum in Sion ; quia per diuinam gratiam multæ virtutes dantur, de quibus omnibus venitur in Christum , in Dei virtutem , & Dei sapientiam, vt illis virtutibus secundum has actiones finitis, videatur Christus in Sion , idest in plenitudine contemplationis, sicut est Deus apud Deum, Verbum apud Patrem .

Vel secundum Apostolum, 1. Corinth. cap. 12. nu. 6. Ibunt de virtute in virtutem per gratiam Dei . Diuisiones quippè gratiarum , seû operantium , idem verò Deus , qui operatur omnia in omnibus . Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ , alij verò sermo scientiæ secundum eundem spiritum , alteri fides in eodem spiritu , alij gratia sanitatum in vno spiritu , alij operatio virtutum , alij prophetia , alij discretio spirituum , alij genera linguarum , alij interpretatio sermonum, & num. 29. Nunquid omnes Apostoli ? nunquid omnes Prophetæ : Æmulamini, inquit, charismata meliora . Et adhùc excellentiorem viam nobis demonstro : In hac ergo lacrymarum valle , quam Dominus posuit, vt auxilium nostrum esset ab illo ; si post illum ire cupimus, locum nobis posuit in sua gratia, vt benedictionibus illius digni effecti , de virtute in virtutem eamus , donec Deum Deorum in Sion in cælo videamus .

Quid vltra moraris anima mea in vijs Domini ambulare ? clama, ne cesses , cum Propheta , dicens , Domine Deus virtutum exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob ; Vt & ego in Sion Deum Deorum audire possim : te Dominum meum ; Auribus percipe clamorem meum Deus Iacob ; vt & ego in luctu positus, Genes. 32. non te dimittam, donec & tu benedixeris mihi ;

&

& tibi quodammodò prævalens, Israel & ego vocari merear; vt & proficiens de virtute in virtutem ex virtutis tuæ benedictione, aliquandò te videam. Exaudi orationem, quia scio quòd petentibus postulata concedis; scio etiam, & confiteor, quòd tu es Deus, qui facis mirabilia solus, & potens es. Exaudi igitur orationem meam, auribus percipe Deus Iacob. Scio, quòd omnia vides, omnia audis; sed vt auribus percipias, obsecro, ac verba mea ità percipias, vt mihi, sicut Iacob, in auxilium meum sis, itàvt mihi mundo corde effecto, sis Deus, vt Iacob fuisti.

Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui: Populus enim tuus omnes iusti; si tui sumus, aspice Domine, & protector esto noster, quia in valle lacrymarum sumus positi in torculari, vbi semper bellum, vbi caro aduersus spiritum, vbi cum dæmonibus perpetua pugna. Ne despicias deprecationem meam, Psalm. 21. num. 25. & Psalm. 50. num. 19. sed respice in faciem Christi tui, in humanitatem filij, qui pro me factus est despectus, vt in illum respiciens, illius miserando, misereatis & nobis, quorum peccata ipse tulit.

Vel secundum Augustin. hìc. Respice in faciem Christi tui, idest fac innotescere omnibus Christum tuum: notus sit omnibus Christus tuus, vt possimus ire à virtutibus in virtutem, & possit superabundare gratia, quoniam abundauit peccatum. Quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia, quia melior est dies vna immutabilis sine ortu, & occasu, cui non cedit dies tertius, quem non vrget crastinus, qui est in atrijs tuis. Hæc sunt illa, ad quæ suspirat super millia dierum, quæ desiderant homines, idest super infinitos dies præsentes, qui finem habent.

Nos verò dicamus, quia melior sit dies vna in atrijs tuis super millia, vbi verbo Domini christiani illuminantur; vbi verbum Dei prædicatur; vbi scientia Dei illustramur; vbi ratione, idest tamquam rationabiles docemur, vt ad Deum conuersi, verbo eius, quod verum lumen est illustrari mereamur. Super millia peccatorum, in tenebris ambulantium; Dies vna cæli, quia vnica est, ibi dies Domini, quæ nunquam deficit, Psalm. 101. num. 28. Augustin. in Psalm. 26. litera K. Nàm, inquit, dies vitæ æternæ vnus dies est, sine occasu, & in Psalm. 6. litera L. idem Augustin. Quare melior est dies vna super millia? quia omnes, qui finem habent, breues sunt, illa verò in atrijs dies Domini; qui vnus, & multi dies sunt, quia multi sunt; vnus dies sic intelligitur, filius meus es tu, ego hodie genui te, Psalm. 2. vnum diem, dixit hodie, sed iste dies non ponitur in medio inter externum, & crastinum; nec initium eius finis est externi; nec finis eius, initium est crastini, &c. quomodò anni, sic dies vnus, quidquid vis, dicis de Æternitate, ideò quidquid vis dicis, quia quidquid dixeris, minus dicis. Melior est ergo dies illa vnica, quamuis in hoc sæculo super millia absque tribulatione, immo cum gaudio steteris.

Vel aliter; Melior est dies vna in atrijs, in torculari posita, quàm multæ illorum, qui extolluntur in hoc sæculo; nàm etsi diuites, egent tamen; inquirentes autem Dominum in tribulationibus, & pressuris non minuentur omni bono, Psalm. 33. num. 11. ideò sequitur; Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Hæc enim, & si Regum sit habitatio, finem habet, elegi abiectus esse in domo Dei, inter fideles scilicet christianos, viliſſimus, & humilis; nàm domus Dei, etiam dicitur populus chri-

christianus, Augustin. Tom.5. litera E. de Ciuitat. Dei lib.17. Domus enim Dei, & si hìc dicatur, tabernaculum tamen intelligitur peregrinantium, & quodammodò militantium, Augustin. d. Psalm.26. litera L. Nàm si de domo Cæli Dei intelligeretur, quam difficultatem haberet propositio iusti, quia ibi felicitas, etsi in arrijs, hìc verò in tabernaculis Regum, & diuitum angustiæ, & tribulationes. Ibi perpetua, & æterna habitatio, hìc ad tempus, & caduca deceptio. Elegit ergo iste habitare magis abiectus inter christianos, vel in Ecclesia, quàm habitare in tabernaculis peccatorum; In primo humilitatem vndè ascendat, in hoc verò peccatorum tabernaculo superbiam, cum qua descendat; elegit abijci in Ecclesia, vt subleuetur ab Ecclesia Dei in cælos: Augustin. Bona vox, gaudenda vox, eligenda vox. Elegi abijci in domo Dei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Habitauit abiectus in domo Dei, cui dicitur, ascende superius in conuiuio, Luc.cap.14. num.10. Abiectus in domo Dei, vbi veniam peccatorum per misericordiam Dei inueni, vbi misericordiam, & veritatem reperi; quia peccaui, & misertus est mei; humiliaui me & ecce exaltatus in domo Dei mei: propterea, inquit Psalmista.

Quia misericordiam, & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus. Misericordiam inuenit Paulus, cum esset Saulus. Exaltatus quia vas electionis factus est Domini: sed quomodò exaltatus, quia elegit abiectus esse in domo Dei, & propterea illi dictum est, oportet te multa pati pro nomine meo. Exaltatus, sed humiliatus, & conturbatus: exaltatus, ideò dixit ad Rom.cap.8. nu.35. Quis separabit nos à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, sicut oues occisionis; audi quomodò exaltatus; sed in his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos; certus enim sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Elegi ergo abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Causam ponit Propheta, dicens, quia misericordiam, & veritatem diligit Deus, gratiam, & gloriam dabit Dominus, non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, Beatus homo, qui sperabit in te.

Cur ergo in Ecclesiæ torculari magis, quàm in peccatorũ tabernaculis habitare velit, rationem adducit, quia misericordiam diligit Deus, qui misericordia sua in necessitatibus subuenit oppressis. Vndè Ambros. in lib. de Naboth. cap.8. Non requiras, inquit, quod vnusquisque meretur, misericordia enim non de meritis iudicare consueuit, sed necessitatibus subuenire, iuuare pauperem, non examinare iustitiam; Scriptum est enim Psalm.40. Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem. Quis est, qui intelligit? qui compatitur ei, quem aduertit consortem naturæ; talis ergo est Dominus, qui scit infirmitatibus nostris compati, & protegere ad se venientes; Vndè in Psal.118. illis verbis; Tempus faciendi Domine; dissipauerunt legem tuam, Theodoret. Tempus faciendi exponit, tempus consurgendi in auxilium. Misericordiam, & veritatem

diligit,

diligit, hebraicè, quia Sol, & ſcutum eſt Dominus Deus, gratiamq. gloriamq. dabit Dominus. Et eſt ratio, quare hìc malit eſſe in Eccleſia; in ea enim eſt Sol illuſtrans, vegetans, fouens, alensq. ſuo calore, fœcundans, noſtras vires reparans; & ſcutum protegens; propterea nobiſcum, dixit ſe eſſe vſque ad conſummationem ſæculi. Miſericorditer ergo ſe nobis impartitur, & prouidet, Ioan.cap.17. ſeruat à malo; gratiam dat, nos filios Dei facit in hoc mundo, & gloriam in altero ſæculo, ideſt vitam æternam.

Miſericordiam diligit Dominus, & veritatem, nàm etſi patiatur iuſtus, non tamen ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, ad Roman.cap.8.num.18. Si tamen compatimur, vt & conglorificemur, inquit Paul. Auguſtin. Dominus miſericordiam diligit, qui mihi primò ſubuenit, veritatem diligit, credenti dat quod promittit; miſericordia enim Dei plena eſt terra, Pſalm.32.num.5. & veritas Domini manet in æternum, Pſalm.116.num.2. eamq. diligit, propterea eadem eſt in circuitu eius, Pſalm.88.num.9.

Sed ſi iàm in domo Dei elegit ſe eſſe iuſtus iſte, quid amplius miſericordiæ aſſequetur illa, quam habuit: vel ſi miſericordia iuxtà Hebr. ſcutum eſt, & clypeus; iàm iſte victor mundi extitit, qui in domo Dei habitauit, non amplius clypeo eget nec ſcuto. Ità etiam leginus in Geneſ. de Abraham cap.15. in princ. nàm poſtquam Abraham percuſſit quatuor illos Reges, & victor reuerſus eſt cum Lot, & cæteris, Dominus dixit illi; Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis, &c. potius tunc triumphali curru, quàm clypeo protegente opus erat. Sed non ſufficit in atrijs, in domo, in Eccleſia, vt habites, eòque perueneris, niſi in gratia Dei permaneas; non ſufficit victoria, quia non ceſſat inuidia, & periculum: ſcuto tibi opus eſt, & gratia, vt perpetuò defendaris in illa. Vndè S. Hieron.ibid. & Caiet. exponentes illa verba, ego Protector, &c. in Hebræo dicunt, Ego clypeus, ſeù ſcutum circà te, vt ſcilicet ab alijs inſidijs tuearis à me. Tabernaculum enim Dei, bellum perpetuum eſt in hac vita. Ambula tu in innocentia, & non te priuabit bonis Dominus virtutum. Beatus ergo homo, qui ſperat in te Domine, beatus quem tu erudieris Domine, cuius tu Protector es: Protector in te ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum.

SOLILOQVIVM.

IN torculari poſita in finem Chriſtum ſit ſpes tua anima mea, vt cum alijs Core, & Caluariæ filijs Pſalmum Domino dicas Creatori tuo in ſæculorum ſæcula. Surſum ſint cor meum, & anima mea in Dei tabernaculo, vt pſallendo dicant; Quàm dilecta ſunt tabernacula tua Domine virtutum? quæ præparantur hìc ad acquirenda cæleſtia, vbi ſunt virtutes, & non vitia: Quàm dilecta ſunt tabernacula tua Domine virtutum, vt bona, quæ hìc habemus, in ſinu pauperum reponamus, vt cum hìc deficimus, recipiant nos in æterna tabernacula. Iàm in torculari poſita es anima mea, vt preſſa vinum ex te, ſeù oleum educatur, proiectis acinis, & amurca; illisq. deficientibus ad concupita Domini atria, & ad domum Domini peruenias, vbi eſt gaudium, & perpetua

petua lætitia. Cor meum, & caro mea exultent in Deum viuum, quia passer, spiritusq. meus inuenit domum, & turtur, caro nimirum mea nidum, vbi reponat pullos lacrymarum, & bonorum operum, in domo Domini, patriaq. cælesti, vbi animæ cælesti cõuiuio epulentur, vbi anima gaudet, & caro reponit opera sua: vbi est Rex meus, & Deus meus; Beati sunt illi, qui habitant in domo tua Domine, quia semper te videntes, & glorificantes laudabunt te; Beatus quoque est & vir, cuius est auxilium ab te, ascensiones in corde suo disponit in valle lacrymarum in loco, quem posuit, vbi dabit tibi Deus tuus benedictionem, vt de virtute in virtutem eas; Fortis ergo in virtutum progressu sis anima hìc, itàvt quotidie fortior sis. Pugna hìc, vt postmodum coroneris. Ibisq. de virtute in virtutem. Hìc in tabernaculo virtutum es posita, sequere Dominum virtutum, qui est Filius Dei, & videbis Deum Deorum in Sion. Sed si non præcedat gratia tua Domine, quomodò videre te potero Deum meum? exaudi ergo Deus virtutum orationem meam, vt sicut Iacob videns te, Israel dictus est videns Deum, & ego te videam. Respice in faciem Christi filij tui, cuius corporis ego membrum factus sum. Respice in faciem eius, quia & tunc respicies in me: cuius caput est Christus tuus, protector meus. Quia melior est vna dies in Regno tuo, quæ nunquam noctem habet, & semper durat, super millia annorum, in quibus de sæculi huius delicijs fruuntur suis in tabernaculis peccatores. Ideò elegi potius, vel vna tali die in tuis esse atrijs, quàm annis mille in mundo isto. Spera in Domino anima mea, & te pœniteat peccasse, quia misericordiam diligit Deus; caue tamen, ne negligens incedas, quod iusta tibi videaris, veritatem nàmque ille ipse, atque iustitiam diligit. Parcens donat peccata, gratiamq. dat, & gloriam. Post gratiam factam non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Ecce Domine Iesu nunc finis dierum Pentecostes aduenit. Vtinam & dies quinquagesimæ, remissionis, atque lætitiæ incipiant mihi per immissas amoris tui flammas. Emitte Domine Spiritum sanctum tuum, qui gratiam tuæ benedictionis infundat in animæ meæ domum, vt illo repleta Spiritu, locus nullus in ea remaneat extraneo. Exurge Domine, adiuua me, vt ego tecum, & tu in me, quia de spiritu tuo viuere concupisco, & in corpore tuo esse Iesu Christe dilecte mi. Nihil valeat aduersarius contrà me: accende Domine, ure, seca, vt in te solum directa sit via mea. Succurre mihi Beata Virgo Maria, quæ hodie in eodem loco cum beatis Apostolis congregata, superabundantius eodem repleta es spiritu, Domino dilectissima, iuua pusillanimem, refoue flebilem, succurre misero mihi peccatori, vt per te obtenta gratia, remittantur mihi peccata mea. Amen, &c.

IN

Digitized by Google

IN PSALMVM LXXXIV.

Benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob.

TITVLVS. In finem Filijs Core. Continuatur sic ad præcedentem; Cum enim ibi dictum esset de gloria domus Dei à filijs Core decantata, & de modo ad illam perueniendi per ascensiones cordis, benedictionesq. collatas à diuino Legislatore admodum consequenter nunc in præsenti Psalm. 84. declaratur, quæ sint illæ ascensiones, & qui gradus: quæ sit illius Legislatoris benedictio, ex qua de virtute in virtutem ituri sumus.

Summa hæc videtur esse; Aduentus primus filij Dei ex Maria Virgine nasciturí, cuius benedictione filijs Core remittentur peccata.

Benedixisti Domine terram tuam. Terram tuam, dixit, ad distinctionem terræ, quæ prius maledicta fuerat, Genes. cap. 3. num. 17. Maledicta erit terra in opere tuo; Benedixisti nunc Domine terram, sumens præteritum pro futuro, etenim quæ ab æterno ordinata fuere; quasi coram ipso iàm facta respicit Propheta; quandoquidem futura tamquam præsentia spiritu prophetico sibi præsentia apparebant. Benedixisti ergo, ideſt benedices terram tuam. Quam terram tuam? carnem scilicet beatæ, & immaculatæ Virginis Mariæ ortæ de Tribu Dauid ex semine Abrahæ, cui propterea dictum fuerat, In semine tuo, non in seminibus benedicentur omnes Gentes, non dixit benedictæ sunt Gentes, sed benedicentur, Genes. cap. 12. num. 2. & cap. 18. num. 18. cum benedicendæ essent in illo omnes nationes terræ, &c. ità etiam dictum est Isaac, & Iacob, cui dictum fuit à Domino; Ego sum Dominus Deus Abraham Patris tui, & Deus Isaac, &c. & benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ: Semini ergo Abrahæ, ex quo Isaac, & Iacob, & Dauid benedictio danda erat, propterea in cap. 28. Genes. num. 4. Et tibi, inquit Isaac ad Iacob, det Dominus benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te, hæc enim fuerunt verba Dei per os Isaac prolata, patet ex his, quæ Num. cap. 6. num. 24. dicuntur à Domino, Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis; Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, & numer. 27. Inuocate nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis. Illa ergo Domini terra, beata scilicet Maria Virgo à Domino benedicta, ex qua fructus ventris eius Iesus Christus conceptus, & natus, de qua in Angelica salutatione; Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, & infra in hoc Psalmo, etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum, quia veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit, quæ ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos. Simile habemus in Genes. d. cap. 28. Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo, num. 13. Quæ terra fuit, in qua dormiuit Iacob? Doctores asserunt; extitisse Bethel, Bethel autem domus Dei interpretatur. Venter Mariæ, Tabernaculum Dei; in qua terra sine vllis peccati spinis, quietè Iacob dormiuit, & visionem dignus fuit habere scalæ, in qua inixus erat Deus, & Angeli ascendentes, & descendentes. Vndè post visionem, de somno euigilans, n. 16. Dixit, Verè Dominus

est

Digitized by Google

eſt in loco iſto, & ego neſciebam, quàm terribilis eſt locus iſte; non eſt hìc aliud niſi domus Dei, & porta cæli.

Terra iàm data eſt nobis, Virgo Dei Genitrix, vt ſit aduocata noſtra, è ſomno ſurge anima mea, & viſionem videbis, & ſcalam, Angelosq. aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Ieſum in illa fixum, vt te doceat viam aſcenſionis.

Terra ergo Domini dicitur, quia eam elegit, & prælegit in Tabernaculum ſuum, ex qua ſalus nobis orta eſt; ex qua nobis aſcenſiones Dominus poſuit; vt de virtute in virtutem proficientes peruenire poſſimus ad cæli viſionem, ad ſcalæ culmen in cælum. Hæc eſt baſis ſcalæ, in qua innixus eſt Dominus, & vſque ad cælum peruenit; nàm primò de cælo venit in terram hanc virginalem, & de illa aſcendit in cælum: primò deſcendit, & terram ſuam dono Spiritus ſancti benedixit, Luc. 1. Aue Maria, ìnquit Angelus, gratia plena, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Super hanc baſim & tu pone pedem, vt ad vlteriores poſſis peruenire gradus, ſi aſcenſiones in corde tuo poſuerit Dominus. Quid tibi aduenier mali; ſi Deum timueris; Propè tibi erit, ſi ad cor conuerteris, vndè ad Epheſ. 2. n. 13. Nunc autem in Chriſto Ieſu, vos, qui aliquando eratis longè, propè facti eſtis in ſanguine Chriſti. Et tunc benedictionem tibi dabit Legislator, cuius virtus prima erit, quia captiuitatem auertet ab anima tua, qua prius detinebaris per hoſtem Diabolum, ad Coloſſen. cap. 1. num. 12. cum ſequen. Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius remiſſionem peccatorum.

Auertit ergo captiuitatem per ſpiritalem circumciſionem, de qua B. Apoſtolus ad Coloſſenſ. cap. 2. num. 12. Caput, inquit, Ieſus Chriſtus, omnis Principatus, & poteſtatis, & in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti: in quo & circumciſi eſtis circumciſione non manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Ieſu Chriſti; conſepulti ei in Baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis. Circumcidat nunc Dominus Deus cor meum, vt diligam eum in toto corde meo, Deut. c. 30. num. 6. & Ierem. in cap. 4. nu. 4. Auſer à te præputium cordis tui: & noua tibi nouale: neque amplius ſuper ſpinas ſeras, vt cum iàm mortuus ſis in delictis, donet tibi Dominus omnia delicta, delens quod aduerſus te erat Chirographum decreti, quod cruci affigit, expolians Principatus, & poteſtates, ad Coloſſ. d. cap. 2. num. 13.

Quæ per ea deſignata ſunt, quæ mox hìc ſubijciuntur; Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ per baptiſimi lauacrum, quibus duo ſignificata habemus, quos inſtantis ſuper Mariam terra à Deo benedicta aſcẽdere ſcalæ gradus per Chriſtum illi innixum nobis eſt datum gradum auerſionis à captiuitate Iacob in abſceſſu à ſeruitute diaboli, ac vitiorum, & gradum in adepta peccatorum remiſſione in baptiſmo. Tùm tertium gradum conceſſum, & aſcendere Sacramento pœnitentiæ; Operuiſti omnia peccata eorum, quæ ſcilicet poſt baptiſmum admiſſa fuiſſent, provt fuſius explicauimus aliàs ſuper ea verba Pſal. 31. Et quorum tecta ſunt peccata. Et quia tàm per baptiſmum, quàm per pœnitentiæ Sacramentum, non ſolum id obtinemus, vt eluantur nobis peccata quòad culpam, verùm etiam, vt remittatur pœna æterna, quæ per illa commerueramus ex concitata per illa Dei ira; ideò bene & aſcenſum ad hunc quartum ſcalæ gradum indicat

Propheta, addens. Mitigasti omnem iram tuam. Quin & ascensum asserit gradus quinti, dum subdit; Auertisti ab ira indignationis tuæ, quòad pœnam nimirùm etiã temporalem, quæ tametsi ex vi Sacramenti nó remittatur, si illius remanet reatus ad vtilitatem nostram, ad proximi exemplum, & ad aliqualem diuinæ iustitiæ significationẽ, nil tamen ex illa colligere est remansisse iræ, & indignationis Dei, à quo per temporalia plectimur flagella propter ea quæ admisimus delicta, vel etiam remissa. Ad quẽ quintum scalæ gradũ ascendere vt sibi daretur noster ipse optans Propheta, Deum sic obsecrabat, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, Psal. 6. itemq. & Ier. c. 10. dicens, Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo. Quod correptionis in iudicio, & non in diuino furore quale sit, explicauit ipsemet Dominus Psal. 88. dicens. Visitabo in virga iniquitates eorũ, & in verberibus peccata eorũ; Misericordiã autem meam non dispergã ab eo; neque nocebo in veritate mea.

Sex ergo in primis tribus istis præsentibus versiculis significata sunt obtinẽda per Incarnationem Christi filij Dei, & fructus ventris gloriosissimæ Virginis Mariæ, quãm ab æterno benẽdixit Deus; Primum, collata in prædictæ terræ, Mariæ, in quam benedictione, benedictum, & humanũ genus ablata maledictione, cui per primos parentes id fuerat subiectum, Secundum liberatio à captiuitate, & seruitute diaboli. Tertium per primam peccatorum detestationem, conuersionemq. ad Deum, Quartum, Remissio peccati originalis, & actualis per Sacramentum baptismi. Quintum deletio admissorum delictorum post baptismalem ablutionem, per Sacramentum pœnitentiæ, remissio nedum culpæ, sed & per reatus pœnæ æternæ. Et sextum, & reatus pœnæ temporalis satisfactio absque omni ira, & indignatione Dei.

Conuerte nos Deus salutaris noster, vt gratia tua præuenti mereamur tandẽ habere Redemptorem. Non amplius irascaris nobis, neque extendas iram tuam à generatione in generationem; nàm si ad nos conuersus deposueris iram tuá, viuificabimur, & in te plebs tua lætabitur; ibimus enim de virtute in virtutem Sed si Deus benedixit, & iram suam auertit, quomodò nunc dicis: Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuã à nobis? nunquid in eodem verborum constructu contraria dicis? Multi multa dicunt, quos per te videre poteris: Nos verò illa afferamus, quæ August. hìc ponit; Quomodò, inquit, orat, vt fiat, nisi quia voluit ostendere præterita proxima verba se in prophetia dixisse, nondum autem factum esse, quod dicebat iàm factũ? hìnc ostendit, quia orat, vt fiat: Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuá à nobis, Dixit Propheta prius.

Auertisti captiuitatem Iacob, operuisti omnia peccata eorum, &c. nunc autem dicit auerte iram tuam à nobis, illa prima dixit, quasi facta, quia videt futura, quia ergo nondum facta sunt, oro vt veniant, quæ iàm vidi; auerte iram tuam à nobis, non in æternum irascaris nobis; de ira enim Dei mortales sumus, de ira Dei in ista terra, in egestate, & labore vultus nostri manducamus panem: quæ illa erit captiuitas Iacob, quam auertit? Audi; Remisisti, inquit, iniquitatem plebis tuæ, remisisti omnia peccata eorum, ergo de interiori captiuitate liberatum Iacob, plebem Dei intelligit Psalmista, à qua per gratiam aduentus filij Dei liberamur; Vndè dicit Apostolus ad Rom. 7. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, intus me delectat lex Dei, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, vide captiuitatẽ, ibid. & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in mẽbris meis; ab hac ca-

ptiui-

ptiuitate Christus liberat filios Core, vnde sequitur Apostolus: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia, inquit, Dei per Iesum Christum Dominum nostrũ; ab hac ergo captiuitate Iesus Christus liberauit nos in aduentu suo, qui futurus tamquam præsens videbatur Prophetæ. Auertit ergo Dominus captiuitatem, quia remisit iniquitatem, iniquitate captiuus erat, remissa iniquitate liber factus es. Confitere ergo dicit August. te esse in captiuitate, vt dignus sis liberari, nàm qui hostem suum non intelligit, quomodò inuocare potest liberatorem? Conuerte ergo nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis, id est citò veni Domine liberare populum tuum ab ira tua, iàm venit plenitudo temporis, si tu Domine conuersus amplius non irascaris nobis; nunquid filius portabit iniquitatem Patris? nunquid propterea à generatione in generationem ira tua? Illi peccauerunt tibi, cõuerte nos salus nostra, vt gratia tua cognoscamus te, & te Deum Redemptorem confiteamur, & ab ira tua liberos nos facias, conuerte nos à viris, vt auertatur ira tua à nobis.

Benedixisti terram tuam, id est filium tuum, quem dedisti in lucem Gentium, vt sit salus tua vsque ad extremum terræ, Isai. cap. 49. num. 6. Auertisti captiuitatem Iacob, quem ad eum reduxisti; dixit enim: Parum est mihi vt sis mihi seruus ad suscitandas Tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas; ecce dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, &c. In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui; dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas, vt diceres his, qui vincti sunt, exite, & his, qui in tenebris, reuelamini.

Auertisti captiuitatem Iacob, quia duxisti cæcos in viam, quam nesciebant, & in semitis, quas ignorabant, ambulare eos fecisti, ponam tenebras coram eis in lucem, & prauа in recta, &c. Isai. 42. Ideò dixit remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum, vndè Isai. 43. n. 25. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor, remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.

Sed quæ est plebs tua Domine? Dicam Aquiloni, da; & Austro, noli prohibere; affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ, & omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum, Isai. 43. Glorificabit me bestia agri, draçones, & strathiones, quia dedi in deserto aquas flumina in inuio, vt darent potum populo meo, dilecto meo. Et nũnc audi Iacob, & Israel, quem elegi. Noli timere, effundam enim aquam super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam, Isai. 44. in prin. Semen enim tuum Gentes hæreditabit, Isai. 54. n. 3. & ciuitates desertas inhabitabit, noli timere, quia non confunderis, neque erubescas, non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuiscaris, quando scilicet cum sine Deo esses; & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius, n. 4. Quia dominabitur tui, qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius, & Redemptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur, n. 15. Auertisti captiuitatem Iacob, cuius semen hæreditabit Gentes. Nàm accola venit, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi, Isai. d. cap. 52. nu. 5. Cuius accolæ iniquitatem remisisti, & omnia peccata eorum per Baptismum delesti, & operuisti, vt in miserationibus magnis illum congregares, operuisti, &c. nàm in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus

ſum tui, dixit Redemptor tuus Dominus, d. cap. 54. num. 8. in Iſai. benedices ergo, & auertes, & ab ira tua declinabis, vt peccatorem pœnitentem recipias.

Conuerte ergo nos Deus ſalutaris noſter, quia de ſemine Abrahæ per fidem ſuſceptam & nos ſumus, quibus aliquando dixiſti: Non populus meus, nunc populus meus, & miſertus es nobis, qui aliquando abſque miſericordia: Ecce quia te Dominum noſtrum confitemur, & dicimus, Oſee cap. 2. Captiua erat propter iniquitatem ſuam Gentilitas, at propter ignorantiam, neſciebat te Domine Poſtquam tu conuerſus es ad illam, & illa ad te reuerſa ſuſcepit te, fidem tuam amplexata eſt, & te aperiente manus tuas illi, & latus tuum ostendente ingreſſa eſt in illud, amplexus es illam. Remiſiſti peccata illius, non es amplius recordatus iniquitatum illius, immo eas operuiſti, eam congregans ſicut gallina pullos ſuos. Ex ſemine tuo Domine ſumus, quia verbum tuum recepimus, Ioan. 3. Semẽ, inquit, tuũ Domine in nobis manet, quia ex te nati ſumus.

Mitigaſti omnem iram tuam, auertiſti ab ira indignationis tuæ. Ideò mitigaſti iram, quia benedixiſti terram tuam, auertiſti ab ira, quia pœnitens confeſſa eſt peccata ſua, & audiuit verbum tuum Gens, & illud ſuſcipiens gauiſa eſt valdè, Actor. 13. nu. 48. Egerunt conuerſi pœnitentiam, & quaſi nix dealbata ſunt peccata eorum, Iſai. cap. 1. nu. 16. cum ſequen. Sed quomodò conuerſi, niſi quia illos auerſos tu Domine vocaſti, tu conuertiſti te ad illos? Auguſtin. hìc lic. D. Quid ergo? hoc tibi præſtitiſti ô homo, vt quia conuerſus es ad Deum merearis miſericordiam ipſius? Qui autem conuerſi non ſunt, non ſunt adepti miſericordiam, ſed inuenerunt iram. Quid autem? vt conuertereris poſſes, niſi vocareris? Nonnè ille, qui te vocauit auerſum, ipſe præſtitit, vt conuertereris? Noli ergo & tibi arrogare nec ipſam conuerſionem, quia niſi ille te vocaret fugientẽ, non poſſes cõuerti, propterea Propheta orat ipſius beneficiũ cognoſcens, & dicit.

Deus tu conuerſus viuificabis nos. Et non quaſi nos ipſi noſtra ſponte, ſine miſericordia conuertimur ad te, & tu viuificabis nos; ſed tu cõuerſus viuificabis nos, vt non ſolum viuificatio noſtra à te ſit, ſed & ipſa cõuerſio, vt viuificemur.

Et plebs tua lætabitur in te, quia tu es gaudium noſtrum, qui es futurus præmium; Auguſt. Confeſſ. lib. 10. c. 22. lit. B. Tom. 1. Abſit Domine, abſit à corde ſerui tui, qui confitetur tibi; abſit, vt quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Eſt enim gaudium, quod non datur impijs, ſed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudium ipſe es, & ipſa eſt beata vita, gaudere ad te, de te, propter te. Ipſa eſt, & non eſt altera, qui autem aliam putant eſſe, aliud ſectantur gaudium, neque ipſum verum, ab aliqua tamen imagine gaudij voluntas eorum nõ auertitur. Et idem in hoc noſtro Pſalm. lit. I. Quando voluit habere gaudia de ſe, inuenit planctum in ſe, nunc ergo quia totum noſtrum gaudium Deus eſt, qui vult ſecurus gaudere, in illo gaudeat, qui non vult perire. Gaudeamus ergo in luce, quæ non habet occaſum; gaudeamus in illa luce, quam non præcedit externus dies, nec ſequitur craſtinus. Non audis illum dicentem; ego ſum lux mundi, Ioan. 8. Et hoc dicendo vocat audientem ad ſe; cum vocat te, conuertit te, cum conuertit te, ſanat te, cũ ſanabit te, videbis conuerſorem tuum, cui dicitur, & plebs tua lætabitur in te. Si ergo anima mea optas, vt in Deo ſi lætitia tua, ſint tibi fides, ſpes, & charitas, quia in alia vita, vbi ſola remanet charitas, Deum videbis, qui eſt charitas ipſa; & in hoc etiam mundo erit tibi gaudium, & lætitia; Et confidenter cum Propheta dicere poteris. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis; oſtende ſcilicet ſpiri-

tuali-

tuâtuor, & etiã corpotaliter, misericordiam tuam, Christum scilicet filium tuum, qui idcò venit, vt miserando semper & parceret, vndè Ioan. 14. Qui diligit me, mandata mea custodit, & ego diligam eum, & ostendam illi me ipsum.

Tria ergo requiruntur in te anima mea; primò vt aspicias; tunc q. id erit, si fidem habebis, mundoq. corde eris: Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; Docet autem & Iesus, quomodò fide illum videre possimus, dicens Ioan. cap. 12. num. 16. Ego lux veni in mundum, vt omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat, & num. 36. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis; sit ergo tibi fides, & tenebræ non erunt in te, vndè Act. Apost. cap. 15. num. 9. Et qui nouit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum. Sit etiam secundò in te anima mea spes, quæ non confundit, ad Roman. cap. 5. num. 5: quia tunc charitas Dei diffusa erit in cordibus nostris, & tunc ipsi Deo reconciliata, vt dicit ibi Glos. dicere etiam poteris, Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis, vt reconciliati, salui simus in via Iesu Redemptoris nostri. Et hoc est tertium, vt in te sit dilectio Dei, ac etiam proximi, mandatum nempè, in quo est vita æterna, Ioan. d. cap. 12. num. 50. & scio, inquit, quia mandatum eius vita æterna est, hinc Matth. cap. 22. num. 37. cum sequen. Hoc est mandatum, & primum mandatum, diliges Deum, & simile huic alterum, diliges proximum tuum: sicut teipsum.

O felicem illum, cui Deus ostendet misericordiam suam, nàm non superbiet, 1. Ioan. cap. 3. num. 9. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non habet, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est, quando ostendit illi misericordiam suam, quidquid enim habet homo, non habet nisi ab illo, quia omne bonum nostrum ipse est, vndè Augustin. hìc litera D. Et cum viderit homo, quidquid boni habet, non se habere à se, sed à Deo suo, videt, quia totum, quod in illo laudatur, de misericordia Dei est, non de meritis ipsius; & ista videndo non superbit, non superbiendo non extollitur, non se extollendo non cadit, non cadendo stat, stando inhæret, inhærendo manet, manendo perfruitur, & lætatur in Domino Deo suo: Et erunt illi deliciæ ipse qui fecit illum, & delitias ipsas nemo corrumpit, nemo interpellat, nemo aufert; Quis potens minabitur auferre? & quis alius poterit tibi tollere Deum? Eccles. cap. 4. num. 33. ad Roman. cap. 8. num. 35. Quis separabit nos à charitate Christi, neque mors, neque vita, &c. Potest tibi tollere totum, quod corpore possides; non tibi tollit eum, quem possides corde: ipsa est misericordia, quam vtinam Deus ostendat nobis. Ostende igitur Christum nobis, illũ da nobis, in quo est misericordia tua quotidie, & continuò misericordiam illius petamus, quia ipse docuit nos, panem quotidianum vt à Deo peteremus, ipse est enim panis viuus, qui de cælo descendit, Ioan. c. 6. nu. 52. ipse est & salutare Dei, quod dari petimus nobis.

Si Deum diligimus, & cum Propheta clamemus, ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Iàm Domine Iesu te hominem ostendisti; quòd si homines illi, nec te cognouerunt Deum, coram eis tamen talia feciſti signa, ex quibus te Deum confiteri poterant, si datum eis esset, nisi cæci fuissent, Isai. cap. 6. Nos verò te Deum, & hominem confitemur,

Digitized by Google

te per Orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia : oſtende te Deum nobis ; quia vnum eſſe tecum cupimus , & petimus . Dediſti hominem mundo , at mundus te non cognouit Deum ; nobis da Deum, & hominem: Deum, dixi, nobis oſtendas te , vt diligamus te, atque vnà cum Petro te confiteamur Chriſtum Ieſum filium Dei viui. Illis in carne es oſtenſus, qui te non cognouere, nobis Deitate, & carne te oſtendas , vt redimens nos conuertamur ad te. Sed quomodò cognoſcemus te , niſi prius oſtenderis nobis miſericordiam tuam, auerteris iram tuam à nobis, dans nobis ſalutare tuum? oſtende ergo nobis Domine miſericordiæ tuæ faciem , quia tunc dimiſſis peccatis noſtris , te videre mente , & ſpiritu nobis concedes; Enimuerò niſi peccata remiſeris , nec te Deum pura mente videre poterimus ; mortui quippè peccato, quomodò te lucem in tenebris cognoſcemus .

Conuerte nos Deus ſalutaris noſter , & auerte iram tuam à nobis , oſtendensq. miſericordiam tuam ſalutare tuum da nobis, Auguſtin. hìc lit. E. Hominibus ſe hominem dedit, quia talem illum hominibus dedit, qualis poſſet capi ab hominibus, Deum enim Chriſtum nullus hominum capere poterat , factus eſt hominibus homo , ſeruauit ſe Deum Dijs . An fortè arroganter dixi ? Re verà arroganter, niſi ipſe dixiſſet, d.Pſalm.81.nu.6. Ego dixi Dij eſtis , & filij excelſi omnes , &c. Vndè Ioan.1. cap.3.num.1. & 6. Dilectiſſimi , filij Dei ſumus , ſed nondum apparuit quid erimus , & primò dixerat , num.1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur , & ſimus, Non ſit ergo in nobis peccatum fratres, vt in eo maneamus , ibid.Ioan.num.6. Omnis enim , qui peccat non videt eum , nec cognouit eum, quis ergo non veherit ad fontem , vt mundatus à peccato , ſperet videre Deum , ſicuti eſt , & cum Chriſto hæredem eſſe Regni cælorum ? Nondum enim videmus, quia nondum apparuit quid erimus , ſed tantùm in ſpe ſumus . Vis videre , quales erimus ? audi Ioan, vt ſupra num.2. Scimus tamen , quia cum apparuerit , ſimiles ei erimus , quoniam videbimus eum , ſicuti eſt , & omnis , qui habet hanc ſpem in eo ſanctificat ſe , ſicut & ille ſanctus eſt , & quia videbimus Patrem , etiam filium videbimus, nàm ipſe dixit , qui videt me, videt & Patrem meum , Ioan.d.cap.14.num.9. cum ſequen. videbit & Spiritum ſanctum, vnum Deum in Trinitate , & Trinitatem in Vnitate; O vana mortalium gaudia : qui nunc videntes gaudent , vt in fine non videntes , ſemper in tenebris luctuoſi permanentes turbentur timore horribili , & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis,& præ anguſtia ſpiritus gementes, Sapien.cap.5.num.3. Felices verò, qui in Domino patientiam habentes , modò credunt , quod non vident , quia permanendo in eo, quod credentes non vident , merebuntur lætantes videre , quod credunt . Nunc in hac peregrinamur valle , miſerijs pleni , & ærumnis , nulla requies carni noſtræ , vt dicit Apoſtolus , 2.Corinth.cap.7.num.5. cum veniſſemus Macedoniam nullam requiem habuit caro noſtra , ſed omnem tribulationem paſsi ſumus , foris pugnæ , intus timores ; ſed quomodò cognoſcunt , quia ibi pugnæ ? quia viſio apparuit Apoſtolo de quodam Macedone , qui inſtabat , vt Macedoniam intraret, & adiuuaret illos , tranſiuit Paulus , & Dæmon ab obſeſſa expellitur, Lyda , verbum auditur , ſed quid ? nullam requiem inuenit caro noſtra , d.cap.7.num.6. 2.Corinth. quia certando in hac vita ſpem certam habebant , quando apparebit gloria Domini , inquit , habebunt

bebunt Patrem, & patrimonium, quia filij dilectissimi Dei facti sunt. Mundus gaudet, illi contristantur, sed tristitia illorum in gaudium conuertetur, Ioan. cap. 16. numer. 20. quia lucta est cum Dæmone. Veni Domine Iesu in hac nostra Macedonia, adiuua nos transiens per eam, Act. Apostol. cap. 16. numer. 9. cum sequen. Transeat Apostolus tuus Doctor gentium per Gentilitatem, & verbum tuum nobis prædicando euangelizet, vt in te spem habentes, & in te permanentes, digni efficiamur, cum apparueris visione tua. Iudæi discipulos verbum tuum prædicantes, noluerunt audire; Veni ad Gentilitatem, quam Macedoniam dicimus propter illius celsitudinem, & eminentiam: parum est enim quod dederit tibi Dominus ad suscitandas Tribus Iacob, & fæces Israel; nàm etiam te Dominus dedit in hucẽ gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, Isai. cap. 49. num. 6. & cap. 54. & 65. Quæsierunt te, qui ante non interrogabant, & sperant, te inuenisse, qui prius te non quærebant. Tu Domine, ad gentes, quæ non inuocant nomen tuum extende manus tuas, Isai. cap. 63. numer. 4. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, longos fac funiculos tuos, Isai. cap. 54. in princ. vt totus mundus veniens post te, fiat hæreditas tua, ibidem num. 17. vt ex illa in regno tuo comedentes, esuriant alij te non sequentes; Serui tui bibant, cæteri sint sitientes; lætentur illi, confundantur isti, Isai. cap. 65.

Venit ergo Deus homo factus, vt sit Saluator, & sequentibus ipsum vitam æternam promittit, ille verax, quia est Via, Veritas, & Vita: Mundus verò iste cum principe suo diabolo fallax, & iniquus, & mendax, promittit caduca gaudia sua, si cadens adoraueris eum; quis tu cæcus, qui deceptorem sequens, viam veritatis relinquas, transitoria magis quæras, & quæ ad inferos trahunt, vt gaudia æterna amittens, in profundum detrudaris cum patre tuo Diabolo? Quod gaudium tibi promittit in mundo? quod transiet in puncto; Quam speras pacem in mundo, si in perpetuo permanes bello? Non te perturbent aduersa temporalia, quia ideò hæc permittuntur, vt sustinens libenter ea, peruenias ad gaudia æterna: In paucis vexati, in multis benè disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se, Sap. cap. 3. num. 5. Sequitur tertia Psalmi pars.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem suam. Sed quando audies, ò Propheta? quando Dominus benedixerit terram suam, & auerterit captiuitatem Iacob; quando nascendo Dominus benedixerit terram suam, quos scilicet Deus Pater, illi custodiendos, & liberandos commiserit, Ioan. cap. 17. numer. 12. ego Ecclesia tua Domine, audiam sermonem tuum verbum tuum Iesum Christum: mecum est, & sermonem suum per seipsum dedit, Ioan. dicto cap. 17. num. 14. Non per Angelum, sicut quando loquebatur olim in Prophetis, Zach. cap. 1. numer. 9. & cap. 2. numer. 3. & dixit mihi Angelus, qui loquebatur in me, similiter in Ose. c. 1. num. 2. principium loquendi Domini, &c. Personaliter venit, & locutus est per seipsum. Sed quid locutus est? pacem, inquit, plebi suæ annunciauit; redemptionem misit Dominus populo suo, Psalm. 110. num. 8. illuminans eos, qui in tenebris, & vmbra mortis sedebant; ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, Luc. cap. 1. num. 7. Benedixisti terram tuam, & audiui, quid locutus sit mihi Dominus, Zach. cap. 3. numer. 9. Ecce, inquit Deus, adducam

seruum

sentùm meum orientem, &c. & auferam iniquitatem terræ illius in die vna, scilicet quando passus fuerit pro salute populi sui: ideò dicit, Ecce ego celabo sculpturam eius, ideſt passionem eius, in qua fuit velut celatus clauis, & virgis. In die illa, sequitur, vocabit vir amicum suum subter vitem, & subter ficum, hoc est pax erit spiritualis inter fideles, & credentes, qui simul comedent fructus spirituales.

Audiam quid loquatur nunc Dominus, quia lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem, Matth. cap. 11. num. 18. per quos olim loquebatur Deus; Vndè ad Hebr. cap. 1. num. 1. Multifariam multisq. modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq. omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, Luc. 10. num. 24. Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ vos auditis, & non audierunt.

Sed quomodò loquitur pacem, qui venit mittere gladium? Matth. c. 10. numer. 34. Non pacem mundi venit mittere Dominus, sed pacem suam, quæ est vera pax, de qua Nahum cap. 1. num. 15. Ecce super montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem: celebra Iuda festiuitates eius, & redde Domino vota tua, quia non adijciet vltra, vt pertranseat in te Belial: Vniuersus interijt, & prius, Isai. cap. 52. num. 7. Quàm pulchri sunt pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion, Regnabit Deus tuus, ad Roman. cap. 10. num. 15. Venit ergo Dominus ponere bellum cum vitijs, vt relictis illis, iustificati in ipso pacem cæleſtem habeamus cum iustis.

Hinc Augustin. Tom. 5. de Ciuitat. Dei lib. 21. cap. 16. litera F. Suscipiendum est bellum contrà vitia, & gerendum acriter, ne ad damnabilia peccata perducat, ad pacem ergo summam, & æternam accendimur, igne diuini amoris bellantes cum vitijs. Hæc enim mundi vitia veraciter non vincuntur, nisi vera delectatione iustitiæ, hæc est autem in fide Christi. Nàm si lex iubens adsit, & spiritus iuuans desit; per ipsam prohibitionem, desiderio crescente, atque vincente, peccati etiam reatus præuaricationis accedit, vt nunquam sint apertissima vitia, quæ alijs vitijs vincuntur occultis, quæque putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa. Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter, nisi per mediatorem Dei, & hominum Iesum Christum, qui factus est particeps mortalitatis nostræ, vt nos participes faceret diuinitatis suæ. Venit ergo Dominus ponere gladium, vt declinantes à vitijs, & concupiscentijs mundi corde effecti videamus Deum, & bonis fruamur æternis.

Audiuit ergo quæ locutus est Dominus, quoniam loquutus est pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos, qui conuertuntur ad cor. Non solum plebi suæ, sed etiam in eos omnes, qui conuertuntur: populus enim Domini omnes iusti, Isai. cap. 43. num. 6. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ, Et omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum, & in cap. 60. num. 21. Et in-

eos,

eos, qui conuertuntur ad cor, Augustin. Qui conuertunt cor ad ipsum : Nos verò dicamus, quia semper stat ad ostium Dominus cordis nostri, conuertimur ad cor, vt fiat ardens desiderio illi seruiendi ; Fieri autem non potest, vt in mala opera exeant cogitationes bonæ, quoniam hoc actione promitur, quod corde concipitur. Ex quo ergo Christianus factus es, nouum Canticum sit in corde tuo, vt perducaris ad gaudia æterna : nec amplius sicut veteris hominis vetus Canticum sit tibi ad temporalia : Quando inspirationes veniunt in corde tuo, sustine Dominum, viriliter ago, confortetur cor tuum.

Augustin. Tom. 10. homil. 11. litera L. Quid est sustine Dominum ? vt tunc accipias, quando dabit, non tunc exigas, quando vis, tempus dandi nondum est, sustinuit te, sustine illum. Nàm si iàm iustè viuis, si iàm ad illum conuersus es ; si tibi displicent facta tua præterita, si iàm placuit tibi eligere vitam bonam nouam, noli festinare exigere. Sustinuit te, vt mutares vitam tuam malam, sustine illum vt coronet vitam tuam bonam. Nàm & si ille non sustineret, non esset, cui daret : Sustine ergo, quia sustentatus es ; Conuertere ergo ad cor, & loquetur Dominus animæ tuæ pacem ; Vndè Nazianzen. Orat. 1. de Pace, Qui pacis bonum amplexantur, eiq. contrariam dissensionem, seditionemq. infensè oderunt, ad Deum, diuinasq. mentes accedunt, ipsumq. Deum, & adorandissimam Trinitatem in terra referunt. Conuertantur ergo ad cor, qui pacem Dei habere volunt. Hoc est sit procul odiũ; & charitatis vnitas adsit Dei, & proximi sui in corde suo, & audiet pacem, quam loquetur Dominus in corde suo : Vndè Bernard. Serm. 5. de Assumpt. Si ergo, inquit, Deus noster vnus est, dicente Moyse, Deuteron. cap. 6. Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est, & vtique quisque vnus per integritatem virtutis, & vnum cum proximis per vinculum dilectionis esse debemus. Pax ergo Domini ad eos, qui conuertuntur ad cor, quod erit, si in corde tuo discutiens, quæ Dei placita sunt, ad illud conuersus similis illi fias, qui propter charitatem te redemit, vt & tu in Deum, qui te creauit, & in proximum tuum eandem dilectionem habeas, vt pax Dei sit tibi.

Conuertere ergo & tu anima mea ad cor Domini, & in latus eius apertum ingredi satage, vt & tecum pax Domini sit, quam ille dedit discipulis, Ioan. cap. 20. num. 29. latus enim perforari sibi tulit, & se mihi totum aperuit ; vt ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, & protegar in abscondito tabernaculi sui, vt pax illius sit mihi, vide Bernard. Serm. 7. in Psalm. Qui habitat.

Veruntamen propè timentes eum salutare ipsius, vt inhabitet gloria in terra nostra. Timore seruili afficiebantur Iudæi, ex Christi præsentia, quid facimus ; dicebant, quia hic homo multa signa facit, timebant enim, & propterea dicebant : Venient Romani, & tollent locum, & gentem nostram, Ioan. cap. 19. num. 47. Propè timentibus eum salutare ipsius. Prodijt statim qui fuerat mortuus, Ioan. d. cap. 19. nu. 44. propè timentes salutare ipsius. Vndè huìc sapientia, & virtutes ? nonnè hìc est filius fabri, &c. Non est Propheta, dicebat eis Iesus, sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum, Matth. cap. 13. numer. 55. cum sequen. Iterum, quare ? Vt inhabitaret gloria in terra nostra, in populo Gentili, in populo, in Christum credituro, & illum confitenti. Scandalizabantur in illo Iudæi, Marc. 6. num. 1. repleti sunt ira, audientes Dei virtutes, & surrexerunt

eij-

ejcientes illum extrà Ciuitatem, vt præcipitarent illum, Luc.4.num.28.

Vt inhabitet gloria Dei in terra nostra, in Ecclesia sua sancta, Isai.d.cap.49. num.6. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, & Isai.cap.42.num.1. & 6. Iudicium gentibus proferet, vt oculi cæcorum, Gentilium scilicet, aperirentur, & num.16. Et ducam cæcos in viam quam nesciunt, & in semitis, quas ignorauerunt ambulare eos faciam, Act. Apostol.cap.13.num.46. Veruntamen propè timentes eum salutare ipsius, In propria enim venit, & sui eum non receperunt, contrarius enim erat operibus Iudæorum, ideò & si inter illos natus, timentes non receperunt eum, Sap.2. nu.13. Promittit, se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat, factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum, grauis est etiam nobis ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius, & à vijs nostris abstinet se tamquam ab immunditijs. Gloriatur, Patrem se habere Deum, &c. Propè timentes salutare ipsius, quia salus ex Iudæis. Vt tamen inhabitet gloria in terra nostra: ideò Ioan.dicto cap.1. Et vidimus gloriam eius quasi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis: propterea visibile, & tangibile corpus accepit, vt inter nos habitaret præsentia sua; Quocircà quatuor isti subsequentes versiculi de Incarnationis, & humanæ reconciliationis mysterio inscribuntur.

Misericordia, inquit, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt. Et quomodò hæc facta sint subsequitur, dicens, Veritas de terra orta est, & iustitia de Cælo prospexit; etenimq. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum, Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos. Totum ergo Christi aduentum, & gloriam ipsius, & gentium vocationem, & illarum salutem describit hìc Propheta in istis quatuor versiculis. Veruntamen, inquit, propè timentes eum salutare ipsius, ecce quomodò locum Natiuitatis Christi Iesu describit: salutare ipsius propè illos Iudæos, quem ideò natum timuerunt; quæsierunt enim animam pueri ad perdendum eum; quia Regem illum futurum dicebant tres illi Magi: Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum, Matth.cap.2.num.3. Audiens autem Herodes turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Veruntamen propè, nàm intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria Matre eius, ibidem Matth. num.10. Surge, accipe puerum, & fuge, dixit illi Angelus, num.13. Qui consurgens, accepit puerum cum Maria Matre eius, & in Ægyptum secessit.

Propè ergo timentes eum, salutare natus est Dominus: vt inhabitet gloria ipsius in terra; vbi misericordia tunc, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt, terra ergo illa, in qua natus est Christus, propè erat illis. Qui ideò longè ab ipso facti sunt, quia non crediderunt ei; Gloria tamen illius in terra nostra, qui per fidem illi facti propè, etiam inhabitat in Ecclesia nostra, desideratus cunctis gentibus venit, domumq. istam gloria sua implenit. Propterea magna facta est gloria istius domus nouissimæ plusquam primæ, in quo loco dedit pacem suam plebi suæ, Aggæ.cap.2.numer.8. cum sequen.

Misericordia ergo, & veritas obuiauerunt sibi, nàm veritas de terra orta est, Christus Dominus noster, & iustitia de Cælo prospexit. Augustin. hìc: Veritas vbi? Vbi erant eloquia Dei. Misericordia vbi? In illis, qui dimiserunt

Deum

Deum ſuum, & conuerterant ſe ad Dæmonia. Nunquid & ipſos deſpexit? Quomodò? Etſi diceret, Voca & iſtos longè fugitiuos, qui multum à me receſſerunt, voca, inuenient me, quærentem ſe, quia ipſi volebant quærere me. Ergo miſericordia, & veritas occurrerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt ſe. Fac iuſtitiam, & habebis pacem, vt oſculentur ſe iuſtitia, & pax. Si enim non amaueris iuſtitiam, pacem non habebis, amant enim ſe duo iſta, iuſtitia, & pax, & oſculantur ſe, vt qui fecerit iuſtitiam, inueniat & pacem oſculantem iuſtitiam, Pſalm. 33. Declina à malo, & fac bonum, hoc eſt ama iuſtitiam, & cum iàm declinaueris à malo, & feceris bonum, quære pacem, & perſequere eam, Iſai. cap. 56. num. 1. Cuſtodite iudicium, & facite iuſtitiam, quia iuxtà eſt ſalus mea, vt veniat, & iuſtitia mea, vt reueletur.

Veritas de terra orta eſt, Chriſtus Ieſus de Virgine Maria ortus eſt, Baruch 3. nu. 36. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem ſcientiæ diſciplinam, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, qui anteà ſemper fuit, & eſt Deus.

Veruntamen propè timentes eum ſalutare ipſius, Zachar. cap. 2. numer. 10. Lauda, & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus omnipotens, & numer. 11. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui. Et ſcies, quia Dominus exercituum miſit me ad te. Terra dedit fructum ſuum. Sileat ergo omnis caro à facie Domini, quia conſurrexit de habitaculo ſancto ſuo, Zach. ibidem num. 13. dicto cap. 2.

Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de Cælo proſpexit, Iſai. cap. 45. num. 8. Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem, & iuſtitia oriatur ſimul; ego Dominus creaui eum. Aperiatur terra, quia ecce iàm Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, Iſai. cap. 7. num. 14. Marc. cap. 1. num. 23. Luc. cap. 1. num. 31. Concepit enim, quia virtus Altiſſimi obumbrauit eam. Germinauit Saluatorem, quia Virginalis terra protulit fructum ſanctum ſuum pariens Saluatorem.

Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de Cælo proſpexit. Deſcendit ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Orietur enim in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna, Pſalm. 71. numer. 6. & 7.

Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Quid Dei iuſtitia de Cælo proſpexit? quia terra arida erat, & ſterilis; propterea non parturiebat niſi ſpinas, & tribulos, Veritas de terra orta eſt, vt ſterilitatem terræ tolleret, vt filios ſuos Eccleſia parturiens Chriſtus in nobis formetur, ad Galat. cap. 4. num. 19. Vndè Iſai. cap. 54. in princ. Eccleſiam alloquens ex Gentilibus faciendam, inquit, Lauda, ideſt lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis; Sterilis ante fidem Gentilitas. Hinni, ideſt exulta, ideſt iubila, quia poſtquam credidiſti, & confeſſa es, iuſtitia de Cælo proſpexit te, quia Dominus dabit benignitatem, quia peccatorum tuorum non recordabitur amplius, & terra noſtra, quæ prius ob infidelitatem ſterilis erat, dabit fructum ſuum, vt per bona opera hæreditate capiamus Cælum. Auguſtin. hìc propè finem. Diſpliceat tibi quod eras, vt poſſis

eſſe

Digitized by Google

esse quod non eras. Parate viam Domino, præcedat ista iustitia confitendo peccata. Veniet ille, & visitabit te, quia ponet in via gressus suos. Est enim vbi ponat gressus suos, est vbi ad te veniat. Ante autem quàm confitereris peccata, intercluseras ad te viam Domini, non erat, qua ad te veniret. Confitere vitam, & aperis viam, & veniet Christus, & ponet in via gressus suos, vt te informet vestigijs suis, conuersum à Domino. Propterea Isai. d.cap.54. num.13. Dicam, inquit, Viam facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei.

Punias ergo tu anima mea, quia mala fecisti, vt mœsta, & contrita sis bona; & hæc est iustitia, quæ ante te ibit, vt gressus tui in via recta ambulent vsque ad montem Dei. Sed nisi tu Domine dederis benignitatem, quomodò vacabit iustitiæ anima mea? Des ergo tu Domine prius benignitatem, & terra mea dabit fructum suum: præcedat gratia tua Domine, vt virtus subsequi possit. Cum Ioanne Baptista & tu anima mea præpara viam ante Dominum, vt ille gressus suos ponens in viam tuam secum te ducat, vbi ille sedet ad dexteram Patris, Isai.cap.40.numer.20. Parate viam Domino, rectas facite semitas eius. Pœnitentiam, dicebat Ioannes, agite, & ipse habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam polliceam circà lumbos suos, esca autem eius locustæ, & mel syluestre, Matth. cap.3. in princ. & num.4. sed tu in curribus, & in equis quæris parare Domino viam tuam? deplora nostri temporis infirmitatem, vt non in curribus sit spes tua, nec in diuitijs, in quibus, si affluant, cor non apponas; sed in nomine Domini tui ambula, & semitas tuas dirige, vt surgens, & erectus cum Deo ambulans, efficiaris seruus eius.

SOLILOQVIVM.

IAM ò Domine benedicta est terra tua, quæ prius laborabat in extremis inquinata: sed vbi abundauit delictum, superuenit Saluatoris gratia. Captiuitatẽ Iacob auertit Dominus, vt subsequente voluntate, qua te pœnituit, & doluisti, ingredi valeas in regna cælestia. Fleas ergo anima mea, quia peccasti, & auersa erit captiuitas tua, quia Dominus operuit peccata tua, & iræ Domini indignatio auersa est à te; si tu virtutibus Domini associata ambulaueris in via eius; Iustitiam eius amplectere, & iniquitas non erit in te; castitatem obserua, & operta erit impudicitia tua; Confitere peccata tua, & dealbabuntur sicut nix delicta tua: & fructum dabit terra tua. Conuertere Domine, ne ego peream. Tu Deus saluationum es. Infinitus est numerus peccatorum meorum, ideò tu venisti, quia ego infirmus eram, & tu me visitasti. Loquaris mihi Domine, quia audit seruus tuus in corde, quæ tu sequentibus te promisisti, & te timentibus pacifica promittendo, bellum ab illis abstulisti.

Tu ergo anima mea, cuius per Sacerdotis absolutionem deleta sunt peccata, & per passionem Christi, & Baptismum sana es facta, tolle humilitatis hyssopum, intinge in Christi sanguine, asperge postes tuos, & ad te exterminator non accedet, cognoscens, quia sanguine Christi intincta sis, & aqua Baptismi lota. Conuertere ad cor, vt pax Domini perueniat ad te; Da locum pœnitentiæ: Deum time, vt tibi propè sit in tribulatione. Ne timeas, quod

pec-

Digitized by Google

peccasti, quia misericordia, & veritas, vt te saluarent, obuiauerunt sibi, vt is qui ideò de terra oriri voluit, pro te satisfaceret Patri. Propterea iustitia, & pax osculatæ sunt, quia Dominus Iesus, qui pro te satisfecit Patri, auertit iram Patris à te, vt illius pax tecum esset. Mortuus est semel, vt mortem tuam, morte sua destrueret. Oriatur de terra cordis mei verbum Domini, vt iustus Dominus secundum iustitiam suam viuificet me in sermonibus suis. Etenim Dominus dabit benignitatem, vt ipsius terra det fructum suum in tempore, opportuno benè operando. Iustitia eius ante eum ambulabit, & ponet in via, quæ ducit ad Cælum, gressus suos. Proijce ergo lapides ab illa, ne pes tuus iterum offendatur in illa. Confitere peccata tua, vt factus via immaculata, Dominus gressus suos sine offensione ponat in illa, quod nobis præstare dignetur, qui benedicens terram hanc nostram tenebrosam sanguine suo eam rigauit, vt fructum daret nobis bonorum operum centuplum tempore suo.

Sancta Maria Dei Genitrix Virgo, quæ hodie Bonauenturæ à Domino Iesu filio tuo impetrasti gloriam, intercede etiam pro me peccatore infirmo, vt Dominus dans benignitatem, terra etiam mea det fructus suos, vt perceptis Bonauenturæ Doctoris Ecclesiæ documentis; cum ipso & ego mater, soror, & frater Domini effectus, dignus efficiar audire à Domino, ingredere in requiem meam, quia tibi pœnitenti per passionem meam remissa sunt delicta tua; Fiat Domine. Amen.

IN PSALMVM LXXXV.

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper sum ego.

ITVLVS. Oratio Dauid. Summa hæc est; Pauper sis, & humilis corde, & te orante auxilium à Deo percipies in tribulatione.

Continuatur autem hic Psalmus iste noster, ad præcedentem: in illo quippè actum est de benedictionibus, quæ proueniunt ex benedicto Mariæ Virginis fructu Iesu Christo sequentibus eum. In hoc verò ipsemet Iesus docet, quid agendum sit ad illas consequendas benedictiones, orans enim ad Patrem, instruit nos fideles, quomodò Deum in auxilium nostrum inuocare debeamus orantes, orat etiam Iesus Christus, tamquam seruus, & filius hominis pro nobis, quia ipse est Sacerdos noster, & Pontifex: orat in nobis, quia caput nostrum est: oretur ideò & à nobis, quia ipse est Deus noster, ipse est frater noster, qui carnem nostram assumpsit, vt exoratus à nobis, quos sua redemit passione, & ipse Patrem suum oret pro nobis, Ioan. 17. nu. 19. Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt & ipsi sint in veritate sanctificati. Non pro eis autē rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Cum ergo omnis Christi actio sit nostra instructio; cur assiduè orandum non erit nobis, vt eiusdem Christi verbum fiat in cordibus nostris infixum, & nos in illius protectione positi habeamus illum apud Patrem pro nobis orantem, vt eius promissionibus digni efficiamur.

Digitized by Google

Propheta, addens. Mitigasti omnem iram tuam. Quin & ascensum asserit gradus quinti, dum subdit; Auertisti ab ira indignationis tuæ, quòad pœnam nimirùm etiã temporalem, quæ tametsi ex vi Sacramenti nó remittatur, si illius remanet reatus ad vtilitatem nostram, ad proximi exemplum, & ad aliqualem diuinæ iustitiæ significationẽ, nil tamen ex illa colligere est remansisse iræ, & indignationis Dei, à quo per temporalia plectimur flagella propter ea quæ admisimus delicta, vel etiam remissa. Ad quẽ quintum scalæ gradũ ascendere vt sibi daretur noster ipse optans Propheta, Deum sic obsecrabat, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, Psal. 6. itemq. & Ier. c. 10. dicens, Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo. Quod correptionis in iudicio, & non in diuino furore quale sit, explicauit ipsemet Dominus Psal. 88. dicens. Visitabo in virga iniquitates eorũ, & in verberibus peccata eorũ; Misericordiã autem meam non dispergã ab eo: neque nocebo in veritate mea.

Sex ergo in primis tribus istis præsentibus versiculis significata sunt obtinẽda per Incarnationem Christi filij Dei, & fructus ventris gloriosissimæ Virginis Mariæ, quam ab æterno benedixit Deus; Primum, collata in prædictæ terræ, Mariæ, in quam benedictione, benedictum, & humanũ genus ablata maledictione, cui per primos parentes id fuerat subiectum, Secundum liberatio à captiuitate, & seruitute diaboli. Tertium per primam peccatorum detestationem, conuersionemq. ad Deum. Quartum, Remissio peccati originalis, & actualis per Sacramentum baptismi. Quintum deletio admissorum delictorum post baptismalem ablutionem, per Sacramentum pœnitentiæ, remissio nedum culpæ, sed & per reatus pœnæ æternæ. Et sextum, & reatus pœnæ temporalis satisfactio absque omni ira, & indignatione Dei.

Conuerte nos Deus salutaris noster, vt gratia tua præuenti mereamur tandẽ habere Redemptorem. Non amplius irascaris nobis, neque extendas iram tuam à generatione in generationem; nàm si ad nos conuersus deposueris iram tuã, viuificabimur, & in te plebs tua lætabitur; ibimus enim de virtute in virtutem Sed si Deus benedixit, & iram suam auertit, quomodò nunc dicis: Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuã à nobis? nunquid in eodem verborum constructu contraria dicis? Multi multa dicunt, quos per te videre poteris: Nos verò illa afferamus, quæ August. hìc ponit; Quomodò, inquit, orat, vt fiat, nisi quia voluit ostendere præterita proxima verba se in prophetia dixisse, nondum autem factum esse, quod dicebat iàm factũ? hìnc ostendit, quia orat, vt fiat: Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuã à nobis, Dixit Propheta prius.

Auertisti captiuitatem Iacob, operuisti omnia peccata eorum, &c. nunc autem dicit auerte iram tuam à nobis, illa prima dixit, quasi facta, quia videt futura, quia ergo nondum facta sunt, oro vt veniant, quæ iàm vidi; auerte iram tuam à nobis, non in æternum irascaris nobis; de ira enim Dei mortales sumus, de ira Dei in ista terra, in egestate, & labore vultus nostri manducamus panem: quæ illa erit captiuitas Iacob, quam auertit? Audi; Remisisti, inquit, iniquitatem plebis tuæ, remisisti omnia peccata eorum; ergo de interiori captiuitate liberatum Iacob, plebem Dei intelligit Psalmista, à qua per gratiam aduentus filij Dei liberamur; Vndè dicit Apostolus ad Rom. 7. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, intus me delectat lex Dei, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, vide captiuitatẽ, ibid. & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in mẽbris meis; ab hac captiui-

ptiuitate Christus liberat filios Core, vnde sequitur Apostolus: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia, inquit, Dei per Iesum Christum Dominum nostrum; ab hac ergo captiuitate Iesus Christus liberauit nos in aduentu suo, qui futurus tamquam præsens videbatur Propheta. Auertit ergo Dominus captiuitatem, quia remittit iniquitatem, iniquitate captiuus erat, remissa iniquitate liber factus es. Confitere ergo dicit August. te esse in captiuitate, vt dignus sis liberari, nàm qui hostem suum non intelligit, quomodò inuocare potest liberatorem? Conuerte ergo nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis, ideſt citò veni Domine liberare populum tuum ab ira tua, jàm venit plenitudo temporis, si tu Domine conuersus amplius non iraſcaris nobis; nunquid filius portabit iniquitatem Patris? nunquid propterea à generatione in generationem ira tua? Illi peccauerant tibi, cõuerte nos salus nostra, vt gratia tua cognoscamus te, & te Deum Redemptorem confiteamur, & ab ira tua liberos nos facias, conuerte nos à viijs, vt auertatur ira tua à nobis.

Benedixisti terram tuam, ideſt filium tuum, quem dedisti in lucem Gentium, vt sit salus tua vsque ad extremum terræ, Isai. cap. 49. num. 6. Auertisti captiuitatem Iacob, quem ad eum reduxisti; dixit enim: Parum est mihi vt sis mihi seruus ad suscitandas Tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas; ecce dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, &c. In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui; dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas, vt diceres his, qui vincti sunt; exite, & his, qui in tenebris, reuelamini.

Auertisti captiuitatem Iacob, quia duxisti cæcos in viam, quam nesciebant, & in semitis, quas ignorabant, ambulare eos fecisti, ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in recta, &c. Isai. 42. Ideò dixit remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum, vidè Isai. 43. n. 25. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor, remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.

Sed quæ est plebs tua Domine? Dicam Aquiloni, da; & Austro, noli prohibere; affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ, & omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum, Isai. 43. Glorificabit me bestia agri, dracones, & strathiones, quia dedi in deserto aquas flumina in inuio, vt darent potum populo meo, dilecto meo. Et nũnc audi Iacob, & Israel, quem elegi. Noli timere, effundam enim aquam super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam, Isai. 44. in prin. Semen enim tuum Gentes hæreditabit, Isai. 54. n. 3. & ciuitates desertas inhabitabit, noli timere; quia non confunderis, neque erubescès, non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuiscèris, quando scilicet cum sine Deo esses; & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius, n. 4. Quia dominabitur tui, qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius, & Redemptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur, n. 15. Auertisti captiuitatem Iacob, cuius semen hæreditabit Gentes. Nàm accola venit, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi, Isai. d. cap. 52. nu. 5. Cuius accolæ iniquitatem remisisti, & omnia peccata eorum per Baptismum delesti, & operuisti, vt in miserationibus magnis illum congregares, operuisti, &c. nàm in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus

ſum tui, dixit Redemptor tuus Dominus, d. cap. 54. num. 8. in Iſai. benedices ergo, & auertes, & ab ira tua declinabis, vt peccatorem pœnitentem recipias.

Conuerte ergo nos Deus ſalutaris noſter, quia de ſemine Abrahæ per fidem ſuſceptam & nos ſumus, quibus aliquando dixiſti: Non populus meus, nunc populus meus; & miſertus es nobis, qui aliquando abſque miſericordia: Ecce quia te Dominum noſtrum confitemur, & dicimus, Oſee cap. 2. Captiua erat propter iniquitatem ſuam Gentilitas, at propter ignorantiam, neſciebat te Domine Poſtquam tu conuerſus es ad illam, & illa ad te reuerſa ſuſcepit te, fidem tuam amplexata eſt, & te aperiente manus tuas illi, & latus tuum oſtendente ingreſſa eſt in illud, amplexus es illam: Remiſiſti peccata illius, non es amplius recordatus iniquitatum illius, immo eas operuiſti, eam congregans ſicut gallina pullos ſuos. Ex ſemine tuo Domine ſumus, quia verbum tuum recepimus, Ioan. 3. Semẽ, inquit, tuũ Domine in nobis manet, quia ex te nati ſumus.

Mitigaſti omnem iram tuam, auertiſti ab ira indignationis tuæ. Ideò mitigaſti iram, quia benedixiſti terram tuam, auertiſti ab ira, quia pœnitens confeſſa eſt peccata ſua, & audiuit verbum tuum Gens, & illud ſuſcipiens gauiſa eſt valdè, Act. c. 13. nu. 48. Egerunt conuerſi pœnitentiam, & quaſi nix dealbata ſunt peccata eorum, Iſai. cap. 1. nu. 16. cum ſequen. Sed quomodò conuerſi, niſi quia illos auerſos tu Domine vocaſti, tu conuertiſti te ad illos? Auguſtin. hìc lit. D. Quid ergo? hoc tibi præſtitiſti ò homo, vt quia conuerſus es ad Deum merearis miſericordiam ipſius? Qui autem conuerſi non ſunt, non ſunt adepti miſericordiam, ſed inuenerunt iram. Quid autem? vt conuertereris poſſes, niſi vocareris? Nonnè ille, qui te vocauit auerſum, ipſe præſtitit, vt conuertereris? Noli ergo & tibi arrogare nec ipſum conuerſionem, quia niſi ille te vocaret fugientẽ, non poſſes cõuerti, propterea Propheta orat ipſius beneficiũ cognoſcens, & dicit.

Deus tu conuerſus viuificabis nos. Et non quaſi nos ipſi noſtra ſponte, ſine miſericordia conuertimur ad te, & tu viuificabis nos; ſed tu cõuerſus viuificabis nos, vt non ſolum viuificatio noſtra à te ſit, ſed & ipſa cõuerſio, vt viuificemur.

Et plebs tua lætabitur in te, quia tu es gaudium noſtrum, qui es futurus præmium; Auguſt. Confeſſ. lib. 10. c. 22. lit. B. Tom. 1. Abſit Domine, abſit à corde ſerui tui, qui confitetur tibi; abſit, vt quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Eſt enim gaudium, quod non datur impijs, ſed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudium ipſe es, & ipſa eſt beata vita, gaudere ad te, de te, propter te. Ipſa eſt, & non eſt altera, qui autem aliam putant eſſe, aliud ſectantur gaudium, neque ipſum verum, ab aliqua tamen imagine gaudij voluntas eorum nõ auertitur. Et idem in hoc noſtro Pſalm. lit. I. Quando voluit habere gaudia de ſe, inuenit planctum in ſe, nunc ergo quia totum noſtrum gaudium Deus eſt, qui vult ſecurus gaudere, in illo gaudeat, qui non vult perire. Gaudeamus ergo in luce, quæ non habet occaſum; gaudeamus in illa luce, quam non præcedit externus dies, nec ſequitur craſtinus. Non audis illum dicentem; ego ſum lux mundi, Ioan. 8. Et hoc dicendo vocat audientem ad ſe; cum vocat te, conuertit te, cum conuertit te, ſanat te, cũ ſanabit te, videbis conuerſorem tuum, cui dicitur, & plebs tua lætabitur in te. Si ergo anima mea optas, vt in Deo ſi lætitia tua, ſint tibi fides, ſpes, & charitas, quia in alia vita, vbi ſola remanet charitas, Deum videbis, qui eſt charitas ipſa; & in hoc etiam mundo erit tibi gaudium, & lætitia; Et confidenter cum Propheta dicere poteris. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis; oſtende ſcilicet ſpiri-

tuali-

tualiter, & etiã corporaliter, misericordiam tuam, Christum scilicet filium tuum, qui ideò venit, vt miserando semper & parceret, vndè Ioan. 14. Qui diligit me, mandata mea custodit, & ego diligam eum, & ostendam illi me ipsum.

Tria ergo requiruntur in te anima mea; primò vt aspicias; tunc. id erit, si fidem habebis, mundoq. corde eris: Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; Docet autem & Iesus, quomodò fide illum videre possimus, dicens Ioan. cap. 12. num. 16. Ego lux veni in mundum, vt omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat, & num. 36. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis; sit ergo tibi fides, & tenebræ non erunt in te, vndè Act. Apost. cap. 15. num. 9. Et qui nouit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum. Sit etiam secundò in te anima mea spes, quæ non confundit, ad Roman. cap. 5. num. 5: quia tunc charitas Dei diffusa erit in cordibus nostris, & tunc ipsi Deo reconciliata, vt dicit ibi Gloss. dicere etiam poteris, Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis, vt reconciliati, salui simus in via Iesu Redemptoris nostri. Et hoc est tertium, vt in te sit dilectio Dei, ac etiam proximi, mandatum nempè, in quo est vita æterna, Ioan. d. cap. 12. num. 50. & scio, inquit, quia mandatum eius vita æterna est, hinc Matth. cap. 22. num. 37. cum sequen. Hoc est mandatum, & primum mandatum, diliges Deum, & simile huic alterum, diliges proximum tuum: sicut teipsum.

O felicem illum, cui Deus ostendet misericordiam suam, nàm non superbiet, 1. Ioan. cap. 3. num. 9. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non habet, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est, quando ostendit illi misericordiam suam, quidquid enim habet homo, non habet nisi ab illo, quia omne bonum nostrum ipse est, vndè Augustin. hìc litera D. Et cum viderit homo, quidquid boni habet, non se habere à se, sed à Deo suo, videt, quia totum, quod in illo laudatur, de misericordia Dei est, non de meritis ipsius; & ista videndo non superbit, non superbiendo non extollitur, non se extollendo non cadit, non cadendo stat, stando inhæret, inhærendo manet, manendo perfruitur, & lætatur in Domino Deo suo: Et erunt illi deliciæ ipse qui fecit illum, & delitias ipsas nemo corrumpit, nemo interpellat, nemo aufert; Quis potens minabitur auferre? & quis alius poterit tibi tollere Deum? Eccles. cap. 4. num. 33. ad Roman. cap. 8. num. 35. Quis separabit nos à charitate Christi, neque mors, neque vita, &c. Potest tibi tollere totum, quod corpore possides; non tibi tollit eum, quem possides corde: ipsa est misericordia, quam vtinam Deus ostendat nobis. Ostende igitur Christum nobis, illũ da nobis, in quo est misericordia tua quotidie, & continuò misericordiam illius petamus, quia ipse docuit nos, panem quotidianum vt à Deo peteremus, ipse est enim panis viuus, qui de cælo descendit, Ioan. c. 6. nu. 52. ipse est & salutare Dei, quod dari petimus nobis.

Si Deum diligimus, & cum Propheta clamemus, ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Iàm, Domine Iesu te hominem ostendisti; quòd si homines illi, nec te cognouerunt Deum, coram eis tamen talia fecisti signa, ex quibus te Deum confiteri poterant, si datum eis esset, nisi cæci fuissent, Isai. cap. 6. Nos verò te Deum, & hominem confitemur,

Digitized by Google

te per Orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia: oſtende te Deum nobis; quia vnum eſſe tecum cupimus, & petimus. Dediſti hominem mundo, & mundus te non cognouit Deum; nobis da Deum, & hominem: Deum, dixi; nobis oſtendas te, vt diligamus te, atque vnà cum Petro te confiteamur Chriſtum Ieſum filium Dei viui. Illis in carne es oſtenſus, qui te non cognouere; nobis Deitate; & carne te oſtendas, vt redimens nos conuertamur ad te. Sed quomodò cognoſcemus te, niſi prius oſtenderis nobis miſericordiam tuam, auerteris iram tuam à nobis, dans nobis ſalutare tuum? oſtende ergo nobis Domine miſericordiæ tuæ faciem, quia tunc dimiſsis peccatis noſtris, te videre mente, & ſpiritu nobis concedes; Enimuerò niſi peccata remiſeris, nec te Deum pura mente videre poterimus; mortui quippè peccato, quomodò te lucem in tenebris cognoſcemus.

Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis, oſtendeq. miſericordiam tuam ſalutare tuum da nobis, Auguſtin. hìc lit. E. Hominibus ſe hominem dedit, quia talem illum hominibus dedit, qualis poſſet capi ab hominibus, Deum enim Chriſtum nullus hominum capere poterat, factus eſt hominibus homo, ſeruauit ſe Deum Dijs. An fortè arroganter dixi? Re verà arroganter, niſi ipſe dixiſſet, d.Pſalm.81.nu.6. Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes, &c. Vndè Ioan.1. cap.3.num.1. & 6. Dilectiſſimi, filij Dei ſumus, ſed nondum apparuit quid erimus, & primò dixerat, num.1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus, Non ſit ergo in nobis peccatum fratres, vt in eo maneamus, ibid.Ioan.num.6. Omnis enim, qui peccat non videt eum, nec cognouit eum, quis ergo non veneris ad fontem, vt mundatus à peccato, ſperet videre Deum, ſicuti eſt, & cum Chriſto hæredem eſſe Regni cælorum? Nondum enim videmus, quia nondum apparuit quid erimus, ſed tantùm in ſpe ſumus. Vis videre, quales erimus? audi Ioan, vt ſupra num.2. Scimus tamen, quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt, & omnis, qui habet hanc ſpem in eo ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt, & quia videbimus Patrem, etiam filium videbimus, nàm ipſe dixit, qui videt me, videt & Patrem meum, Ioan.d.cap.14.num.9. cum ſequen. videbit & Spiritum ſanctum, vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate; O vana mortalium gaudia: qui nunc videntes gaudent, vt in fine non videntes, ſemper in tenebris luctuoſi permanentes turbentur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, & præ anguſtia ſpiritus gementes, Sapien.cap.5.num.3. Felices verò, qui in Domino patientiam habentes, modò credunt, quod non vident, quia permanendo in eo, quod credentes non vident, merebuntur lætantes videre, quod credunt. Nunc in hac peregrinamur valle, miſerijs pleni, & ærumnis, nulla requies carni noſtræ, vt dicit Apoſtolus, 2.Corinth.cap.7.num.5. cum veniſſemus Macedoniam nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſsi ſumus, foris pugnæ, intus timores; ſed quomodò cognoſcunt, quia ibi pugnæ? quia viſio apparuit Apoſtolo de quodam Macedone, qui inſtabat, vt Macedoniam intraret, & adiuuaret illos, tranſiuit Paulus, & Dæmon ab obſeſſa expellitur, Lyda, verbum auditur, ſed quid? nullam requiem inuenit caro noſtra, d.cap.7.num.6. 2.Corinth. quia certando in hac vita ſpem certam habebant, quando apparebit gloria Domini, inquit, habebunt

ed by Google

bebunt Patrem, & patrimonium, quia filij dilectissimi Dei facti sunt. Mundus gaudet, illi contristantur, sed tristitia illorum in gaudium conuertetur, Ioan. cap. 16. numer. 20. quia lucta est cum Dæmone. Veni Domine Iesu in hac nostra Macedonia, adiuua nos transiens per eam, Act. Apostol. cap. 16. numer. 9. cum sequen. Transeat Apostolus tuus Doctor gentium per Gentilitatem, & verbum tuum nobis prædicando euangelizet, vt in te spem habentes, & in te permanentes, digni efficiamur, cum apparueris visione tua. Iudæi discipulos verbum tuum prædicantes, noluerunt audire; Veni ad Gentilitatem, quam Macedoniam dicimus propter illius celsitudinem, & eminentiam: parum est enim quod dederit tibi Dominus ad suscitandas Tribus Iacob, & fæces Israel; nàm etiam te Dominus dedit in lucē gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, Isai. cap. 49. num. 6. & cap. 54. & 65. Quæsierunt te, qui ante non interrogabant, & sperant, te inuenisse, qui prius te non quærebant. Tu Domine, ad gentes, quæ non inuocant nomen tuum extende manus tuas, Isai. cap. 63. numer. 4. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, longos fac funiculos tuos, Isai. cap. 54. in princ. vt totus mundus veniens post te, fiat hæreditas tua, ibidem num. 17. vt ex illa in regno tuo comedentes, esuriant alij te non sequentes; Serui tui bibant, cæteri sint sitientes; lætentur illi, confundantur isti, Isai. cap. 65.

Venit ergo Deus homo factus, vt sit Saluator, & sequentibus ipsum vitam æternam promittit, ille verax, quia est Via, Veritas, & Vita: Mundus verò iste cum principe suo diabolo fallax, & iniquus, & mendax, promittit caduca gaudia sua, si cadens adoraueris eum; quis tu cæcus, qui deceptorem sequens, viam veritatis relinquas, transitoria magis quæras, & quæ ad inferos trahunt, vt gaudia æterna amittens, in profundum detrudaris cum patre tuo Diabolo? Quod gaudium tibi promittit in mundo? quod transiet in puncto; Quam speras pacem in mundo, si in perpetuo permanes bello? Non te perturbent aduersa temporalia, quia ideò hæc permittuntur, vt sustinens libenter ea, peruenias ad gaudia æterna: In paucis vexati, in multis benè disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se, Sap. cap. 3. num. 5. Sequitur tertia Psalmi pars.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem suam. Sed quando audies, ò Propheta? quando Dominus benedixerit terram suam, & auerterit captiuitatem Iacob; quando nascendo Dominus benedixerit terram suam, quos scilicet Deus Pater, illi custodiendos, & liberandos commiserit, Ioan. cap. 17. numer. 12. ego Ecclesia tua Domine, audiam sermonem tuum verbum tuum Iesum Christum: mecum est, & sermonem suum per seipsum dedit, Ioan. dicto cap. 17. num. 14. Non per Angelum, sicut quando loquebatur olim in Prophetis, Zach. cap. 1. numer. 9. & cap. 2. numer. 3. & dixit mihi Angelus, qui loquebatur in me, similiter in Ose. c. 1. num. 2. principium loquendi Domini, &c. Personaliter venit, & locutus est per seipsum. Sed quid locutus est? pacem, inquit, plebi suæ annunciauit; redemptionem misit Dominus populo suo, Psalm. 110. num. 8. illuminans eos, qui in tenebris, & vmbra mortis sedebant; ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, Luc. cap. 1. num. 7. Benedixisti terram tuam, & audiui, quid locutus sit mihi Dominus, Zach. cap. 3. numer. 9. Ecce, inquit Deus, adducam

seruum

ferùm meum orientem, &c. & auferam iniquitatem terræ illius in die vna, scilicet quando passus fuerit pro salute populi sui: idcò dicit, Ecce ego celabo sculpturam eius, idest passionem eius, in qua fuit velut celatus clauis, & virgis. In die illa, sequitur, vocabit vir amicum suum subter vitem, & subter ficum, hoc est pax erit spiritualis inter fideles, & credentes, qui simul comedent fructus spirituales.

Audiam quid loquatur nunc Dominus, quia lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem, Matth. cap. 11. num. 18. per quos olim loquebatur Deus; Vndè ad Hebr. cap. 1. num. 1. Multifariam multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq. omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, Luc. 10. num. 24. Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ vos auditis, & non audierunt.

Sed quomodò loquitur pacem, qui venit mittere gladium? Matth. c. 10. numer. 34. Non pacem mundi venit mittere Dominus, sed pacem suam, quæ est vera pax, de qua Nahum cap. 1. num. 15. Ecce super montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem: celebra Iuda festiuitates eius, & redde Domino vota tua, quia non adijciet vltra, vt pertranseat in te Belial: Vniuersus interijt, & prius, Isai. cap. 52. num. 7. Quàm pulchri sunt pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion, Regnabit Deus tuus, ad Roman. cap. 10. num. 15. Venit ergo Dominus ponere bellum cum vitijs, vt relictis illis, iustificati in ipso pacem cælestem habeamus cum iustis.

Hinc Augustin. Tom. 5. de Ciuitat. Dei lib. 21. cap. 16. litera F. Suscipiendum est bellum contrà vitia, & gerendum acriter, ne ad damnabilia peccata perducat, ad pacem ergo summam, & æternam accendimur, igne diuini amoris bellantes cum vitijs. Hæc enim mundi vitia veraciter non vincuntur, nisi vera delectatione iustitiæ, hæc est autem in fide Christi. Nàm si lex iubens adsit, & spiritus iuuans desit; per ipsam prohibitionem, desiderio crescente, atque vincente, peccati etiam reatus præuaricationis accedit, vt nunquam sint apertissima vitia, quæ alijs vitijs vincuntur occultis, quæque putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa. Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter, nisi per mediatorem Dei, & hominum Iesum Christum, qui factus est particeps mortalitatis nostræ, vt nos participes faceret diuinitatis suæ. Venit ergo Dominus ponere gladium, vt declinantes à vitijs, & concupiscentijs mundi corde effecti videamus Deum, & bonis fruamur æternis.

Audiuit ergo quæ locutus est Dominus, quoniam loquutus est pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos, qui conuertuntur ad cor. Non solum plebi suæ, sed etiam in eos omnes, qui conuertuntur: populus enim Domini omnes iusti, Isai. cap. 43. num. 6. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ, Et omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum, & in cap. 60. num. 21. Et in-

eos,

eos, qui conuertuntur ad cor, Augustin. Qui conuertunt cor ad ipsum : Nos verò dicamus, quia semper stat ad ostium Dominus cordis nostri, conuertimur ad cor, vt fiat ardens desiderio illi seruiendi ; Fieri autem non potest, vt in mala opera exeant cogitationes bonæ, quoniam hoc actione promitur ; quod corde concipitur : Ex quo ergo Christianus factus es, nouum Canticum sit in corde tuo, vt perducaris ad gaudia æterna : nec amplius sicut veteris hominis vetus Canticum sit tibi ad temporalia : Quando inspirationes veniunt in corde tuo, sustine Dominum, viriliter ago, confortetur cor tuum.

Augustin. Tom. 10. homil. 11. litera L. Quid est sustine Dominum ? vt tunc accipias, quando dabis, non tunc exigas, quando vis, tempus dandi nondum est, sustinuit te, sustine illum. Nàm si iàm iustè viuis, si iàm ad illum conuersus es ; si tibi displicent facta tua præterita, si iàm placuit tibi eligere vitam bonam nouam, noli festinare exigere. Sustinuit te, vt mutares vitam tuam malam, sustine illum vt coronet vitam tuam bonam. Nàm & si ille non sustineret, non esset, cui daret ; Sustine ergo, quia sustentatus es : Conuertere ergo ad cor, & loquetur Dominus animæ tuæ pacem ; Vndè Nazianzen. Orat. 1. de Pace, Qui pacis bonum amplexantur, eiq. contrariam dissensionem, seditionemq. infensè oderunt, ad Deum, diuinasq. mentes accedunt, ipsumq. Deum, & adorandissimam Trinitatem in terra referunt. Conuertantur ergo ad cor, qui pacem Dei habere volunt. Hoc est sit procul odiũ, & charitatis vnitas adsit Dei, & proximi sui in corde suo, & audiet pacem, quam loquetur Dominus in corde suo : Vndè Bernard. Serm. 5. de Assumpt. Si ergo, inquit, Deus noster vnus est, dicente Moyse, Deuteron. cap. 6. Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est, & vtique quisque vnus per integritatem virtutis, & vnum cum proximis per vinculum dilectionis esse debemus. Pax ergo Domini ad eos, qui conuertuntur ad cor, quod erit, si in corde tuo discutiens, quæ Dei placita sunt, ad illud conuersus similis illi fias, qui propter charitatem te redemit, vt & tu in Deum, qui te creauit, & in proximum tuum eandem dilectionem habeas, vt pax Dei sit tibi.

Conuertere ergo & tu anima mea ad cor Domini, & in latus eius apertum ingredi satage, vt & tecum pax Domini sit, quam ille dedit discipulis, Ioan. cap. 20. num. 29. latus enim perforari sibi tulit, & se mihi totum aperuit ; vt ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, & protegar in abscondito tabernaculi sui, vt pax illius sit mihi, vide Bernard. Serm. 7. in Psalm. Qui habitat.

Veruntamen propè timentes eum salutare ipsius, vt inhabitet gloria in terra nostra. Timore seruili afficiebantur Iudæi, ex Christi præsentia, quid facimus ; dicebant, quia hic homo multa signa facit, timebant enim, & propterea dicebant : Venient Romani, & tollent locum, & gentem nostram, Ioan. cap. 19. num. 47. Propè timentibus eum salutare ipsius. Prodijt statim qui fuerat mortuus, Ioan. d. cap. 19. nu. 44. propè timentes salutare ipsius. Vndè huìc sapientia, & virtutes ? nonnè hìc est filius fabri, &c. Non est Propheta, dicebat eis Iesus, sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum, Matth. cap. 13. numer. 55. cum sequen. Iterum, quare ? Vt inhabitaret gloria in terra nostra, in populo Gentili, in populo, in Christum credituro, & illum confitenti. Scandalizabantur in illo Iudæi, Marc. 6. num. 1. repleti sunt ira, audientes Dei virtutes, & surrexerunt

eij-

ejcientes illum extrà Ciuitatem, vt præcipitarent illum, Luc.4.num.28.

Vt inhabitet gloria Dei in terra nostra, in Ecclesia sua sancta, Isai.d.cap.49. num.6. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, & Isai.cap.42.num.1. & 6. Iudicium gentibus proferet, vt oculi cæcorum, Gentilium scilicet, aperirentur, & num.16. Et ducam cæcos in viam, quam nesciunt, & in semitis, quas ignorauerunt ambulare eos faciam; Act. Apostol.cap.13.num.46. Veruntamen propè timentes eum salutare ipsius, In propria enim venit, & sui eum non receperunt, contrarius enim erat operibus Iudæorum, ideò & si inter illos natus, timentes non receperunt eum, Sap.2. nu.13. Promittit, se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat, factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum, grauis est etiam nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & à vijs nostris abstinet se tamquam ab immunditijs. Gloriatur, Patrem se habere Deum, &c. Propè timentes salutare ipsius, quia salus ex Iudæis. Vt tamen inhabitet gloria in terra nostra: ideò Ioan.dicto cap.1. Et vidimus gloriam eius quasi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis: propterea visibile, & tangibile corpus accepit, vt inter nos habitaret præsentia sua; Quocirca quatuor illi subsequentes versiculi de Incarnationis, & humanæ reconciliationis mysterio inscribuntur.

Misericordia, inquit, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt. Et quomodò hæc facta sint subsequitur, dicens, Veritas de terra orta est, & iustitia de Cælo prospexit; etenimq. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum, Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos. Totum ergo Christi aduentum, & gloriam ipsius, & gentium vocationem, & illarum salutem describit hìc Propheta in istis quatuor versiculis. Veruntamen, inquit, propè timentes eum salutare ipsius, ecce quomodò locum Natiuitatis Christi Iesu describit: salutare ipsius propè illos Iudæos, quem ideò natum timuerunt; quæsierunt enim animam pueri ad perdendum eum; quia Regem illum futurum dicebant tres illi Magi: Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum, Matth.cap.2.num.3. Audiens autem Herodes turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Veruntamen propè, nàm intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria Matre eius, ibidem Matth.num.10. Surge, accipe puerum, & fuge, dixit illi Angelus, num.13. Qui consurgens, accepit puerum cum Maria Matre eius, & in Ægyptum secessit.

Propè ergo timentes eum, salutare natus est Dominus: vt inhabitet gloria ipsius in terra; vbi misericordia tunc, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt, terra ergo illa, in qua natus est Christus, propè erat illis. Qui ideò longè ab ipso facti sunt, quia non crediderunt ei; Gloria tamen illius in terra nostra, qui per fidem illi facti propè, etiam inhabitat in Ecclesia nostra, desideratus cunctis gentibus venit, domumq. istam gloria sua impleuit. Propterea magna facta est gloria istius domus nouissimæ plusquam primæ, in quo loco dedit pacem suam plebi suæ, Aggæ.cap.2.numer.8. cum sequen.

Misericordia ergo, & veritas obuiauerunt sibi, nàm veritas de terra orta est, Christus Dominus noster, & iustitia de Cælo prospexit. Augustin. hìc: Veritas vbi? Vbi erant eloquia Dei. Misericordia vbi? In illis, qui dimiserunt

Deum

Digitized by Google

Deum ſuum, & conuerterant ſe ad Dæmonia. Nunquid & ipſos deſpexit? Quomodò? Etſi diceret, Voca & iſtos longè fugitiuos, qui multum à me receſſerunt, voca, inuenient me, quærentem ſe, quia ipſi volebant quærere me. Ergo miſericordia, & veritas occurrerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt ſe. Fac iuſtitiam, & habebis pacem, vt oſculentur ſe iuſtitia, & pax. Si enim non amaueris iuſtitiam, pacem non habebis, amant enim ſe duo iſta, iuſtitia, & pax, & oſculantur ſe, vt qui fecerit iuſtitiam, inueniat & pacem oſculantem iuſtitiam, Pſalm. 33. Declina à malo, & fac bonum, hoc eſt ama iuſtitiam, & cum iàm declinaueris à malo, & feceris bonum, quære pacem, & perſequere eam, Iſai. cap. 56. num. 1. Cuſtodite iudicium, & facite iuſtitiam, quia iuxtà eſt ſalus mea, vt veniat, & iuſtitia mea, vt reueletur.

Veritas de terra orta eſt, Chriſtus Ieſus de Virgine Maria ortus eſt, Baruch 3. nu. 36. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem ſcientiæ diſciplinam, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, qui anteà ſemper fuit, & eſt Deus.

Veruntamen propè timentes eum ſalutare ipſius, Zachar. cap. 2. numer. 10. Lauda, & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus omnipotens, & numer. 11. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui. Et ſcies, quia Dominus exercituum miſit me ad te. Terra dedit fructum ſuum. Sileat ergo omnis caro à facie Domini, quia conſurrexit de habitaculo ſancto ſuo, Zach. ibidem num. 13. dicto cap. 2.

Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de Cælo proſpexit, Iſai. cap. 45. num. 8. Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem, & iuſtitia oriatur ſimul; ego Dominus creaui eum. Aperiatur terra, quia ecce iàm Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, Iſai. cap. 7. num. 14. Marc. cap. 1. num. 23. Luc. cap. 1. num. 31. Concepit enim, quia virtus Altiſſimi obumbrauit eam. Germinauit Saluatorem, quia Virginalis terra protulit fructum ſanctum ſuum pariens Saluatorem.

Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de Cælo proſpexit. Deſcendit ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Orietur enim in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna, Pſalm. 71. numer. 6. & 7.

Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Quid Dei iuſtitia de Cælo proſpexit? quia terra arida erat, & ſterilis; propterea non parturiebat niſi ſpinas, & tribulos, Veritas de terra orta eſt, vt ſterilitatem terræ tolleret, vt filios ſuos Eccleſia parturiens Chriſtus in nobis formetur, ad Galat. cap. 4. num. 19. Vndè Iſai. cap. 54. in princ. Eccleſiam alloquens ex Gentilibus faciendam, inquit, Lauda, ideſt lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis; Sterilis ante fidem Gentilitas. Hinni, ideſt exulta, ideſt iubila, quia poſtquam credidiſti, & confeſſa es, iuſtitia de Cælo proſpexit te, quia Dominus dabit benignitatem, quia peccatorum tuorum non recordabitur amplius, & terra noſtra, quæ prius ob infidelitatem ſterilis erat, dabit fructum ſuum, vt per bona opera hæreditate capiamus Cælum. Auguſtin. hìc propè finem. Diſplicear tibi quod eras, vt poſſis

eſſe

Digitized by Google

eſſe quod non eras. Parate viam Domino, præcedat iſta iuſtitia confitendo peccata. Veniet ille, & viſitabit te, quia ponet in via greſſus ſuos. Eſt enim vbi ponat greſſus ſuos, eſt vbi ad te veniat. Ante autem quàm confitereris peccata, intercluſeras ad te viam Domini, non erat, qua ad te veniret. Confitere vitam, & aperis viam, & veniet Chriſtus, & ponet in via greſſus ſuos, vt te informet veſtigijs ſuis, conuerſum à Domino. Propterea Iſai. d.cap.54. num.13. Dicam, inquit, Viam facite, præbete iter, declinate de ſemita, auferte offendicula de via populi mei.

Punias ergo tu anima mea, quia mala fecisti, vt mœſta, & contrita ſis bona; & hæc eſt iuſtitia, quæ ante te ibit, vt greſſus tui in via recta ambulent vſque ad montem Dei. Sed niſi tu Domine dederis benignitatem, quomodò vacabit iuſtitiæ anima mea? Des ergo tu Domine prius benignitatem, & terra mea dabit fructum ſuum: præcedat gratia tua Domine, vt virtus ſubſequi poſſit. Cum Ioanne Baptiſta & tu anima mea præpara viam ante Dominum, vt ille greſſus ſuos ponens in viam tuam ſecum te ducat, vbi ille ſedet ad dexteram Patris, Iſai.cap.40.numer.20. Parate viam Domino, rectas facite ſemitas eius. Pœnitentiam, dicebat Ioannes, agite, & ipſe habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam polliceam circà lumbos ſuos, eſca autem eius locuſtæ, & mel ſylueſtre, Matth. cap.3. in princ. & num.4. ſed tu in curribus, & in equis quæris parare Domino viam tuam? deplora noſtri temporis infirmitatem, vt non in curribus ſit ſpes tua, nec in diuitijs, in quibus, ſi affluant, cor non apponas; ſed in nomine Domini tui ambula, & ſemitas tuas dirige, vt ſurgens, & erectus cum Deo ambulans, efficiaris ſeruus eius.

SOLILOQVIVM.

IAM ò Domine benedicta eſt terra tua, quæ prius laborabat in extremis inquinata: ſed vbi abundauit delictum, ſuperuenit Saluatoris gratia. Captiuitatẽ Iacob auertit Dominus, vt ſubſequente voluntate, qua te pœnituit, & doluiſti, ingredi valeas in regna cæleſtia. Fleas ergo anima mea, quia peccaſti, & auerſa erit captiuitas tua, quia Dominus operuit peccata tua, & iræ Domini indignatio auerſa eſt à te; ſi tu virtutibus Domini aſſociata ambulaueris in via eius; Iuſtitiam eius amplectere, & iniquitas non erit in te; caſtitatem obſerua, & operta erit impudicitia tua; Confitere peccata tua, & dealbabuntur ſicut nix delicta tua: & fructum dabit terra tua. Conuertere Domine, ne ego peream. Tu Deus ſaluationum es. Infinitus eſt numerus peccatorum meorum, ideò tu veniſti, quia ego infirmus eram, & tu me viſitaſti. Loquaris mihi Domine, quia audit ſeruus tuus in corde, quæ tu ſequentibus te promiſiſti, & te timentibus pacifica promittendo, bellum ab illis abſtuliſti.

Tu ergo anima mea, cuius per Sacerdotis abſolutionem deleta ſunt peccata, & per paſſionem Chriſti, & Baptiſmum ſana es facta, tolle humilitatis hyſſopum, intinge in Chriſti ſanguine, aſperge poſtes tuos, & ad te exterminator non accedet, cognoſcens, quia ſanguine Chriſti intincta ſis, & aqua Baptiſmi lota. Conuertere ad cor, vt pax Domini perueniat ad te; Da locum pœnitentiæ: Deum time, vt tibi propè ſit in tribulatione. Ne timeas, quod

pec-

Digitized by Google

peccasti, quia misericordia, & veritas, vt te saluarent, obuiauerunt sibi, vt is qui ideò de terra oriri voluit, pro te satisfaceret Patri. Propterea iustitia, & pax osculatæ sunt, quia Dominus Iesus, qui pro te satisfecit Patri, auertit iram Patris à te, vt illius pax tecum esset. Mortuus est semel, vt mortem tuam morte sua destrueret. Oriatur de terra cordis mei verbum Domini, vt iustus Dominus secundum iustitiam suam viuificet me in sermonibus suis. Etenim Dominus dabit benignitatem, vt ipsius terra det fructum suum in tempore opportuno benè operando. Iustitia eius ante eum ambulabit, & ponet in via, quæ ducit ad Cælum, gressus suos. Proijce ergo lapides ab illa, ne pes tuus iterum offendatur in illa. Confitere peccata tua, vt factus via immaculata, Dominus gressus suos sine offensione ponat in illa, quod nobis præstare dignetur, qui benedicens terram hanc nostram tenebrosam sanguine suo eam rigauit, vt fructum daret nobis bonorum operum centuplum tempore suo.

Sancta Maria Dei Genitrix Virgo, quæ hodie Bonauenturæ à Domino Iesu filio tuo impetrasti gloriam, intercede etiam pro me peccatore infirmo, vt Dominus dans benignitatem, terra etiam mea det fructus suos, vt perceptis Bonauenturæ Doctoris Ecclesiæ documentis; cum ipso & ego mater, soror, & frater Domini effectus, dignus efficiar audire à Domino, ingredere in requiem meam, quia tibi pœnitenti per passionem meam remissa sunt delicta tua; Fiat Domine. Amen.

IN PSALMVM LXXXV.

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper sum ego.

TITVLVS. Oratio Dauid. Summa hæc est; Pauper sis, & humilis corde, & te orante auxilium à Deo percipies in tribulatione.

Continuatur autem sic Psalmus iste noster, ad præcedentem: in illo quippè actum est de benedictionibus, quæ proueniunt ex benedicto Mariæ Virginis fructu Iesu Christo sequentibus eum. In hoc verò ipsemet Iesus docet, quid agendum sit ad illas consequendas benedictiones, orans enim ad Patrem, instruit nos fideles, quomodò Deum in auxilium nostrum inuocare debeamus orantes, orat etiam Iesus Christus, tamquam seruus, & filius hominis pro nobis, quia ipse est Sacerdos noster, & Pontifex: orat in nobis, quia caput nostrum est: oretur ideò & à nobis, quia ipse est Deus noster, ipse est frater noster, qui carnem nostram assumpsit, vt exoratus à nobis, quos sua redemit passione, & ipse Patrem suum oret pro nobis, Ioan. 17. nu. 19. Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt & ipsi sint in veritate sanctificati. Non pro eis autẽ rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Cum ergo omnis Christi actio sit nostra instructio; cur assiduè orandum non erit nobis, vt eiusdem Christi verbum fiat in cordibus nostris infixum, & nos in illius protectione positi habeamus illum apud Patrem pro nobis orantem, vt eius promissionibus digni efficiamur.

Aliter etiam Psalmus iste iuxtà eius titulum cum præcedente sic cõnecti potest, vt cum in illo dictum sit de terræ benedictione, & de peccatorum nostrorum remissione; quæ Dei dona sunt, & misericordia; propterea præsentis Psalmi sequatur Titulus, Oratio Dauid; ideſt oratio Christi Domini, ac magistri nostri, per quam exaudimur ab illo, qui & adiutoris, ac consolatoris nostri, qui eruit animas nostras ex inferno inferiori, largamq; nobis suam infudit benedictionem. Iàm sedet ad dexteram Patris; dies venit illa, qua in nomine Iesu orantes peramus, vt gaudium nostrum sit plenum, Ioan. cap. 15. num. 23. & 26. Oratio ergo Dauid, ideſt Christi, vt in tribulationibus non deficiat fides nostra, Luc. cap. 22. numer. 32. Oratio Christi excitans te, vt & tu conuersus à peccato, orans, & iuxtà præcepta Dei ambulans, gratias Deo agas, atque oratione, legationem Deo mittens, quæras quæ pacis tuæ sunt. Cæterum si vis quod petis obtinere, enitere vt efficax sit, & assidua tua deprecatio, id recolens Euangelicæ parabolæ, Luc. 11. n. 5. illius, qui propter petentis improbitatem surrexit de lecto, in quo dormiebat, & dedit instanter panem petenti quicquid petebat. Petamus ergo, pulsemus, & quæramus, & sit iugis, & assidua oratio, vt petentes accipiamus, quærentes inueniamus, & pulsantes, aperiatur nobis, vt Pater de Cælo nobis petentibus det spiritum bonum; ibidem Luc. numer. 13. Augustin. in Sermon. 29. de Verbis Domini, & Sermon. 171. de Tempore, Tom. 10. qui vrget, & non cessat, dicitur improbus. S. Maximus verò Oeconomicorum centuria 3. cap. 80. Duobus, inquit, modis scio, orationem iusti, efficacem esse, vno quidem, quando precator cum operibus mandatorum orationem præsentat Deo, & non in nudo dumtaxat sermone, & inani vocis sono linguæ sitam precationem, quæ vacua excidit, & non subsistit, sed efficacem, & viuam operibus mandatorum animatam. Orationis enim, & precationis fundamentum est profectò per virtutes præceptorum implementum, quo validam, & quæ potest omnia, iustus obtinet orationem mandatis incumbentem. Altero modo, cum is, qui oratione iusti opus habet, peragit orationis opera, tum emendatione pristinæ vitæ, tum valida precatione iusti, per honestam eius conuersationem potentiore facta. Hæc Sanctus Maximus. Propterea efficaciter, & toto corde Dauid orans incipit, dicens.

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper sum ego. Non erat inops, nec pauper Dauid, humilians se tamen pauperem se confitetur, & inopem; gloriatur diues in humilitate sua. Iacob. Epistol. cap. 1. numer. 10. vt oratio eius perueniat ad Cælum, Eccles. cap. 35. num. 21. Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus aspiciat. Inopem, & pauperem se confitetur, quia spretis diuitijs, in quibus non erat eius spes, solum Deum quærebat, illi soli seruire desiderabat. Omnis permanens in hac vita, semper inops, & pauper est, donec perueniat ad cælestia; propterea sit nostra ad Deum oratio assidua; oportet semper orare, Luc. cap. 18. in princ. & vt dicit Eccles. cap. 18. numer. 22. Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum. Sine intermissione ergo orantes, in omnibus Deo gratias agamus, 1. ad Thessalonicens. cap. 5. numer. 17. Speciosa enim est misericordia Dei in tempore tri-

Digitized by Google

tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis, Eccleſ. c. 35. num. 26.

Inclina aurem tuam, ait Dominus Ieſus, qui in forma ſerui factus eſt; & tu qui es puluis, ſi in altum ſuperbus traharis, cum puluere eodem in terram à vento deijcieris, vt proſterneris. Inclina & tu ſeruus in forma Domini tui; dicit Auguſtin. cum ille ex forma ſerui dixerit, qui eſt Dominus, quia ille aurem inclinabit, ſi tu ceruicem non erexeris; humiliato enim appropinquat, ab exaltato longè diſcedit; diſperdit enim ſuperbos, & exaltat humiles, Luc. cap. 1. numer. 47. Iſai. cap. 66. numer. 2. Ad quem enim reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Valles abundabunt frumento; Pſalm. 64. numer. 14. humilis ſpiritu dicitur pauperculus, ad quem Dominus reſpiciens beneficia largitur, Chryſoſtom. homil. 34. ad Pop. Reſpiciam dicit, pro faciam prouidentia dignum, manum porrigam, ſuſcipiam, in omnibus gratias meas cum largitate præbebo. Non ergo tu erigas ceruicem, ſi vis, quod Dominus inclinet aurem ſuam ſuper te, quia ipſe humilis pro te factus; propterea de Cælo deſcendit, vt pro te impio moriens, te ſecum in Cælum induceret, non quia eſſent in homine merita, immo erant demerita propter peccata, ſed quia illius in nobis fuit magna miſericordia. Vndè Auguſtin. hic litera B. Quàm certa ergo, quàm firma promiſſione ſeruat iuſtis vitam ſuam, qui donauit iniuſtis mortem ſuam?

Sed ſi Dauid Rex effectus, ex paſtore ouium eductus tàm diues, & magnus, quomodò dicit, ſi ex perſona ſua, Inclina Domine aurem tuam? quia inops, & pauper ſum ego. Miſericordiam conſequutus eſt à Deo, quia ſe miſerum putabat, ait S. Hieronym. de Reg. Monach. cap. de Pœnitentia. Si hæc ipſa oratio eſt ex perſona Chriſti, qui ideò filius Dauid dicitur, quia ex ſemine eius homo factus: quomodò liberari petit, qui alios liberat, & à mortuis reſuſcitat, & viuificat, Ioan. cap. 5. num. 21. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat, & cap. 11. numer. 17. & in alio loco Ioan. cap. 16. num. 15. Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Quomodò ergo inops, & pauper es Domine, cum per teipſum facta ſint omnia quæ in Cælo, & in terra, Iſai. cap. 49. num. 12. Ego primus, & ego nouiſſimus, manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt Cælos, & num. 6. non à principio in abſcondito locutus ſum, ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius; hæc dicit Dominus Redemptor noſter ſanctus Iſrael, ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas. Hæc declarant, cur ſit oratio Chriſti, nempè, vt doceat viam, quam ambulare debemus, vt ipſius exemplo humiliati tribulationes libenter patiamur, vt illas ſuſtinentes, orationibus noſtris ad Deum liberemur, & vt ſimiles per gratiam ſuam illi effecti, per viam ipſius ambulemus.

Nullum maius donum præſtare Deus poſſet hominibus, quàm vt Verbum ſuum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, & illos ei tamquam membra coaptaret, vt eſſet filius Dei, & filius hominis, & vnus Deus, cum Patre, vnus homo cum hominibus, & quando loquimur ad Deum deprecantes non inde filium ſeparemus, & quando precatur corpus filij, non à ſe ſeparet caput ſuum, ſicq. vnus ipſe Saluator corporis ſui Dominus noſter Ieſus Chriſtus, filius Dei, qui oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis, &c. agnoſcamus &

in illo voces noſtras, & voces eius in nobis ; Habes ergo cur Dominus Ieſus inops, & pauper oret, vt pro nobis intelligamus oraſſe, & vt ad illum Deum noſtrum, & Redemptorem inclinati pauperes, & inopes, noſtras effundamus deprecationes, vt & ipſe, qui in Cælis eſt, iterum humilians ſe ad terram inclinet aures ſuas ad nos, & exaudiat, quia dum in hac valle adhùc terreni, & pauperes, dirigat in viam ſuam greſſus noſtros, vt cum ipſo, & Patre, & Spiritu ſancto per gratiam ſuam vnum & nos effecti laudes ipſi Trinitati cantemus in ſæculorum ſæcula : hæc enim à nobis provt ex nobis nequaquam facere ſine gratia Dei poſſumus : Deus eſt enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate, ad Philippenſ. cap. 2. num. 13. vide Auguſtin. in Pſalm. 103. litera A.

Orat ergo homo Deus, inclina Domine aurem tuam, & exaudi me, rationem reddens, cur exaudiendus ſit, dicit, quia inops, & pauper ſum, iàm homo factus, inops, & pauper ſum, qui & Deus, cui miniſtrant Angeli, ideò homo factus ſum, vt homini miniſtrem, Luc. 22. num. 27. Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat, Matth. cap. 20. num. 28. Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Ille in forma ſerui dicit, tu ſerue in forma Domini tui, quomodò aurem ipſe inclinabit ad te, ſi tu teipſum erigens ſupra Deum exaltaueris te ?

Vt inclinet aurem ſuam petit Chriſtus Deus, & homo à Patre, & in alio loco dixit, vt exaudiendo acceleret, Pſalm. 30. num. 3. vt nos dòceret, quia & ſi ſanctum, & ſine peccato te eſſe cognoſcas, auxilio Dei eges, vt in bonitate perſeueres, propterea ſequitur verſiculus.

Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum, ſaluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperantem in te. Ne innitaris prudentiæ tuæ, dicitur Prouerb. c. 3. num. 5. habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, in omnibus vijs tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos. Et paulò ſuperius, miſericordia, & veritas te non deſerant, circunda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam, & diſciplinam bonam coram Deo, & hominibus. Cuſtodi, inquit, animam meam. Quaſi imperans hoc Deo, dicit, quia ſpes ſua eſt in illo, & ex toto corde ſuam fiduciam habet in eo, propterea dixit cuſtodi, addens quoniam ſanctus ſum. Hoc ſolum dicere poterat, qui ſine peccato erat in hoc mundo, peccatorum omnium dimiſſor ; vt cognoſcas & tu anima mea, quia ſi exaudiri à Deo popoſceris ſtudeas, vt ſine peccato ſis, & prius ſanctificeris, confitendo peccata tua pœnitens, & contritus, lacrymis cordis illa delendo. Quoniam ſanctus ſum, inquit. Nec mireris, nàm ipſe Dominus dixit, eſtote ſancti, ſicut ego ſanctus ſum, Leuit. cap. 19. num. 2.

Audi Auguſtin. hìc litera E. Audeat & corpus Chriſti, audeat, & ille vnus homo clamans à finibus terræ cum capite ſuo, & ſub capite ſuo dicere, ſanctus ſum. Accepit enim gratiam ſanctitatis, gratiam Baptiſmi, & remiſſionis peccatorum. Et hæc quidem fuiſtis, ait Apoſtol. 1. Corinth. 6. enarrans multa peccata, & leuia, & grauia, & vſitata, & horribilia, & hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. Si ergo ſanctificatos dicit, dicat & vnuſquiſque fidelium, ſanctus ſum ; non eſt iſta ſuperbia elati, ſed confeſſio non ingrati. Si enim dixeris, te ſanctum eſſe ex te, ſuperbus es ; rurſus fidelis in Chriſto, & membrum Chriſti ſi te non dixeris eſſe ſanctum, ingratus es,

ar-

arguens enim ſuperbiam Apoſtol. 1. Corinth. 4. num. 7. non ait, Non habes, ſed ait, quid enim habes, quod non accepiſti, non arguebaris, quia dicebas te habere, quod non habebas, ſed quia ex te tibi volebas eſſe, quod volebas. Immo habere te agnoſce, & ex te nihil habere; vt nec ſuperbus ſis, nec ingratus. Dic ergo Deo tuo, ſanctus ſum, quia ſanctificaſti me, quia accepi, non quia habui, quia tu dediſti, non quia ego merui. Quicumque baptizati in Chriſto ſumus, Chriſtum induimus, ad Galat. cap. 3. num. 27. membra Chriſti facti ſumus, ergo vt ingratitudinem fugiamus, ſanctos & nos dicamus eſſe.

Confirmo, quia tenebræ aliquando fuimus, nunc verò lux in Domino, ſi vt filij lucis ambulauerimus, Quare ne Chriſto capiti iniuriam faciamus, cum Pſalmiſta & nos dicamus, Cuſtodi nos Domine, quoniam ſancti ſumus, quia membra Chriſti capitis ſumus, qui ideò venit, non vt in tenebris permaneremus, ſed vt lux ipſe in nobis, & ipſi lux in ipſo fiamus. Clamet ergo tota Eccleſia, clament & tribulati in patientia pro amore Dei poſiti, cuſtodi animam meam Domine, quoniam ſanctus ſum, ſaluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperantem in te.

Et tu miſer peccator, quare confuſione non confunderis, qui totus in peccatis poſitus, nec ad Deum oculos tuos eleuas, quia totus in luto poſitus, & inuolutus in illo, tenebroſus factus es? quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam, vt ſubmerſus in illis, nec mentem in altum aliquando eleuare poſſis? reſipiſce anima mea, conuertere ad Dominum Redemptorem tuum, qui ideò Saluator factus eſt tuus, vt tu conuerſus ad illum, ab ipſo, qui tua etiam peccata ſuper ſe poſuit, ſanctificeris; ambula cum Dauide per gradus, vt primò pauperem te, & inopem cognoſcas, & confitearis, ſi cum illo aſcendere cupis.

Lætifica animam ſerui tui, quia ad te Domine animam meam leuaui. Quomodò leuaui? quia pauperem, & inopem me eſſe cognoui; quomodò non inops, & pauper, qui in propria venit, & ſui eum non receperunt? Ioan. cap. 1. num. 11. & de Diſcipulis nonnè & multi abierunt, & iàm cum illo non ambulabant, Ioan. cap. 6. num. 67. immo omnes illum in captiuitate reliquerunt, & Petrus illum negauit, Matth. cap. 26. numer. 56. Luc. cap. 22. num. 57. quoniam inops, & pauper ſum. Sed cur ipſe pauper, & inops, cuius omnia ſunt, quæ in Cælo, & in terra? niſi quia ſolum in Deo ſpem tui habeat, vt ſalua fiat anima tua, vt cum illo per affectuum gradus eleuetur cor tuum ad cæleſtia, relinquens terrena, Matth. cap. 10. numer. 38. & cap. 16. numer. 24. & Luc. cap. 9. num. 23. Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Ambula ergo & tu per gradus, pro vt doceris ab illo, vt pauperem te eſſe, & humilem profitearis, ſi poſt Chriſtum ambulare deſideras, ſi cum Chriſto in Cælum aſcendere optas. Vide aſcenſum, qui fit orando in hoc Pſalmo, Primò ſe pauperem confitetur, inde quia ſic pauper, ideò ſanctus; deinde ſic ſanctus, & ſperans, cum autem adhùc non habeat, quod ſperat, ideò clamat, & ità clamans leuatur denique ad Deum. Hinc quidam hìc addit, inclina pauperi, cuſtodi ſanctum, ſalua ſperantem, miſerere clamantis, lætifica leuatum; ò quàm ſuauis es tu Domine, & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te, dicit Pſalmiſta; nunquid fontem dulcedinis in terris inueniet, qui terrena ſapit? Ioel cap. 2.

Animam tuam ad Dominum leuas, relictis terrenis, & lætificaberis à Domino; ipse enim solus est iucunditas, mundus verò amaritudine plenus; sursum sint corda nostra, vt vbi est caput nostrum, ibi sint etiam membra sua: Augustin. hìc. Certè rectè admonet membra sua, vt habeant sursum corda, videant ergo, & faciant, leuent ad Cælum, quod malè est in terra, ibi non putrescit cor, si leuetur ad Deum: frumentum si in inferioribus haberes, ne putresceret, leuares ad superiora, & cor in terra putrescere permittes? frumentum leuares in superiora, cor leua in Cælum. Et vndè, inquis, possum? quæ funes, quæ machinæ? quæ scalæ opus sunt? gradus affectus sunt, iter tuum, voluntas tua est; amando ascendis: negligendo descendis, stans in terra; in Cælo es, si diligas Deum. Non sic cor leuatur, quomodò leuatur corpus, corpus vt leuetur locum mutat; cor vt eleuetur, voluntatem mutat, hæc ex Augustin.

Quia ergo principium sapientiæ est timor Domini, & per humilitatem ad sublimia gradus, incedat humana ignorantia per fidem, vt mereatur fides videre, quod humiliter credit: ideò dixit, quia pauper, & inops ego sum: quamuis diuitijs plenus, & abundans, humilis tamen erat corde, ideò ad altiora eleuatus, Lætifica, inquit, animam meam; non dicit corpus meum, nec diuitiarum augmentum, quod maiores inducit ærumnas, & tribulationes; veram lætitiam petit, quæ est animæ, & hæc non datur nisi de Cælo illi, qui quotidie clamans ad Deum petit sibi misereri, quotidie, ideſt semper; Vndè 1. ad Thessalonicens. cap. 5. num. 17. Sine intermissione orate, Gloss. ibi, ideſt semper iustè viuite, & æterna desiderate; iustus enim nunquam definit orare, nisi desinat iustus esse; semper orat, qui semper benè agit; continuum sit bonum desiderium, & continuè orabis, propterea Christus hìc dicit, Quoniam ad te Domine clamaui tota die. Custodi ergo, inquit, animam, quia sine gratiæ tuæ dono non est in me perseuerantia, vt si non mei misereris tota die, nec clamare possim ad te, cum tamen continua oratio necessaria sit, vt in bono perseuerem, donum Dei est enim perseuerantia vsque in finem, Matth. cap. 10. num. 22. ad Philippens. cap. 3. num. 14. ad Roman. cap. 12. num. 12.

Vndè, vt dicit Augustin. Tom. 7. de Bono perseuerantiæ lib. 2. cap. 7. litera L. Sicut operatur Christus, vt accedamus, sic operatur, ne discedamus, ideò Psal. 75. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi, & non discedimus à te. Iste certè non est Adam primus, in quo discessimus ab eo, sed Adam nouissimus, super quem sit manus eius, vt non discedamus ab eo. Vt ergo conuersi tota die clamemus ad Dominum, initium conuersionis nostræ, quia vocati sumus, ergo tota die clamandum, hoc est perseuerandum, & hoc est donum Dei, quousquè ad finem perseueremus in Christo, dum scilicet ista vita finitur. Quocircà vtrum quisque hoc munus acceperit, quandiù hanc vitam ducit, incertum est; propterea, Tota die, inquit, clamaui. Et quia clamare non sufficit, nisi à terrenis longè sit, & tantùm in Domino sit spes iusti, propterea subdit, Ad te Domine animam leuaui. Hoc etiam donum est, & gratia Dei, quia nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum, Ioan. cap. 6. num. 44. Vndè sequitur, lætifica animam serui tui. Cur? quia ad te Domine animam meam leuaui, quia terrena despiciens, te solum Deum amaui, te desideraui; hinc S. Bernard. in Sermon. 6. de Ascensione Domini, Quid, inquit, dicit Dominus, Ioan. cap. 16. num. 17.

Nisi

Digitized by Google

Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos? Nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animas, non capit affectus.

Non ergo mandatorum Dei obliuiscaris anima mea, timor Domini sit semper tecum, vt facilius ad cor tuum conuertaris, qui enim timet Dominum, conuertetur ad cor suum, Eccles.cap.21.num.7. Iàm aurem tibi reuelauit Dominus Deus, quòd inops sis, & pauper, idest humilis, ideò vt sanctus sias, & dignum tabernaculum eius inueniaris. Serue Dei illum hac oratione orans, dicas; Inclina Domine aurem tuam, nàm cognoscit seruus tuus, quia tu reuelasti aurem tuam, quia inops, & pauper est, 2.Reg. cap.7. num.27. Et inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te oratione hac, Domine ecce pauper, ecce quia sum & inops, saluum fac idcircò seruum tuum, quia sanctus sum factus, & sola spes est mihi in te Domine, relictis omnibus terrenis; miserere mei Domine, quia tota die clamabo ad te, donec qui nunc spes mea est, eleuans animam meam, lætifices seruum tuum. Non vt stultus glutiam verbum tuum, quod in ore meo reuelasti, Prouerb.cap.21.num.20. Quid enim glutit? vt in illo non appareat quod vorauit, inquit Augustin. in Psalm.36. in Concione 3. litera D. Oblitus est quod audiuit, sed tui Domine nunquam oblitus, clamans tota die dico, Miserere mei, quia suauis, & mitis, & multæ misericordiæ; hæc enim à te audiui, hæc in sacris litteris tuis legi, quia Deus misericordiarum tu es; hæc non sum oblitus, & ideò tota die cogitans illa, rumino, & ideò ruminando illa, delector in illis, tota die clamans dico, Domine miserere mei.

Iucunda ergo, & lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui; quoniam tu Domine suauis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te, affectus enim sum mundanæ tædio amaritudinis. Lætifica Domine animam serui tui, vt mundana respuens sequar te Dominum meum, suauia præcipientem, iugum tuum, quod leue est, suscipiendo. Quid iucundius, quàm te Dominum Deum meum, ex toto corde diligere? quid pinguius, quàm & egenum, & pauperem suscipere? das temporalia, percipis Regnum cæleste; das quod tecum ferre non potes, & fit quod das, thesaurus magnus in cælo; præstas quod non est tuum, & emis Regnum, vt tuum sit in æternum.

Miserere mei ergo Domine, quia tota die ad te clamaui. Clama ergo & tu anima mea, & miserebitur Dominus; & miserendo lætaberis, quoniam suauis est Dominus, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus eum. Pluries deliquisti, & peccasti, multò plures sunt misericordiæ Domini. Leua ergo te anima mea de sterquilinio ad Deum, & ipse te lætificabit. Leuetur in cælum, quod malum est in terra, in qua non est securitas aliqua, immo amaritudo amarissima, de qua Apostolus 2.Corinth.cap.7. num.5. Foris pugnæ, intus timores. Leua animam tuam ad Deum, in quo est verum gaudium, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

Lætifica animam meam, quoniam ad te illam leuaui; Nàm post multas, & malas tentationes in me reuersus, quia tu Domine vocasti me, inueni drachmam, quam perdideram, lucernam accendens, & cor meum, quod perdideram, reperi: vt orarem ad te clamaui, quia misertus es mei; oraui, & inueni, quia

Digitized by Google

quia tu me non dereliquiſti; multiplicata enim erant ſuper me mala, quorum non erat numerus, & cor meum dereliquerat me; complacuit tibi Domine, vt erueres me, Pſalm.39. numer.13. & 14. Ideò inueni cor meum, quia tu cor mundum in me creaſti; ideò leuaui animam, & vidi, quoniam omnia ſtercus erant; propterea inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te oratione hac, 2.Reg.cap.7.num.27. Domine ad te leuaui animam meam, lætifica animam ſerui tui.

Auguſtin. hìc litera L. Videor mihi videre, ad hoc dixiſſe mitem Deum, quia patitur iſta noſtra, & expectat tamen à nobis orationem, vt perficiat nos. Et quando illi eam dederimus, accipit gratè, & exaudit, nec meminit tantas, quas inconditè fundimus, & accepit vnam, quam vix inuenimus. Tolerat enim Deus tot corda peccantium, & diuerſas res cogitantium, peruerſas aliquando, & inimicas Deo: ipſas enim cogitare ſuperfluas, iniuria eſt eius, cum quo loqueris. Oratio tua, locutio eſt ad Deum, quando legis, Deus tibi loquitur, quando oras, cum Deo loqueris: non tamen deſperandum, quia tibi aliqua inter orationem interrupit cogitatio; magna eſt enim Dei miſericordia, ideò ſpes tibi ſit, vt miſereatur tui, ideò humiliter dicamus ei, iucunda animam ſerui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui; Idem Auguſtin. Et quomodò eam leuaui? quomodò potui, quomodò tu vires dediſti. Quomodò eam fugientem apprehendere valuit, & excidit tibi? Quia dicit Deus, quotieſcunque ante me ſteteriſti, tanta vana, & ſuperflua cogitaſti, & vix mihi orationem fixam, & ſtabilem fudiſti. Quia tu ſuauis es Domine, & mitis, quia toleras me. Ex ægritudine defluo; cura, & ſtabo, confirma, & firmus ero; donec autem facias, toleras me, quia tu ſuauis Domine, & mitis, & multùm miſericors. Inuoca ergo Deum, & exaudiet te, aliàs ſi malè petas, & inuoces, non exaudiet te, Iacob.4.n.3. Prouerb.c.1.n.28. quia inuocas quidquid amas, inuocas quidquid in te vocas; inuocas quidquid vis, vt veniat ad te: Vide Auguſt. in Epiſtol.150. Tom.2. & in Ioan. Tract.73. Tom.9. & in lib.5. contrà Iulian. cap.3. & de verbis Apoſtoli Tom.10. Serm.3. lit. D. vbi ait, Deus & cum differt adeſt, & differendo adeſt, ne præproperam cum implet voluntatem, perfectam non impleat ſanitatem; non enim, ò homo noſti vtilia, frequenter damnoſa petis, & periculoſa; ſed Deus magis tuæ curam gerens ſalutis, non tuam intuetur petitionem. Vide & Chryſoſt. Homil.79. & D. Thom. 3.p. quæſt.15. art.1.

Non timeas ergo, ne aliquando à te pereat, qui fecit, ne tu pereas, inuoca tu Deum tamquam Deum, & exaudieris, & ſecurus eris, quia ipſe eſt multùm miſericors inuocantibus ſe. Si ergo quod à Deo petiſti, non recepiſti, noli dicere, quia tibi non dedit, redi ad cor tuum, & libera conſcentiam tuam, interroga, parcere illi noli, nàm ſi Deum verè inuocaſti, certus eſto, quia id fortè, quod volebas temporaliter; ideò non dedit, quia tibi non proderat, dicit Auguſtin. Non exauditur Apoſtolus, qui ter vt à ſtimulo carnis liberaretur, 2.Corinth.cap.12. inſtitit, quia ſanare eum volebat; exauditur diabolus, vt in porcos illum eijceret, & Iob tentare poſſet, vt tamen ipſe magis perderetur, Matth.cap.8.num.32. & Iob cap.1.num.12. Apoſtolus ergo magis exauditus eſt ad ſalutem, non ad voluntatem, diabolus ad voluntatem, ſed ad damnationem, Auguſtin. in d. Tract.64. in 14.Ioan. & de Verb. Apoſtoli d. Serm.3. lit. D.

lit. D. & E. Tom. 10. & in eod. Tom. in Euang. ſecundũ Matth. Ser. 5. in prin. & per totum. Sana, inquit, me & ſanabor, ſaluum me fac, & ſaluus ero, Ierem. cap. 17. nu. 14. exaudi me ad ſanitatem, non ad voluntatem meam; nàm mortalis homo ego ſum, & ſi ad hæc erit conſideratio mea, quid amplius petere poſſum, quàm teipſum, qui es Via, Veritas, & Vita. Et ſi diuitias deſidero, tu in omnibus diues es, ad Roman. cap. 10. numer. 11. nàm tui ſunt cæli, tua eſt terra.

Nihil aliud ergo petam, niſi teipſum, qui omnia es, & in quo omnia ſunt, dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum, Pſalm. 34. Vndè Auguſtin. Quid ad te, quid tibi dicet, vt ſe tibi det? vis vt det ſe tibi? quid ſi quod vis habere, non vult ipſe, vt habeas, vt ſe tibi det? impedimenta remouet, vt intret ad te: Audi Matth. cap. 8. num. 18. Videbat Ieſus turbas multas circum ſe, iuſſit ire transfretum, nunquid quos eum ſequebantur, dereliquit Dominus? nunquid illos dimiſit, vt circum illum irent? iuſsit Dominus transfretum ire, non vt homines fugeret, qui hominum venerat ad ſalutem, ſed inſipientibus inducias dat credendi; errantes vt reuertantur ad cor expectat, pœnitentiam præuiam præbet, & veniam, qui non vult proferre ſententiam; ſuſtinet conſumaces, qui non vult perdere, ſed ſalnare, quod fecit, Chryſolog. Humil. 19. in princ. Plorantes inſtabant illi in deſerto, vt carnes ad veſcendum darentur, quod impoſſibile illis videbatur, & ecce quia adhùc eſcæ erant in ore illorum, & ira Dei aſcendit ſuper illos, Num. cap. 11. num. 20. & 29. & num. 34. Pſalm. 77. nu. 30. ex quo Paul. 1. Corinth. cap. 10. docet nos, dicens, hæc in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt, Vndè D. Gregor. 5. Moral. cap. 12. Maioris, inquit, iracundiæ eſt, cum hoc tribuitur, quod malè deſideratur, atque indè repentina vltio ſequitur, nàm quantò citius malum votum impleri permittitur, tantò celerius punitur, vide Auguſt. in Ioan. d. Tract. 73.

Munda ergo Domine cor meum, vt te ſolum Deum, & Saluatorem meum requiram, auribus percipe Domine orationem, & intende voci deprecationis meæ. Fige Domine in corde meo legem tuam; vt auribus percipias orationem meam. Iàm vulneraſti cor meum, quia legem tuam in corde meo poſuiſti, ideò inclina ad me aurem tuam, vox mea in aures tuas aſcendat, exaudi me, itàvt orationem meam auribus percipias tuis, atque in ſinu tuo recondita ſit, quia operibus legem tuam cuſtodiui, in medio cordis mei recondens, vt illam ſemper obſeruem. Tu Domine fabrum creaſti ſufflantem in igne prunas, Iſai. cap. 54. numer. 16. Sed ad quid fabrum in igne ſufflantem tu creaſti, niſi vt me ſeruum tuum igne tribulationis probares? Idcircò ſemper clamans rogaui te, vt me ſeruum tuum confirmans, traheres citius ad te.

Tota ergo die clamaui ad te, quia vt chriſtianus tota die tribulatus incedo, donec veniam ad te; cur ergo tota die tribulatio; quia tota die, dùm in hac vita ſumus, peregrinamur à Domino; quod libet hìc abundet, nondum ſumus in alia, quò redire feſtinamus. Auguſtin. cui peregrinatio dulcis eſt, non amat patriam; ſi dulcis eſt patria, amara eſt peregrinatio, ſi amara peregrinatio, tota die tribulatio, donec in patria ſit noſtra firma habitatio, vndè Pſal. 15. num. 11. Delectationes in dextera tua vſque in finem, tunc implebis me lætitia cum vultu tuo, vt contempler delectationes Domini: ibi tranſiet labor,

&

& gemitus; ibi non oratio, sed laudatio; ibi alleluia; Amen; ibi vox consona cum Angelis; ibi visio sine defectu, & amor sine fastidio. Dum hic es, etsi abundent omnia, non es securus, an pereant. Accesit tibi pecunia, & timor accedet, ne furetur; Et quatenus secura, non ideò quia illis abundas, tibi erit visio Dei. Quid enim tibi proderit, si omnia tibi dederit Deus, si Deum datorem non cognoscis? Quid proderunt omnia, quæ tibi Deus dederit, si ipsum Deum non habueris? ipsum ergo solum Deum quæramus, ipsum solum inuocemus, quia in ipso est salus, & vita nostra, in ipso omnia bona nostra. In ipso ergo sit fides nostra, sit spes nostra, ipsum solum inuocemus, dum in hac peregrinatione consistimus, dum ab illo peregrinamur, vt ad illum perueniamus, qui est consolatio nostra, gaudium nostrum, vita æterna. Hieron. in Epist. ad Rhodorum Tom. 1. Erras, inquit, frater, erras, si putas vnquam christianum persecutionem non pati. Tunc maximè oppugnaris, si te oppugnari nescis. Aduersarius noster sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, 1. Petr. cap. 5. Aduersarius noster tamquam leo rugiens, aliquem deuorare, quærens circumit, & pacem putas? Sedet in occultis cum diuitibus, vt in occultis interficiat innocentem; oculi eius in pauperem respiciunt, insidiatur in occultis, sicut leo in spelunca sua; insidiatur, vt rapiat pauperem. Psal. 5. Et tu frondosi arboris rectus vmbraculo molles somnos futurus præda carpis? hæc Hieron. in d. Epist. 1. de laude vitæ Solitariæ.

Clama ergo ad Deum ò Anima quotidie, quia tota die dum peregrinaris, tribulationes non deficiunt in te: & si sine intermissione clamaueris, exaudiet te Dominus, vt spretis mundanis, solum vultum eius requirens, perfectus euadas coram Domino. Soli enim illi seruies; quia duobus Dominis seruire non potes, Matth. cap. 6. num. 24. Perfectus Christi seruus clamans quotidie eris, si nihil præter Christum te habere velle profitearis, Matth. cap. 19. numer. 29. & cap. 10. num. 37. Luc. cap. 14. num. 26.

Sed cur cum tribulareris non exaudiuit Dominus? nisi quia tribulatio dat intellectum, Isai. cap. 28. num. 19. ex quo instruitur in via, qua gradiendum est; Tob. cap. 3. num. 21. Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita eius si in probatione fuerit, coronabitur, si autem in tribulatione liberabitur, & si in correptione fuerit ad misericordiam tuam venire licebit. Post enim tempestatem, tranquillum facis, & post lacrymationem, & fletum, exultationem infundis. Sit nomen tuum Deus benedictum in sæcula. Et quod sequitur. In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei. Et missus est Angelus Domini. S. Raphael, vt curaret eos ambos, quorum vno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ: per multas enim tribulationes transeunt fideles, & ità probati fiunt amici Dei, Iudith. cap. 8. num. 12.

Dicit ergo rectè; In die tribulationis meæ clamaui ad te, quia exaudisti me. Fuit ergo primò exauditus antequam clamaret; idem habemus Deut. cap. 11. num. 14. Et dixit Dominus ad Moysen. Quid clamas ad me? & tamen non clamabat Moyses, idem in Ioan. cap. 11. num. 4. Iesus eleuatis oculis sursum dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me; ego autem sciebam, quoniam semper me audis. Nisi dicamus phrasi Hebraica id dictum pro, quia audire me soles, quia Hebræi futuro vtuntur in rebus solitis. Vel aliter dicamus,

clamor

Digitized by Google

clamor ſolet præcedere exauditionem, id tamen minimè ſeruatur in viris ſanctis, quia & ante, & poſt clamorem exaudiuntur. Sed quomodò dicitur in princ. Inclina ad me aurem tuam, & exaudi; ſi quia tribulatur petit exaudiri, nunc clamat quòd exauditus; Nonnè petendo clamat, & tamen exaudiri deſiderat, quomodò hìc exauditur, & poſtea clamat? Niſi dicamus quòd, quia ſpes in Domino erat, ideò ſanctus in fide, & ſpe illa permanens non ceſſabat tota die clamare; tunc enim habemus, quia tales ad Dominum conuerſi, ſemper exaudiuntur; vndè Ezech.cap.18.num.22. & cap.33. num.12. In quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua, non recordabor iniquitatis ſuæ, & vita viuet, & non morietur, num.16.

Si de Dauide intelligamus verſiculum, dicendum illum tota die clamantem ad Dominum, & plorantem, quia peccauit, exauditum ante clamorem, quia illius cor iàm contritum, & ideò ante clamorem ad vocem illius increpantis Prophetæ, audiuit; Dominus tranſtulit peccatum tuum, 2.Reg. cap.12. num.13. & dixit Dauid ad Nathan, peccaui Domino, nondùm ad Dominum clamauerat, ſed tantùm confeſſus eſt, quia peccauit, ideò audire meruit, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum. Verùm quia de Domino intelligitur Pſalm. profectò ſi ipſe eſt Dominus Deus noſter, & clamat, quia exauditus; multò æquius eſt, vt tu die, ac nocte clamare non ceſſes, quia Dominus tranſtulit peccatum tuum; ſtatim ac contritus cum voto fueris confeſſionis. Omnis actio Chriſti noſtra eſt inſtructio; & tu non clamabis, qui totus immerſus es in delicto? clama ne ceſſes, & dabit tibi Dominus petitiones cordis tui: & ideò ſequitur Pſalm.

Non eſt ſimilis tui in Dijs Domine, & non eſt ſecundum opera tua; Qui cor hominis intelligis, cum ideò parcas non clamanti, quia ſcis cor contritum pœnitentis? Non eſt ſimilis tui in Dijs Domine, Exod.cap.15.nu.11. Dij enim Gentium ſunt opera manuum hominum, oculos habent, & non vident, neque eſt ſpiritus in ore ipſorum. Non eſt ſecundum opera tua, ex quo nota, Apoſtolos, & ſeruos Domini, quia ſunt miniſtri Domini, rectè & ipſos vocari Deos. Vndè Chriſtus Dominus ad illos dicebat, Vos autem quem me eſſe dicitis? Matth.cap.16.num.13. vos ſcilicet, qui Dij eſtis. Qui verò opera ſunt manuum hominum, Idola vocantur, & Diaboli deceptores, vide Pſal.95. Omnes Dij Gentium dæmonia; Dominus autem cælos fecit, ideſt Apoſtolos. Simulachra Gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt. Similes illis fiant, qui faciunt ea, & qui confidunt in eis, Pſalm.113.num.12. vocanturq. Apoſtoli Dei, quia ad ipſos ſermo Dei factus eſt, Ioan.cap.10. num.35. Ego dixi, Dij eſtis, Pſalm.81.numer.6. declarat id Dominus, dicens, ſi illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & ſupra Pſalm.46. num.10. Dij terræ vehementer eleuati ſunt, ideſt doctrina, & miraculis claruerunt. Quocircà Gentes omnes per fidem congregatæ ſunt cum Deo, & quamuis Dij vocentur multi, non tamen Deo omnipotenti vllus ſimilis eſt, quia ipſe creator omnium eſt. Nec obſtat id Apoſtoli Ioan.cap.3.Epiſt.1.nu.2. Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, ſiquidem tametſi quando peruenient omnes Sancti ad illa gaudia, tunc ſimiles Deo eſſe videantur, quoniam videbunt eum ſicuti eſt; attamen (vt aliàs diximus) ſimiles dumtaxat erunt ad imaginem, non ad æqualitatem;

aſpi-

aſpiciendo quippè æternitatem Dei, ſit eis, vt æterni in ſint, vt dum viſionis eius donum percipiunt, beatitudinis perfectionem imitentur quod vident; & ſimiles ergo ſunt, qui beati ſiunt, & tamen Creatori ſimiles non ſunt, quia creaturæ ſunt; habent itaque quandam Dei ſimilitudinem, quia non habent finem, & tamen incircumſcripti ſpiritus æqualitatem non habent; quia circumſcripti ſunt, vide Gregor. 18. Moral. cap. 31. & 11. Moral. cap. 10. non eſt ergo aliquis ſimilis Deo in cælo, nec in terra, 2. Paralip. cap. 6. num. 14. ipſe enim ſolus Dominus, ſolus Altiſſimus, Pſalm. 96. num. 9.

Et ideò omnes Gentes, quaſcunque feciſti venient, & adorabunt te Domine, & glorificabunt nomen tuum, quia tu ſolus miſericors, & mitis, tu ſolus Altiſſimus, & Creator omnium. Magnus Dominus, cui omnes Gentes, ſubſunt, quas omnes & ille creauit, cui obediunt omnes, & etiam inſenſibilia, maria ſcilicet, & venti, Matth. cap. 8. num. 27. quis ſimilis tui Domine, in cuius poteſtate ſunt & omnium voluntates; ſàm de perſecutore faciens defenſorem, de blaſphematore Prædicatorem, & de inimico amicum, Act. Apoſt. cap. 9. per totum, vbi de Saulo perſecutore, Eccleſiæ Prædicatore facto Paulo. Magnus Dominus, qui etiam per ſuos Apoſtolos mutauit Gentiles in chriſtianos, vt relictis Idolis ſecuti ſint Deum? ab Idolorum cultu ad adorationem, & cognitionem veri Dei mutati, iuxtà illud Pſalm. 21. num. 28. Reminiſcentur, & conuertentur ad Dominum omnes fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius, vniuerſæ familiæ Gentium.

Sed dicit Dauid, omnes Gentes quaſcunque feciſti, venient, numquid ſunt aliquæ Gentes, quas Deus non fecerit? Omnes Gentes fecit, & ex vna radice Adam, quam fecit propagatæ ſunt. Pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum, intelligendus eſt verſiculus, nàm ex omnibus Gentibus facti ſunt chriſtiani, ſed non omnes Gentes credunt in Deum, vndè Ioan. cap. 17. num. 20. Non pro eis rogo tantùm, ſed pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: hos enim fecit Deus credentes in illum, hinc Ioan. c. 15. nu. 19. & num. 19. Non vos elegiſtis me, ſed ego elegi vos, & iterum; Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat diligeret, quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, cap. 13. num. 18. Non de omnibus vobis dico, ego ſcio, quos elegerim, pro quibus venit Ieſus, vt illos ſaluaret, Ioan. cap. 3. num. 16. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam; qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit iàm iudicatus eſt. Quocircà quando venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis, & congregabuntur ante eum omnes Gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut Paſtor ſegregat oues ab hædis, & ſtatuet oues à dextris ſuis, hædos verò à ſiniſtris, Matth. cap. 25. num. 34. Omnes quidem in hac vita vocat, tametſi alij credunt, alij verò non credunt. Pro credentibus, & iuſtis ſanguis eius efficaciter eſt effuſus ad emundationem peccatorum, mutato illorum corde, alias verò non credentes, & qui diuinæ non reſpondent vocationi in ſuo ſenſu relinquit: Dicamus cum Paulo: O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis nouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? ad Roman. cap. 11. num. 33. concluſit enim Deus omnia in credulitate, vt

omnium

Digitized by Google

omnium misereatur, d.cap.11.num.32. Et ideò omnes Gentes quascumque fecisti venient, & adorabunt te, idest omnes Gentes, tàm ex Iudæis; quàm ex Gentilibus, vt in omnes esset locus misericordiæ eius.

Vel dicamus; Omnes Gentes quascumque fecisti, adorabunt te, iuxtà illud Isai.cap.45.num.24. In memetipso iuraui, egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Ergo in Domino dicet meæ sunt iustitiæ, & imperium; ad eum venient, & confundentur omnes, qui repugnant ei; In Domino iustificabitur, & laudabitur omne semen Israel.

Hæc quamuis iàm aduenerint, quia in omnibus mundi partibus est Ecclesia Dei, & ex omni genere credentium in illo. In die tamen illa, quando ad iudicium omnes vocabuntur, non erit, qui non confiteatur, quoniam Dominus Iesus ipse est Deus, qui pro nobis passus est, & tunc reliquiæ etiam Israel saluæ fient, Isai.cap.10.num.21. Consummationem enim, & abbreuationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ; Vndè Habacuc c.2. num.5. & congregabit ad se omnes Gentes, & coaceruabit ad se omnes populos, & clarius in Ioan.cap.10.nu.16. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Omnes ergo Gentes quascumque fecisti, venient, nàm, vt dicit Zach. cap.14.nu.10. in fine, In die illa erit Dominus vnus, & nomen eius vnum, &c.

Vel aliter cum Augustin. dicamus; Omnes Gentes, &c. Dic hoc, & confitere hoc, & dedisti latam Gentem, quia omnes Gentes in vno, vna ipse est vnitas. Quomodò enim Ecclesia, & Ecclesiæ, illæ Ecclesiæ, quæ Ecclesia: sic illæ Gentes, quæ Gens. Anteà Gentes, multæ Gentes, modò vna Gens, quia vna Fides, vna Spes, vna Charitas, quia vna Expectatio. Postremò quare non vna Gens, si vna patria? patria cælestis est, patria Ierusalem est, quisquis inde ciuis non est, ad istam Gentem non pertinet; quisquis autem inde ciuis est, in vna Gente Dei est; & hæc Gens ab Oriente in Occidentem, ab Aquilone, & Mari distenditur per quatuor partes totius mundi. Hæc Deus dicit; Ab Oriente, & Occidente, ab Aquilone, & Mari date gloriam Deo. Hoc prædixit, hoc impleuit, qui solus est magnus, Psalm.47.num.11.

Omnes Gentes quascumque fecisti venient, & glorificabunt nomen tuum, ideſt gloriam nomini tuo dabunt; quia tu solus Altissimus Deus, cui subsunt omnia. Qui fecit, & creauit omnia, ideò sequitur vers. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus. Magnus es Domine; nàm exaltatus in cruce omnia ad teipsum traxisti, Ioan. cap.2.num.32. mortemq. in sempiternum præcipitasti, & ab omni facie auferens lacrymam, Exod. cap.18. num.11. Deus Deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus, & potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera, Deut. cap.10.num.17. Magnus Dominus, qui transit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo. Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur. Qui præcipit soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris; Iob cap.9.numer.5. cum sequen.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus, Gregor.c.9.

gitized by Google

Moral.cap.20. Tunc verius diuinæ fortitudinis facta explicamus, cum nos illa explicare non posse cognoscimus; tunc facundius loquimur, cum ab his obstupescendo reticemus. Laudemus ergo Dominum in virtutibus eius, laudemus secundum multitudinem magnitudinis eius, Psalm.150.num.2.

Tu solus Dominus, & magnus, nàm quis alius in die iudicij mortuos omnes ad iudicium vocabit, & illorum resurrectionem faciet, nisi solus Iesus Christus Dominus & Deus noster? Paul. ad Tit.cap.2.num.12. Expectantes, inquit, beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Quid iactas te homo, quia tibi opes Deus dederit, virtutem, & præcellentiam? nunquid & tu magnus vocaberis? cum solus Deus ipse sit magnus, Augustin. Desinat ergo dicere contrà solum magnum, qui noluit esse paruus, quia non possunt esse duo magni, Deus, & Donatus. Satis tibi sit, ò christiane, quia in via Domini ductus sis, in qua si permanseris, similis eris illi; ideò sequitur Psalm.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum; Deduc, inquit, me, quia iàm sum ductus à te; vbi ductus? in Ecclesia, inquit, in via tua. Sed quia non sufficit, vt ducat, inquit, deduc me, confirma me in hac via tua, donec ingrediar in veritate tua, donec veniam ad te, quis es Via, Veritas, & Vita: deceate te non errabo; si dimiseris, errabo. Non me derelinquas vsquequaque: vsque in finem deduc me. Paratus sum tuas recipere monitiones, si te mihi dederis Christe, das enim auxilium, præbes mihi manum tuam, & ad viam ducis, perducens ad teipsum Christum meum. Si ergo deduces me in via tua, ambulabo & ego in veritate tua, & sic ad vitam, quæ tu es, me perduces. Aliud ergo, dicit Augustin. vt inducat ad viam, aliud vt deducat in via. Qui christiani non sunt, præter viam sunt, catholici non sunt, nondum deducuntur ad viam: sed cum perducti fuerint ad viam, & catholici in Christo fuerint facti, ab ipso deducantur in ipsa via, ne cadant. Ad viam ducit, perducendo ad Christum suum: in via deducit, adducendo in Christo suo. Cum ergo Christus sit veritas, deducendo in veritate, deducit ad Christum; Deduc ergo me in illo, vt ambulem in eius veritate, deducisq. me ad illum, vt secum sim in æternum.

Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Quomodò lætitia est, vbi timor? si petis lætari, quomodò dicis, vt nomen Domini possis timere? exultate, inquit, in Domino cum tremore, Psalm.2.num.11. lætetur cor meum, quod in viam ductus sim tuam, atque deductus, quia tamen non satis mihi est, deduci in viam, nisi peruenerim vsque ad finem; propterea peto, vt si lætus quia Christianus, timeam tamen nomen tuum, ne decedens à via recta, longè factus sim à te Saluatore, hoc est enim nomen tuum Saluator, timeam, inquam, timore qui pœnitentiam concupiscit, & contritionem parit; Timeam nomen tuum, vt tu Domine suscipiens tristitiam meam, largiaris, mihi lætitiam tuam; vndè in Euangelio, Mundus gaudebit, vos contristabimini, sed tristitia vestra conuertetur in gaudium, Ioan.cap.16.num.20. De hoc timore, & charitate, seù iubilo, & lætitia quomodò cadant in eundem, & exempla, vide Augustin. in Psalm.127. litera B. cum sequen.

Quid times, quid ploras anima mea, quæ tot bonis hìc abundas, omnibus

Digitized by Google

nibus præes, nulli redditurus rationem in mundo, altiora etiam tibi daturus est Dominus, vt omnibus domineris, inimicos corripias, & occidas; faciem tamen Domini non es visurus, sed quid mihi hæc omnia, & si vniuersum mundum lucrifaciam, Dominum verò meum non sim visurus; quæ lætitia hæc est, vel esse poterit, cum illa, quæ æterna est, & perpetua, deficiat mihi? timor castus; qui secum lætitiam habet sempiternam. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus æternitatis, omnibus diebus vitæ meæ, timor verus, timor castus, timor ardens, Psal. 26. vt contempler delectationem Domini, & protegar à Templo eius, vt sim & ego Templum eius, & ab illo protegar.

Hanc vnam, anima petas, quia accipies; ad hanc vnam te anima mea, & cor meum te exerceas, & hanc solùm amittere timeas, non felicitates terrenas, sed illam felicitatem: spera, quia tunc lætabitur cor tuum, vt timeas nomen Domini; tunc enim si timorem habebis, charitati locum præparabis. Timeas ergo cor meum Deum, vt ab ipso, & ad ipsum sit semper refugium tuum, Aug. d. Psalm. 127. litera C. & D. Vt in ipso semper lætetur cor meum; lætetur cor meum confitens tibi Domino Deo in toto corde meo.

Quoniam magna est misericordia tua Domine super me, nàm eruisti animam meam ex inferno inferiori. Sed quomodò eruit animam meam de inferno inferiori? Quia deduxit me in viam suam; quæ est ipsemet Christus meus, vt eductus euaderem pœnas inferni, ingressus in veritate Domini. Ex inferno inferiori eripuit me, quia totus peccatis inuolutus, non cognoscens viam Domini, in tenebris ambulabam, vt partes meæ essent ex inferno inferiori, & cum Diabolo esset pars mea; infernus ergo superior erit mundus iste, ista terrena, vt dum in illo pugnamus, discamus, quia hæc sunt caduca, & vana, & educti in viam Domini, in finem cum Deo nostro sit salus nostra in sæcula.

Duplex ergo infernus, nàm si inferior, ergo erit alius infernus superior, solum tamen bonum in cælis: Omne enim datum optimum, & omne donum de sursum est, Iacob. cap. 1. Cælestis est habitatio Angelorum, vbi est vita ineffabilium gaudiorum, vbi immortalitas, & incorruptio superna est. Terrena verò, vt ait Augustin. vbi est caro, & sanguis, deceisio, & succesio, mutabilitas, & mortalitas, infernus est; ab hac ergo terrena habitatione, itur in infernum inferiorem; Adeòque non est hic sermo de alio inferiori, vbi perpetuò recluſi sunt iniqui, & impœnitentes; quia de illis non est redemptio, nec illorum remissio; In quocumque enim loco ceciderit lignum, ibi erit, Eccles. cap. 11. num. 3.

Quomodo autem hæc terra, iste mundus infernus dicatur, probat Aug. hìc. Corpus enim mortuum est propter peccatum, ad Roman. 8. nu. 10. Ergo & hìc sunt mortui, vt non mireris, quia infernum dicitur, si mortuis abundat; & ratio est, quia infernus sepulchrum dicitur, non enim corpus moriturum, sed corpus mortuum est; Adhùc habet vitam, vtiq. corpus nostrum, & tamen comparatum corpori illi, quod futurum est, inuenitur corpus hominis mortuum, quamuis adhùc habens animam, sed rursus ab hoc inferno, idest ab hac parte inferni, est aliud infernum, quò eunt mortui; vndè voluit Deus eruere animas nostras etiam illùc mittendo filium suum, etenim fratres propter

ista duo inferna missus est filius Dei, vndique liberans. Ad hoc infernum missus est nascendo, ad illud moriendo. Hæc ergo vox est Christi, testante Apostolo, vt suprà. Quoniam dereliquisti animam meam in inferno. Et si est vox nostra, vt dicit Augustin. eruisti animam nostram ex inferno inferiori per Christum Dominum nostrum, quia ipse vsque ad infernum, ne nos remaneremus in inferno. In hoc tamen inferno terreno dùm extaret Iesus Christus, dixit.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam, & non proposuerunt te in conspectu suo; Recepit ab illis malum pro bono; venerat, vt sanarentur, & mortui sunt, contrarius enim erat operibus eorum malis, & ideò illum non audierunt, cap. 2. Sapien. Non enim proposuerunt Deum in conspectu suo, non seruauerunt legem & ipsi Iudæi, & Iesum, vt transgredientem legem falsò accusauerunt, & ipse passus est propter illorum iniquitates, & falsa testimonia. Patrem familias Beelzebub vocauerunt, & quid mirum si corpus eius, Ecclesia sua sancta, in membris suis multa patiatur ab Hæreticis, ab iniquis Iudæis, & Paganis? Ignorantes isti iniqui Sacramenta Dei insensati errauerunt à via veritatis, & iustitiæ lumen non lucet illis, Sapien. cap. 5. num. 6. Prætereuntes, inquit Augustin. qui sunt? Mali christiani illi sunt, qui contrà legem Christi insurgunt, omnia schismata, omnes hæreses, & omnes intus pessimè viuentes, & ad suos malos mores trahentes bonos. Dicat anima Christiana, & pia, nouit, quia patitur, cognoscat in se passionem suam, agnoscant hìc vocem suam. Si autem extrà passionem est, & extrà vocem sit necesse est; vt autem non sit extrà passionem, ambulet per viam angustam, & incipiat piè viuere in Christo, & hanc persecutionem vt patiatur necesse est, vndè 2. Timoth. cap. 3. num. 12. Omnes qui volunt piè viuere in Christo Iesu persecutionem patiuntur. Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi, Psalm. 26. nu. 12. sed & de Christo hæc intelligi possunt. Synagoga enim Iudæorum falsum testimonium induxerunt, vt Iesum traderent, induxeruntq. pueros, & populum, vt magis Barabbam Pilatus eis dimitteret, Iesum verò innocentem perderet, Matth. cap. 27. in princ. & per totum.

Sed de membris Christi, Augustin. & cæteri intelligunt, ideòque de Apostolis, & cæteris Dominum sequentibus, contrà quos potentium Synagoga instabat, vt perderent illos. Nec refert, si in singulari loquatur Propheta, nàm vnum corpus populus Dei, & vna anima, & ideò Act. Apost. cap. 9. num. 5. Saule, Saule quid me persequeris? & in alio loco dicebat; qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei, & qui vos persecuti fuerint, me persequentur; De hæreticis potissimum sermo hic est, & de falsis christianis; de his, qui longè propter peccatum facti sunt à Deo; Non enim Deum in persecutionibus Sanctorum proponunt ante oculos suos. Sed Domine Deus tu fecisti illos: Cur non de terra viuentium tollis eos? quis enim tibi dicet? quid fecisti? aut quis stabit contrà iudicium tuum, aut quis in conspectu veniet vindex iniquorum hominum? aut quis imputabit tibi, si perierint nationes, quas tu fecisti? Sapien. cap. 12. num. 12. quia non vult Dominus mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat; ideò sequitur vers.

Et tu Domine Deus misereator, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ

&

& verax. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum reuerentia disponis nos, subest enim tibi cum volueris posse; partibus enim iudicans das locum pœnitentiæ, non ignorans, quia nequam est natio eorum, d.cap.12.num.10. in Sapien.

Et tu Domine miserator actu: & misericors natura: patiens: peccatores, vt conuertantur expectans: & multæ misericordiæ his, qui conuertuntur; & verax, nàm vt promisisti, veniam das pœnitentibus, qui das vnicuique iuxtà opera sua, & secundum merita respondens, Ionæ cap.4.num.2. Patiens, & misericors, & multæ misericordiæ, & ignoscens super malitia; Deus enim misericordiarum Dominus est; Esdræ cap.9.num.31. hæc omnia leguntur in Exod. cap.34.num.6. Stetit enim Moyses coram Domino, quando de nube descendit Deus, & inuocauit nomen Domini, quo transeunte coram eo, ait; Dominator Dominus Deus, misericors, & clemens, patiens, & multæ misericordiæ, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera; atque peccata, nullusq. apud te per se est innocens, &c. Ideòq. respice in me, & miserere mei, quia inops, & pauper sum ego, sed sperans sum in te Domine, ad quem animam meam leuaui, clamans tota die, qui ex infernò inferiori animam meam eruisti; Respice igitur nunc in me, quia iniqui insurrexerunt super Ecclesiam meam, & potentes congregati Principes, & Iudæi, haud tui memores, quæsierunt Ecclesiam, quam diligit anima mea Sanctorum Ecclesiam. Respice in me, in Ecclesiam meam, in Sanctos meos, & miserere mei, qui ideò in terram veni, vt illos redimerem, & illorum misererer; iàm multa passus sum vt tibi Domine sancte Pater satisfacerem pro illis, denique ab illis iniquis occisus, in cruce mortuus, & sepultus.

Da imperium puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ Mariæ Virginis, quam mihi matrem dedisti dilectissimam. Da modò mihi puero tuo innocenti imperium, idest iudicij potestatem. Transeat nunc patientiæ tuæ tempus, quia iàm excusationem non habent, quare non credant in me. Et salvum fac filium ancillæ tuæ, idest populum meum christianum, ideò filium vocat, quia vna est illorum fides, vnum cor, & vnicus filius ancillæ suæ Ecclesiæ, Ioan.cap.17.num.21. Ego enim in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum, num.23. Ioan. vt supra.

Salvum fac filium Ancillæ tuæ, vt quos mihi dedisti, non pereant, sed habeant vitam æternam. Respice Domine in me, idest in populum tuum, quia homines sunt, & mortales, ideò illorum miserere, quia homines & in deserto hoc mutabili positi sunt.

Fac mecum signum in bonum. Vt in die iudicij vocante me illos ad dexteram, & dicente: Venite benedicti Patris mei, qui oderunt me videntes, confundantur, quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me. Fac Domine signum in istum populum meum, signum Ionæ Prophetæ, signum Resurrectionis in illos, vt mortui peccato resurgentes, viuant mecum in cælo. Quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me, quia nemo, quos tu mihi dedisti, de manu mea potuit eripere, Ioan.cap.17 num.12. Signum Ionæ Prophetæ datum est Iudæis, Matth.cap.12.num.39. nàm & Christum post tertiam diem resurrexisse à mortuis, & filios suos redemptos sanguine suo, à peccato liberatos viderunt impij, & quotidie videre possunt pœnitentes, & de-

peccatis commissis dolentes, ab Ecclesia absolutos.

Vndè dicebat D. Gregor. in Homil. 29. Tom. 3. Nunquid quia hæc signa non facitis, minime creditis? lit. E. Sancta quippè Ecclesia quotidie spiritualiter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat; de Consecrat. dist. 4. Sacerdotis. Nonnè expellit Dæmones, quando Sacerdotes Ecclesiæ per exorcissimi gratiam manum credentibus imponunt, & habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt; tunc enim quid faciunt? nisi Dæmonia ejciunt? Et qui veteris vitæ sæcularia derelinquunt, & sancta insumunt ministeria, & laudes Dei annunciant; linguis tunc nouis loquuntur, serpentes etiam tollunt, qui malitiam de alienis cordibus. Et cum suasiones audiant pestiferas, non tamen ad operationem prauam pertrahuntur, bibunt morriferum venenum, sed non eis nocebit. Super ægros verò manus imponunt, qui fratres à via declinantes dirigunt, ne pereant; Quæ tantò magis dicuntur maiora miracula, quantò spiritualia sunt, & non corporalia: tantò maiora sunt, quantò non corpora, sed animæ suscitantur. Sequitur Gregor. Nàm corporalia illa miracula ostendunt aliquando sanctitatem, non autem faciunt: hæc verò, quæ aguntur in mente spiritualia, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt; illa habere & mali possunt, istis autem perfrui, nisi boni non possunt. Quocircà Matth. c. 7. Domine Domine nonnè in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia non noui vos: Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.

Hìnc idem Gregor. Dialog. lib. 3. cap. 17. lit. A. Tom. 3. Si visibilia attendimus, ità necesse est vt credamus, si verò inuisibilia pensamus, nimirum constat; quia maius est miraculum, prædicationis verbo, atque orationis solatio peccatorem conuertere, quàm carne mortuum resuscitare: in isto enim resuscitatur caro, iterum moritura, in illo verò anima in æternum victura. Cum enim propono duos, in quo horum existimas, maiori factum virtute miraculum? Lazarum quippè, quem iàm fidelem credimus fuisse, in carne Dominus suscitauit, Saulum verò resuscitauit in mente. Et quidem post resurrectionem carnis, de Lazari virtutibus tacetur; Post resurrectionem verò animæ, capere nostra infirmitas non valet; quanta in sacro Elogio de Pauli virtutibus dicuntur; quòd illæ eius crudelissimæ cogitationes ad pietatis mollia conuersæ sunt viscera; quòd mori cupit pro fratribus, in quorum prius morte gaudebat; quod plenus omnis scripturæ scientia, nil se scire iudicat, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum, quòd pro Christo virgis libenter cæditur, quem gladijs insequebatur, quòd Apostolatus honore sublimis est, sed tamen sponte, vt paruulus in medio Discipulorum; quòd ad cæli tertij secreta ducitur, & tamen mentis oculum per compassionem reflectit ad dispensandum cubili coniugatorum, dicens 1. Corinth. cap. 7. Vxori vir debitum reddat, &c. quòd admiscetur in contemplatione cætibus Angelorum, & tamen non aspernatur cogitare, atque disponere facta mortalium; quòd gaudet in infirmitatibus, sibiq. in contumelijs placet; quòd ei viuere Christus est, & mori lucrum; quòd totum extrà carnem est, hoc ipsum quod viuit in carne; ecce qualiter viuit, qui ab inferno mente ad vitam redit. Melius est ergo quempiam in mente, quàm in carne suscitari; nisi fortè per viuificationem carnis ad vitam reducatur mentis, vt ei hoc agatur per exterius miraculum, quatenus conuersus interius viui-

fice-

ficetur. Hæc Gregor. Sanctus. Fac ergo, inquit, mecum ſignum, ideſt declara, me eſſe tibi populum in bonum, vt videant, qui oderunt me, & confundantur, quia tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me.

Surgamus ergo fratres, & cum omni humilitate, corda noſtra ſurſum leuantes ſupplici oratione ad Dominum dicamus, Fac nobis etiam ſignum in bonum, vt videant qui oderunt nos, & confundantur, quoniam tu Domine adiuuiſti nos, & conſolatus es nos, Crucis tuæ ſigno muniamur, quod videntes aduerſæ poteſtates confuſæ fugiant, & à nobis diſcedant; nàm vt dicit Hieronym. rogat pro populo Chriſtiano Prophera, ſed & nos precamur Domine, vt Crucis tuæ ſigno tutati, atque eius præſidio cuſtoditi, mereamur ab omnibus Diaboli inſidijs liberari, quia tibi ſoli eſt gloria cum æterno Patre, & Spiritu ſancto, in ſæcula ſæculorum. Amen.

SOLILOQVIVM.

DOMINE Ieſu Chriſte, miſerator, & miſericors, ſuauis, & mitis omnibus inuocantibus te, ecce ego inops, & pauper, ſed ſperans ſum in te. Inclina aurem tuam mihi tribulato, & miſerere mei, vt lætus, & gaudens, patiensq. ſuſcipiam, quas te miſerante, mihi dediſti, afflictiones, quia ad te animàm meam leuaui. Reſpice in me, & miſerere mei, & ex inferno inferiori animam meam erue, quia magnus es tu, & faciens mirabilia, tu ſolus Deus, & Dominus, & nullus tibi ſimilis. Adiuua me, & ſiguo ſanctiſſimæ Crucis tuæ, circunda me, vt confuſi, qui oderunt me, conuertantur ad te, cum viderint, quia de tribulatione eripuiſti me, & conſolatus es me.

Dealbetur Domine animæ noſtræ nigredo per interceſſionem Diſcipuli tui Matthæi, cuius hodie feſtum præuenimus, vt ſicut ex illius prædicatione Euangelij Regio Æthiopiæ ad veram conuerſa eſt Chriſti religionem; Sic & per veram à peccatis conuerſionem alba facta regio hæc noſtra, vita noſtra, tibi ſoli Deo ſeruiamus omnipotenti, confitentes nos te Deum verum, & Redemptorem noſtrum, & in tribulationibus poſiti, exemplo illius gaudentes, & læti ad te venire mereamur.

Virgo Maria gratia plena, & miſericordiarum Mater intercede, ſuccurre, adiuua, accelera, vt à periculis mundi huius, tenebrarum harum, ad lucem, quam inhabitas, & nos peruenire mereamur; Virgo clemens, Virgo fidelis, Mater amabilis, Mater Redemptoris, Mater humani generis, fiat, Amen.

IN

Digitized by Google

IN PSALMVM LXXXVI.

Fundamenta eius in montibus ſanctis : diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.

IN præcedenti Pſalmi titulo, Oratio Dauid : in hoc verò præſenti Pſalmo, Titulus eſt. Filijs Core. Pſalmus Cantici.

Continuatur cum præcedenti, in quo docti ſuimus à Chriſto modum orandi ; In præſenti etenim exponitur, quibus ſpecialiter hoc præceptum ſit, filijs nempè Core ; Caluarij ſcilicet, ideſt Chriſtianis, qui Chriſtum ſequuntur crucifixum in Caluario monte. Et in quo loco grata ſit oratio Deo, diligit, inquit, Dominus portas Sion. Quæ verò ſint fundamenta Sion, ideſt Eccleſiæ, fundamenta, inquit, eius in montibus ſanctis : fundamenta, quæ ſunt, ideſt Apoſtoli, ad Epheſ. cap. 2. num. 20. Iàm, inquit, non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu ; in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificabimini in habitaculum Dei in ſpiritu, & Ioan. Apocalyp. cap. 21. num. 14. Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim, nomina duodecim Apoſtolorum Agni, &c.

Summa hæc eſſe videtur, Pſalmum filijs Core, & benè operantibus Canticum cum exultatione, pſallamus in Eccleſia militanti, & Canticum erit nobis in Eccleſia cæleſti.

Fundamenta eius, ſcilicet Domini, qui conſtituit eos fundamentum, & fecit eos Principes ſuper omnem terram ; vel, ſi Auguſtinum ſequamur, Eius erit, ideſt Ciuitatis Ieruſalem cæleſtis. Quaſi de Ciuitate illa iàm dixerit aliquid ; ait Auguſtin. Quomodò de illa nihil dixerat, qui nunquam de illa corde tacuerat ? quomodò dicitur eius, de qua nihil dictum eſt ? ſed multa ſecum in ſilentio de illa Ciuitate parturiens, clamans ad Dominum, erupit etiam in aures hominum, fundamenta eius in montibus ſanctis : & quaſi homines audientes quærerent, cuius ? diligit Dominus, inquit, portas Sion, hæc Auguſtin. Forſan etiam fundamenta eius dicere poſſumus, Templi, ità vt fundamenta eius Templi ſint à Deo conſtituta in montibus ſanctis, ideſt in Prophetis, & Apoſtolis. Cui verò illud relatiuum eius, aptius accommodetur, tu ex teipſo diſcernere poteris.

Forſan etiam orationi applicari poterit, ità vt dicamus cum filijs Core Pſalmus Cantici cantandus tradatur, rectè dictum, Fundamenta eius orationis eſſe in montibus Sion, nàm ſi oratio fiat extrà Eccleſiam, non exauditur, Prouerb. cap. 28. numer. 9. Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Dixit ergo, Fundamenta eius orationis, quam primò in præcedenti Pſalmo nos docuit faciendam, in montibus ſanctis ; eſſe enim debet ad inſtar orationum Prophetarum, & Apoſtolorum montium ſanctorum. Sicut illa Danielis cap. 9. num. 20. cui dicenti, Cum proſternerem preces meas

Digitized by Google

in conſpectu Dei mei pro monte ſancto Dei mei, &c. Daniel audi, dicit Angelus Gabriel, ſeptuaginta hebdomades adhùc abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. Fundamenta orationis tuæ item ſint in montibus ſanctis, in Prophetis, & Apoſtolis, per quos docemur, quia Sanctus Sanctorum vngetur, qui etiam poſt occidetur, Daniel ibidem num. 26. Fundamentum eius in montibus ſanctis, qui Ieſum Chriſtum venturum prædicabunt. Simulq. docebunt, orationem noſtram, vt efficax ſit, Chriſti niti debere meritis.

Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Quia ex Ciuitate illa Dauidis, & ex eius progenie naſcetur filius Dei viui, ex Maria Virgine, quaſi ergo de Ciuitate Ieruſalem dixerit aliquid, quòd ſcilicet non erit amplius populus eius, qui eum negaturus eſt, & Ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus, num. 26. ibidem in Daniel. Non ergo amplius oratio effundatur pro illa Ciuitate, quæ diſſipanda eſt, ſed ſpes tua, oratio tua ſit in Prophetis, & Apoſtolis, Eccleſiam in ſanguine Agni fundaturis, nàm hanc diligit Deus, portas eius diligit Dominus ſuper omnia tabernacula Iacob, portas Sion, quæ duodecim ſunt, in quibus, & ex quibus, ex omnibus mundi partibus, iuſti ingredientur per illas. Ideò fundamenta Apoſtoli, & Prophetæ, quia eorum authoritas, inquit Auguſtin. hìc, portat infirmitatem noſtram. Et ideò ſunt portæ, quia per ipſos intramus ad regnum Dei, prædicant enim nobis; & cum per ipſos intramus, per Chriſtum intramus, ipſe eſt enim ianua, Apocalypſ. dicto cap. 12. & cum dicuntur duodecim portæ Ieruſalem, & vna porta Chriſtus, & duodecim portæ Chriſtus, quia in duodecim Chriſtus, & ideò duodenarius numerus Apoſtolorum, Sacramentum magnum huius duodenarij ſignificatio eſt numeri; Vndè Matth. 19. Sedebitis, inquit, ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Iſrael. Duodecim ſedes Sacramentum eſt cuiuſdã vniuerſitatis, quia per totum orbem terrarum futura erat Eccleſia; Vndè vocatur hoc ædificium ad Chriſti compagem, & ideò, quia vndique venitur ad iudicium, duodecim ſedes ſunt; ſic quia vndique intratur in illam Ciuitatem, ad iudicium, duodecim portæ ſunt: quotquot ergo iudicaturi ſunt per ſignificationem vniuerſitatis, ad ſedes duodecim pertinent.

Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Vide quæ iàm ſupra diximus in Pſalmo 9. ibi, Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion, & in Pſalm. 77. ibi, Repulit tabernaculum Silo, & Tribum Ephraim non elegit, ſed elegit Tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit: Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem; propterea diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob, quia prima lex vmbra futuræ, quæ in fundamento lapidem habet ſummum, & angularem Ieſum Chriſtum, quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea, dicens, in ſæculum ſæculi, hìc habitabo, quoniam elegi eam; Pſalm. 131. nu. 13. & 14. Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob, Aggæ. c. 1. numer. 4. Quis in vobis derelictus eſt, qui vidit domum iſtam in gloria ſuæ prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Nunquid non ità eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris? Et has Sion portas magis dilexit, quàm omnia tabernacula

Iacob;

Iacob ; ideò in eodem Aggæ. cap. 2. numer. 5. Confortare Zorobabel, & Ieſu fili Ioſedech Sacerdos magne, &c. & cunctus populus terræ, &c. Verbum, quod pepigi vobiſcum, cum egrederemini de terra Ægypti, & ſpiritus meus erit in medio veſtrum. Nolite timere; quia hæc dicit Dominus exercituum. Adhùc vnum modicum eſt, & commouebo Cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes. Et veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, &c. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquam primæ. Sed quæ domus hæc erit, quæ gloria impleta eſt? audi Angelum Gabrielem, Aue, inquit, Maria, gratia plena, Luc. 1. num. 27.

Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Quæ nàm verò erunt portæ in Mariæ domo iſta? Ecce concipies, inquit Lucas ex ore Angeli, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ibidem Luc. numer. 33. ò beatas, & felices portas, per quas ingredimur domum Dei. Virtus Patris, filius eius conceptus, obumbratio Spiritus ſancti, ò beata Trinitas, & tabernaculum immaculatum Mariæ Virginis, & Matris.

Diligit etiam Dominus portas Sion Ciuitatis cæleſtis Ieruſalem, quia tabernaculum, & fundamentum eius eſt ſuper alios omnes montes, & ſuper choros Angelorum, & Archangelorum, & cæleſtium Hierarchiarum. Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob; nàm tabernaculum eius, ſiuè Templum eius eſt Dominus omnipotens, & Agnus, & Ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea, nàm claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius eſt Agnus, in cuius lumine ambulabunt gentes, & portæ eius non claudentur per diem, nox enim non erit illìc, non intrabitquè in illam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni, Apocalypſ. cap. 21. num. 21. cum ſequen.

Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei, Cantic. cap. 4. num. 7. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Quid ſublimius de te dici poteſt, quàm quòd ſis Ciuitas Dei magni, ſummiq. omnium Regis, qui in te ſibi domicilium, Templumquè conſtruxerit, in quo eius gloria, & ſplendor habitaret. Quid enim Chriſti corpore, & humanitate glorioſius fuit, in quo plenitudo Diuinitatis habitauit? Dei certè Ciuitas extitit, in qua tamquam in ſua regia Deus ipſe verſetur.

Dicebant illi; Non eſt alia natio, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, Deuteronom. cap. 4. numer. 7. ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris; Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei, populo Chriſtiane, Eccleſia Dei ſancta, cuius caput Chriſtus eſt, cuius membra tu es; in qua Chriſtus totus eſt, & tu in Chriſto. Audi Chriſtum eundem per os Ioannis loquentem, cap. 17. numer. 21. Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint, Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob, quia dilectio, qua Pater dilexit filium, in ipſa eſt, & Dominus in ipſa, Ioan. vt ſupra num. 26. Audi Auguſtin. hìc litera B. Et vno loco ambas res dixit in Euangel. Ioan. cap. 10. quia paſtor per ianuam intrat, & ibi dixit, ego ſum ianua. Paſtor intrat per ianuam, & quis eſt paſtor, qui intrat per ianuam? Ego ſum paſtor bonus. Quæ eſt ergo ianua, qua tu intras paſtor bone? Ego ſum ianua; Quomodò ergo tu omnia? Quomodò

ergo

Digitized by Google

ergo per te omnia? Verbi gratia, cum Paulus intrat per ianuam, nonnè Christus intrat per ianuam? Quare? Non quia Paulus Christus; sed quia in Paulo Christus, & per Christum Paulus, ipse dixit 2. Corinth. cap. 2. An experimentum eius vultis accipere, qui in me loquitur Christus? Cum sancti eius, & fideles eius intrant per ianuam, nonnè Christus intrat per ianuam? Quomodò probamus? quia ipsos sanctos eius persequebatur Saulus, nondum Paulus, quando ei clamauit de Cælo, Act. cap. 9. Saule, Saule, quid me persequeris? Hæc Augustin.

Ciuitas glorioſa ex quadratis lapidibus ædificata, & ſi perſecutiones patiatur, cum ceciderit non collidetur, non frangitur vndis, ſemper ſolida, & firma remanet. Impellitur & ſi qua vertitur Chriſtianus, non cadit, nàm quadratum lapidem, quacunque verteris ſtat. Viſi ſunt Martyres oculis inſipientium mori, & ecce quia in pace inter filios Dei reputati ſunt, Sap. cap. 3. nu. 3. Ideò cantat Eccleſia, Pſalm. 36. num. 24. Iuſtus cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.

Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei cæleſtis Ieruſalem, quia veniet, & iàm venit Dominus, vt congreget cum omnibus gentibus, & linguis, & videbunt gloriam eius, quia poſuit in eis ſignum, Iſai. cap. 66. num. 18. Vndè Ioan. Apocalyps. cap. 21. numer. 2. Ego Ioannes vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam deſcendentem de Cælo, à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt; quia Dominus noua fecit omnia.

Memor ero Raab, & Babylonis ſcientium me; Quia Chriſtus Ieſus poſitus eſt in lucem gentium, vt ſit in ſalutem vſque ad extremum terræ, Iſai. cap. 49. numer. 6. Act. Apoſtol. cap. 13. numer. 47. Raab meretrix illa fuit, quæ exploratores Ioſue in ſua domo recepit, cui etiam datum eſt, vt poneret ſignũ coccineum cap. 2. Ioſue, in ſua feneſtra, quando Iericho ciuitas ſua caperetur, quo ſigno domus eius, & ipſa ſaluata eſt; meretrix enim & ciuitas gentium, quia cum Idolis, relicto Deo, fornicabatur; ſignum modò in fronte portat ſanguinis Chriſti poſt Baptiſmum ſuſceptum, de qua Matth. cap. 21. numer. 31. Dominus Phariſæis dixit, Publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei, Ioan. in Apocalyps. cap. 16. num. 19. Babylon magna venit in memoriam ante Deum; Gentilitatem ergo ſignificant illa duo nomina Raab, & Babylon. Quocircà eorum, qui Dominum Ieſum, & eius fidem ſuſceperunt, memor erit Dominus, vt illos inter Chriſtianos, & fideles ſuos ſuſcipiat. Ex quo patet, quanta ſit gloria ciuitatis illius Ieruſalem, ideſt Eccleſiæ ſanctæ, quæ circundata varietate, tàm Iudæorum, quàm Gentilium, incedit ornata in omnibus mundi partibus. Vel ſi per Raab ſuperbos homines intelligamus, ſecundum D. Hieronym. hic. Ægyptij tales fuerunt, qui poſteà ad prædicationem D. Marci conuerſi ſunt ad Dominum. Quod verò de Gentilitate intellexerit per Babylonem, declarare videtur ſequens verſ. Ecce Alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illìc. Vbi fuerunt? illìc, in illa ciuitate Ieruſalem, vbi ſancti, vbi iuſti, vbi Eccleſia Dei, & quid viderunt illìc.

Nun-

Nunquid Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei; matrem audierunt dicentem, homo, & homo natus eſt in ea; per id ergo venerunt Raab, Babylon, alienigenæ, Tyrus, & Æthiopes, Auguſtin. Ecce per quem venerunt; Mater Sion, (Sic eius habet lectio) dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus. Quid apertius fratres? Verè quia de te glorioſiſſima dicta ſunt ciuitas Dei. Quis homo, ò mater Sion? qui homo factus eſt in ea, in ea ipſe factus eſt homo, & ipſe eam fundauit; ſed quomodò in ea factus eſt, & ipſe eam fundauit? Vt in ea fieret homo, iàm fundata erat. Ecce propter nos Altiſſimus, qui fundauit ciuitatem, mater dicit ipſi ciuitati, & homo in ea factus eſt, & Altiſſimus eam fundauit. Quaſi diceret, Vndè iſta ſcitis? cantabimus hæc omnes, & cantat homo in omnibus Chriſtus, homo propter nos, Deus ante nos. Sed quid magnum ante nos? ante terram, & cælum, ante ſæcula; hic ergo homo propter nos factus eſt in ea, ideſt ipſe Altiſſimus fundauit eam. Hæc autem ſcimus, quia Dominus narrauit in ſcripturis populorum, & principum horum, qui fuerunt in ea. Hæc Auguſtin.

Mirabilia dicta ſunt de te ciuitas Dei, quia tibi dixit, nunquid ego homo? & homo natus eſt in te, & qui natus eſt in te homo, eſt ante te, & ante ſæcula, qui eſt filius Dei viui. Sed ſi filius Dei, quomodò homo fuit, qui hæc dixit Sion? audi eundem per Iſai. cap. 48. num. 16. Non in abſcondito locutus ſum, ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius, & quis eſt qui hæc dicit? numer. 17. ſequitur. Hæc dicit Dominus Redemptor tuus Iſrael ſanctus. Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas. Deus ergo, qui carnem aſſumpſit ex Virgine, & natus eſt in ea, & ipſe Altiſſimus filius Dei fundauit eam; qui etiam ideò venit, vt memor ſit in redemptione Raab, & Babylonis, Gentilium qui ipſum recipient, & ſcient illum, Iſai. d. cap. 48. numer. 14. Dominus dilexit eum, faciet voluntatem ſuam in Babylone, & brachium in Chaldæis.

Sed quis hæc annunciabit, hominem in Sion naſciturum, qui ante Sion erat, & ante ſæcula creauit eam? Dominus, inquit, narrabit in ſcripturis populorum, & principum eorum, qui fuerunt in ea. Quomodò in ſcripturis populorum narrabit, & quomodò populis narrauit? Narrabit quod prius in ſcripturis ipſe Deus prædixerat, Iſai. cap. 7. numer. 14. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Et quando in ſcripturis principum hæc narrauit? Ioan. cap. 1. numer. 14. Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, &c. ſed quomodò in ſcripturis populorum hoc apparet, Luc. 2. num. 10. & 11. Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Ieſus.

Dominus narrabit in ſcripturis populorum. Sed nonnè Domine Deus aliàs tuo populo ſedenti in Horeb locutus es? cur & hæc illis non enarraſti, quod homo naſcetur in Sion? Exod. cap. 20. num. 18. Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & ſonum buccinæ, montemq. fumantem, & perterriti, ac pauore concuſſi ſteterunt procul, dicentes Moyſi, Loquere tu nobis, & audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. O diuinam clementiam, ò miſericordiæ Dominum; aſſumpſit filius eius humanitatem, vt illos homo alloqueretur, Deuteron. cap. 18. num. 16. Petiſti à Domino

Deo

Digitized by Google

Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti, Vltra non audiam vocem Domini mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi, Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui; Et ponam verba mea in ore eius, loquetur q; ad eos omnia, quæ præcepero illi. Tu scilicet, ò Moyses legem meam docuisti illi, ille verò legislator, quem mittam, legem adimplebit. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, Ego vltor existam. Venit Iesus Propheta magnus, populo Hebræo narrauit omnia, quæ ad salutem; noluerunt ex Iudæis multi illum audire, immo plebem contrà Iesum concitauerunt. Populo verò quem fecit Dominus, Gentili scilicet narrauit, & credidit, & sanatus est; & cum alijs credentibus ex Iudæis facta est vna Ecclesia in lapide angulari Christo Iesu.

In scripturis populorum, quia credentium in Iesum facta est multitudo magna. Et principum eorum, qui fuerunt in ea, Apostolorum scilicet, qui principes facti sunt Ecclesiæ à Domino, vt fortia quæque per illos Dominus confunderet, Psalm. 112. num. 8. Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus populi sui; Augustin. hìc lit. M. Nunquid princeps Piscator? nunquid princeps Publicanus? Principes planè; sed quia facti sunt in ea. Quales isti principes venerunt de Babylone? Principes credentes de sæculo: Principes venerunt ad Vrbem Romam, quasi caput Babylonis, non ierunt ad Templum Imperatoris, sed ad memoriam piscatoris, vndè isti principes? Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia elegit Deus, & quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, vt ea quæ sunt, euacuentur. Hoc facit, qui erigit de terra inopem, & de stercore exaltat pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Postea venerunt in hanc ciuitatem & oratores, sed non venirent, nisi præcederent piscatores: magna hæc, sed vbi hæc, nisi in illa ciuitate Dei, de qua glorioſissima dicta sunt? Hæc Augustin.

Narrabit ergo Dominus in scripturis populorum, & principum horum qui fuerunt in ea, ideſt quanta sit lætantium omnium habitatio in te, quanta sit in ea habitantium lætitia, Isai. cap. 64. numer. 4. A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. Occurristi lætanti, & facienti iustitiam, in vijs tuis recordabimur tui, ideſt in Ecclesia tua recordabimur tui, vbi seruantur mandata Dei, vndè Apostol. 1. Corinth. cap. 2. numer. 9. Quod oculus non vidit, neque auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum, nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.

Sicut lætantium omnium habitatio est in te Ierusalem nimirum cælesti; Narrabunt principes populorum. Habitatio, inquit, in te. Non in mundanis, non in terrenis, sed in Domino erit illorum lætitia; vndè, Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio, Psalm. 32. num. 1. & in alio loco, Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt, August. In peregrinatione ista conterimur; habitatio nostra iucunditas sola, peribit labor, & gemitus; transeunt orationes, succedunt laudationes. Ibi ergo habitatio iucundatorum, non erit gemitus desiderantium, sed lætitia perfruentium; aderit enim cui modò suspiramus, similes ei erimus, q uando videbimus eum

ſicuti eſt ; ibi totum negotium noſtrum non erit, niſi laudare Deum, & frui Deo, & quid aliud quæremus, vbi ſolus ſufficit, per quem facta ſunt omnia? habitabimur, & habitabimus, ſubijcientur illa omnia, vt ſis Deus omnia in omnibus. Beati ergo mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, hìc ergo fratres dilectiſſimi ieiunemus à vitijs, vt mundi corde habitemus in Cælis.

Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum. In ſcripturis ſanctis, quæ omnibus leguntur populis, vt intelligant, & principibus; ſed quomodò narrabit Dominus? quia ipſe per os ſanctorum loquutus eſt, 2. Corinth. cap. 13. numer. 2. & 3. Prædixi, & prædico, vt præſens, & nunc abſens iis, qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, ſed quis tu, ò Paule, qui ità imperatiuè loqueris? Nàm, inquis, ſi venero iterum, non parcam. Audi qualis ſit? An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me Chriſtus. Non ſolum ergo Chriſtus loquitur præſentibus, ſed & per eos, inquit, qui fuerunt in ea; Dominus ergo eſt, qui enarrat per os Sanctorum, Cantic. Zach. cap. 1. numer. 5. in ſcripturis ſanctis, quæ omnibus leguntur quotidie, & ſcripta ſunt per Apoſtolos, & Euangeliſtas, qui fuerunt in ea. Non ergo alios audire debemus præter eos, qui fuerunt in ea tunc, non hæreticos modernos, non ſchiſmaticos, ſed Apoſtolos tantùm, & Euangeliſtas Principes Eccleſiaſticos, qui tempore Chriſti Ieſu fuerunt in ea, hinc Apoſtolus ad Galat. cap. 1. num. 8. Miror quòd ſic tàm citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti in aliud Euangelium, quod non eſt aliud; niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti. Sed licet nos, aut Angelus de Cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico; ſi quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit, & numer. 11. Notum vobis facio fratres Euangelium, quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem, neque ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.

Ideò Dominus, inquit, enarrabit per principes Apoſtolos, qui fuerunt in ea. O beatos nos, qui in Eccleſia militanti Dei ſumus, qui in Chriſto baptizati ſumus, qui Templum ideò facti ſumus, ſi præcepta, & voluntatem eius faciamus. Sicut lætantium habitatio eſt in te: Sumus quidem in Eccleſia, ſed vndique nos mala noſtra perturbant, terrena deprimunt, niſi tu Domine tua miſericordia nos præuenias, & adiuues, vt in protectione tua commoremur: tunc enim cum iuſtis tuis hìc, cum rectis corde noſtra habitatio erit ſicut lætantium, non ſimpliciter, & verè lætantium in te, quia hìc non eſt vera lætitia, Vndè Pſal. 125. In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati. Vtinam gementes, hìc ſimus & flentes, vt in alio ſæculo ridere poſſimus, Matth. cap. 5. Beati enim qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.

SO-

Digitized by Google

SOLILOQVIVM.

EIA anima mea, quæ per Baptiſmi lauacrum Templum Dei facta es, quæ in Domino credidiſti, & nomen eius ſanctum confiteris, quæ & fundamenta in Apoſtolicis dogmatibus poſuiſti, de virtute in virtutem portas Sion ingredere, quas diligit Deus ſuper omnia tabernacula Iacob; vt te ciuitate Dei effecta Sion, glorioſa dicantur de te. Quid enim glorioſius poterit de te dici, cum quæ iàm Raab, & Babylon eras, nunc poſita in fundamentis Sion de virtute in virtutem anima mea proſiliens efficiaris Dei habitaculum, necnon & Mater, ac nutritia Chriſti? Quæ prius eras miniſtra Diaboli, glorioſa dicentur de te ciuitas Dei. Ideò ciuitas, quia ex multis domibus, ideò Mater Chriſti, quia multis replearis virtutibus. Si Deus ait, memor ero Babylonis, & Raab ſcientium me, cur tu memor non eris præteritorum delictorum in tui amaritudine. Vt tui ipſe miſereatur Dominus; lacrymis tuis ſtratum tuum riga ciuitas glorioſa anima mea, iam meretrix, ſi volueris, Virgo repentè efficieris, Virgo eris, & filium Dei concipies, & generabis. Stat enim ad oſtium, vt ingrediatur; & pulſat, vt filium Dei concipias, & generare poſſis. Sit ergo tibi de perpetratis continuus dolor, ſit tibi pœna, ſit amaritudo, & quotidie in te naſcetur Chriſtus, qui eſt Sion, tuiq. fundamentum. Ità enim narrauit in ſcripturis populorum, quòd quotieſcunque tu anima mea te hominem confiteberis, homo Chriſtus naſcetur in te; Tunc quaſi læta, tametſi non ſecura dum in militanti es Eccleſia aduerſariorum inſidias euadere poteris, gratia Dei te adiuuante. Quod mihi per interceſſionem Matris Ieſu Chriſti Mariæ concedere dignetur Redemptor ipſe meus Ieſus Chriſtus Dominus. Amen.

IN PSALMVM LXXXVII.

Domine Deus ſalutis meæ: in die clamaui, & nocte coram te.

TITVLVS huius Pſalmi: Canticum Pſalmi filijs Core. In finem. Pro Maeleth, ad reſpondendum, intellectus Eman Iſraelitæ, vel Ezrahitæ; Nec mirùm, ſi titulus iſte videatur adeò inſolitus, ac diuerſus ab alijs, atque ſatis difficilis; nàm in Pſalmo agitur de paſſione Chriſti, quam Eccleſia ſancta filijs ſuis Core proponit ad imitationem quò ijs proficua ſit ſequentibus veſtigia eiuſdem Chriſti.

Continuatur cum præcedenti Pſalmo in quo dictum eſt de Orationibus, & à quibus, & in quo loco fieri debeant vt eæ Deo acceptæ ſint; Verùm quia, vt dicit Apoſtol. 1. Corinth. cap. 13. num. 3. Si tradidero corpus meum ità vt adeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt; propterea monemur in præſentis Pſalmi titulo, vt in finem, ideſt in Chriſtum crucifixum directum habeamus Canticum noſtrum, & operationes in Choro, ad reſpondendum ſcilicet per eiuſdem Chriſti imitationem, vt ſequentes veſtigia eius cum

Paulo & nos dicamus, ad Galat.6. Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra. Vt autem facilius, quæ dixi percipiantur, veniamus ad intellectum nominum, & verborum in hoc titulo contentorum, iuxtà August. & Hieron. & alios hìc scribentes.

Canticum ergo (vt aliàs diximus) exultationem mentis, Psalmus verò operationem significat bonam, sic credenti namque & lætari, & psallere necesse est in finem, in Christum; sed pro Maeleth, quod interpretatur in chorum, ad respondendum scilicet Christo in gratiarum actionem, qui pro nobis pati dignatus est, in choro respondentes Christo patienti pro nobis, & nos cum Petro dicamus, 1. Petr. cap. 2. num. 21. Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius; Et hoc est respondere, vt sicut Christus pro nobis posuit animam suam, sic & nos debemus pro fratribus nostris animam ponere; Prædicta ergo in præcedenti Psalmo haud sufficiunt, nisi respondeatur in choro, in charitate, vt alter alterius onera portantes, viuamus cum Christo, qui est charitas; deficiente quippè charitate, nihil prodest, vt diximus ex Apostolo 1. Corinth. cap. 13.

Augustin. hìc, Quid est, Pro Choro, ad respondendum, nisi fortè, vt canenti chorus consonando respondeat? sequitur Augustin. dicens, Nonnè & alij Psalmi cantantur? cur de isto solo, cantandum choro traditur, vt respondeatur? Non est enim hìc Psalmus solus de passione Domini scriptus: Ego fateor, cum multum conatus essem, dicit Augustin. penetrare non potui: & si quid de hac re legi, ab eis dictum, qui ante nos ista tractauerunt, non satisfecit expectationi, suò tarditati meæ. Domini hìc passio prophetatur, & ipse hùc titulum ideò positum voluit, vt sequamur vestigia Christi passi, iuxtà Apostol. Petr. 1. cap. 2. & idem dixit Ioan. 1. cap. 13. Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, ità & nos debemus animam pro fratribus ponere, hoc est in choro respondere: chorus autem concordiam significat, quæ in charitate consistit; non enim respondet in choro, qui charitatem non habet; & ideò non ei prodest, dicto cap. 13. 1. Corinth. Sicut ergo in musica præcentor est, qui in cantu vocem præmittit, succentor autem, qui subsequenter canendo respondet; ità in hoc cantico passionis, præcedentem Christum subsequitur chorus Martyrum in finem cælestium coronarum. Hoc enim canitur filijs Core, id est imitatoribus passionis Christi, quoniam in Caluariæ loco crucifixus est Christus, quæ illius Hebraï nominis interpretatione perhibetur, id est Core, & hic est intellectus Eman Israelitæ, quod in tituli huius vltimo positum est. Eman quippè interpretatur fratres eius. Eos enim fratres suos Christus facere dignatus est, qui sacramentum Crucis eius intelligunt, & non solum de illa non erubescunt, verùm etiam in illa fideliter gloriantur. Non se de suis meritis extollentes, sed eius gratiæ non ingrati, vt vnicuique eorum dici possit. Ecce verus Israelita, in quo dolus non est, Ioan. cap. 1.

Filijs ergo Core canticum cum lætitia, & operatione in Christum pro Maeleth, ad respondendum in choro, in charitatis vnitate, intellectus Eman, qui in choro respondens canentibus filijs Core hoc proposuit mysterium, Israel, vel Ezrael, quia fuit Israelita, & huius Psalmi compositor; Fuit quippè Propheta ipse Eman, & de filijs Zaram, Genes. cap. 38. descendens, à quo Zaram, Ezrahitæ dicebatur, vel ab Israel Israelitæ.

Et

Et erit ſumma iſtius Pſalmi, vt paſſioni Chriſti operibus reſpondentes, gratiam Chriſti acquiramus.

Canticum ergo Pſalmi, qui incipit, Domine Deus ſalutis meæ, iſtius Iſraelitæ, in quo dolus non fuit, ideſt Chriſti Ieſu eſt, qui de peccato nunquam redargui potuit, & hic vt homo in forma ſerui loquitur ad Patrem: ſequitur enim.

In die clamaui, & nocte coram te. In die, inquit, quãdo lætus in mundum veni, vt redimerem in choro exiſtentes, mecumq. in charitate ambulantes. Sed quomodò lætus venit? Quia ipſe ſe ſpontè pro redemptione mundi, ſe venturum Deo Patri obtulit, Iſai. cap. 63. numer. 7. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Pro eo, quod tradidit in mortem animam ſuam, num. 12. Quod fuit in die illa Canticum? Quod cecinere Angeli in natiuitate eius, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, Luc. cap. 2. num. 9. quando claritas Dei circumfulſit paſtores, & timuerunt timore magno; euangelizo, inquit eis Angelus, gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Saluator. Clamauit etiam in nocte Dominus Ieſus, Domine ſancte Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt; & orans in horto, dum ſudor eius factus erat, ſicut guttæ ſanguinis ſuper terram decurrentis; Pater mi, ſi vis, transfer calicem iſtum à me; veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat; Et triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, Matth. d. cap. 26. num. 38. quibus conſona ſunt, quæ & in hoc Pſalm. numer. 4. habet, Repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit.

Domine Deus ſalutis meæ, à quo totum eſt, ego homo factus in die clamaui, & nocte coram te. In die, inquit, clamaui, quia & ſi lætus, ſemper tamen timor apprehendit me, ſemper clamaui, quia non eſt extrà te gaudium, neque lætitia: Nocte quoque in tribulationibus poſitus coram te, clamaui, quia tu me tribulatum cuſtodiebas, & mecum eras, quia tu es refugium à tribulatione, quæ circundedit me, Pſalm. 31. num. 7. & Ioan. cap. 8. num. 29. Qui miſit me, mecum eſt, & non reliquit me ſolum, ibid. cap. 16. num. 32. & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.

In die clamat ad te, & pœnitens quiſque imitator Chriſti, iuxtà illud, Timor, & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ, Pſalm. 54. num. 6. Vndè D. Gregor. 4. Moral. cap. 17. Tom. 2. in cap. 3. Iob. Obſcurent eum tenebræ, & vmbra mortis. Diem profectò tenebræ obſcurant, quando delectationem mentis, inflicta pœnitentiæ lamenta tranſuerberant. Et poſt pauca; Diem ergo tenebræ obſcurant, cum flendum noſtræ delectationis gaudium ab illo iuſtæ animaduerſionis radio, inſcrutabilia eius iudicia miſericorditer occultant. Et paulò inferius idem Gregor. litera A. d. cap. 17. Dies enim amaritudine inuoluitur, cum ad cognitionem mente redeunte, peccati blandimenta cruciatus pœnitentiæ ſequitur, diem amaritudine inuoluimus, cum pranæ delectationis gaudium, quæ ſupplicia ſequatur, aſpicimus, & aſperis hoc fletibus circundamus; vide Gregor. lib. 4. Moral. cap. 20. circà maledictionem diei, vel noctis.

Tota die clamaui, ait Ieſus, & nocte coram te, tota die, quia quæ populo ventura erant, neque enim illi erant abſcondita, clamauit & ipſe Ieſus in nocte, quia non receperunt eum, per quos venerat, vt ſaluarentur, immo

instabant, vt eos, qui Deum laudabant, Iesus increparet, Luc. 19. nu. 39. quibus ille dixit, Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

In die clamauit, quia prædixit futura illis damna eis abscondita, quando videns Ciuitatem in die illa lætitiæ eius fleuit super illam, dicens, quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.

Domine ergo Deus salutis meæ in die clamaui, quia in die hominis non speraui, quia diem hominis non desideraui, sed ideò nocte coram te, quia ideò veni, vt pallione mea populum mihi à te commissum à morte liberarem: in die clamaui, quia non sum de hoc mundo, sed in nocte tribulationum, ideò veni, & oblatus sum, quia volui, quia coram te sum. In illa nocte, lucem seruis meis dedi, lucem dedi sæculo. Ideò nocte coram te, in, quia in illa nocte per vniuersum mundum in Christo credentes, à vitio sæculi, & caligine peccatorum segregatos reddidit gratiæ, sociauit sanctitati, Psalm. 138. nu. 12. Et nox sicut dies illuminabitur, & in eodem loco, & nox illuminatio mea in deliciis meis, d. Psalm. 138. num. 11. Et nocte coram te, in qua terrenis cælestia, humanis diuina iunguntur.

Prosperitas quoque in die, tribulatio in nocte, quam se passurum, Dominus in sua natiuitate pronuntiauit, Psalm. 15. num. 7. ibi; Vsque ad noctem increpuerunt me renes mei, vtrunque enim statum Dominus noster habuit, & felicitatis in die, vt suprà dixi, quia Deus homo factus est; habuit & tribulationem, nàm dixit Propheta Thren. cap. 1. num. 12. O vos, qui transitis per viam attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus. Clamauit ergo in die coram Deo Patre, Psalm. 56. nu. 3. Clamabo ad Deum Altissimum, Deum, qui benefecit mihi. Clamauit in aduersitatibus, vt Luc. d. cap. 23. num. 46. clamans voce magna dixit; In manus tuas Domine commendo spiritum meum: clamauit in die, vt oratio sua Deo Patri esset accepta. Intret enim, dixit hìc, oratio mea in conspectu tuo, nàm ingressus orationis est acceptatio illius; clamauit in nocte, quia tunc misericordia Dei opus est; propterea sequitur Psalm. dicens.

Inclina aurem tuam ad precem meam, nàm auris Dei inclinatio, misericors exauditio eius est; vndè Augustin. hìc litera G. Orauit Dominus non secundum formam Dei, sed secundum formam serui: secundum hanc enim & passus est. Orauit autem, & cum in lætis rebus ageret, quod diei nomine, & cum in aduersis, quod noctis nomine significari arbitror; ingressus orationis in conspectu Dei acceptatio eius est, inclinatio auris Dei, misericors exauditio est.

Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam. Et si omnia nuda sint, & aperta Deo, mala tamen non sunt in conspectu eius, vt simpliciter, & per se volita; verùm quia hæc deprecatio bona erat, vt redemptio acceptabilis coram Deo fieret; Intret, inquit, oratio mea in conspectu tuo, vt acceptabilis sit redemptio pro illis, quos tu Domine dedisti mihi, & mei sunt, Ioan. cap. 17.

Quia

Quia repleta eſt malis anima mea, Multorum enim peccata ipſe tulit, & cum iniquis reputatus eſt, vir dolorum, & ſciens infirmitatem, &c. Iſai. c. 53. num. 3. & 15. non enim corpus dolorem ſentiret ſine anima. Repleta eſt ergo malis anima mea, inquit, non quia peccauerit, qui dolores noſtros ipſe portauit. Sed intret oratio mea in conſpectu tuo, quia propter charitatem meam magnam bonum feci coram te, vt populus, quem perditum inueneram, ſanguine meo redemptus intret & mecum coram te, vt ſicut ego, & tu vnum ſumus, ità & in nobis ipſi ſint vnum, Ioan. 17. cap. in fine.

Propterea repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit, dixerat enim, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, Matth. capit. 26. Doloribus, non peccatis repleta erat anima Chriſti, vnde Auguſtin. hìc, Non enim vitijs per quæ homini dominatur iniquitas, animam illam repletam poſſumus dicere, ſed forè doloribus, quibus anima ſuæ carni in eius paſſione compatitur. Non enim vel ipſe, qui dicitur corporis dolor poteſt eſſe ſine anima, quem ineuitabiliter imminentem præcedit mœſtitia, quæ ſolius animæ dolor eſt; dolere ergo anima etiam non dolente corpore poteſt, dolere autem corpus ſine anima, non poteſt; hos autem humanæ infirmitatis affectus ſicut ipſam carnem infirmitatis humanæ, ac mortem carnis humanæ Dominus Ieſus non conditionis neceſſitate, ſed miſerationis voluntate ſuſcepit, vt transfiguraret in ſe corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, cui caput eſſe dignatus eſt, hoc eſt membra ſua in ſanctis, & fidelibus ſuis, & ſi cui eorum inter humanas tentationes contriſtari, & dolere contingeret, non ideò ſe ab eius gratia putaret alienum, & non eſſe illa peccata, ſed humanæ infirmitatis indicia, tamquam voci præmiſſæ concinens chorus, ità corpus eius, ex ipſo ſuo capite addiſceret. Talibus enim malis, dixit Apoſt. ad Roman. cap. 9. num. 2. repletam eſſe animam, quando dixit; Triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo pro fratribus meis ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, pro quibus ſi contriſtatum dicimus & Dominum, cum eius paſſio appropinquaret, in qua illi ſe immaniſſimo ſcelere fuerant obligaturi, non incongruè nos dicere exiſtimo.

Quomodò verò, & quibus malis anima Chriſti Ieſu repleta ſit, inferius aliqua ponuntur. Æſtimatus ſum, inquit, cum deſcendentibus in lacum, factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber. Non ſolum ergo Chriſtus Dominus multa in corpore paſſus eſt & in anima, quæ nec totus mundus capere poteſt, quia non fuit dolor, ſicut dolor eius, ſed ignominiosè tamquam ſeductor homo æſtimatus ab illis iniquis Iudæis, æſtimatus eſt cum deſcendentibus in lacum inferiorem. Reſpexerunt ad amplius, & ecce factum eſt minus, Aggæ. cap. 1. num. 9. Hominem extinguere cogitaſtis ignominioſa crucis morte, & ecce totus mundus poſt eum; & ſignum, quod erat hominum opprobrium, factum eſt in frontibus, & coronis Regum ſingulare præſidium, & nobiliſsimum ſignum. Vos autem, ò Iudæi, Ieſum exiſtimaſtis cum deſcendentibus in lacum, vt memoriam eius tolleretis in æternum. Deglutiamus eum, ſicut infernus viuentem, & integrum, quaſi cum deſcendentibus in lacum, Prouerb. 1. num. 12. quia eſt contrarius operibus veſtris, Sapien. 2. per totum; excæcauit enim illos malitia eorum, & neſcierunt Sacramenta Dei, numer. 22. ibid. in Sapien. Signaueruntt Domini ſepulchrum, quia hominem tan-

tantùm interemisse putauerunt, Dominus autem, qui voluntate sua passus est, nõ erat necessitati subditus, & illi necessitate deuictum æstimauerunt, nàm si filium Dei scisissent, nunquam illum Regem gloriæ crucifixissent, 1. Corinth. cap. 2.

Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber. Ideò hominem solum æstimauerunt, quia cum se filium Dei diceret, sine adiutorio alicuius, crucifixus fuit. Sed si quando illum capere voluistis cum fustibus, & lanternis, ad illius interrogationem, dicentis; Quem quæritis? Iesum Nazarenum dixistis; & ille: Ego sum, & hoc solo verbo omnes retrò cecidistis, Ioan. 18. num. 6. Non ergo qui sponte venerat, vt moreretur pro populo, aliorum auxilium illi opus erat, qui solo verbo vos omnes delere de terra poterat. Mitte gladium in vagina, dixit Petro, seruum Principis percutienti. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum? ibid. Ioan. num. 11. Et si talia vos iniqui audistis, quæ alius nunquam fecerit miracula; quæ Dominus Iesus fecerat, Ioan. cap. 7. num. 46. & nunc in captura experti estis, quare Iesum Deum verum sine auxilio reliquistis? cur de manibus iniquorum non liberastis? sed si ad hoc venerat, vt moreretur, & hæc fuit voluntas Patris, cur modò fidem illius non amplectimini? Cur Pauli exhortationes non recipitis, vt conuertamini, vt cum Paulo, qui ex persecutore, factus est veritatis Prædicator, & vos saluemini.

Æstimatus sum vti transgressor legis, & seductor in peccato morientibus, & descendentibus in lacum, & tamen factus sum sicut homo inter mortuos liber à peccatis, innocens, impollutus, & à peccatoribus segregatus, vt tamen aliorum peccata portando, passione mea illorum peccata delerem; Isai. d. cap. 53.

Factus sum sicut homo inter mortuos liber. Quia silui, quieui, os meum percutientibus me, & flagellantibus non aperui; tamquam Agnus, qui ducitur ad occisionem, Isai. d. cap. 53. Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore meo redargutiones, Psalm. 37. num. 15. Inter mortuos liber, quia mihi data est omnis potestas in cælo, & in terra, Matth. cap. 28. num. 18. Factus sum sine adiutorio inter mortuos liber, August. In his verbis maxime persona Domini apparet, quis enim alius inter mortuos liber, nisi qui in similitudine carnis peccati, inter peccatores solus sine peccato, vndè Ioan. cap. 8. num. 34. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Propterea illi, qui insipientes se liberos putabant, serui erant peccati, Iesus verò Christus liber est à peccatis, & ideò per eum oportebant liberari homines à peccatis, Ioan. cap. 10. si vos, inquit, filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Liber ergo Iesus Christus à peccatis, qui in potestate habebat ponere animam suam, & iterum sumere eam, Ioan. cap. 10. num. 18. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso; & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Æstimatus ab insipientibus sine adiutorio, propterea solutum ab illis templum corporis sui, potestate sua reædificauit. Nec fuit vnquam sine adiutorio, quia nunquam fuit corpus sine diuinitate, Deus erat cum illo, Ioan. d. cap. 8. num. 29.

Sine adiutorio cogitauerunt eum, propterea vulneribus illum affectum, & sicut cum vulneratis dormientibus in sepulchris, quorum non est memor amplius, posuerunt & ipsum, sepulchrum munientes, & ad illud custodes ponentes. Sed si alij dormiunt in sepulchris, cur custodes ad sepulchrum Domini

posue-

posuerunt ? quia celerem eius resurrectionem dubitabat, sicut ille prædixerat, propterea institerunt coram Pilato, dicentes; Recordati sumus, quòd seductor ille, tali enim nomine vocabant Redemptorem, dixit, post tres dies resurgam, Matth. cap. 27. num. 63. Ite vos, & custodite, sicut scitis, dixit Pilatus illis; custodierunt, munierunt, milites posuerunt, & ecce quia ipsi de manu Domini repulsi sunt; & Iesus resurgens à mortuis iàm non moritur, & iàm mors illi vltrà non dominabitur. Vulnerantium verò Iudæorum, & crucifigentium Dominum memoria deleta est, & habitatio eorum cum scorpionibus in æternum. Memoriam Domini delere tentarunt, Act. Apost. cap. 4. num. 17. prohibentes ne in nomine Iesu prædicarent, quibus Petrus, & Ioannes responderunt; si iustum est, vos potius audire in conspectu Dei, quàm Deum, iudicate, &c. Sicut vulneratos alios, & in sepulchris dormientes, quos ipsi Iudæi occiderunt, vt memoriam illorum perderent, cogitantes, ità Dominum Iesum Christum vulnerantes crucifixerunt, in sepulchro posuerunt, vt nominis eius non esset memoria vlterius. Quos verò occiderint, narrat Marc. cap. 12. num. 5. & Matth. cap. 21. num. 35. Misit enim Dominus seruos suos, & illos occiderunt, nouissimè misit filium suum, quem forsan, inquit, verebuntur, & tamen illum etiam occiderunt, & sicut alios vulneratos, & interfectos in sepulchro posuerunt. Sed liber inter mortuos apparuit, quia resurrexit Dominus, & sepulchra Patrum aperuit; dixerat enim Dominus per Ose. cap. 13. num. 14. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, ò mors, morsus tuus ero inferne.

Sed si sunt in sepulchro vulnerati, quomodò dormientes vocat Propheta? nisi quia resurrecturi sunt omnes in die iudicij; quorum tamen non adhùc meminit Dominus, quia nondum venit iudicij tempus: ipse verò die tertia, euigilauit, quia iàm surrexit, & factus est sicut passer solitarius in tecto, idest dicit Augustin. ad dexteram Dei patris in cælo, quod enim præcedere oportebat in capite, corpori seruatur in finem; nàm nunquam cadit obliuio in Deum, quia nullo modo mutatur, neque recordatio, quia non obliuiscitur, dicitur tamen Deus meminisse, quando facit, & tunc obliuisci, quando non facit. Quod in Christum mali facere cogitabant, totum illis malum euenit, quia à Deo derelicti, & de manu eius repulsi sunt, foderunt foueam ante faciem Domini, & inciderunt in eam;

Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in vmbra mortis. Quid est posuerunt me in lacu inferiori, nisi quia flagellatum volens Pilatus illum dimittere, vt saltem spes aliqua esset vitæ, clamauerunt omnes; Crucifigatur, & Barabbas dimittatur. In lacu inferiori Iesum posuerunt, Barabbam verò latronem liberum eduxerunt; in inferiori positus est Christus; in tenebrosis, nàm iàm flagellatus, & corona spinea coronatus, illi non amplius erat aspectus, vndè nec reputauimus eum, dixit Isai. cap. 53. Vir leprosus, & quasi absconditus vultus eius, & nos putauimus eum quasi leprosum, & ideò in vmbra mortis, quia iàm ferè mortuus reputabatur ab omnibus, Thren. cap. 3. num. 6. in tenebrosis collocauit me, quasi mortuos sempiternos.

Vel dicamus, In lacu inferiori, in tenebrosis posuerunt eum, quia tamquam peccatorem, correptum illum dimittam, dixit ille iniquus Iudex, ideò flagellauum, & corona spinea coronatum plebi illum ostendere voluit, vt &

pec-

peccatorem, & ſtultum illis oſtenderet, & ità tamquam peccatorem flagellauerunt illum, & tamquam ſtultum corona ſpinea coronauerunt; in lacu inferiori poſuerunt, quia peccatorem, & illuſum declarauerunt, Thren.cap.1.numer.7. Viderunt eum hoſtes, & deriſerunt, vndè Iſai. cap.14. num.15. vt oſtenderet pœnam peccati, qualis ſit, dixit; Detraheris in profundum laci; vt verò & illuſum, & peccatorem Ieſum declararent, provt ait Ierem. in Thren.cap.3.n.30. Saturabitur opprobrijs, & ibid.num.45. eradicationem, & abiectionem poſuiſti me in medio populorum, & numer.6. In tenebroſis collocauit me, quaſi mortuos ſæculi; & num.14. Factus ſum in deriſum omni populo meo, canticum eorum tota die. Dominum ergo peccatorem pœna dignum, & ſtultum, quia deriſum populo oſtenderunt, poſuerunt in lacu inferiori, in tenebroſis collocauerunt illum, quaſi mortuos ſæculi, & in vmbra mortis.

Ideò in vmbra mortis, ideſt in monte Caluario, vbi mali puniuntur, ſecundum Gloſſ. hìc. Vel in vmbra mortis, vt ſcilicet in obliuione ponerentur geſta per Chriſtum, hìnc D. Gregor. cap.10. in 4.Moral. Per vmbram mortis obliuio debet intelligi, quia ſicut mors interimit vitam, ità obliuio extinguit memoriam. Et in eodem lib.4. Moral.cap.17. litera D. In Scriptura enim ſacra vmbra mortis accipitur aliquando mentis obliuio, aliquando imitatio Diaboli, aliquando mors carnis: Vmbra enim mortis obliuio mentis accipitur, quia, vt ſupra diximus, ſicut mors hoc, quod interficit, agit, vt non ſit in vita; ità & obliuio hoc quod intercipit agit, vt non ſit in memoria. Vndè & rectè, quia Ioannes Hebræorum populo eum, cuius obliti fuerant, Deum prædicare veniebat, per Zach. dicitur, Luc.cap.1. litera B. Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent. In vmbra enim mortis ſedere eſt à diuini amoris notitia in obliuione lateſcere. Vmbra mortis imitatio antiqui hoſtis accipitur, ipſe enim, quia mortem intulit mors vocatur, Ioanne atteſtante, qui ait Apocalip.cap.6. litera B. & nomen illi mors. Per vmbram igitur mortis, eius imitatio deſignatur, quia ſicut vmbra iuxtà qualitatem corporis ducitur, ità actiones iniquæ ſpecie eius imitationis exprimuntur; vndè rectè Iſai.d.cap.9. cum Gentiles populos ab antiqui hoſtis cerneret imitatione defeciſſe, eosq. ad veri ſolis ortum reſurgere, quæ certò conſiderata quaſi ex præteritis narrat, dicens. Sedentibus in tenebris, & vmbra mortis, lux orta eſt eis; Vmbra enim mortis, mors carnis accipitur, quia ſicut vera mors eſt, qua anima ſeparatur à Deo, ità vmbra mortis eſt, qua caro ſeparatur ab anima, vndè Pſalm.43.num.20. Propheta voce Martyrum rectè dicit; Humiliaſti nos in loco afflictionis, & operuit nos vmbra mortis. Quos enim conſtat non ſpiritu, ſed ſola carne mori, nequaquam ſe vera morte, ſed vmbra mortis dicuntur operiri. Quid eſt ergo, quod beatus Iob in cap.3. ad obſcurandam diem prauæ delectationis poſtulat vmbram mortis? niſi quòd ad delenda peccata ante Dei oculos, Dei & hominum mediatorem requirit, qui ſolum pro nobis carnis mortem ſuſciperet, & veram mortem delinquentium per vmbram ſuæ mortis deleret? Ad nos quippè venit, qui in morte ſpiritus, carnisq. tenebamur, vnam ad nos ſuam mortem detulit, & duas noſtras, quas reperit, ſoluit. Si enim ipſe vtranque ſuſciperet, nos à nulla liberaret. Sed vnam miſericorditer accepit, & iuſtè vtranque damnauit; ſimplam ſuam duplæ noſtræ contulit, & duplam noſtram moriens ſubegit, vndè & non immeritò vno die in-

ſepul-

ſepulchro, & duabus noctibus iacuit, quia videlicet lucem ſuæ ſimplæ mortis, tenebris duplæ mortis noſtræ adiunxit, qui ergo ſolam pro nobis mortem carnis ſuſcepit, vmbram mortis pertulit, & à Dei oculis, culpam, quam fecimus abſcondit; hæc D. Gregor.

Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. Quid eſt quod dicit furor tuus? ità etiam Pſalm.105. num.40. Iratus eſt furor tuus Domine in populum tuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam; nunquid perturbatio cadit in Deum? Non certè perturbatio cadit in Deum, ſed de conſuetudine tranſlatum, potentiam vindicandi hoc nomen accepit, Auguſtin. d. Pſalm.105. litera E. Ira enim Dei eſt, vt omnes indigni beatitudine ſempiterna, ipſo iudicante, puniantur ſupplicio. Idem Auguſtin. de Ciuit. Dei ad Marcellin. lib.21. cap.18. lit. M. Tom.5. Eſt ergo ira Dei non perturbatio animi eius, ſed eſt iudicium, quo irrogatur poena peccati, & lib.15.cap.25. Tom.5. Nos enim iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus, ideò inexorabilis eſt, occidiſti in furore, & percuſſiſti nos, occidiſti, nec peperciſti, Tren.cap.3.num.42.

Cum ergo omnium ipſe Dominus Ieſus Chriſtus peccata tulerit, & pro tranſgreſſoribus pœnas portauerit, quid mirum, ſi ſuper illum confirmatus ſit furor Dei Patris, ideſt iudicium contrà ipſum datum ſit, vt qui omnium peccata ferre ſe obtulit, omnium etiam pœnas in ſe haberet, atque portaret, vndè vt ſupra dixit Ierem. pro Chriſto; Videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus, ò vos omnes, qui tranſitis per viam, cap.1.num.12. in Thren.

Super me ergo confirmatus eſt furor tuus, quem propter peccatum, Gentes, & populus ingratus Iudæorum ex iuſto iudicio Dei experiri debebant, pœnas ſcilicet æternales, & perditionem perpetuam animarum. Virum ergo dolorum rectè Propheta vocat Dominum Ieſum, Iſai.cap.53. Quia verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Percuſſus enim à Deo, & humiliatus, & attritus propter ſcelera noſtra, attritus, inquit, vt ſententiæ rigorem oſtenderet contrà ipſum; quia poſuit Dominus in eo omnium noſtrũ iniquitatem. Confirmatus furor Domini ſuper eum, quando is dicebat, Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Confirmatus ergo, quia pœna ipſi à Iudæis in paſſione, & in cruce inflicta non videbatur maior illa, quam ille ſenſit ex Dei Patris, dum in cruce eſſet, quaſi quadam eius obliuione, & derelictione, Pſalm.21. Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti, Matth.cap.27. num.47. vt magis affligeretur à vulnerum dolore, & crucifixione; quamuis Diuinitas nunquam receſſerit ab illius corpore, & anima. Separauit ſe diuinitas, quia ſubtraxit protectionem, ſed non ſoluit vnionem; ſeparauit ſe foris, vt non adeſſet ad defenſionem, ſed non intus defuit ad vnionem, ità Magiſter lib.3.diſtin.21.

Sequitur ſecunda pars Pſalmi: Longè feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi, Matth.cap.26.num.56. Diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt, ex permiſſione ergo Dei longè facti ſunt Apoſtoli à Domino Ieſu Chriſto, & ità maior fuit illius afflictio, & dolor; cum ſolus ſine aliquo adiutorio humano coram iniquis illis ſe videret, Iob cap.19.num.13. Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quaſi alieni receſſerunt à me. Timore verò diſcipuli correpti abierunt, non vt illum negarent, vel in totum derelinquerent, Marc. cap.14.

cap.14. Nàm Petrus à longè cum Ioanne sequebatur, alij discipuli in Galilæam abierunt in montem, vbi constituerat illis Iesus, Matth.cap.28.num.16. Non recessit tamen traditor ab illo, qui cum cohorte apprehendit eum, osculo illum tradens, vt ostenderet illum militibus, vndè in Eccles. dicitur cap.12. num.8. Non agnoscetur in bonis amicus, & non abscondetur in malis inimicus, & Gregor. Moral.7.cap.10. lit. D. cum sequen. Amissio felicitatis interrogat vim dilectionis, nec prosperitas amicum indicat, nec aduersitas inimicum celat; quia & ille sæpè prosperitatis nostræ reuerentia tegitur, & iste ex confidentia aduersitatis aperitur, &c. & tantò se nequius contrà auctorem erigit, quantò hunc, nec pium in salute propria, nec iustum in alieno vulnere agnoscit: hæc Gregor.

Posuerunt me abominationem sibi, illi scilicet iniqui, Iesum tamquàm abominabilem tenuerunt, & coram Pilato talem illum dixerunt, quòd malefactor esset, & populum subuerteret, atque seduceret. Augustin. hic: Posuerunt abominationem sibi, possunt, inquit, & illi quidem intelligi, quos notos sibi dixit, quia & ipsi genus illius mortis horrebant, sed melius intelligitur de his, de quibus suis persecutoribus superius loquebatur. Non poterat Iesus longè factos à se amicos adire, quia & captus certè illos adijsset, sicut quando ijdem ad festum in Ierusalem abierunt, Iesus non abijt; postquam autem abierunt, & Iesus secretò illos sequutus est, Ioan.cap.7.num.8.

Traditus enim erat, & non egrediebatur, oculi eius languerunt præ inopia. Non defecerat potestas, quia Deus est, non tamen egrediebatur Diuinitas, ne potestas illius deesset. Oculi eius, ideſt discipuli, languerunt præ inopia, nàm etsi traditus à discipulo, facilis tamen ei erat liberatio; quia solo nutu illos delere poterat, dixerat enim Iesus Petro, Mitte gladium in locum suum, an ignoras, quia si rogauero Patrem, mittet pluspuam duodecim legiones Angelorum? Calicem, quèm dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Ioan.c.18. num.11. Matth.cap.26.num.53. Oculi etiam eorum languerunt præ inopia, videntes eum ligatum, & quasi inopem, & omni auxilio destitutum; Oculi eius præ inopia languerunt, quia magistro priuati erant; quem crudeliter percussum, & crucifixum videbant; Augustin. hìc litera E.

Traditus sum, inquit, & non egrediebar, vtrum, quia foris erant discipuli eius, quando ipse intus iudicabatur; An potius; Non egrediebar, altius dictum debemus accipere, ideſt in interioribus meis latebam; non ostendebam, quis essem, non propalabar, non manifestabar, & ideò sequitur. Oculi mei infirmati sunt ab inopia; nàm quos eius oculos intellecturi sumus? nàm si exteriores in carne, in qua patiebatur positos, non eos in eius passione legimus infirmatos ab inopia, ideſt tamquam fame, vt assolet, languisse: post cœnam quippè traditus, & eodem die crucifixus est; si interiores, quomodò infirmati ab inopia, cum in eis esset lux indeficiens? sed nimirum oculos suos dixit membra, quæ in suo corpore, cui caput est, ipse clariora, & præcipua diligebat. De quo corpore Apost. loquès, & de nostro corpore similitudinem adhibens, ait, Si totũ corpus oculus, vbi auditus? si totum corpus auditus, vbi odoratus? si fuissent omnia vnum membrum, vbi corpus? nunc autem multa membra, vnum autem corpus. Non potest dicere oculus manibus opus vobis non habeo; & si dixerit manus, quia non sum oculus, non sum de corpore, non ideò non est

de

de corpore? quid autem his verbis vellet intelligi, euidentius expressit, dicens; Vos autem estis corpus Christi, & membra, 1.Corinth. cap. 12. Quapropter & illi oculi, idest sancti Apostoli, quibus non reuelauerat caro, & sanguis, sed Pater, qui in cælis est, vt Petrus diceret, Matth.cap. 12. Tu es filius Dei viui. Videntes eum tradi, ac tanta perpeti mala, quoniam non eum videbant, qualem volebant, quia non egrediebatur, idest non manifestabatur in virtute, & potentia sua; sed in suis interioribus oculis omnia quasi superatus, atque impotens sufferebat, infirmati sunt ab inopia, velut subtracto sibi cibo suo, lumine suo, hæc Augustin.

Traditus sum & non egrediebar. Surgite, dicebat Iesus, eamus, ecce appropinquat, qui me traditurus est, Matth.cap.26.num.47. non latuit Dominus, non fugit, non est egressus, surgite, inquit, eamus, idest obuiam illi ocurramus, qui me tradet. Oculi mei languerunt præ inopia; quis est, dicebant, qui te traditurus est? dolentes erant Apostoli præ carentia deficientis fratris, qui Dominum traditurus erat; Nunquid ego sum Domine? præ inopia deficientis spiritus boni in traditore lamentabantur.

Clamaui ad te Domine, tota die expandi ad te manus mea. Iàm in principio huius Psalmi latius diximus, nàm quasi idem in hoc vers. continetur; clamaui ad te Domine, quia opus consummaui, quod mihi dedisti, vt faciam: propterea clamaui ad te, vt eos seruares, quos dedisti mihi: pro his rogo, & pro ijs, qui in me credituri sunt, manus meas in cruce expandi, vt & illis prosit oratio mea. Nam pro illis, quos tu dedisti mihi, & pro alijs, qui in me credituri sunt, ego in mundum veni, & toto tempore, quo ibi steti, & factis, & verbis ipsos docui, vt te Patrem meum glorificarent, & fidem, quam eis prædicaui, reciperent, & receperunt illam, & crediderunt, & tui sunt. Tanta pro istis passus sum, & coram illis mirabilia feci; Nunquid pro ijs, qui mihi, & tibi mortui sunt, quia non crediderunt, dum hanc degerent vitam, mirabilia facies, vt saluentur? aut Medici, & Prædicatores suscitabunt illos, vt confiteantur tibi? post mortem non est confessio, non est pœnitentia.

Tota die clamaui ad te, expandi manus meas ad te. Pro membris suis loquitur Dominus, pro Ecclesia sua sancta: quam exaudiri cupit à Deo, vt salua sit, quia membra eius sunt fideles, vt cum ipso resuscitati respirent, quia crediderunt, & ore, atque opere fidem sanctam profitentur, propterea dicit; Tota die expandi manus meas ad te. In tui honorem, & laudem opera charitatis exercendo, aliosq. docendo quæ sunt ad salutem. Multos vocasti ad nuptias, pauci venerunt; multi sunt vocati, sed pauci electi; & si adhùc in sepulchro sunt obstinati increduli, nunquid narrabunt ibidem misericordiam tuam, & veritatem tuam, qui sunt in perditione? Quasi dicat; Non certè, quia non mortui laudabunt te Domine: neque omnes, qui descendunt in infernum; sed nos qui viuimus benedicimus Domino ex hoc nunc, & vsque in sæculum, Psal. 113.n.17. Sed nos, qui membra Christi sumus, qui in Ecclesia eius subsistimus, laudes dicamus Domino Deo nostro, cuius sanguine redempti sumus. Nunquid mortuis facies mirabilia? Augustin. hìc: Homines corde iàm mortuos, vt eos ad vitam fidei tanta Christi miracula non mouerunt; neque enim propterea dixit, non eis fieri mirabilia, quia non ea vident, sed quia non eis prosunt. Nàm, sicut hìc ait, Tota die expandi manus meas ad te, quia omnia

opera ſua nòn niſi ad voluntatem Patris refert, ſæpiſſimè ſe conteſtans, ideò veniſſe, vt voluntatem Patris impleret. Ità quia eadem opera etiam infidelis populus vidit, alius Propheta dicit, tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem, Iſai. cap. 56. ipſi ſunt mortui, quibus non ſunt facta mirabilia, non quòd ea non viderunt, ſed quòd per ea non reuixerunt, hæc Auguſtin.

Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Animæ ob peccata mortuæ ſepulchrum eſt corpus, vt colligitur ex Euangelio, Matth. cap. 23. num. 27. Similes eſtis ſepulchris dealbatis, & ſepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, iudica illos Deus, Pſalm. 5. num. 11. Quod ſi ità in ſepulchro anima perdita inclusa reperiatur, quomodò alijs ſalutem prædicare audebit, ideò Pſal. 49. nu. 16. Dixit Deus peccatori, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? quia ſcilicet cum in ſepulchro tu ſis, miſericordiam meam alijs enarrare præſumpſeris, & cum ſis perditus, veritatem meam alteri narrabis, vt tecum ſit in perditione? Quaſi dicat, Si miſericordiam meam narraſſes, quòd pœnitentibus do veniam, & veritatem etiam dixiſſes, quod perditis, & iniquis obſtinatis do mortem ſempiternam, quis crederet tibi? Sed certè hæc narrabis, quin potius contraria & miſericordiæ, & veritati meæ ad alios perdendos, quia Diaboli miniſter effectus ſocios cupis habere pœnarum, Ioan. c. 8. Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis facere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo, &c.

Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis? Si vos iniqui, & obſtinati tenebræ eſtis, quomodò lucem alijs prædicare, vel enarrare poteritis? lux fuit in tenebris veſtris, & tenebræ veſtræ eam non comprehenderunt, Ioan. c. 1. Stultus in tenebris ambulat, Eccleſ. 2. nu. 14. immo grauiores tenebris eſtis, Sap. 17. n. 20. in fine: nàm ſi oculus tuus nequam eſt, ò inique, & totum corpus tuum tenebroſum erit, vndè Matth. ex ore Ieſu Chriſti, cap. 6. num. 23. Si ergo lumen, quod in te eſt tenebræ ſunt, ipſe tenebræ quantæ erunt? quæ laus ex te, qui totus tenebroſus es?

Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis? Apoſt. ad Epheſ. 4. nu. 17. Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis ipſorum, &c. Alienati à Deo, ideò tenebræ, quia à luce, quæ eſt ipſe Deus, ſunt facti alieni; hinc Auguſt. hic lit. M. Quod eſt in tenebris, hoc eſt in terra oblita, infideles enim ſignificantur nomine tenebrarum, hinc dicit Apoſtolus, ad Epheſ. cap. 5. num. 8. Fuiſtis aliquandò tenebræ: nunc autem lux in Domino; ſic & terra oblita, homo eſt, qui oblitus eſt Deum; poteſt namque anima infidelis, vſque ad tantas tenebras peruenire, vt dicat ſtultus in corde ſuo, non eſt Deus, Pſalm. 13. num. 1.

Totus ergo iſte ſenſus ità connectitur, & continuatur, clamaui ad te Domine inter paſsiones meas, tota die expandi manus meas ad te, ideſt non deſtiti ad te glorificandum extendere opera mea. Cur ergo impij in me ſæuiunt, niſi quia mortuis non facis mirabilia? ideſt non commouentur ad fidem; nec medici eos exſuſcitabunt; vt confiteantur tibi, in quibus occulta gratia tua non operatur, qua trahantur, vt credant, quia nemo venit ad te, niſi quem tu

attra-

attraxeris. Nàm quis enarrabit in ſepulchro miſericordiam tuam, ideſt animæ mortuæ, cuius mors iacet ſub corporis pondere: & veritatem in perditione, hoc eſt in tali morte, nihil bonum valenti credere, atque ſentire? nunquid enim in tenebris huius mortis, hoc eſt in homine, qui ſe obliuiſcendo vitæ lumen amiſit, tua mirabilia, & iuſtitia cognoſcentur? Hæc Auguſtin.

Et ego ad te Domine clamaui, & mane oratio mea præueniet te. Hæc pars quarta, in qua Chriſtus nomine Eccleſiæ ſuæ ſanctæ loquitur, poſtquam de mortuis corde locutus eſt, quorum memoria delebitur, quid de alijs membris Eccleſiæ faciendum ſit, & quid de illis promittat Patri ſuo filius ſuus, ideò incipit. Et ego, vt tibi placeam Domine, Ego quæ de illis membris, quæ perdita ſunt, intellexi, inquit Eccleſia, clamaui ad te. Ad cuius expoſitionem, quæ hìc per Auguſtin. ſanctum ſcribuntur ponere de verbo ad verbum propoſui, nàm aurea verba ſunt, & ex toto corde obſeruanda, & magnificanda; neminem enim alium expoſitorem vidi meliora dicentem, & vtiliora.

Occurrebat autem, inquit ille, quæſtio, quis nàm ſit vſus ipſorum mortuorum, quid ex eis agat Deus ad vtilitatem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, vt in eis demõſtretur, quę ſit Dei gratia in prędeſtinatis, qui ſecundum propoſitũ vocati ſunt; vndè ipſum corpus in alio Pſal. 56. dixit, Deus meus miſericordia eius præueniet me, Deus meus demonſtrauit mihi in inimicis meis. Ergo & hìc ſequitur, ac dicit; Et ego ad te Domine clamaui, in quibus verbis iàm intelligendus eſt Dominus Chriſtus ex voce corporis ſui loqui, ideſt Eccleſiæ. Quid eſt enim, & ego, niſi quia fuimus & nos aliquando natura filij iræ, ſicut cæteri? ad Epheſ. c. 2. Sed ad te clamaui, vt ſaluus eſſem, quis enim me diſcernit ab alijs filijs iræ? cum Apoſtolum audiam, 1. Corinth. 4. erga eos terribiliter increpantem, ac dicentem, quis enim te diſcernit? quid autem habes quòd non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Domini eſt ſalus, Gigas autem in multitudine virtutis ſuæ non erit ſaluus; ſed ſicut ſcriptum eſt, ad Rom. c. 10. Qui nomen Domini inuocauerit, ſaluus erit, quomodò autem inuocabant in quem non crediderant? aut quomodò credent ei, quem non audierunt? quomodò autem audient ſine prædicante? aut quomodò prædicabunt, ſi non mittantur? ſicut ſcriptum eſt; Quàm ſpecioſi pedes eorum, qui annunciant pacem, qui annunciant bona. Ipſi ſunt mediei curantes à latronibus ſauciatum. Sed Dominus perduxit eum ad ſtabulum, quia ipſi ſunt etiam operantes in agro dominico; nec tamen qui plantat eſt aliquid, aut qui rigat, ſed qui incrementũ dat Deus, 1. Corinth. 4. Ideò & ego ad Dominum clamaui, hoc eſt, Dominum, vt ſaluus eſſem inuocaui. Quomodò autem inuocarem, niſi crederem? Quomodò crederem, niſi audirem? ſed vt audita crederem, ipſe me attraxit, quia in occulto à morte cordis non quilibet medicus, ſed ipſe excitauit. Nàmq. multi audierunt, quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed non omnium eſt fides, & nouit Dominus, qui ſunt eius, ac per hoc nec credere potuiſſem, niſi me Dei gratia præueniſſet. Et quia mortuos ſuſcitat, & vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt, me in occultis vocando, & ſuſcitando, & trahendo, à tenebris eduxiſſet, & ad lumen fidei perduxiſſet. Ideò ſequitur

Et mane oratio mea præueniet te. Iàm mane, poſteaquam nox infidelitatis, & tenebræ tranſierunt, quod mane, vt mihi eſſet miſericordia quidem tua

præuenit me. Sed quia reſtat illa clarificatio, vbi illuminabuntur occulta tenebrarum, & manifeſtabuntur cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à te. Nunc autem in iſta peregrinatione, in hac luce fidei, quæ in comparatione tenebrarum infidelium, iàm dies eſt, ſed in comparatione diei, vbi videbimus facie ad faciem, adhùc nox eſt; adhùc oratio mea præueniet te. Vt autem iſta ferueſcat, & exerceatur oratio, quod nobis quantum expedit, nullis vt opinor verbis explicari poteſt, differtur bonum, quod in æternum dabitur, & mala tranſitoria crebreſcunt, ideò ſequitur. Hucuſque Auguſtin.

Vt quid Domine repuliſti orationem meam, quia ſcilicet differre videris adiutorium tuum? nàm repleta eſt malis anima mea, & factus ſum ſicut homo inter mortuos liber, vt quid repellis orationem, vt citò me de iſto carcere pœnoſo non liberes? Non repellit Dominus, quod pro maiori gloria tua differt: non abſtulit auxilium, vt habeas ex certamine inter Sanctos habitationem tuam; non aufert auxilium, qui in tribulatione tua ſemper eſt tecum: non auertit faciem ſuam à te, & ſi multiplicet mala, & differat in datione boni; vt probans te Deus inueniat te illo dignum eſſe, Sapien.cap.3.num.5. & vt quaſi holocauſti hoſtiam accipiat te.

Auertere enim dicitur Deus faciem non dando, quod volunt, ſed quod non expedit; Auguſtin. Contigerunt, & contingunt omnia hæc in membris corporis Chriſti, & auertit Deus ab orantibus faciem, non exaudiendo ad id, quod volunt, quando ſibi neſciunt non expedire, quod petunt. Clamat Eccleſia, repellitur deprecatio, quærit Eccleſia cauſam à Deo, dicens; Vt quid Domine repellis orationem meam, auertis faciem tuam à me? Differtur bonum, multiplicantur mala. Sed nunquid à Deo quærenda eſt ratio, cur ità facit; ò homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? ad Rom.9 Reſpondere Deo non poſſe conuincitur, qui homo nominatur, quia per hoc quod de humo aſſumptus, iudicia ſuperna diſcutere dignus non eſt, S. Greg. Moral.lib.9.c.9. Quia nequaquam ſufficit ſenſus, vt ſecreta penetret Maieſtatis, Sap.c.12.n.12. Quis enim dicet tibi, quid feciſti, &c. aut quis in cõſpectu veniet vindex iniquorũ hominum? aut quis imputabit tibi, ſi perierint nationes, quas tu feciſti? Iuſtus eſt Dominus, & ipſe ſcit, quid tibi opus ſit; nàm ſi multiplicantur mala, ideò vt tu Eccleſia, & fideles tui magis laudantes Deum, exemplo veſtro conuertantur mali ad Dominum. Quoniam iudicans Dominus, dat locum pœnitentię in peccatis, Sap.d.c.12. Inimicos ſeruorum tuorum, inquit, & debitos morti cum tanta cruciaſti attentione, dans tempus, & locum per quæ poſsint mutari à malitia. Dat enim Dominus dilectis ſuis aliquando diſciplinam, & inimicos Eccleſiæ multipliciter flagellat, vt eius bonitatem cogitent iudicantes. Cauſam ponit Auguſtin. dicens, Ad hoc enim oratio Sanctorum dilatione tanti beneficij, & tribulationum aduerſitate, quaſi repellitur, vt tamquam ignis flatu repercuſſus inflammetur ardentius. Et ego ad te Domine in tribulationibus poſitus, in cruce eleuatus clamaui ad te, vt quid Domine deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione, Pſalm.9.num.21. vt quid dereliquiſti me? vt, inquit, oratio tua mane perueniat ad me: mane peruenit oratio ad Dominum, ſi pœnitens, & propterea tribulatus confiteatur peccata ſua, vt tunc mane factum in illo, vt lux orta illi, orans ad Deum, exaudiatur à Domino.

Et ego ad te Domine clamaui, dicit Ieſus Chriſtus in orationis arcano, & mane

oratio

oratio mea præueniet te ; Quia matutina me resurrectione clarificabis , dicit S. Hieron. vt quid Domine repellis orationem meam , vt non transeat calix iste .

Pauper sum ego , & in laboribus à iuuentute mea, exaltatus autem humiliatus sum , & conturbatus . Pauper Christus , qui in præsepio natus ; in laboribus à iuuentute , quia esuriuit fatigatus ex itinere ; exaltatus , quia in cruce positus fuit ; humiliatus , & conturbatus , quia despectus , nudus , spinea corona coronatus , & delusus ; vndè in alio Psalm. 128. num. 1. Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea: supra dorsum meum fabricauerunt peccatores .

Pauper sum ego ; à iuuentute mea in laboribus , nàm à principio pauper fuit Ecclesia , quia pauci erant in illa ; in laboribus fuit à iuuentute, Paul. ad Heb. cap. 11. num. 33. Per fidem vicerunt regna , operati sunt iustitiam , adepti sunt repromissiones , obturauerunt ora leonum , extinxerunt impetum ignis , effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate,& num. 35. Alij autem distenti sunt , non suscipientes redemptionem , vt meliorem inuenirent resurrectionem ; alij ludibria , & verbera experti sunt , insuper & vincula , & carceres, lapidati sunt, secti sunt , tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt . Circumierunt in melotis , in pellibus caprinis , egentes , angustiati , afflicti , &c. in solitudinibus errantes , in montibus , in speluncis , & in cauernis terræ . Et hi omnes testimonio fidei probati , non acceperunt repromissionem , Deo pro nobis aliquid prouidente , vt non sine nobis consummarentur . Nàm & ipsi Apostoli, & serui Dei in iuuentute Ecclesiæ quantas passi sint tribulationes, & martyria notum est . Propterea Paul. ad Colossens. cap. 1. num. 24. Qui nunc, dicebat , gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea , quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius , quod est Ecclesia, &c. Et idem Apostolus ad Thessalon. cap. 2. num. 9. Memores estis fratres laboris nostri , & fatigationis, nocte , ac die operantes , ne quem vestrum grauaremus , prædicauimus in vobis Euangelium Dei .

Et in laboribus à iuuentute mea ; nunc verò exaltata Ecclesia Dei , & semen eius , quia hæreditabit Gentes , & locum tentorij dilatauit , Isai. c. 54. nu. 3. & 4. & cor suum mirabatur , quia & dilatabatur , quando filiæ de eius latere surrexerunt , & filij sui de longè venerunt , omnesq. de Saba venerunt, aurum , & thus deferentes , & laudem Domino annuciantes , Isai. cap. 60. num. 4. cum sequen. inimicus homo , Diabolus scilicet superseminauit zizania , quæ vsque ad messem relinqui voluit Dominus . Propterea exaltata , humiliata tamen , & conturbata , quia ab Hæreticis , & Infidelibus malè torquetur , infestatur , in pace sua turbatur , propterea sequitur dolens .

In me transierunt iræ tuæ , & terrores tui conturbauerunt me . Pertransierunt , quia portæ inferi non præualebunt aduersus eam . In me transierunt , quia tempore messis illi , qui me conturbabant tradentur ad comburendum ; In me transierunt iræ tuæ , at in inimicis permanebunt . Ad fideles transeunt iræ Domini , quia quos recipit , flagellat Dominus ad correptionem , non ad peremptionem , Apocal. cap. 3. num. 19. Prouerb. cap. 3. numer. 10. Quos enim amat Dominus corrigit , & castigat, & Deut. cap. 32. num. 39. Ego solus percutiam , & ego sanabo ; ego occidam, & ego viuere faciam . Et terrores tui conturbauerunt me , Iob cap. 6. num. 4. & terrores Domini militant contrà me ,

Digitized by Google

& cap. 23. num. 11, apud Deum potestas, & terror est.

Circundederunt me sicut aqua tota die, circundederunt me simul. Nàm donec sæculum durabit, tota die, toto tempore, non deerunt Ecclesiam tribulantes Hæretici, & iniqui. Circundederunt me sicut aqua, 2. Corinth. cap. 7. num. 5. Vndè Paulus, cum venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus, foris pugnæ, intus timores. Nàm sicut aquæ effusa sunt ossa mea, Psalm. 21. num. 15. D. Gregor. c. 7. Moral. cap. 3. litera A. In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Interni quippè iudicis postquam iræ pertranseunt, etiam terrores conturbant; quia iàm aliud de damnatione patimur, & adhùc de æterna vltione formidamus.

Circundederunt me sicut aqua. Nàm quando multiplicantur peccata, circundare dicuntur hominem, sicut aqua, quæ mergit. Propterea transierunt in me iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me timore iudicij futuri. Veniant ergo tribulationes, dum sum in hac vita: quia viuam, si mandata tua requiram, & miserationes tuæ præuenerint me, si lex tua meditatio mea erit, Psalm. 118. num. 77.

Vel si versiculum de passione Christi intelligamus, provt verè de passione loquitur illius, circundederunt sicut aqua tota die, profectò Iudæi semper contrà Iesum steterunt, vt caperent eum in sermone, vt tamquam legis transgressorem accusarent, dicerentq. Non licet Sabbato curare: quomodò minus potestatem habens, eijceret de Templo ementes, & vendentes; quòd in Beelzebub dæmonia eijceret, & tandem quòd se Regem faceret, ac Seductorem plebis, & peccatorem asserentes. Tota die circundederunt illum sicut aqua, quæ fluens portat munditias, & stercora. Circundederunt simul, quia omnes contrà Iesum conuenerunt. Et facti sunt amici in illa die Herodes, & Pilatus. In me, inquit ipse, transierunt iræ tuæ Domine, quia omnium peccata portaui, & terrores tui conturbauerunt me, quia populus, pro quo veni, quem cognoui, non obediuit mihi, populus insipiens incitauit me, Psalm. 73 num. 18. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, Act. Apost. cap. 13. num. 47. Ideò elongasti, inquit, à me amicum, & proximum, & notos meos à miseria: sæpè enim iustis humana officia subtracta sunt timore, ideò amicos, dicit, elongasti à me.

Circundederunt me tota die, propterea illis dicebat Iesus, Marc. 9. num. 18. O generatio incredula quamdiù apud vos ero? quamdiù vos patiar? Vt hinc expeditior venirem ad te Domine, elongasti à me proximum, & amicum, & notos meos à miseria, qua circundatus sum; sed vt eorum vires certamen plenæ probationis erudiat, hoc nonnunquam, & foris tormenta lacerant, & intus tentamenta castigant, Gregor. Moral. lib. 9. cap. 12. Qui de patientia Iob loquens dicit, Vir sanctus impletum se amaritudinibus asserit, quia cùm flagella exterius tolerat, illud est grauius, quòd de tentatione aduersarij in intimis portat. Sed inter hæc mitigat vim doloris considerata æquitas, & potentia ferientis. Cæterum non sic à miseria elongantur amici ab eo, & noti, vt vitia illius, in quo nulla erant tergerentur, sed vt meritum passionis augeretur. Elongasti à me amicum, & proximum vt nec misericordiam inuenirem. Sed eos, qui noti erant mei, elongasti, non tamen deiecisti, sed ad tempus in modicum

cor-

Digitized by Google

corpore longè fuerunt à me: qui tamen corde, & animo non longè à me erant. Nonnè, dicebant, cor noſtrum ardens erat, cum loqueretur in via? Luc. 24. num. 18. & 32. Igne amoris erant propè, qui longè erant, aut videbantur in corpore. Triſtes duo illi eius Diſcipuli ibant, ſed de Chriſti exceſſu inuicem loquebantur. Elongaſti à me amicum, & proximum, qui pro me paratus mori dicebat: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor, etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo, Matth. 26. num. 32. Et notos à miſeria; nàm qui veneram, vt ſanguine meo redimerem, torcular calcare debebam, Propterea in captura dixit Ioan. cap. 18. num. 8. Sinite hos abire, quia ego ſolus calcare debeo, & de gentibus non eſt vir mecum, Iſai. cap 63. num. 3. Circumſpexi, & non erat auxiliator; quæſiui, & non fuit, qui adiuuaret, Iſai. ibidem num. 5.

SOLILOQVIVM.

LONGE ergo amici, & proximi facti ſunt à te, & noti tui à miſeria; ego verò ſeruus tuus, ſed amicus, quia talem tu me vocaſti, id vnum ſtudeo, vt non longè ſiam à te. Anima enim mea in hoc caliginoſo loco continuis afflictionibus repleta, obnititur vt ſemper ſit propè te, cum dixeris te ſemper mecum eſſe in tribulatione. In die clamani coram te: Sed longè à ſalute mea verba delictorum meorum. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Iunior fui, & nunc in hac nocte ſenectutis meæ vſque in ſenectam, & ſenium, Deus meus, & Redemptor meus ne derelinquas me, quia ecce conuerſus ſum ad te; recogitans tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Intret in conſpectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam; quia malis repleta eſt anima mea, & vita mea ſine te inferno appropinquans eſt, & deſcendentibus in lacum ſimilis facta. Nàm malorum multitudo circundedit me; vt viuus quidem in carne, at mortuus in anima numerari poſſim inter mortuos pariter quòad animam, quæ in corpore tamquam in ſepulchro ſepulti ſunt, à iuſtis ſegregatus, & de viuentium conſortio tamquam eiectus. Sed tu Domine libera me; Dicas quæſo & mihi, ſicut & leproſo illi, Mundare, & à peccatis omnibus liber ero; vt inter mortuos liber factus, & mundus, merear ad te venire. In lacu inferiori cum alijs peccatoribus, & obnoxijs poſitus iàm eram, & mortuus tibi, qui es vita mea. Propterea noti mei Apoſtoli, & Euangeliſtæ, quorum totus antea addictus eram ſtudio, longè facti fuere à me, ità vt per os meum teſtamentum tuum aſſumere nec auderem: immo & iuſtis quibusq. abominatio factus fuerim. Sicquè malorum concupiſcentia trahebar, vt nec ab illis egredi valerem. Poſtquam gratia tua ad te conuerſus ſum, præ inopia maioris ſpiritus aſſiduè languerunt oculi mei; adeòq. manus meas extendens ſuppliciter exoro, deleas peccata mea, opem mihi præſtans, vt mundo corde in futurum tibi ſeruiam, ac mirabilia tua, laudesq. tuas cantare in choro charitatis valeam. Quod ante facere neglexi, in peccatorum inferni profundo detentus, & quia perditus eram, veritatem tuam narrare nequibam; in terra oblitionis, & ignorantiæ totus poſitus. Nunc verò tu mane, tu lux orta es mihi, ecce clamo,

vt

Digitized by Google

vt oratio mea perueniat ad te; ne me repellas Domine; nàm pauper ſum ego à iuuentute mea, à qua potius vitam traxi, quàm duxerim. Exaltatus autem, & grandior, ac ætate prouectior factus de meliorum ſpe deiectus, & difficultatum mole turbatus, auctas eſſe calamitates, & pericula cognoſco. Eo quòd in me tranſierint iræ tuæ, & terrores tui conturbauerint me; quia mors peccatoris peſſima. Et quia deliqui, confundor, aqua tribulationum circundor, cum à proximis me elongatum proſpiciam; & à notis meis propter meas miſerias. Lux gratiæ tuæ orta eſt mihi, Domine in auxilium meum reſpice, clamantem me quotidie ſuſcipe, ne elongeris à me, quia conuerſus ſum ad te. Illumina oculos meos, ne amplius dormiam in morte. Omnes Sancti, quorum feſtiuitatem hodierna die celebramus, intercedite pro me; Benedic & tu anima mea Domino, & cum Sanctis omnibus vocem tuam exalta, dicens cum Eccleſia: Ieſu Saluator ſæculi redempto mihi ſubueni, & pia Dei Genitrix ſalutem poſce miſero; vosq. cætus Angelici, Patriarcharum cunei, & Prophetarum merita', mihi precemini veniam; Sancti Dei omnes orate, vt & ego vobiſcum dignus efficiar promiſſionibus Chriſti. Amen.

IN PSALMVM LXXXVIII.

Miſericordias Domini in æternum cantabo.

ITVLVS. Intellectus Ethan Ezrahitæ. Ethan vir Propheta, & ſapiens fuit, de quo lib. 3. Reg. cap. 4. numer. 31. non tamen Salomone ſapientior, vt ibi; eſt etiam de quo Paralipom. lib. 1. cap. 6. num. 44. & cap. 15. num. 17. inter principes muſicorum à Dauid in organis muſicorum nablis, lyris, & cymbalis, vt reſonaret in excelſis ſonitus lætitiæ; hunc verò Ethan, propheticum etiam ſpiritum habentem, Pſalmum iſtum feciſſe dicunt, interpretatur robuſtus; nemo autem, dicit Auguſtin. in hoc ſæculo robuſtus, niſi in ſpe promiſſionis filij Dei.

Continuari poteſt ad præcedentem, vbi de laudibus Dei oris, & operis, & quod veſtigia eius ſequi debeamus, verùm quia Luc. cap. 17. numer. 10. dictum eſt, Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus; præcinit in hoc Pſalm. 88. Ethan Propheta, qui robuſtus interpretatur, vt operantes, quæ nobis ſupra dicta ſunt in Pſalmo præcedenti, & ſi infirmos nos eſſe cognoſcamus, in miſericordia tamen Domini ſperantes, robuſti & firmi permaneamus in illa; infirmi ergo in nobis, in miſericordia autem Dei robuſti, & nos cum Propheta cantemus.

Miſericordias Domini in æternum cantabo: Iucundè Domini miſericordias annunciabo in æternum duraturas; ſemper enim erga nos Deus miſericordiarum eſt, cuius ira, quamuis ad tempus ſit; vbi enim Dei apparuit humanitas, iàm benignitas latere non poteſt. Miſericordias ergo Domini in æternum cantabo, Gloſſ. hìc. Quomodò in æternum miſericordias cantat, & gratias agit, qui miſeriæ non meminit? quomodò autem plena beatitudo eſt, ſi memoria reatus mentem tangit? reſpondet, quòd læti etiam ſæpè triſtium meminimus, & ſani meminimus dolorum ſine dolore, & inde amplius læti, &

grati

grati ſumus; ſic itaque & miſeriæ recordatio nil beatitudinis retrahit. Nos verò dicimus, quòd ſatis miſeriæ in hoc Pſalmo Propheta meminit, ex quo totus Pſalmus de Incarnatione Domini compoſitus eſt; nàm, vt dicit D. Bernard. de Miſericordia Chriſti, cap. 3 8. In quo enim magis commendare poterat benignitatem ſuam, quàm ſuſcipiendo carnem meam? meam, inquam, non carnem Adæ, ideſt non qualem ille habuit ante culpam; quid tantopere declarat eius miſericordiam, quàm quòd ipſam ſuſceperit miſeriam? quid ità pietate plenum, quàm quòd Dei Verbum propter nos factum eſt fœnum? Cum ergo de aduentu, & de noſtræ carnis aſſumptione tractetur in hoc Pſalmo, quomodò non de miſeria Chriſti meminit Propheta? & ſi ſanando nos ſaluos fecit, quomodò nos memoria culpæ reatus non tangit, qui paſſione Chriſti ſublatus eſt? Quod autem Pſalmus totus ſit de Domini noſtri Ieſu Chriſti incarnatione, latius infrà dicemus.

Miſericordias Domini, ergo dicit, in æternum cantabo, ſed ſicut in Pſal. 61. dicitur, Duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia; quomodò hìc miſericordias Patris cantare proponit Propheta? miſericordias enim multas dicit, quia multæ ſunt tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus, Pſalm. 7. num. 20. & Pſalm. 70. num. 20. Oſtendiſti mihi tribulationes multas. Vnus eſt Dei filius, vnum Verbum; ſed miſeria noſtra multiplex, non modò magnam miſericordiam, ſed etiam multitudinem quærit miſerationum, Vndè D. Bernard. in Natali SS. Innocentium Sermon. 1. litera M. fol. 65. Fortè tamen dicit propter ſubſtantiam duplicem, qua ſubſiſtit humana conditio, cum ſit vtraquè tàm miſera, non incongruè duplex hominum dicatur eſſe miſeria, licet ſit multiplex in vtráque; ſiquidem, & corporis, & cordis noſtri tribulationes multiplicatæ ſunt, ſed ab vtriſque neceſſitatibus eruit, qui totum hominem ſaluum facit. Cum ergo vnus ille & vnicus Dei filius, etiam nunc venerit propter animas, tollere ſcilicet peccata mundi, & ſecundò propter corpora ſit venturus, vt ea reſuſcitet, & configuret corpori claritatis ſuæ; non incongruum fortaſſe videbitur, vt in eo, quòd Patrem miſericordiarum benedicimus, duplicem hanc miſericordiam confiteamur; Auguſtin. verò hìc litera A. Dixit ſuperius miſericordias, nempè miſericordias Domini in æternum cantabo; in generatione, & generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo; dixit, inquit ille miſericordias, dixit veritatem, ità rurſus vtrunque coniunxit, quoniam dixiſti, in æternum miſericordia ædificabitur, in Cælis præparabitur veritas tua. Et hìc repetiuit miſericordiam, & veritatem, Vniuerſæ enim viæ Domini, miſericordia, & veritas; neque enim exhiberetur veritas impletione promiſſorum, niſi præcederet miſericordia in remiſſione peccatorum. Deindè quoniam populo Iſrael, etiam ſecuudum carnem venienti de ſemine Abrahæ, promiſſa erant multa propheticè, & ità ille populus propagatus eſt, in quo implerentur promiſſa Dei, tamen non clauſit Deus fontem bonitatis ſuæ, etiam in alienigenas gentes, quas ſub Angelorum cura conſtituerat, portionem ſibi faciens populum Iſrael; in hæc duo populorum genera, & Apoſtolus ad Roman. cap. 15. nu. 8. diſtinctè deſcribit miſericordiam, & veritatem; ait enim Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum, ecce quia non fefellit Deus, quia non repulit Deus plebem ſuam, quam

præ-

præſciuit; etenim cum de caſu Iudæorum ageretur, ne quis putaret ſic illos improbatos, vt nihil frumenti ex illa ventilatione in horreum mitteretur, ait Apoſtolus ad Roman. cap. 11. Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit; nàm & ego Iſraelita ſum; ſi totum illud ſpinæ fuerunt; vndè hoc granum vobis loquor? Ergo impleta eſt veritas Dei in ijs, qui ex Iſraelitis crediderunt, & factus eſt vnus paries ex populo circumciſionis applicante ſe ad lapidem angularem, ad Epheſ. cap. 2. ſed ille lapis angulum non feciſſet, niſi alterum parietem ex gentibus ſuſcepiſſet. Ille ergo paries propriè pertinet ad veritatem, iſte autem alius ad miſericordiam. Dico enim, inquit, Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum. Gentes autem ſuper miſericordia glorificare Deum. Meritò in Cælis præparabitur veritas tua, etenim omnes illi Iſraelitæ, vocati Apoſtoli, Cæli facti ſunt, qui enarrarunt gloriam Dei, Pſalm. 18. vndè quod de iſtis Cælis ſermo ſit in citato Pſalm. 18. declarat ſequens eiuſdem verſ. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. Quære, quorum, non inuenis niſi Cælorum. Si ergo ſunt Apoſtoli, quorum vox audita eſt in omnibus loquelis, ipſi ſunt, de quibus dictum eſt, In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, quia & ſi aſſumpti hinc ſunt, antequam Eccleſia impleret orbem terrarum, tamen verba eorum peruenerunt vſque ad terminos orbis terrarum, impletũ eſt ergo quod hìc legitur, in Cælis præparabitur veritas tua: hæc Auguſtin.

Annunciabo ergo veritatem tuam in ore meo, in generatione, & generationem, in generatione ſcilicet Iudæorum, & generationem gentium, veritatem, quæ tua eſt, ſine qua ego mendax ſum, qui enim de ſuo loquitur, mendacium loquitur, qui autem veritatem loquitur, ex Deo loquitur; vndè Auguſtin. in princ. Ergo vt & abs te dicam, & ego dicam, duo quædam ſunt, vnum tuum, & vnum meum, veritas tua, os meum; ergo à te, ò Deus dicam veritatem, & hoc in ore meo; Sed quid dices, quia miſericordia ædificabitur in Cælis? quam veritatem annunciabis? Quoniam, ſequitur, dixiſti, In æternum miſericordia ædificabitur in Cælis, præparabitur veritas tua in eis, ipſe enim Spiritus ſanctus, ipſe Deus Pater, & Deus Filius, ipſa ſancta Trinitas, vnus Deus, qui eſt veritas, ex ore Prophetæ dixit, quia miſericordia ædificabitur in Apoſtolis ſanctis, qui Cæli dicuntur, præparabitur veritas tua in eis, & ædificabitur miſericordia in æternum: ſupra fundamentum Apoſtolorum ædificabitur ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, ad Epheſ. cap. 2. numer. 20. In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in ſpiritu. Non eſt ergo temporalis ædificatio miſericordiæ, ſicut ruina iniquitatis temporalis eſt. Deſtruitur iniquitas temporalis in quibuſdã, vt in eis æterna ædificetur miſericordia. Auguſtin. Si, inquit, ædifico, vt non deſtruam, quoniam quoſdam ſic deſtrues, vt non ædifices, quoſdam verò ſic deſtrues, vt ædifices; niſi enim quidam deſtruerentur, vt ædificarentur, non diceretur, Ierem. cap. 1. numer. 10. Ecce poſui te ad deſtructionem, & ad ædificationem; & vtique omnes, qui Idola colebant, & lapidibus ſeruiebant, in Chriſto non ædificarentur, niſi in priſtino errore deſtruerentur; rurſus niſi quidam ità deſtruerentur, vt non ædificarentur, non diceretur, Pſalm. 27. num. 5. Quoniam non intellexerunt opera Do-

Domini, & in operibus manuum eius destrues eos, & non ædificabis illos; propter eos ergo, qui destruuntur, & ædificantur, ne putarent ædificationem, qua ædificantur, esse temporalem, sicut temporalis fuit ruina, in qua destruuntur, tenuit se iste, cuius os seruit veritati Dei, ad ipsam veritatem Dei.

Veritatem tuam in ore meo annunciabo, sed quæ est veritas Domini, quam Dominus præparauit narrandam ex ore tuo? quasi dicat, audite verba Dei, quæ loquutus est, vt referam in ore meo. Disposui, dixit mihi Dominus, testamentum electis meis, iuraui Dauid seruo meo, vsque in æternum præparabo semen tuum. Disposui testamentum electis meis, pro quibus ego rogani, quos dedit mihi Pater, & pro alijs, qui credituri sunt in me, Ioan.cap.17.numer.11. & 20. Scimus ergo, quis sit iste, qui loquitur, quòd est filius Dei viui, qui disposuit testamentum nouum, vt illud prædicarent, illud seruarent, per quod illud obseruantes, etiam aliqui in ipsum credituri sunt, saluarentur; per illud enim ad nouam hæreditatem renouamur, non vtique omnibus, qui ex carne Abrahæ, vel Dauid sunt, sed electis suis disposuit. Iurauit Dominus, quod prius per pactum promiserat; secura est promissio, quæ iuramento confirmata est à Deo; robustus fias Christi fidelis, qui in ramis oliuæ, iàm oleaster, in bonam oliuam insertus es, ad Roman.cap.11.num.17. In te enim iniquitas temporalis destructa est per misericordiam, quæ per Apostolorum prædicationem ædificata est in Cælis pro te in æternum; ramos verò fractos destruxit, euulsit, vt fracti, vt scissi igni tradantur, & comburantur.

Iurauit ergo Deus seruo suo Dauid, vsque in æternum, dicens, præparabo semen tuum, 2.Reg.cap.7.num.12. Cum completi fuerint dies tui, & dormieris, &c. Suscitabo semen tuum post te, & firmabo Regnum eius vsque in sempiternum. Augustin. Semen Dauid quod est, nisi semen Abrahæ? quod autem semen Abrahæ, & semini, inquit, tuo, Genes.cap.22.nu.18. qui est Christus, ad Galat.cap.3.num.16. In quo omnes cognationes terræ benedicentur, Genes. cap.12.num.3. & cap.18.num.18. Abrahæ enim dictæ sunt promissiones, & semini eius, non dicit seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus, ad Galat. vt supra dicto cap.3.num.16. Non ergo tantùm illam Christi carnem præparabit vsque in æternum, quæ ex Maria Virgine nata est, sed etiam nos omnes dicit Augustin. credentes in Christo, illius enim capitis membra sumus, non potest hoc corpus decollari, si enim in æternum caput, in æternum gloriantur & membra, vt sit ille Christus integer in æternum.

Et ædificabo in generatione, & generationem sedem tuam. Disposuerat superius testamentum electis suis, nunc verò Christo ædificat sedem suam, quæ sedes Dauid ædificata est, mansura in æternum. Si Dauidis personam capiamus, & de eius temporali regno, nulla certè sedes, quę in perpetuum durauerit, immo in Salomonis morte diuisum, & iàm diù euersum est Regnum, quia & ille, & alij Reges mali fuerunt. In Christo ergo, & de regno spirituali intelligitur, quod est in perpetuum duraturum, & firmum; ex cuius semine Virgo Maria, cuius sedes in perpetuum duratura est. Quæ verò est Christi sedes, nisi anima iusti? vndè Luc. cap.1.num.32. Dabit enim ei Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Ideò hìc dicitur, & ædificabo in generatione, & generationem, idest

vt

vt ex omnibus generationibus sint iusti,qui erunt tibi sedes in æternum; vndè Gloss. hìc. Quid autem est sedes Christi, nisi fideles, in quibus Christus sedet, & regnat? qui ergo in Christum credunt,hi sedes sunt Christi,& semen, in quibus Christus quiescit, & regnat in generatione, & generationem, Isai. cap.9.num.7. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt illud confirmet, & corroboret in iudicio, & iustitia amodò, & vsque in sempiternum.

Confitebuntur Cæli mirabilia tua Domine, etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. Misericordia ædificabitur in Cælis, & ijdem Cæli mirabilia tua narrabunt. Etenim in Ecclesia sanctorum veritas, quæ à te Domine procedit,comprobata est; ex quo verum credimus,quidquid ab Ecclesia Dei fuerit comprobatum, nec ab illa discedere licitum, quia ipsa non potest errare. Sed quid confitebuntur, qui laudabunt mirabilia tua? Quod misericordia tua perditos nos redemisti, Isai. cap.53. Augustin. hìc, Confitebuntur Cæli mirabilia tua: Non merita sua confitebuntur Cæli, sed confitebuntur mirabilia tua Domine; in omni enim misericordia perditorum, in iustificatione impiorum, quid laudamus, nisi mirabilia Dei? Laudas, quia surrexerunt mortui; plus lauda, quia redempti sunt perditi. Quæ gratia, quæ misericordia Dei? vides heri hominem voraginem ebriositatis,hodie ornamentum sobrietatis; heri hominem cœnum luxuriæ,hodie decus temperantiæ; vides heri hominem blasphematorem Dei, hodie laudatorem Dei; vides heri hominem seruum creaturæ, hodie cultorem Creatoris; ab istis omnibus desperationibus ità homines conuertuntur, non respiciant ad merita sua, fiant Cæli, confiteantur Cæli mirabilia eius, à quo facti sunt Cæli, Psalm.8. Quoniam, inquit, videbo Cælos opera digitorum tuorum; sed vbi confitebuntur? Sequitur, & veritatem tuam in Ecclesia sanctorum, excipiat Ecclesia rorem Cælorum, sitienti terræ pluant Cæli, & germinet, excipiens pluuiam, germina bona, opera bona, ne pro bona pluuia Dei spinas, & pro horreo expectet ignem.

Confitebuntur Cæli mirabilia tua Domine, qui iàm perditi, nunc Apostolorum prædicatione ad te conuersi, facti sunt iusti, quantò magis Ecclesia tua Spiritu sancto ex illis congregata, hanc veritatem confitebitur, cum tu Domine sis, qui solus facis mirabilia? Quis enim erit similis tibi Christe Iesu, cuius semen à Deo præparatum est vsque in æternum? cui etenim Angelorum talis laus debetur? Quis est, qui talia mirabilia fecit? nullus sanè, ideò sequitur.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? similis erit Deo in filijs Dei? Ex quo notandum, Iesum Christum Dominum esse, & Deum; nàm & si omnes iusti filij Dei sint, & Dij appellentur, vt aliàs diximus, non tamen aliquis similis erit Deo in filijs Dei. Quis ergo in nubibus æquabitur Domino? in nubibus, in illis scilicet, qui sunt electi Dei Apostoli, & Prophetæ, & alij iusti, quis illorum æquabitur Domino? aut quis in filijs Dei, qui fruuntur gloria Cæli, similis erit ei? Nubes, ait Augustin. Prædicatores veritatis; Prophetas Apostolos intelligit, annunciatores verbi Dei; hanc autem intelligentiam desumpsit Augustin. ex Isai. cap.5.numer.6. Vineam meam desertam ponam, & non potabitur, & non fodietur, & ascendent vepres, & spinæ; & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem; Vinea enim Domini exercituum, domus Israel est; propterea nubibus desuper mandauit, ne super eam

plue-

pluerent, quia ingrati fuerunt plantatori, atque cultori. Mandauit nubibus ne ſuper eam imbrem pluerent; nàm miſſi ſunt Apoſtoli tamquam nubes, vt pluerent Iudæis, & illi verbum Dei repellentes, pro vuis ſpinas dederunt; Vndè, vt ſupra diximus, Act. Apoſtol. cap. 13. num. 46. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus.

Nubes, ait Auguſtin. ſunt in carne prædicatores veritatis; nàm quod de nube exprimitur vides, quod ſeruatur in nube non vides; Cæli etiam dicuntur propter fulgorem veritatis, nubes propter occulta carnis. Nunc quid loquitur homo, vides, quod reſtat in corde, non vides; Cuius enim oculi nubem penetrant? ergo nubes in carne prædicatores veritatis. Venit & ipſe omnium Creator in carne, ſed quis in nubibus æquabitur Domino, & quis ſimilis Domino in filijs Dei? ergo in filijs Dei nemo erit ſimilis filio Dei? ille vnicus, nos multi; ille vnus, nos in illo vnum; ille genitus, nos adoptati; ille ab æterno filius vnigenitus per naturam, nos in tempore facti per gratiam; ille ſine vllo peccato, nos per illũ liberati à peccato. Quis ergo in nubibus æquabitur Domino, aut quis ſimilis Domino in filijs Dei? Dicimur nubes propter carnem, & ſumus prædicatores veritatis propter imbrem nubium, ſed caro noſtra aliter venit, caro illius aliter; dicimur & filij Dei, ſed ille aliter filius Dei: illius nubes ex Virgine, ille filius ab æterno, æqualis Patri. Quis ergo in nubibus æquabitur Domino, aut quis ſimilis erit Domino in filijs Dei?

Nubes multæ erant, quando requiſiti Apoſtoli, quid dicerent homines eſſe filium hominis? Matth. 16. num. 13. nàm alij Ioannem Baptiſtam, alij Eliam, alij Ieremiam. Petrus verò, Tu es Chriſtus filius Dei viui; omnes ſupradictæ nubes filij Dei, non tamen vllus ſimilis illi: quia tu es Deus, qui glorificaris in conſilio ſanctorum, magnus, & terribilis apud omnes, qui in circuitu eius ſunt.

Deus qui glorificatur in concilio ſanctorum, nàm Cæli, Cælorumq. virtutes, ac beata Seraphin ſocia exultatione te concelebrant, cum quibus etiam noſtras voces, vt admitti iubeas, deprecamur ſupplici confeſſione cum illis dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, Iſai. cap. 6. num. 3. Magnus, & terribilis ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt. Non quia ſpatio aliquo loci contineatur Deus, vel contineri poſſit, cum vbique ſit Dominus totus: in circuitu enim accipitur, quia Deus eſt in medio iuſtorum, provt in Iſai. cap. 12. numer. 6. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael, vt ad ſalutem Iſrael reſpiciat, Iſai. cap. 17. numer. 7. In circuitu ergo ſunt, Iſai. cap. 29. numer. 19. Et addent in Domino mites lætitiam, & pauperes homines in ſancto Iſrael exultabunt, quoniam defecit, qui præualebat, & conſummatus eſt illuſor, & ſucciſi ſunt omnes, qui vigilabant ſuper iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo, &c. Magnus, & terribilis ſuper omnes, qui in circuitu ſunt eius, qui arguentem in porta ſupplantabant, & declinauerunt fruſtra à iuſto; ſed cum viderint filios ſuos opera manuum mearum, in medio ſui ſanctificantes nomen meum, & ſanctificabunt ſanctum Iacob, & Deum Iſrael prædicabunt, & ſcient errantes ſpiritu intellectum, & muſſitatores diſcent legem.

Magnus ergo, & terribilis ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt, ſuper

omnes, qui extrà Eccleſiam ſuam ſunt, qui in circuitu eius tabernaculi, & habitationis permanent, quia omnes, qui non intrà, ſed in circuitu ſunt condemnabuntur, facit Ioan. Apocalypſ. cap. 21. numer. 1. In diebus illis vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem, nouam deſcendentem de Cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Et audiui vocem magnam de throno, dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt,& ipſe Deus cum eis,erit eorũ Deus; qui tamen intrà illam erunt ſanctam ciuitatem Ieruſalem deſcendentem de Cælo, à Deo paratam, quam ſanguine ſuo fundauit.

In circuitu ergo eius tempeſtas valida, Pſalm. 1. nu. 4. & in concilio Sanctorum glorificatur; propterea nullus illi ſimilis, etenim in concilio Angelorum glorificatur, & in Eccleſia ſua ſancta, & immaculata laudatur, benedicitur, & adoratur. Dominus ergo Deus virtutum Chriſtus Ieſus, à quo noſtra redemptio proceſſit; nàm Virgini Mariæ Altiſſimi virtus obumbrauit, in qua Spiritus ſanctus ſuperuenerat, & quod ex ea natum eſt, filius Dei eſt. Ac ſicut in cæleſti Eccleſia, in cæleſti Hierarchia, alij Angeli, alij Archangeli, alij Virtutes, alij Poteſtates, alij Cherubin, alij Seraphin, ſapientia, & igne amoris incenſi; ità in militanti, alij Pontifices, & Confeſſores, Martyresq. inclyti, Virgines,& Viduæ, quorum Dominus eſt Deus virtutũ, qui vnicuique dat petenti choro genera virtutum,facit 1. Corinth. 12. Diuiſiones verò gratiarũ ſunt, idem autem ſpiritus,& diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diuiſiones operationũ ſunt,idem verò Deus,qui operatur omnia in omnibus.

Domine Deus virtutum quis ſimilis tibi? qui in ventre Virginis clauſus, quem totus non capit orbis, omni illam gratia, & omnibus generibus virtutum decoraſti, Pſalm. 44. numer. 11. Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate; Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus. Beatiſſima Virgo, quæ hodie in Templo ſancto Dei præſentari voluiſti, quis ſimilis tui? potens, & mater miſericordiarum effecta, intercede pro nobis, vt à te præſentari mereamur in Templo gloriæ filij tui. Potens es tu Domine Ieſu, & veritas in circuitu tuo, quia totus es potentia, totus es veritas, vt & qui ad te accedunt, qui te confitentur Deum verum, & hominem, ſub protectione tua, in circuitu potentiæ tuæ poſiti, à fluctibus maris ſecuri, huius tenebroſi carceris miſerias pertranſeant. Potens es, & veritas tua in circuitu tuo,ſcilicet potentiæ tuæ, quæ cum ſine loci circumſcriptione ſit, eademq. ratione vbique eſt etiam veritas tua, Daniel 3. numer. 27. Iuſtus es Domine Deus in omnibus, & vniuerſa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua vera, iudicia enim vera feciſti iuxtà omnia, & omnes viæ tuæ veritas, Pſalm. 118. num. 151.

Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas. Mouet quidem mare, inquit Auguſtin. & contradicit mare, perſtrepit mare, ſed fidelis Deus, qui non ſinit vos tentari ſuper id, quod poteſtis; propterea motũ maris mitigat Deus. Non ſolum non permittit Deus mare dominari, ſed etiam motum eius ipſe mitigat, vt legitimè certanti non deficiat gratia merendi; immo vt eneruetur rabies maris in ipſo mari, quid feciſti?

Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum: in brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos. Superbum humiliaſti, inquit, ideſt draconem ſicut vulneratum,

ratum, de quo aliàs Amos cap.5.num.19. & cap.9.numer.3. Et si celauerit se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eum. Vulneratum, inquit Augustin. Diabolum intelligas, non penetrata carne, quam non habet; sed percusso corde, vbi superbus est; sed nec ipsum draconem timebunt naues, immo illudent ei, Psalm.103.num.26. In hoc enim mari istius mundi est etiam draco iste, quem tu Domine Deus formasti, qui vitio suo cadens à bono, in quo erat positus, factus est hìc ad illudendum ei, vt scilicet hìc permanens ab Angelis Dei illudatur. Vulneratus est enim, propterea humiliatus, & illusus. Augustin.

Dum nutritur paruus, exemplo magnificati parui, quod tenebat diabolus perdidit, quia superbos tenebat; dato tanto humilitatis exemplo, didicerunt homines damnare superbiam suam, imitari humilitatem Christi; ità ergo ille perdendo, quos tenebat, etiam ipse humiliatus est, non correctus, sed prostratus. Vndè superbiebat, nisi quia cautionem contrà nos tenebat? hanc cautionem, hoc chirographum sanguine tuo Domine deleuisti. Illum ergo vulnerasti, cui tot abstuliſti: vulneratus est, ne vinceret, nisi qui ab illo vinci vellent; debilis dicitur factus in alio loco, qui non vincit nisi volentem. Vulneratus est ergo diabolus, in brachio virtutis tuæ, ideſt in Christo. Quomodò autem, an virtute Dei, an ab illius prudentia, audi quæ dilucidè scripsit D.Gregor. in Iob cap.26. in lib. suo Moral. cap.18. ibi super illud, Prudentia eius percussit superbum. Quis hìc superbus alius appellatur, nisi ille, qui dixit Isai.cap.14. Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo; & de quo voce Dei dicitur in Iob cap.41.numer.24. Qui factus est, vt nullum timeret, ipse est Rex super omnes filios superbiæ: de quo etiam Dauid Propheta in hoc præsenti Psalmo, dicens. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum. Sed quamuis simplici naturæ diuinitatis non sit aliud esse, & aliud sapere, & aliud fortem esse; quippè quia ipsa fortitudo, quæ sapientia, & ipsa sapientia, quæ Diuinitatis essentia est. Vigilanter tamen intuendum puto, quòd vir iste prophetico plenus spiritu, superbum diabolum, prudentia Dei potius maluit dicere, quàm fortitudine esse percussum; non enim, ait, fortitudo, sed prudentia eius percussit superbum: nàm quamuis sicut dictum est propter naturam simplicem Dei fortitudo, sapientia sit; Dominus tamen diabolum quantùm ad faciem spectat, non virtute, sed ratione superauit; ipse namque diabolus in illa nos parentis primi radice supplantans, sub captiuitate sua, quasi iustè tenuit hominem, qui libero arbitrio conditus, ei iniusta suadenti consensit: ad vitam namque conditus, in libertate propriæ voluntatis, spontè sua factus est debitor mortis. Delenda ergo erat talis culpa; sed nisi per sacrificium deleri non poterat, &c. rationalis ergo homo pro victima requirendus, & qui sine peccato esset, proindè propter nos venit in vterum Virginis filius Dei, ibi pro nobis factus est homo, sumpta est ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato, quæ ex humanitate mori, & iustitia mundare potuisset. Hunc ergo, sequitur D. Gregor. cum post Baptisma vidit antiquus hostis, mox tentationibus impetijt, & per diuersos aditus ad interiora eius molitus irrepere, victus est, atque ipsa inexpugnabilis mentis eius integritate prostratus. Sed quia ad interiora non valuit, ad eius se exteriora conuertit; vt

quia mentis virtute victus est, eum, quem decipere tentatione non valuit, carnis saltem videretur morte superare. Atque, vt ante nos dictum est, permissus est, in illud, quod ex nobis mortalibus mediator acceperat; sed vbi potuit aliquid facere, ibi ex omni parte deuictus est; & vndè accepit exterius potestatem Dominicæ carnis occidendæ, inde interior potestas eius, qua nos tenebat, occisa est. Ipse namque interius victus est, dum quasi vicit exterius; & qui nos iure debitores mortis tenuit, iure in nobis ius mortis amisit. Quia, per satellites suos eius carnem perimendam appetijt, in quo nihil ex culpæ debito inuenit. Dominus ergo noster pro nobis mortem soluit indebitam, vt nobis mors debita non noceret. Benè itaque dictum est, prudentia eius percussit superbum; quia antiquus hostis per excessum præsumptionis suæ eum etiam perdidit, quem iniquæ persuasionis lege possedit: & dum audacter eum, in quo nihil sibi competebat, appetijt, iure illum, quẽ quasi iustè tenebat, amisit. Prudentia itàq. non virtute percussus est, qui dum ad tentandum Deum soluitur; ab homine possidendo relegatur; vt inde eum, qui sub ipso erat, perderet; vndè cum illo, qui super ipsum est congredi præsumpsisset, hæc D. Gregor.

Cur superbisti bestia in alienis, cum Domini sint Cæli, & terra? orbemq. terræ ipse fundauerit; Aquilonemq. & mare ipse creauerit? Cur ergo tu te stultè erexisti, qui te non iàm diabolum, quod ex te, sed Luciferum creauit? & mare, ac terram, & quæ in ea sunt, ipse fundauerit. An tu hæc ignorabas, qui sapiens reputabaris? Nunquid modum excedere poteris datum à Creatore, qui fecit omnia, quamuis per tuæ voluntatis malitiæ peruersitatem aliquid sæuire poteris in mundo cum mundano, cum terreno? Quod in mundo in malis hominibus tu fecisti, plus valet ad damnationem tuam, quàm illorum voluntas ad malitiam suam. Quid ergo, dicit Augustin. timeo Aquilonem, quid timeo maria? est quidem in Aquilone Diabolus, qui dixit, ponam sedem meam in Aquilone, & ero similis Altissimo, Isai.d.cap.14. sed humiliasti sicut vulneratum superbum.

Propterea Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt, qui scilicet ab Oriente, & Occidente ad fidem Iesu Christi vocati Baptismum susceperunt, exultabunt, quia diabolum humiliatum cognoscent, vt nec ab illo amplius decipiantur. Quippè qui in nomine Iesu dæmonia eijcient, Marc.cap.16.nu.18. & si quid mortiferum biberint, non eis nocebit; cum enim Thabor, veniens lumen interpretetur, posteaquam lumen fidei in gentes venit, & credentibus lux orta est eis. Idcircò postquam venit lumen, quod illuminat omnem hominem, Ioan.cap.1. exultauerunt illuminati, & anathema factum est diaboli superbi, sed vulnerati: Hermon enim anathema interpretatur.

Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt, quia in vno diuinitas Christi manifestè cognita est, & quòd filius Dei esset, in monte Thabor transfiguratio facta est Christi, & vox de Cælo audita est Patris; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite, Matth. cap.4.num.8. In Hermon verò quinque panibus, & duobus piscibus multa hominum millia is ipse pauit, Matth. cap.14. numer.17. Sic Dei præcepta seruantes, Corpus Christi in pane consecratum comedentes, ac gaudentes, quia verum Deum, verumquè & hominem, in seipsis susceperunt, in brachio Iesu Christi, & potentia illius dæmonium eijciunt. Dixit enim Dominus, qui man-

ducat

ducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, Ioan.cap.6.num.55. Tuum ergo brachium Domine Iesu, tua potentia in illo fideli, qui dignè corpus tuum sumet.

Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua, vt manu tua vulneratus superbus, humilis factus, exaltetur dextera tua, ità vt vnum ouile fiat, & vnus pastor; vt cum ab hædis separabuntur oues, iustitia tua omnibus nota fiat; & iudicium, in quo iustos ad dexteram tuam vocabis. Et cum anima iusti sedes tua sit, præparentur & ipsi ope dexteræ tuæ, & brachij tui, & illuminationis vultus tui, quoniam complacuisti in eis, Psalm.43. num.5.

Tunc gaudebunt iusti cum viderint, quod modò non videntes credunt; apparebit enim in fine iustitia tua, & iudicium tuum, quæ nunc occulta sunt, Psalm.9.nu.17. Tunc cognoscetur Dominus iudicia faciens. Firmetur manus tua contrà inimicos tuos, & exaltetur dextera tua, sicut iussisti Iosue, vt ità faceret, Iosue cap.8.num.18. & 26. quando nec ille contraxit manum, quam in sublime erexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai. Verbis ergo oris tui feriantur inimici tui, vt humiliati, vel ad te reuertantur, velut taliter confusi, & humiliati, deficientes omni bono; confirmentur iusti in tua misericordia sperantes, & ità exaltetur dextera, vt numerus iustorum in die iudicij augeatur, &c. Et ignis ante te præcedat, & inflammet omnes inimicos tuos, Psalm.96.nu.3. & paueant infideles, cum viderint, quod modò irridentes, non credunt.

Iustitia ergo, & iudicium præparatio sedis tuæ, tunc, quia post mortem non est pœnitentia; nunc verò Domine misericordia, & veritas præcedant faciem tuam; beatus populus, qui scit iubilationem. Tua Domine præcedat misericordia, qua nostra deleantur peccata, vt in veritate tua implens promissa non timeamus futura iudicia. Sed quis est populus, qui iubilationem sciat? Ieremias; Circuite, ait, plateas, & vias Ierusalem, si virum facientem iudicium inuenietis, & fidem quærentem. Sed proh dolor, & Optimates, qui legem Dei scire debebant, simul magis iugum confregisse, & vincula rupisse, idem ait Ierem.cap.5. in princ. non tamen in Ecclesia tua Domine defecit fides, neque scientia propter electos tuos, te protegente, te gubernante, te miserante.

Domine miserere populo tuo in afflictione existenti, libera eum de angustijs, & necessitatibus; augeatur Domine numerus credentium, dilata loca tentorij, & pelles tabernaculorum Ecclesiæ tuæ extende, Isai.cap.54.num.2. Longos fac funiculos illius, & clauos eius consolida, & in miserationibus magnis congrega populum tuum. O beatum populum, qui scit iubilationem, quæ ex miserantis Domini benignitate proueniet, quis illam verbis explicare poterit?

Augustin. hìc. Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas; in his omnibus non exultabimus, aut quod exultamus capiemus, aut verba sufficient lætitiæ nostræ, aut lingua idonea erit explicare gaudium nostrum? Si ergo nulla verba sufficiunt, beatus populus sciens iubilationem. O beate populе putas intelligis iubilationem? nullo modo beatus es, nisi intelligas iubilationem. Quid est intelligas iubilationem? Scias, vndè gaudeas, quod verbis explicare non possis; gaudium enim tuum non de te, vt qui gloriatur in Domino glorietur, 1.Corinth.cap.1. Noli ergo exultare in superbia tua, sed in gratia Dei;

vides ipſam gratiam tantam eſſe, cui lingua explicandæ non ſit idonea, & intellexiſti iubilationem. Denique ſi intellexiſti in gratia iubilationem, ipſius gratiæ audi commendationem. Beatus certè populus ſciens iubilationem, quã iubilationem? Vide ſi non de gratia, vide ſi non de Deo, & omnino non de te hæc Auguſtin. & tunc ſequitur verſ.

Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iuſtitia tua exaltabuntur. Iuſtitiam diligit Dominus, & æquitatem vidit vultus eius, Pſalm. 10. numer. 7. Propterea iuſti in iuſtitia Domini ambulabunt, in lumine enim vultus Domini operantur bonum, & recedunt à malo; quia etiam vultus Domini ſuper facientes mala, vt diſperdat de terra memoriam eorum, Pſalm. 33. nu. 17. Quocircà iuſti in nomine Domini exultabunt, quia iuſtitia Domini immaculata, in qua ipſi ambulant; propterea Thabor, ideſt lumen. & innocentia iuſti ſine interpollatione, ſine ceſſatione à bono, nàm, vt dicit Auguſtin. Thabor, & Hermon exultabunt. Si volunt, tota die in nomine tuo exultabunt: ſin autem in nomine ſuo, non tota die exultabunt. Non enim in gaudio perſeuerabunt, quando de ſeipſis gaudebunt, & per ſuperbiam cadent; ergo vt tota die exultent, in nomine tuo exultabunt. Et in iuſtitia tua exaltabuntur, non in ſua iuſtitia, ſed in tua, ne ſint zelum Dei habentes, ſed non ſecundum ſcientiam, ad Roman. cap. 10. in princ. Qui in lumine vultus Domini vult ambulare, auferat de medio iuſtitiam ſuam, & humilietur, veniet Dei iuſtitia, & exaltabitur. Et tunc in iuſtitia tua exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es; vndè Apoſtolus 1. Corinth. 1. numer. 31. Qui gloriatur, in Domino glorietur, non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Abſit ergo à nobis gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſaluati, & liberati ſumus, Galat. cap. 6. num. 14. In lumine ergo vultus Domini, ideſt exemplo eius, & nos in vijs eius ambulemus, ſequentes veſtigia eius, & tota die eum laudantes exultemus, vt & nos in iuſtitia ſua exaltemur.

In lumine Domini ambulemus, ne vento ſuperbiæ extinguatur lucerna, quod erit, ſi in lumine noſtro præſumpſerimus ambulare; hoc eſt, ſi ſcientiam à nobis, non à Deo datam arbitremur. Fuge vanitatem, quia nihil habes, quod non à Deo acceperis, Apoſtolus 1. Corinth. cap. 1. num. 31. In nomine Domini exulta, & non in tuo. In iuſtitia Domini exaltabuntur, qui in nomine Domini tota die exultabunt; zelum Dei quidam habere dicuntur, ſed non ſecundum ſcientiam, dicit Apoſtolus in dicto cap. 10. ad Roman. Ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, neque in lumine Dei exultantes, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Auguſtin. Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, populus autem ſciens iubilationem, illi enim non ſecundum ſcientiam, beatus autem populus non neſciens, ſed ſciens iubilationem; vndè debet jubilare, vndè debet exultare, niſi in nomine tuo, ambulans in lumine vultus tui? & exaltari quidem merebitur, ſed in tua iuſtitia: auferat de medio iuſtitiam ſuam, & humiliabitur, veniet Dei iuſtitia, & exaltabitur.

Quoniam gloriã virtutis eorũ tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum; Quæ eſt gloria virtutis eorum, niſi Crux Chriſti, quæ credentibus, Dei virtus eſt, Paul. 1. Corinth. 1. num. 18. Verbum enim Crucis pereuntibus

qui-

quidem ſtultitia eſt, ijs autem, qui ſalui fiunt, ideſt nobis, Dei virtus eſt. Mirabantur populi, quia Petrus, cæteriq. Apoſtoli infirmos ſanabant: impleti erant ſtupore, quia adſtantem claudum ad portam ad vocem Petri videbant ambulare, Act. Apoſt. cap. 13. num. 9. Quid miramini in hoc, dicit Petrus, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus glorificauit filium ſuum, &c. & num. 16. & In fide nominis eius, hunc, quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmauit nomen eius, &c. Gloria eorum Chriſtus Ieſus, virtus Dei. Dijudicabat populus Apoſtolos in benefacto homini infirmo, in quo ille ſaluus factus fuit; Notum ſit vobis, & omni plebi Iſrael, quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte adſtat coram vobis ſanus, Act. Apoſt. cap. 4. nu. 10. Vt ergo & in nobis gloria virtutis Dei ſit, quid faciendum, vide Apoſtolum nos docentem, 2. Corinth. cap. 1. num. 12. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ; Quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei conuerſemur in hoc mundo, & tunc beneplacitum erit nobis timentibus eum, & in beneplacito ſuo exaltabitur cornu noſtrum. Non quia nos digni ſimus, ſed quia ſibi ipſi beneplacuit in Chriſto Ieſu filio ſuo Domino noſtro, cuius ſanguine nos redimere voluit, in quo exaltabitur cornu noſtrum.

Quia Domini eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael Regis noſtri. Nàm ſi ipſe non me ſuſciperet, quomodò non cecidiſſem? immo quomodò me ſubleuarem, qui iàm cecideram? impulſus enim ſum, & euerſus, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me, Pſalm. 117. nu. 13. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem, ibid. nu. 14. Pſalm. 117. Domini ergo eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael Regis noſtri; quia Pater dedit electos ſuos filio, vt cuſtodiret illos; & ſanctus Iſrael, qui eſt Ieſus Chriſtus filius Dei rogat Patrem, vt dilectio, qua Pater illum dilexit, maneat in ipſis electis, & ille in ipſis? Faxit Deus id & in nobis per ſuam miſericordiam, ipſe eſt Rex noſter. Quæ alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter filius Dei adeſt nobis? Domini eſt aſſumptio noſtra, qui nos aſſumpſit de terra perditionis in Paradiſum exultationis? Vel aliter dicamus, Domini, ideſt Ieſu Chriſti, eſt aſſumptio noſtra, quia mortalitatis noſtræ carnem aſſumpſit, & ſancti Iſrael Regis noſtri, quia ſanctificat nos ipſum per fidem videntes.

Tunc locutus es in viſione Sanctis tuis, & dixiſti: Poſui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea. Omnes Prophetæ de filio Dei naſciturο prophetauerunt, vt latius aliàs dixi, & in Tract. meo contrà Iudæos, Iſai. cap. 48. nu. 3. Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Iſrael, &c. priora ex tunc annunciaui, & ex ore meo exierunt; & audita feci ea. Repentè operatus ſum, & venerunt, prædixi tibi ex tunc; antequam venirent indicaui tibi, &c. Quæ audiſti, vide omnia, quia ſcilicet poſui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea. Poſui adiutorium in potente, cuius manus fundauit terram, & dextera eius menſa eſt cælos; potens, quia Dei filius eſt, qui miſſus eſt à Patre; ex tempore enim antequam fieret, ibi eram, & quis miſit eum, Iſai. vt ſupra num. 6. Et nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius; Et quis hoc dicit? audi Prophetam, hæc dicit Dominus Redemptor tuus ſanctus Iſrael.

Oſten-

Oſtenditur etgo in iſta tertia parte ſecundum Magiſtrum Senten. quòd ſuperior laus, quæ eſt de Chriſto, non eſt dubia, quam paterna firmat auctoritas, quaſi dicat Deus, vndè ſcis hæc prædicta? Ecce vndè; quia tunc, quando diſpoſui teſtamentum; vel tunc, quando hæc diceres mihi, locutus es Sanctis tuis, reliquis Propheris, & hoc in viſione, ideſt in occulto, in reuelatione, quam feciſti eis; vndè Prophetæ dicti ſunt & videntes. Et dixi; Poſui adiutorium hominum in potente, ſcilicet in Chriſto. Quis potens eſt ille? electus; Vndè ſubdit, & exaltaui electum de plebe mea; ſuper omne nomen, ſcilicet immunem à peccato, quis eſt electus? Chriſtus, qui eſt de ſemine Dauid, hæc ille.

Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum. Quomodò inueniſti, qui ſemper tecum eſt? Ego enim, inquit Chriſtus, & Pater vnum ſumus. Inuenit ideò filium, quia ipſe ſe ſponte Patri venturum obtulit, propterea nàmq. vt ſupra diximus per Iſai. cap.48.num.16. Et nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius. Inueni ergo Dauid ſeruum meum, ideſt Chriſtum, ideò Chriſtum, quia oleo ſancto meo vnxi eum. Quo oleo? oleo lætitiæ præ conſortibus eius, Pſal.44. Sed quare oleo lætitiæ? Quia, ipſo humanum genus redimente, fit lætitia magna in cælo; quocircà per Euangeliſtam ex ore Dei dicitur; Gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſupra nonagintanouem, qui non egent pœnitentia, Luc.cap.15.num.7. Hinc dicitur; Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt, Iſai.cap.35.num.10. Et ideò oleo lætitiæ vnxit eum, vt ex labore ipſius frueretur lætitia, Eccleſ.cap.5.num.17. propterea dixit, quando carnem noſtram aſſumpſit, conſcidiſti ſaccum meum, & circũdediſti me lætitia, Pſal.29. num.12. vt cantet tibi gloria mea, & non compungar.

Oleo ſancto meo vnxi eum, ad videndum in bonitate electorum tuorum; ad lætandum in lætitia gentis tuæ, Pſalm.105.num.5. Sed quomodò oleo lætitiæ? Chriſtum filium tuum in laboribus à iuuentute, exaltatum in cruce, humiliatum, & contumbarum dereliquiſti nunquid in laboribus, & martyrijs lætitia cadit? Oportebat pati Chriſtum, & ità intrare in Regnum cælorum; oculis enim inſipientium videtur ſtultitia mors Chriſti; vndè dicebat Apoſtolus; Nos prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis ſcandalum, Gentibus ſtultitiam, 1.Corinth.cap.1.n.23. Ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam, quia, quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Quæ ſtulta enim ſunt mundi elegit Deus, vt fortia quæque confundat, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret. Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum Scriptum eſt, 2.Corinth.cap.10. num.17. Qui gloriatur in Domino glorietur; propterea Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, Act. Apoſt.cap.5.numer.41. & in alio loco. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos prudentes, nos ignobiles, vos nobiles; Vſque in hanc horam eſurimus, & ſitimus, &c. maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus; tamquam purgamẽta huius mundi facti ſumus omniũ peripſema vſque adhùc, 1.Corinth.

cap.4.

cap.4. Rogo vos, imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti, dicentis; Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me, Matth.cap.16.num.24. Nàm & in alio loco gaudendum eſſe dixit, cum tribulamur, beati cum perſecuti vos fuerint homines propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis, Matth.c.5.nu.12. vbi vera lætitia, vbi verum gaudium. Quocircà beatus Andreas, cuius hodie feſtum percolitur, â longè ſibi paratam crucem aſpiciens exclamare cœpit; O bona crux diù deſiderata, & iàm concupiſcenti animo præparata; ſecurus, & gaudens venio ad te, ità & tu exultans ſuſcipias me, diſcipulum eius, qui pependit in te, magiſter meus Chriſtus.

Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Quomodò non erit tibi gaudium, cui nunquam, & ſi tribulato, deſit Dei auxilium? Cuius humanitati ſemper vnitum fuit Verbum diuinum? quod confortabat illam, quamuis ad modicum eum dereliquiſſe viſum ſit, Iſai.cap.54. num.7. Vicit leo de Tribu Iuda, abſorpta eſt mors in victoria, 1.Corinth. cap.15.num.54. Fuit, & eſt mors tua, ò mors, morſus tuus eſt, ò inferne, Oſee cap.13.num.14. Surrexit Dominus, ſurgemus & nos cum illo, ſi in via eius ambulauerimus; manus enim Domini, ideſt filius Dei auxiliabitur nos, & in brachio potentiæ ſuæ confortabimur. Auguſtin. hìc.

Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meũ confortabit eum, ſecundum quod ſuſceptio hominis facta eſt, ſecundum quòd caro in vtero Virginis aſſumpta eſt, ſecundum quòd ab illo, qui in forma Dei æqualis eſt Patri, forma ſerui ſuſcepta eſt, & factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, ad Philip. cap.2.num.8.

Nihil proficiet inimicus in eo. Sæuit quidem inimicus, ſed non proficiet in eo; volet quidem nocere, ſed non nocebit. Quid eſt ergo, quod affliget? exercebit, non nocebit; proderit ſæuiendo, quia illi, in quos ſæuit, coronabuntur vincendo. Quid enim vincitur, ſi nihil contrà nos ſæuit? aut vbi adiutor noſter Deus, ſi nos non dimicaremus? Inimicus ergo faciat quod ſuum eſt; ſed non proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei: inimicus Diabolus nihil profecit in eo, nàm vt Dominus dixit Ioan. c.14. Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Nec filius iniquitatis Iudas apponet nocere ei, ideſt non addet effectum prauæ voluntati. Sæuit quidem fratres, in nos, exercet, prodeſt, ſed non nocet, & filius iniquitatis, ideſt inimicus, caro ſcilicet noſtra aduerſus ſpiritum non apponet nocere nobis, ſi illam mortificauerimus, ad Roman.cap.8.num.13. conuertere ergo, ò peccator, ò anima mea ad Dominum, quia ipſe euellet de laqueo pedes tuos, & concidet à facie tua inimicos tuos; &, ſi audieris Dominum, inimicos tuos in fugam conuertet, propterea ſequitur verſ. dicens.

Et concidam à facie ipſius inimicos eius, & odientes eum in fugam conuertam. Quid eſt concidere inimicos, niſi omnia peccata tua delere, triturare minutatim, ità vt euaneſcant, & in fugam conuertantur? Tunc enim, quando peccata tua tritorabuntur per attritionem ſcilicet, & contritionem, Spiritus ſanctus paulatim ſuperueniet in te, & concidet paulatim inimicos tuos à facie Domini, & odientes te in fugam conuertet, ſicut legitur de Moyſe Exod. cap.32.num.20. Nàm arripiens vitulum, quem fecerant Iudæi, combuſſit, &

con-

contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel, &c. Quid est vitulum conterere in puluerem, & in aqua ponere, vt biberent, nisi contritionem peccatorum habere, & vi lacrymarum illa delere? Psalm.40.numer.3. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes; cum enim facies Domini respicit peccatorem, ab illo peccata separantur; Hæc tamen de Iesu Christo intelligenda veniunt, cuius aduentu, & prædicatione, suorumq. Discipulorum in omnem mundi regionem missione, per quem Gentium Idola destructa sunt, & paulatim in eiusdem Domini nostri cognitione venientes populus eius facti sunt, Isai.cap.19.num.21. Cognoscent Ægyptij Dominum, & colent eum in hostijs, & muneribus, & Isai.cap.43.num.7. Et omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.

Et concidam à facie ipsius inimicos eius, quia ad prædicationem Euangelij, lumen erit in Gentibus, Isai.cap.8.num.18. Ecce ego, & pueri mei, quos dedisti mihi Domine in signum, & in portentum, & supra numer.15. & offendent ex eis plurimi, & cadent, & reuertentur, & irretientur, & capientur. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis, & expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum, in discipulorum meorum gratiam, quibus resignabitur, vt discant, Christi tempore, qui aperiet illis scripturas. Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabescet in medio eius, Isai.cap.19. in princ. Et præcipitabit mortem in sempiternum, & dicet, ecce Dominus noster iste, expectabimus, & lætabimur in salutari eius, Isai.cap.25.num.8. cum sequen.

Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso est, quia ego, & Pater vnum sumus; veritas, & misericordia filius, veritas, & misericordia Pater; filius, quia venit, vt in Prophetis promissum erat; Pater veritas, quia ipse filium suum misit, vt promiserat; misericordia filius, quia propter suam magnam misericordiam, sanguine suo se offerens Patri nos redemit, restituit; misericordia Pater, quia ità nos dilexit, vt filium suum pro nobis tradiderit, nec illi pepercit, vt nos in filios suos adoptaret.

Veritas cum ipso, quia lex per Moysen data est, sed gratia, & veritas per Christum facta est, Ioan.cap.1. Figuras enim vmbraticas de suo aduentu adimpleuit, & ad claram veritatem perduxit. Et veritas cum ipso, propterea dixit Ioan.cap.14. Ego sum veritas. Illius etiam est misericordia, quia venit peccatores vocans ad pœnitentiam, vt illos saluaret. Non veni, inquit, vocare iustos, sed peccatores, Matth.cap.9.num.13. Qui perditi erant, vt illos saluaret; hinc Augustin. hic litera G. Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas, duo hæc etiam Christo data sunt, vt & nos in proximos nostros illis vtamur, sequentes vestigia Christi; nàm sicut ipse exhibuit nobis misericordiam, vt deleret peccata nostra, & veritatem, vt impleret promissa sua; sic & nos in via eius ambulantes debemus ei reddere misericordiam, & veritatem; misericordiam, vt miserorum misereamur; veritatem; vt non iniquè iudicemus. Non tibi tollat veritas misericordiam, nec misericordia impediat veritatem; si enim per misericordiam iudicaueris contrà veritatem, aut quasi rigida veritate oblitus fueris misericordiam, non ambulabis in via Dei, vbi misericordia,

&

& veritas occurrerunt ſibi. Hæc Auguſtin. ſequitur verſ.

Et in nomine meo exaltabitur cornu eius, quia filius eius declaratus eſt à Deo Patre in monte, quando dixit; Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite, Matth.cap.17.num.5. Et in nomine meo, qui ſum Pater, exaltabitur cornu eius, potentia eius, Deitas eius. In nomine enim Ieſu omne genuflectitur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, ad Philip. cap.2.num.10. Et exaltabitur cornu eius in gloria, Pſalm.111.nu.9. nàm Chriſti Regnum per Apoſtolorum prædicationem per totum Orbem dilatatum fuit. Cornu ergo ſignificat etiam Regnum, & Chriſti potentiam; Vndè 1.Reg. cap.2.nu.10. Dominus dabit Imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. Potentiam etiam deſignat; Fecit enim Dominus potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos, & exaltauit humiles, & d. cap.2. num.10. Dominum formidabunt aduerſarij eius, & ſuper ipſos in cælis tonabit, & iterum; Data eſt mihi omnis potèſtas in cælo, & in terra, Matth.cap.28.nu.18. Quod verò hæc de Chriſto intelligantur, nec alio applicari poſſint, declarat verſ. ſequens, dicens.

Ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius. Quando enim Dauid maris Dominus fuit? Solus Ieſus Chriſtus mari, & ventis imperauit, Matth.cap.8.num.36. Per mare etiam Gentes ſignificantur, Chriſtus ſolus Gentibus dominatur; illis enim dominatus eſt per aquam baptiſmi, propterea dixit, & in fluminibus dexteram eius: propriè enim baptiſmus in flumine primo inſtituus eſt in Chriſto, quando in flumine Iordanis à Ioanne fuit baptizatus, Ioan.cap.3. Auguſtin. Et ponam in mari manum eius, hoc eſt, dominabitur Gentibus, & in fluminibus dexteram eius; flumina currunt in mare, cupidi homines in amaritudine huius ſæculi probantur, omnia tamen genera iſta Chriſto ſubdita erunt.

Sequitur ergo Dauid loquens de Chriſto, dicens; Ipſe inuocauit me, Pater meus es tu, Deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ, Deus meus es tu, ſecundum quòd homo ſum; & ſuſceptor ſalutis meæ, ideſt ſuſceptor mei infirmi ad ſalutem; Pater meus es tu, nàm Deus Pater dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te, Pſalm.2.num.7. & Pſalm.75. Saluum fac filium ancillæ tuæ, Matris Mariæ Virginis; Deus ſalutis meæ, Pſal.64. Propterea non timebo millia circundantium me, quia ſi tu ſalus mea, quem timebo? Pſalm.3. nu.7. Chriſtus enim homo loquitur, quem Pater poſuit primogenitum excelſum præ Regibus terræ, ad Coloſſ. cap.1.num.15. Eſt enim Dominus Ieſus primogenitus ex mortuis, excelſus factus, cælos aſcendens, regna mundi cuncta ſubijciens. Primogenitus nobis aperuit cælos, quos Stephanus vidit apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei, Act. Apoſt. cap.7.num.56 Nemo enim aſcendit ad cælum, niſi qui deſcendit de cælo Ieſus Chriſtus Dominus noſter, Ioan. cap.3. num.13. Excelſus, quis enim Regum à dextris Dei, niſi vnigenitus filius Dei? in cuius nomine Reges genua flectunt, & omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, qui ſolus mirabilia facit.

In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi; Quid aliud denotat ſeruare in æternum illi miſericordiam, niſi perpetuam in Eccleſia ſua, cuius ille caput eſt, abſoluendi à peccatis facultatem, & poteſtatem pœnitentes & contritos? Eccleſia enim perpetuò duratura, quia nec portæ

portæ inferi prævalebunt aduerſus eam, quia miſericordia Domini illi eam ſeruatam eſſe teſtatur facultatem, vt quodcumque ſoluerit ſuper terram, ſit ſolutum & in cælis, Matth. d. cap. 16. num. 19. Teſtamentum meum fidele ipſi, per quod ſeruat miſericordiam, parcendo pœnitenti. Auguſtin. propter ipſum fidele teſtamentum, in ipſo mediatore eſt teſtamentum, ipſe mediator teſtamenti, ipſe ſignator teſtamenti, ipſe fideiuſſor teſtamenti, ipſe teſtis teſtamenti, ipſe hæreditas teſtamenti, ipſe cohæres teſtamenti; cum ergo ſit in perpetuum miſeraturus in Eccleſia viuentibus, & pœnitentibus, propterà ſequitur.

Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & Thronus eius ſicut dies cæli; ſemen ergo eius, erit duraturum; quia nunquam in mundo deficient fides Chriſti, & Chriſtiani. Rogaui, inquit ille, pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, Luc.cap.22. numer.32. & Thronus eius, non ſicut ille Regum terræ, qui deficit, ſed ſicut dies cæli, qui ſemper lucent, vt pœnitentes iuuent ad miſericordiam conſequendam; In quacunque enim hora ingemuerit peccator, propitius erit illi, quocircà ipſe Ieſus, qui eſt lux, venit vocare peccatores ad pœnitentiam.

Qui verò ſint dies terræ, & qui dies cæli, dicit Auguſtin. Dies cæli, anni ſunt illi, de quibus Pſalm. 101. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient; dies terræ ſuccedentibus vrgentur, præcedentes excluduntur; nec qui ſuccedunt, manent, ſed veniunt, vt eant, & penè antequam veniant, eunt. Dies autem cæli, & vnus dies cæli, & illi anni non deficientes, nec initium habent, nec terminum; nec vllus dies ibi anguſtatur inter externum, & craſtinum; nemo ibi expectat futurum, nemo ibi perdit præteritum; ſed dies cæli ſemper præſentes ſunt, vbi erit Thronus eius in æternum; vndè Iſai. c. 60. n. 20. Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te; ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam, &c. Et erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Et in Apocal. cap. 21. num. 23. Ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in illa, nàm claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius eſt Agnus, &c. & nox non erit illìc.

Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint. O quàm bonus, & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus; ideòq. eos, qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine, Sapien. cap. 12. num. 1. Hìc verò nos Chriſti filios admonet, ne recedamus à via iuſta, & ſi quis ceciderit, quia homo, non collidetur, ſi pœniteat, quia Dominus ſupponet manum ſuam. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Et ſi iuſtitias meas prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo, inquit, in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Non, inquit; ſtatim delebo eos, ſed peccata eorum delebo in verberibus, & in virga iniquitates eorum viſitabo, vt correcti, quia illos amo, reuertantur ad me, qui illos vocaui, quia ſum eorum Pater, & corrigo, quia amo. Cum ergo das nobis diſciplinam, inimicos noſtros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes. Et cum de nobis iudicatur, ſperemus miſericordiam tuam, Sap.d.cap. 12. num. 22. Viſitabo, inquit, quia nolo mortem peccatoris, ſed vt corrigatur. Propterea in flagellis, & in diſciplina

viſitat,

visitat, quia medicus leuiter corrigit, vt sanet; in virga enim est misericordia. Cædit quidem, sed reddit hæreditatem. Quis enim est filius, cui non dat Pater eius disciplinam, dat disciplinam Pater, vt non auferat misericordiam: cædit contumacem, vt redeat ad hæreditatem. Quem enim Deus diligit, corripit, & flagellat omnem filium, quem recipit. Non ergo misericordia tantùm vocantis est, sed & flagellantis, & verberantis.

Vndè sequitur; Et in verberibus, idest in graui tribulatione visitabo peccata eorum. Cum Paulo ergo consolemur & nos, qui nos monet, vt cum Salomone dicamus Prouerb. cap. 3. numer. 11. Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina, inquit Paulus, perseuerate, tamquam filijs vobis offert se Deus. Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos, non multò magis obtemperabimus Patri spirituum, & viuemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos, hic autem ad id, quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius. Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris; posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ, hæc Paul. Sit ergo manus paterna super te, & si filius bonus es, noli repellere disciplinam Patris tui. Augustin. Tu si promissa Patris benè agnouisti, non timeas flagellari, sed exhæredari. Peccator filius dedignatur flagellari, cum sine peccato videat vnicum Dei filium flagellatum? Quid vultis? in virga veniam ad vos? 1. Corinth. cap. 4. num. 21. An in charitate, & spiritu mansuetudinis? Absit vt dicerent pij filij, si cum virga venturus es, noli venire; melius est enim erudiri in virga Patris, quàm in blandimento perire prædonis: hucusquè Augustin.

Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Noli ergo tu Christiane ità iniquus esse, vt accedente Patre, tu fugias; quia fugiendo Dei misericordiam, tu te ipse alienas ab hæreditate. Non enim Pater abijcit te, nàm ideò te peccantem visitat, vt non tamen misericordiam suam à te dispergat; nec vt tibi noceat, sed vt corrigendo te reducat. Ad hoc enim non tollitur misericordia liberantis, vt non noceat veritas vindicantis. Cum nullius se sine peccato dicere possit esse, vnusquisque pro peccatis suis necessariò flagellatur, inquit Augustin. sed ab eo si Christianus est, Dei misericordia non dispergitur, noli ergo flagellantem Patrem fugere, ne tu priuus efficiaris hæreditare, nàm si maneres flagellatus, non remaneres exhæredatus, cadit aliquando etiam iustus, sed misericordia Dei extollitur, subleuatur.

Neque profanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. Christo Pater sedem Dauid dedit, vt in domo Iacob regnaret in æternum. Nunquid Regnum Dei filij non erit, quia multi ex christianis condemnabuntur? Nunquid quia multi sunt vocati, pauci verò electi, pactum Dei non erit validum, & profanabit testamentum suum, vt quæ per os Angelorum, & Prophetarum est loquutus Deus, & de labijs suis processerunt, faciet irrita? Absit, inquit Deus; neque profanabo testamentum meum, quia mali reperiantur Christiani, neque quæ procedunt de

Digitized by Google

labijs meis faciam irrita; propterea dixit, quæ procedunt, quia semper loquitur Deus, semper promittit Regnum filij sui in perpetuum duraturum, neque Deus relinquet filium suum sine hæreditate. Nunquid, dicit Augustus de lapidibus istis non poterit Deus suscitare filios Abrahæ? Matth.cap.13.numer.9. Itaq. dico vobis fratres, multi Christiani tolerabiliter peccant, multi flagello à peccato corriguntur, & emendantur, & sanantur; multi omnino auersi, dura ceruice obnitentes aduersus disciplinam Patris, & ipsam Dei hæreditatem omnino recusantes; habentes tamen signum Christi, eunt in tales iniquitates, vt non possint nisi recitari inter eos, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt, ad Galat. cap.5. Non tamen propter hos remanebit Christus sine hæreditate. Non propter paleam etiam frumenta peribunt. Non propter pisces malos nihil ex illa sagena mittetur in vascula, Matth. cap.13.numer.47. Nouit Dominus, qui sunt eius, securus enim promisit, qui nos antequam essemus, prædestinauit; quos autem prædestinauit, illos & vocauit: quos autem vocauit, illos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit, ad Roman.cap.8.numer.30. Peccent quantum volunt desperati, respondeant membra Christi, si Deus pro nobis, quis contrà nos? Manet ergo testamentum eius immobile, quia ipse sibi præsciens, prædestinauit hæredes; & quæ procedunt de labijs eius, non faciet irrita. Per hanc vltimam partem versiculi, confirmat quæ per Prophetas suos Sanctos loquutus est.

Semel iuraui in Sancto meo; si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit. Semel, quia amplius non pœnitebit eum, Psalm.109.numer.5. Quia Regni Christi non erit finis in æternum duraturi; semel enim loquitur Deus, & secundò idipsum non repetit, Iob cap.33.num.14. Semel ergo, idest æternaliter, vel immutabiliter; Ego enim sum Deus, & non mutor, & verbum meum manet in æternum. Non ergo quod promisit, in vacuum erit, nec Dauidi mentietur, quia semen eius Christus in æternum manebit; verè non, faciam irrita. Homo frequenter iurat; Deus autem semel, qui non variatur; In sancto consilij mei, vndè Prophetæ biberunt quidquid eis prophetandum dixi, quod scilicet in Christo meo, in Sancto meo, qui solus sanctus est, ille homo Christus, in quo quod iuraui, complendum erat. Quid autem iurauerit, vide, quòd semen eius manebit in æternum in Regno Dei. Quod est semen eius? Qui verbum Domini susceperunt, & in nomine eius baptizati sunt, hi enim semen Abrahæ spiritualiter, & sic Dauid, & Christi, hinc Apost. ad Galat.cap.3.num.28. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neque Græcus; non est seruus, neque liber: non est masculus, neque fœmina, omnes vos vnum estis in Christo Iesu. Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis secundum promissionem hæredes. Semen ergo eius in æternum manebit, omnis scilicet, qui in Christo baptizatus erit, & nouit Dominus, qui sunt eius.

Et Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis. Quis Thronus eius, quæ sedes eius, nisi anima iusti, vt supra diximus? Fulgebunt iusti sicut Sol in conspectu Dei, Matth. cap.13.num.43. Sapien.3.nu.7. Et nota, quia hìc tàm de animæ, quàm de corporis resurrectione loquitur; per Solem enim anima, non de isto Sole, qui

coram

Digitized by Google

coram omnibus animantibus est apparens, sed de Sole, qui in conspectu Dei est, idest de anima fideli, quæ solo Deo videtur, & in conspectu eius lucida tamquam Sol apparet. Sicut & per Lunam corpus intelligitur, non sicut de Luna, quæ hìc apparet, quæ quolibet mense crescit, & decrescit, sed de Luna perfecta, quæ non habet amplius occasum, sed semper lucida coram Deo stans apparebit. Testis horum, quæ diximus, est in cælo fidelis, idest Christus, qui ideò resurrexit in corpore, & cum cicatricibus in cælo est, vt caput humani generis resurrexisse videntes, credamus & nos membra eius cum illo in anima, & corpore resurrecturos.

Non pigeat, quæ hìc Augustin. scripta reliquit, pro consolatione fidelium dicere. Si Thronus, si sedes eius, & membra eius, quia etiam membra nostra sedes sunt capitis nostri: Sedes ergo eius omnes in quibus regnat Deus, sic erũt omnes in conspectu meo sicut Sol, quia iusti fulgebunt in Regno Patris mei sicut Sol; sed Sol spiritualiter, non corporaliter, sicut lucet iste de cælo, quem facit oriri super bonos, & malos. Iste Sol in conspectu est non solum hominum, sed & cæterorum animantium; quod enim quorumlibet vilissimorum animalium non videt Solem istum? Sed de isto Sole cælesti, quid propriè ait? Sicut Sol in conspectu meo, non in conspectu hominum, non carnis, non mortalium animalium, sed in conspectu meo. Et sicut Luna, sed quæ Luna? perfecta in æternum. Etenim etsi perficitur Luna ista, quam nouimus, alio die incipit minui, posteaquam perfecta fuerit. Sicut Luna, inquit, perfecta in æternum, sic perficietur sedes eius tamquam Luna, sed Luna in æternum perfecta. Si Sol, quare, & Luna? per Lunam solent significare Scripturæ mortalitatem carnis huius propter augmenta, & detrimenta, propter transitoriam speciem. Denique & Iericho Luna interpretatur. Et vtique quidam qui descendebat ab Ierusalem in Iericho, incidit in latrones, descendebat enim ab immortalitate, ad mortalitatem, Luc.c.10.nu.30. Similis est ergo caro ista Lunæ, quæ omni tempore, & omni mense patitur augmenta, & detrimenta; sed erit caro nostra in resurrectione perfecta. Et testis in cælo fidelis. Itàq. si in solo animo perficeremur, tantũmodò soli nos compararet; rursus si in solo corpore perficeremur, tantummodò Lunæ nos compararet. Sed quia perficiet nos Deus in animo, & in corpore; secundum animum dictum est, sicut Sol in conspectu meo, quia animum non videt nisi Deus; & sicut Luna, iàm caro perfecta in æternum, in resurrectione mortuorum. Et testis in cælo fidelis, sequitur Augustt. In nulla re tàm vehementer contradicitur fidei Christianæ, quàm de resurrectione carnis; denique ille, qui natus est, in signum, cui contradicitur, & ipse carnem suam resuscitauit, vt obuiam iret contradictori, & qui posset membra sua sic sanare, vt ea vulnerata esse non appareret. Cicatrices seruauit in corpore, vt vulnus dubitationis sanaret in corde; cessent ergo carnis resurrectioni contradicentes; nàm Luna ista est perfecta in æternum, & aduersus istos contradictores testis est in cælo fidelis. Hæc de Christo promissa sunt, quàm certa, quàm firma, quàm aperta, quàm indubitata; nàm & si quædam sunt tecta mysterijs, quædam tamen sic manifesta, vt ex ipsis facillimè aperiantur obscura. Hæc Augustin.

Tu verò repulisti, & despexisti, distulisti Christum tuum. In hac quarta parte manifestè apparet, quòd de Iesu Christo Psalmus iste totus sit; nàm Dauidi aut

aut alij accommodari quæ dicuntur nullo modo possunt, vt ex lectione infrà videbimus, & ità etiam S. Hieron. asserit.

Inquit ergo; Tu verò repulisti, & despexisti Christum tuum; Quia separamur à Rege nostro, dum patitur; & tradendo eum inimicis distulisti Christum tuum; hæc Hieronymus; nàm si adhùc Dauid Rex, cui Deus iurauit, & Salomon, qui illi succesſit, cui Deus dixit, 3.Reg.cap.9.num.4. Tu quoque si ambulaueris coram me, sicut ambulauit Pater tuus in simplicitate cordis, & in æquitate, & feceris omnia, quæ præcepi tibi, & legitima mea seruaueris: ponam Thronum Regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum Dauid Patri tuo, dicens; Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel, &c. Sed quomodo Dauid etiam repulsus, si in nomine Domini talia, & tanta vsque ad finem vitæ suæ fecit, vide Eccles.cap.47. per totum, & num. 13. Et ornauit tempora vsque ad consummationem vitæ, & num.17. Dominus purgauit peccata ipsius, & exaltauit in æternum cornu eius, & dedit illi testamentum Regni, & sedem gloriæ in Israel. Et de Salomone filio mira narrantur. Quomodò ergo vers. de Dauid, & filio intelligamus ipsius, de cuius sapientia, & prudentia omnes Reges admirabantur, atque de eius potentia, & tamen cecidit Regnum eius. Non ergo illi fuisse promissa à Deo seruata, dicamus; quia Thronus eorum defecit de Israel, vt nos non de illo, sed de Christo hoc iuramentum Dei, & semini eius facto intelligeremus, cuius Regnum, cuius sedes manet in æternum, qui sunt animæ iustorum, & in resurrectione corpora etiam illorum, qui sicut Sol in conspectu Dei, & sicut Luna perfecta manebunt coram illo. Ipse Christus testis est. De passione ergo Christi dolet Propheta, quasi Deus in illo non seruauerit promissa. Videbat enim illum à Iudæis repulsum; videbat, dico, quia futura sunt sicut præsentia Prophetis; repulsum dico, quia Iesum Regem suum negauerunt esse, dicentes; Nos non habemus Regem, nisi Cæsarem, Matth. cap.27.numer.21. Ioan.cap.19.num.15. & in alio loco, hunc vndè sit scimus.

August. Quid est hoc, quòd contraria eorum, quæ dixisti fecisti? Nunquid quasi alius promiserit, alius euerterit? non alius, sed tu; tu verò, qui promittebas, tu qui confirmabas, tu qui propter dubitationem humanam etiam iurabas illa promisisti, ista fecisti? Vbi inueniam promissum tuum? hæc promisisti, quia Regnum eius in æternum: hæc verò fecisti, quia repulisti, despexisti Christum tuum, auertisti, profanasti, destruxisti, &c. Quid est hoc? ità verò falsum promitteret Deus, aut falsum iuraret? Ego dico, inquit Augustin. quia ista fecit, vt promissa seruaret, atque firmaret; Dauid positus erat, cui promitterentur hæc omnia, in semine eius, quod est Christus, implenda propter promissa; ergo, quæ dicta sunt ad Dauid, expectabant omnes impleri in Dauid; proinde ne quisquam Christianus, cum diceret, de Christo dixit, alius diceret, non, sed de illo Dauid dixit, & erraret, cum diceret, cum videret impleta esse omnia in Dauid, destruxit ea in Dauid, vt cum videas ea in illo non impleta, quæ necesse est impleri, quæras alterum, in quo ostendatur impleri. Ità etiam dictum est de Esau, & Iacob; Maior seruiet minori, & inueniemus maiorem adoratum à minore, Genes.35. num.3. & Genes.cap.25. num.23. Maior seruiet minori; & cum in illis duobus præcedentibus videris non impletum, expectes duos populos, in quibus

implea-

impleatur, quod non mendax Deus polliceri dignatur. Ecce ex semine tuo, dixit Dauid, ponam super sedem tuam; promisit ex semine eius in æternum aliquid, & natus est Salomon, factus est autem tantæ sapientiæ, tantæq. prudentiæ, vt promissio Dei de semine Dauid in illo putaretur impleta, 3.Reg. 4.cap.11. Sed cecidit Salomon, & dedit locum sperandi Christum, vt quoniam Deus, nec falli posset, nec fallere quem sciebat casurum, non in eo poneret promissum suum; sed post casum eius respiceres tu Deum, & flagitares promissum tuum.

Tu verò distulisti Christum tuum. Vndè ipse in cruce clamabat, Eloi, Eloi Lamma Sabacthani, hoc est: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? In puncto videbatur eum dereliquisse, qui secum erat omni tempore, Matth.cap.27.numer.46. & despexisti; Vah dicebant illi iniqui, qui destruis Templum, &c. Isai.cap.53.num.3. despectum, virum dolorum, &c. Auertisti testamentum illorum: non est iàm Regnum eorum: non est sacrificium, vel Sacerdotium, vel Ara eorum. Prophanasti in terra Sanctuarium eius, quæ enim habebant vbique terrarum sancta, prophanata sunt; iàm non est illorum amplius Templum, quod destructum est, non est sacrificium, non holocaustum, Isai.cap.1.num.9. cum sequen. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus.

Destruxisti omnes sepes eius, posuisti firmamentum eius formidinem. Vrbem fortitudinis illorum Ierusalem destruxisti, ne amplius illis esset in tutamen, itàvt ab hostibus diriperetur; formido etiam illis fuit pro firmamento, vt quæ prius à Domino illis dicta sunt, Genes.cap.26. per totum, & num.31. Et deserta fecit Sanctuaria illorum, dispersitq. terram suam, & Deut.cap.28. num.65. cum sequen. propter cordis tui formidinem, qua deterreberis, quia non est tibi amplius Deus protector tuus. Posuisti fundamentum eius formidinem. Vt dicatur peccantibus; Si Deus naturabilibus ramis non pepercit, qui videbantur firmamentum, nec tibi parcet, ad Roman. cap.11.numer.21. Vel aliter; Posuisti firmamentum eius formidinem, idest, quod eis erat firmamento, factum est eis timori pro culpa, scilicet Deus, facit Deut.d.c.28.nu.65.

Diripuerunt eum omnes transeuntes viam. Qui sunt transeuntes viam, & diripientes eum, nisi hæretici, & peccatores derelinquentes viam Domini, idest ipsum Dominum, qui est Via, Veritas, & Vita? Dicunt contrà Dominum fremmentes; Dirumpamus vincula eorum, & ipsius iugum proijciamus à nobis, Psalm.2. Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris: contumelia, & tormento interrogemus eum, morte turpissima condemnemus eum, &c. Sapien.cap.2. num.12. cum sequen. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis. Hieron. hìc. Transeunt enim illum, qui dixit, ego sum Via, Veritas, & Vita, cum vel vestimenta eius diuidunt, vel corpus clauis, & mucrone confodiunt; factus est opprobrium vicinis suis, Iudæis, ac Principibus Sacerdotum, qui dicebant Vah, qui destruis Templum Dei, & post triduum reædificas illud, descende de cruce. Sed iàm Dominus, quem crucifixistis, propria virtute surrexit, & vos, ò impij Iudæi nunquid nunc creditis? immo magis elongati facti estis ab illo; Non est amplius hìc, vbi posuistis illum; surrexit, vt dixit, & vos partes vulpium facti estis, quia dispersi in omnes Gentes, mancipia facti estis. Auguſtin.

Diripuerunt, &c. Gentes per viam tranſeuntes diripuerunt Iſrael, diripuerunt Dauid; & facti ſunt in opprobrium omnibus Gentibus. Vicit leo de Tribu Iuda, & aſcendit recumbens, & dormiuit ſicut leo, quia poteſtate aſcendit, poteſtate dormiuit, quia voluit, ideò dormiuit, quia voluit, aſcendit, ego inquit, dormiui, & ſoporatus ſum: ego inquit, qui habeo poteſtatem animam ponendi, & iterum ſumendi eam, Ioan.cap.10.num.17. Dormiui, & ſoporatus ſum, & ſurrexi, Pſalm.3. Vos verò ò infideles, qui credere noluiſtis, inter Gentes diſperſi eſtis. Non timuit ille millia circundantium eum, & vos trementes, & pauidi, & vita veſtra ante vos pendens: nocte, & die timeris, & vitæ veſtræ non creditis, Deut. d.cap.28.numer.65. propter cordis tui formidinem, qua terrebris, & propter ea, quæ tuis videbis oculis.

Nec hæc ad pœnam videbantur ſufficentia propter illorum peccatum, nàm ſequitur verſ. Exaltaſti dexteram deprimentium eum: lætificaſti omnes inimicos eius. Nonnè omnia impleta ſunt contrà vos ò Iudæi? vbi ſunt mœnia? vbi Templum? vbi Ieruſalem? vbi Sacerdotium? vbi Prophetæ veſtri? exaltaſti dexteram deprimentium. Legite etiam veſtrum Ioſephum de Bello Iudaico: Triumphantes enim, Titus, & Veſpeſianus venerunt, & exercitus eorum, & vos mancipia facti, ſerui, & abominabiles omnibus.

Auertiſti adiutorium gladij eius, & non es auxiliatus ei in bello. Non amplius in Dauidis funda, & lapide, non in gladio Gedeonis, Iudic.cap.7. Non eſt amplius Dei adiutorium in vobis, cuius vi decem ex vobis fugabant decem millia, verſa eſt victoria veſtra in luctum, gaudium veſtrum in lacrymas, & in captiuitatem; non eſt relictus lapis ſupra lapidem, quia non fuit vobis auxilium à Domino. Auertiſti adiutorium gladij eius, nàm multos pauci proſternebant; & non es auxiliatus ei in bello. Meritò, inquit Auguſt. victus, meritò captus, meritò à Regno ſuo alienatus, meritò diſperſus, eam enim terram perdidit, pro qua Dominum occidit.

Deſtruxiſti eum ab emundatione, & ſedem eius in terram colliſiſti. Deſtruxiſti eum ab emundatione, quia nec ità flagellati, & diſperſi, emundati eſtis, vt veniam reciperetis. Quia defecit confeſſio, ideò augetur pœna; moramini in peccato, & ideò remanet pœna delicti. Vndè Sapien. cap.5.num.13. de his loquens, qui in inferno poſiti ſunt. Sic & nos nati continuò deſiuimus eſſe, & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere, in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Talia dixerunt in Inferno hi, qui peccauerunt. Et ſedem eorum, ſequitur Pſalm. in terram colliſiſti. Regnum enim eorum vbique deletum eſt; de eis enim non eſt amplius Princeps. Auguſtim Diſſoluiſti eum ab emundatione. Quid eſt hoc? Inter omnia mala, magnus hic terror: quantumcunque cædat Deus, quantumlibet iraſcatur, & verberet, flagellet ligatum; tamen flagellet quem mundet, non diſſoluat ab emundatione; ſi enim diſſoluat ab emundatione, iàm non habet mundandum, ſed proijciendum. A qua ergo emundatione diſſoluitur Iudæus? à fide, ex fide enim viuimus, & de fide dicitur Act. cap.15. Fide mundans corda eorum, & quia ſola fides Chriſti mundat, non credentes in Chriſtum ſoluti ſunt ab emundatione.

Minoraſti dies temporis eius, perfudiſti eum confuſione. Minorauit, quia in Deum peccauit ille populus. Minorauit, quia regno Dei, ideſt Eccleſiæ

ſuæ

ſuæ ſanctæ,Gentiles adiunxit,& vbi primo ille populus Dei, nunc ex illis pauci cum Gentilibus ad fidem: Ex vtroque populo facta eſt vna Eccleſia; ideò perfuſi ſunt confuſione, quia illi Primates Iudæorum videntes magnam populi partem poſt diſcipulos abire, repleti ſunt confuſione, & quid facimus dicebant, quia omnes illum ſequuntur, Ioan. cap.11.numer.46. Confuſi enim. Quia omnes illos ſequebantur, & audiebant verba Dei à Diſcipulis; diſſecabantur Principes, & cogitabant interficere illos, quia veritatem prædicabant cum miraculis. Ambigebant magiſtratus Templi, & Principes Sacerdotum, quia clauſis carceris ianuis, Diſcipuli foras erant, & prædicabant; ambigebant de illis, quid nàm faciendum eſſet, Act. Apoſtol. cap.5.num.24. & 33. Perfudiſti illum populi magiſtratum confuſione. Minorauit dies temporis illius Principatus, vt citius ab illo caderet Imperio, qui verbum Dei prædicare non permittebat.

Hæc omnia venerunt Iudæis, non tamen ablato Chriſto, ſed dilato; fortè enim non in finem, & ab ipſis, quia cæcitas ex parte Iſrael facta eſt, vt plenitudo gentium intraret. & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ad Roman.11.nu.25. hinc Iſai.cap.10.num.21. Reliquiæ conuertentur, reliquiæ, inquam Iacob, ad Deum fortem, ſi enim fuerit populus tuus Iſrael, quaſi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo, propterea inquit Pſalmiſta.

Vſquequò Domine auertis in finem, exardeſcet ſicut ignis ira tua. Vſque in finem? quaſi dicat, non Domine auertas vſque in finem; non exardeſcat ſicut ignis ira tua.

Memorare quæ mea ſubſtantia, nunquid enim vanè conſtituiſti omnes filios hominum? Nunquid mea ſubſtantia deficit, inquit Dauid; poſitus in carne in Iudæis, poſitus in ſpe in Chriſto; Memento quæ eſt ſubſtantia mea, non enim, quia Iudæi defecerunt, defecit ſubſtantia mea. Sed quæ eſt ſubſtantia tua, ò Dauid? nàm homo vanitati ſimilis factus eſt, & dies eius ſicut vmbra prætereunt, Pſalm.143.numer.4. cur ergo dicis, nunquid vanè conſtituiſti omnes filios hominum? Nonnè ſubſtantia hominum apud Deum eſt ad nihilum? Memorare quæ mea ſubſtantia, ideò dicit, quæ mea ſubſtantia, non illa, quæ ex carne tantùm, ſed quæ ex carne, & ſpiritu, quem tu Domine dediſti ei. Et quem ſpiritum promiſiſti ei? Iſai. cap.49.numer.19. Et timebunt, qui ab Occidente nomen Domini, & qui ab ortu Solis gloriam eius, cum venerit quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Domini cogit, & venerit Sion Redemptor, &c. Certè veniet, quem Dominus Deus ſemini meo promiſit. Etenim etſi à fide defecerint Iudæi, non tamen defecit ſubſtantia mea, quæ eſt in Chriſto naſcituro ex ſemine meo, è Maria Virgine, & de Spiritu ſancto; propterea dicit Iſai. ex ore Dei vt ſupra, Quaſi fluuius violentus, Spiritus enim ſanctus ſuperueniet in illam, & virtus Altiſſimi obumbrabit illi, Luc.cap.1. & Quod ex te naſcetur ſanctum, filius Dei vocabitur: & Veniet Redemptor Sion, dicit Iſai. Et dabit illi Dominus ſedem Dauid Patris eius, & regni eius non erit finis, Luc. cap.1.numer.32. Hæc eſt ſubſtantia mea, inquit Dauid: hæc eſt fides mea: hoc eſt fœdus, quod eſt inter me, & te, Domine, hoc ex ore meo filijs meis propalatum eſt, & filij filijs, hoc fœdus, inquit Iſai. ex Dei ore vt ſupra, Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui,

tui, dicit Dominus amodò, & vsque in sempiternum.

Memorare quæ mea substantia, sed quæ sunt verba Dei? Isai.cap.59.nu.17. Indutus erit iustitia vt lorica, & galea salutis in capite eius: indutus erit vestimentis vltionis, & opertus erit quasi pallio zeli; sicut ad vindictam, quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis, & insulis vicem reddet,&c. sed nunquid in æternum Domine proijcies adhùc; ne in æternum obliuiscaris nos; memorare quæ mea substantia, memorare fœderis tui, quod pepigisti mecum; Nunquid vanè filios hominum constituisti? hoc est Apostolos tuos, qui filij hominum dicuntur. Non enim dicit homines constituisti, sed filios hominum, idest Apostolos tuos, quos in vniuersum mundum misisti, vt fidem tuam, & Euangelium tuum prædicarent, in redemptionem peccatorum, & in viram æternam, nunquid Insulæ, quia in prædicatione illorum conuersæ non sunt ad te, non saluabuntur propter te? Memorare, quia & si caro mea ex Iudæis; fides tamen mea, & spes mea in Christo Iesu posita est. Defecerunt Iudæi, non defecit fides mea; non omnino, neque interijt radix, vndè venit Maria, & de ea veniet semen, cui promissum est; nàm de populo illo Virgo Maria, de Virgine Maria Christi caro, & de carne illa salus nostra, quia caro illa non est peccatrix, sed peccatorum mundatrix. Nunquid enim vanè constituisti omnes filios hominum? dicit Augustin. Omnes filij hominum in vanitate erunt, non tamen tu vanè constituisti eos. Vndè ergo mundas eos à vanitate? Nunquid nihil tibi seruasti, per quod mundes? mundas eos per semen, in quo est mea substantia.

Memorare quæ mea substantia. Tu enim Domine cognouisti figmentum meum. Quomodò ergo miseretur Pater filiorum, miserearis etiam mihi timenti te: memorare, quia ego homo puluis sum, & sicut fœnum dies mei, tamquam flos agri sic efflorebit. Sed nunquid vanè constituisti filios hominum? Misericordia tamen tua Domine ab æterno, vsque in æternum super timentes te,& iustitia tua in filios filiorum,his & qui seruant testamentũ tuum, & sunt memores ipsius, ad faciendum ea, Psalm.102.numer.13. Et quæ erit substantia mea, nisi sit homo, per quem de inferno liberetur anima mea? & quis est homo qui viuet, & non videbit mortem, & eruat animam suam de manu inferi? nisi tu, qui ex semine meo venturus es, ex Maria Virgine carnem sumens, qui morte tua, mortem destruens, & animam tuam ex te ab inferis eruens, vitam nostram resuscitando restaures? Ioan. cap.10. Veni ergo Domine, quia non est salus, nisi ex te, & noli tardare, Ioan.d.cap.10.num.18. Rorate Cæli desuper, & nubes pluant iustum. Fiat Maria Virgo ad vocem Archangeli parata recipere Verbum, Luc. cap.1.numer.38 Aperiatur terra, & germinet Saluatorem, Isai.cap.45.nu.8. ò nos beatos, si in hoc aduentu puris mentibus, & sincero corde illum recipere parati fuerimus, quia ecce veniet, & non tardabit; Paremus vias Domini, lætas faciamus semitas eius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem, Mich. cap.4.numer.2. ò Rex gentium, & desideratus earum, lapisq. angularis, qui facis vtraque vnum,salua hominem, quem de limo formasti, sic canit Ecclesia: præter te enim non est saluans, Isai.cap.45.numer.21.

Vel aliter dicamus. Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem? Nàm quod promisisti, nasciturum ex semine meo, eiusquè Regnum perpetuò dura-

Digitized by Google

duraturum, si homo viuens erit, cum tu dixeris Domine per Moysen; quòd alium susscitabis Prophetam de medio fratrum suorum similem eius, Deuteron. cap. 18. numer. 18. Moyses homo erat, mortuus est, ergo quod ex semine meo orietur, inquit Dauid, homo viuens morietur? sanè ideò moritur homo, quia peccauit. Quomodò ergo sanctus iste, impollutus, à peccatoribus segregatus morietur? Morietur, inquit, vt mortuos nos liberet à morte peccati, sicut scriptum est ad Roman. cap. 6. Christus resurgens ex mortuis, iàm non morietur, mors illi vltrà non dominabitur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel, quod autem viuit, viuit Deo. Homo ergo viuens venit, vt super se omnia peccata nostra tolleret, Isai. cap. 53. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra, num. 5. & liuore eius sanati sumus; & posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum. Homo ergo inter nos viuens morietur, animam tamen suam eruet de manu inferi, vt nos membra eius redemptos de manu inferi liberaret. Augustin. hìc. Nullus omnino homo est, qui viuet, & non videbit mortem, nisi qui iàm pro mortalibus mortuus est; nàm vt scias, quia de illo dixit, vide quod sequitur, Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem? ergo nunquam fuit in morte? fuit. Quomodò ergo viuet, & non videbit mortem? eruet animam suam de manibus inferni, ecce verè solus omnino, singulariter solus viuit, & non videbit mortem, & eruet animam suam de manibus inferni; quia & si cæteri fideles eius resurgent à mortuis, & viuent & ipsi in æternum, & non videbunt mortem; non tamen animam suam ipsi eruent de manibus inferni. Nemo tollit animam meam à me, quia pono, & reassumo illam, Ioan. vt supra, quia ego dormiui, hucusquè Augustin.

Iàm Christus natus est, iàm opprobrium gentibus, & abiectio plebis, ipse passus, flagellatus, crucifixus. Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine? quia & in ipsum credentes, Martyres scilicet Apostoli illum confitentes, tormenta patiuntur, quotidie moriuntur, afflicti, quibus non est dignus mundus? Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut iurasti Dauid in veritate tua? Christum agnouimus, Christum confitemur, quia ipse est, qui viuit, & eruet animam suam de manu inferi, & tamen adhùc laboramus, inquiunt Martyres: cur non eruis illos de manibus tribulantium? Ipse respondet, ideò vt mecum viuant in æternum; & animas eorum eruam de manibus inferni. Si enim, dicit Iesus, me persecuti sunt, & vos persequentur; neque timeatis illos, sed illum timete, qui potest corpus, & animam perdere in gehennam, Matth. cap. 10. num. 18. Ideò Martyres visi sunt oculis insipientium mori, ipsi verò viuunt in pace, Sap. cap. 5. num. 3. Iustorum enim animas non tangit tormentum mortis, quia in manu Dei sunt, & inter filios Dei computati, Sap. cap. 5. numer. 3. Quid ergo, ò Ecclesia Dei conquereris? nunquid desideras vt sub capite spinoso, filij tui sub illo militantes, eiusquè membra sint delicata? An ignoras, quia ipse caput nostrum stans à dextris Patris, quotidie interpellat pro filijs? Lapidabatur Stephanus, & Iesus stans erat à dextris virtutis Dei Patris. Ecclesiam persequebatur Saulus, quare me persequeris, de nube apparens Iesus, Saule, Saule, dixit, quid me persequeris? Act. Apostol. cap. 9. nu. 4. & cap. 7. numer. 55. Durum est tibi contrà stimulum calcitrare. Illi enim est cura de suis, pro quibus te Matrem Ecclesiam constituit, vt sicut gallina, &

tu

in congreges illos, Matth. cap.23.num.37. Doles, quia mater es; Ieſus gaudet, quando quem patientem pro amore ſuo, & libenter ſuſtinentem videt: Et ſi mater filiorum obliuiſceretur, non obliuiſcitur Deus illorum: propterea beatos illos dixit, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, vocans illos, & dicens; Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt, Matth.25.num.34.

Non conquæritur Eccleſia, quia filij ſui fortes ſint in bello, & voluntariè tormenta patiantur; ſed Dominum rogat, vt in tormentis illos non deſerat; vt conſtantes in paſſione ſua ſint, vt filios ſuos coram Deo, quos in fide Chriſti peperit repreſentans, dicere poſſit. Ecce Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucrata ſum; quocircà dicit.

Memor eſto Domine opprobrij ſeruorum tuorum, quod continui in ſinu meo multarum gentium. In ſecretò mentis ſuæ, ideſt Eccleſiæ, in ſinu ſuo opprobria à multis gentibus filijs ſuis illata ſuſtinuit: hæc fuerunt iàm Chriſtianis tormenta vbique illata: & nunc Domine, quia creſcunt hæreſes, creſcunt inimici Eccleſiæ tuæ, putas ne fidem inuenies, quando veneris? Memor eſto Domine opprobrij ſeruorum tuorum, quod nunc ſuſtinet Eccleſia tua multarum gentium, quod exprobrauerunt inimici tui Domine, quod exprobrauerunt, commutationem Chriſti tui. Nunquid dicunt, eſt tibi Chriſto cura de nobis? iàm commutatus eſt Chriſtus, quia ſuos deſeruiſſe videtur; cum inimici eius creſcant, & fides illius quaſi deficere videatur.

Benedictus Dominus in æternum: non enim Eccleſiam ſuam deſerit, qui cum illa vſque ad conſummationem ſæculi eſſe promiſit, Matth. cap.28. in fine, Neque eſt alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi ſicut Deus noſter cunctis obſecrationibus noſtris, Deuter.4.num.7.

Lauda ergo ſterilis, quæ non paris, decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas; noli timere, quia non confunderis, neque erubeſces. Non te pudebit, quia confuſionis adoleſcentiæ tuæ non recordaberis amplius, quia dominabitur tui, qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius, Iſai.54. num.1. cum ſequen. Hodie enim ſcietis, quia veniet Dominus, & mane videbitis gloriam eius, Exod.cap.16.num.7. Rorabunt Cæli deſuper, & nubes pluent iuſtum, aperietur terra, & germinabit Saluatorem, Iſai. dicto cap.45. Benedictus Deus in æternum, fiat, fiat. Dicant qui remanſerunt, quidquid volunt, quotidie in dies ſingulos minus, minusq. remanebunt. Obijciant, inquit Auguſt. irrideant, exprobrent, non interitum, ſed cõmutationem Chriſti tui. Non vident, quia cum iſta dicunt, deficiunt, aut non credendo, aut moriendo? illorũ enim maledictio temporalis eſt, benedictio autẽ Domini in æternum, hucuſq. Auguſt.

Nos ergo ſub alis Eccleſiæ ſanctæ viuentes, ſub illius protectione maneamus, ne aberrantibus nobis ab illa, domus noſtra, anima noſtra deſerta remaneat, Luc.13. Amemus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui hodie de Virgine naſci dignatus eſt, vt nos redimeret. Amemus & Matrem eius Virginem Mariam, quæ quotidie intercedit pro nobis apud filium ſuum. Amemus Deum Dominum, & Patrem, qui nos in filios ſuos adoptauit. Amemus & Matrem ſanctam Eccleſiam, quæ nos ſub alis ſuis continens quotidie infirmatur, vt nos pullos ſuos cuſtodiat, donec perueniamus in cælum. Benedictus Dominus in æternum, cuius manu cautio ſupradicta firmatur dicentis, fiat, fiat. Amen.

SO-

Digitized by Google

SOLILOQVIVM.

SVRGE anima mea, & cum Dauide misericordias Domini in æternum cantato; qua misericordia Deus ipse per filium suum Iesum te visitauit. Verbo suo te fecit: in redemptione tamen sanguinem effudit eiusdem filij sui, qui peccata tua super seipsum tulit. An non confiteberis eum, qui te redemit? qui est Via, Veritas, & Vita? Hanc viam, & vitam prædestinatis ad Cælum promisit Dauidi, ex cuius semine tu eris anima mea, si diuina eius præcepta custodieris; si in illius via & tu ambulaueris: Hæc est fides sancta, hæc est veritas, & via, quam tenuit, & tenet Sanctorum Ecclesia; hæc mirabilia Dei confitentur Apostoli. Hanc fidem amplectaris anima mea, & ex toto corde eam retinendo proficies; extrà quam, si in inuio, si in nubibus ambulaueris, quomodò lux erit in te? Quomodò filius Dei in te, & tu in illo, si longè tu ab eo tenebris obuolutus gradiaris? quomodò per filiationis adoptionem similis illi eris, si partem tuam cum luxuriosis consumpseris?

Respice anima mea, quàm magna sit hæreditas, quæ te continget, si incesseris in via recta, hæres Dei, & cohæres Christi: O magna dignitas tua. Et quamuis Deo nullus sit æqualis, nullus illi similis, quia ipsi soli in concilio Sanctorum gloria, tu tamen per adoptionem similis illi esse poteris. Quid? tribularis? sed qui potens fuit, vt te crearet, te redimeret, nonnè erit potens, & à tentationibus Diaboli liberare? Motum enim fluctuum maris ipse mitigat. Vulneratus est superbus inimicus, & redditus impotens, infirmusq. adeò vt non vincat nisi volentem. Illi non consentias, ad illum non accedas, isquè alligatus haud poterit te offendere: signo Crucis fideles Christi munitos, nec audet attingere.

Quid moraris? Surge, iàm enim tibi lux de Cælo est orta; natus est Dominus, qui ideò venit, vt te saluam faciat. Ipsius sunt Cæli, animæ nimirum iustæ; quæ in hoc mundo cum illo ambulare voluerint. Sequere illum cum Petro in tribulationibus, & in confessione, vt & ipse te confiteatur coram Patre suo. Thabor, & Hermon in te exultent, dum iuxtà vetus testamentum promissum expectans, nunc venientem per nouum testamentum cognoscis, & confiteris, atque in illius nomine exultans, cum Angelis dicas, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. O te beatam animam meam, si scies iubilationem, quando veniet Dominus, te iudicaturus. In iustitia, & iudicio erit sedes eius, cuius faciem veritas, & misericordia præcedent. Iàm clamantis vox præcessit in deserto, vt viam Domino præpares; clama, & cum populo Christiano vocifera, vt muri Iericho in te corruant, sublataq. cordis tui duritia, in vultus Domini illuminatione lætus, & exultans ambules in Christi via, & ipse te assumat ad cælestia regna.

Beneplacita sint & tibi animæ meæ, sicut Apostolis præcepta Domini, nàm ipsi soli debetur gloria; qui exaltabit cornu tuum in die iudicij, & ab illo, ac cum illo erit assumptio tua. Etenim, Iesus ipse est, quem de plebe sua elegit Deus, iuxtà visionem, quam ostendit sanctis suis, dicens, Posui adiutorium in potente, elegi seruum de semine Dauid, & de plebe mea, seruus enim is esse

esse voluit, vt te Dominum faceret. Quem Deus oleo sancto suo vnxit, non corruptibili, sed iustitia, & sanctitate pleno. Excelsumq. præ omnibus terræ Regibus primogenitum posuit; cui data est omnis potestas in cælo,& in terra. Quid ergo inimicus proficere poterit in illo, aut quomodò filius iniquitatis nocere ei? Omnes Iudæi tamquam gladijs conscissi,& confusi in fugam conuersi, & dispersi sunt: tu verò anima mea sequere Dominum, quia misericordia,& veritas est in illo, quibus sanantur infirmi confitentes Iesum,cuius opera mundo manifesta sunt,& Principibus; cuius Pater est Deus; qui testamentum seruabit illi in æternum,& pactum fidele ipsi, vt ponat in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies Cæli.

Sicut Sol & tu anima mea in Patris regno fulgebis, si ex parte tua mandata Dei custodieris; nec quia peccasti, de misericordia Dei,& Ecclesiæ eius desperes; nam sicut seueritas diuina terret, arguente iustitia, ità pietas reparat, moderante clementia. Præcedat confessio,& contritio,& clementem Deum inuenies in tui adiutorio. Semel enim in filio ipso suo iurauit Deus, quòd populus ab eo acquisitus in æternum manebit: & testis est idem Christus in Cælo fidelis, quòd anima iusti sicut Sol in Cælo fulgebit, & sicut Luna perfecta, quæ nunquam decrescet. Repulit quidem,& despexit sceptrum Dauidis, & Salomonis temporale, at sceptrum semini eorum datum cæleste,& æternum: Distulit Christum, sed non abstulit illius aduentum; distulit nostram redemptionem, sed non auertit illius passionem, repulit regale sacrificium, & despexit, vt nobis daret corpus suum in sacrificium, atque ad manducandum, despexit temporalia, vt nobis daret æterna; despexit præterita, vt obseruaret futura. Quia non in Dauide, vel Salomone, non in seminibus, quasi in pluribus, sed in semine Christo erat facienda redemptio. Venit Christus, passus est,& mortuus, vt mortem destrueret; in infernum descendit, vt Patres liberaret, animamq. suam de inferno eripuit, quia talem à se habebat potestatem illam ponendi,& iterum assumendi eam; & quis præter ipsum homo viuens morte sua mortem destruxit? Benedic anima mea Domino, vt te ab inferno eripiat, & à morte perpetua liberet. Benedictus Dominus, fiat, fiat, per Virginis Mariæ Matris interces sionem. Amen.

IN PSALMVM LXXXIX.

Domine, refugium factus es nobis: à generatione in generationem.

TITVLVS. Oratio Moysi hominis Dei, seù, vt alij legunt, Oratio Moysi viri Dei. Quo quo modo autem dicatur, idem sonat, nàm in 4.Reg.cap.1.numer.9. Homo Dei, Rex vocat te, si homo Dei sum, descendat ignis de Cælo, & comedat te, & quinquaginta viros tuos, & ad Timoth.1. cap.6. numer.11. Tu homo Dei hæc fuge; de Viro Dei Apostol. 1.Corinth.cap.11.num.3. Vos autem scitote, quòd omnis viri caput Christus est, caput mulieris vir, caput verò Christi Deus, & ad Ephes.cap.4.num.13. Donec perueniamus omnes in virum perfectũ, siuè igitur viri, siuè hominis appellatio sancto viro competit, & ei qui vidit Deum facie ad faciem,& facta est salua anima eius; ità Diuus

Hie-

Digitized by Google

Hieronym. in Tom.1. Epistol. 139. ad Cyprian. in princ.

Oratio ergo erit Moysis, siuè Psalmus iste, cum hìc repetere videatur, quæ in alijs suis libris dixisse cognoscitur: illi enim de temporalibus erat à Deo facta promissio, alium verò post se expectabat, qui, spretis istis, daret æterna; de quo in lib. Genes. cap.49.num.10. Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Et quis erit? ibidem numer.18. Salutare tuum expectabo Domine, & Deuteron.cap.18.numer.15. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, &c. & numer.18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturq.ad eos omnia, quę præcepero illi, &c. vndè in Ioan.1. nu.45. Discipuli ad Nathanael, Quem scripsit Moyses, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph, à Nazareth; Et Petrus Act.3.nu.49. Vos autem sanctum, & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis, auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus suscitauit à mortuis, &c. & num.18. ibidem. Deus autem quæ pronuntiauit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic impleuit, passus est enim, vt meliorem nobis vitam donaret.

Oratio ergo Moysis, qui præterita dixit, & futura prophetauit, vt in temporalibus non esset fundamentum, sed in salutari filio Dei, qui nobis daturus erat vitam æternam. Præterita enim in figuram dicta sunt, vt intelligamus, legem, quæ per Moysen data est, vbi terrena præmia videntur promitti, habere aliquid tale sub velamento, quale Psalmus iste ostendit; transeant homines ad Christum, & velamen antiquæ legis auferetur ab oculis eorum, & ablato ab oculis velamento, considerabunt mirabilia Dei.

Summa huius Psalmi. Oratio Moysis, per quam ostenditur, quæ lex per Moysen data, sub velamento continebat.

Continuari potest cum præcedenti, vbi de spe in Christo habenda; verùm quia Moysi Prophetæ Dei obseruantibus legem bona temporalia promittebantur, ne in illis spes nostra esset, quæ vana sunt, & caduca; in hoc Psalmo, in hac oratione ipsemet Moyses docet nos, quòd ea, quæ per ipsum dicta sunt, in figura populo ibi rudi dicebantur, vt veniente Christo, in illum credentes, bona æterna reciperent. Ad contemptum ergo veteris, & ad amorem nouæ vitæ, monet nos Moyses in hac sua oratione.

Moysis benè dicitur Psalmus, cum ex Moysis Prophetia, ab illius compositore sumptus sit, quatenus à Dauide factum esse dicamus, provt Gloss. & Augustin. hìc. Sanctus verò Hieronymus à Moyse factum asserit cum alijs 10. sequentibus, vsque ad 99. Nec assertioni illi obstare dicit, quæ in d. Psal.98. dicuntur, ibi, Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est; Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius. Prophetatum quippè nomen Samuelis, qui tanti meriti fuit, vt cum Moyse poneretur, sicut in Ierem.15. numer.1. Si steterint Moyses, & Samuel coram me; iuxtà illud exemplum 3.Reg.cap.13.numer.2. quando homo Dei loquitur in Samaria; altare, altare, hæc dicit Dominus, ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomen eius.

Nec prædictæ Hieronymi sententiæ obstant verba præteriti temporis in eodem Psalmo posita, Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos, in colũna

nubis loquebatur ad eos,custodiebãt,&c. Nàm hæc Moysi, & Aaron contigisse narrantur;& illis applicãtur. Cæterum Samuelem,& omnes præsentes hortatur, vt adorent Dominum,dicẽs, Exalta Dominum,&c. Qui verò isti essent,narrat, dicens, Samuel, is est,qui inter eos præcipuus est,qui inuocant nomen Domini. Inuocate ergo nomen Domini vos, qui fideles estis,sicut Samuel,quia sicut Dominus Moysen, & Aaron in columna nubis exaudiebat, ità vos in ligno Crucis positus Iesus Christus exaudiet. Præsentes ergo,& futuros ad laudes Domini inuitat Moyses, & dicitur oratio Moysi, quia fuit minister veteris, & Propheta noui testamenti, vt per Augustin. hìc, incipit autem Psalmus.

Domine refugium factus es nobis à generatione, in generationem. Quia, sicut ipse Augustin. dicit, siuè in omni generatione, siuè in duabus, vetere, & noua,quia minister fuit ille testamenti pertinentis ad generationem veterem,& Propheta testamenti pertinentis ad generationem nouam; propterea Iesus dixit Ioan.cap.1.nu.46. Si crederetis Moysi, crederetis forsan & mihi; de me enim ille scripsit.

Deus ergo noster refugium, siuè habitaculum,vt in Hebr. secundũ Hieron. Pro cuius faciliori intelligentia repetenda sunt, quæ post hominis creationem à Deo prohibita fuerunt,ne scilicet de ligno illo comedere auderent Patres nostri, quod erat in medio Paradisi, Genes.c.2. De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris, & cap.3.nu.6. habetur, & in puluerem reuerteris. Bonum,& malum ante hominem posuit Deus, Eccles.11.n.21. vitam, & mortem. Cecidit homo,& filius Dei factus est in refugium eius in generatione, & generationem. Mors inuidia serpentis Diaboli introiuit in mundũ,Sap.2. refugium nostrum à Deo. Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum; habitaculum verò, seù refugium nostrũ Iesus Christus; bestia persequitur iustum,iustus confugit ad Dei habitaculum, & fit refugium ei, Psal.73. Ne tradas bestijs animam confitentem tibi. In generatione, & generationem est refugium nostrum filius Dei, quia in hoc mundo semper est bonum, & malum, & Deus Dominus in generatione,& generationem refugium nostrum,in veteri scilicet testamento,nàm vt dicit Paul. 1.Corinth.10. Patres nostri omnes sub nube fuerũt, & omnes mare transierũt, & omnes in Moysi baptizati sunt in nube, & in mari; & omnes eandẽ escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt, bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus, sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Factus est autem Christus nostrũ refugium, nàm factus est sicut vnus ex nobis,quia carnem nostram ex Virgine assumpsit, vt in hoc deserto viuentes,secum nos duceret ad terram promissionis. A generatione ergo Moyses minister veteris testamenti, in generationem verò noui testamenti, cuius ipse Propheta fuit; minister primi, quia in figura illius omnes baptizati; Propheta noui testamenti, quia in fidelibus Christianis beneplacitum est Deo, vt confugientes ad Christum, & in illum credentes illis esset refugium ad æternam salutem.

Augustin. Quale autem refugium factus sit, quoniam scilicet nobis cœpit esse, quod non erat, idest refugium. Non autem ipse non erat, antequam nobis esset refugium, securus adiunxit. Priusquam montes fierent, & formaretur terra, & orbis terræ, & à sæculo vsque in sæculum tu es Deus, Facit Isai.d.c.48. num.16.

Digitized by Google

num.16. Ex tempore, antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius. Hæc dicit Dominus Redemptor tuus sanctus Israel; ego Dominus Deus tuus. Tu verò, sequitur Augustin. qui semper es, & antequam essemus, & antequam mundus esset, refugium, ex quo ad te conuersi sumus, factus es nobis, &c. Ideò factus homo es, vt nobis tuum esset propinquius auxilium, hoc est vt in carne portans omnia peccata nostra, Isai.cap.51. securi te sequentes, perueniamus ad te, refugium nostrum in tribulationibus. Quæ est enim natio alia, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster, qui semper nobiscum est vsque ad consummationem sæculi? Matth.vltimo in fine, factus est homo Deus, qui est Dominus, vt esset noster amicus, qui non pepercit morti, vt nos secum perduceret in Cælum.

O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem. Deus factus est refugium nobis, & quibus nobis? an superbis? de Cælo ipse descendit, & factus est pauper, & humilis, & tu de terra factus superbiendo sursum ascendere cogitas? vndè abundat iniquitas, nisi ex superbia? cura superbiam, & nulla erit iniquitas; descendit enim filius Dei, & humilis factus est, vt tu homo cinis curareris à superbia, sequere Deum hominem factum, & exaltaberis cum illo in Cælum: Si cupis præceptum Dei seruare, humilis esto; sicut & ille factus est, quod prius non erat homo scilicet, quamuis ante sæcula refugium esset nobis, propterea sequitur.

Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à sæculo, & vsque in sæculum tu es Deus. Qui ergo nondum homo factus erat, antequam terra fieret, & montes, erat ipse prius, & tamen re ipsa nondum factus erat, quia nondum tempore Moysi ex Maria Virgine natus erat, factũ nihilominus dixit, quia futurum ipsi Prophetæ præsens apparebat, ità & Samuelem nondum natũ inter eos, qui nomen Domini inuocabant, posuit. Et idcircò vt simul significaret, & quod ante sęcula Deus iàm erat, & quod Deus ipse faciẽdus esset homo, subiungit Propheta, Priusquã montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à sæculo, & in sæculum tu es Deus, qui refugium carnem nostram sumendo, factus es visibilis nobis, & cum hominibus conuersatus es: Deus absconditus in homine, factus adiutorium nobis. Non ergo nunc tantùm est ipse idem, qui in æternum semper est; nàm Psalm.101.num.28. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Sed quod non erat assumpsit, vt diuinitatis suæ tribueret nos esse participes, vt canit Ecclesia.

Prior ergo terra, & cælo, & omnibus corporalibus est Deus, nec hoc magnũ dicere erat, sed terram intelligit hìc homines, montes verò Angelos, quos Deus creauit, atque formauit, & vt vniuersitatem creatarum rerum etiam intelligeret, subiungit: Priusquam fieret orbis, à sæculo, & in sæculum tu es Deus. Quamuis interpres reddidisset propriùs, ab æterno in æternum, qui enim est ante sæcula Deus, non est à sæculo Deus, aut non est vsque in sæculum, cum sit sine fine; sed ex ambiguo verbo Græco fit plerumquè in Scripturis, vt vel sæculum pro æterno, vel æternum pro sæculo ponat latinus interpres. Hìc ergo ponitur in sæculum pro æterno: optimè autem ait, Tu es scilicet immutabilis, non dicit eris, vel fuisti, cum immutabilis essentia Dei non nouerit præteritũ, vel futurum.

Vndè Exod.3.nu.13. Ecce inquit Moyses ad Deum, si dixerint mihi, quod est nomen eius? quid dicam eis? dixit Deus ad Moysen, Ego sum, qui sum, & sic dices filijs Israel, Qui est misit me ad vos.

Digitized by Google

Ne ergo populum Christianum, qui te Iesum Christum confitetur filium Dei, & refugium nostrum factum, ne inquam, auertas illum contritum, & te confitentem in humilitate degentem, & se peccatorem confitentem, & ad te conuersum. Christiani sunt filij hominũ, Apostolorum filij, per quos tu dixisti; Conuertimini filij hominum, iàm terrena despicimus, & in humilitate positi, te Iesum Christum Redemptorem nostrũ confitemur; infirmitatem nostrã cognoscimus. Ne auertas nos in humilitatem; sed confirma nos in illa, quia infirmi sumus, adiuua nos, & esto refugium nostrum, quia ecce ad te confugimus.

Vel aliter dicamus, Ne auertas hominem in humilitatem. Duplex tempus Psalmista considerat, tempus scilicet ante sæcula, quo aduentus Domini ordinatus est, & tempus præsens; eidem verò futurum, Iesus Christus heri, & hodie; ipse & in sempiternum, ad Hebr. 13. & vt veniat instat, & postquã aduenerit, vt pro peccatis nostris Deo Patri satisfaciat, patiendo, morte sua mortem nostram destruat. Venit Christus humilis factus, quia nec reputauimus eum, Isai. c. 53. ità despectus, & percussus, vt quasi leprosus crederetur, quia & peccata nostra ipse tulit, & tamquam agnus ad occisionem ductus os suum non aperuit; nàm verè languores nostros ipse portauit.

Ne Domine auertas in humilitatẽ; & si Deus, & Patri coæternus, & coæqualis, ne humanitatem, & carnem nostram assumere retardes, ne tàm mirandũ pro vili creatura retardes assumere, vt homo fias, & quasi vilis creatura sicut vnus ex nobis patiaris, vt redimas. Dictum est enim, conuertimini filij hominum, parate viã eius; quia ecce veniet, & non tardabit. Veniat sancte Pater filius tuus, qui hæc omia pro nobis est passurus, non retardet amplius, quia etsi apud te mille anni, tamquam dies esterna, quæ præterijt, homo tamen natus de muliere breui viuit tempore. Veni Domine Iesu relaxare delicta populi tui; & cum veneris, ne auertas hominem in humilitatem. Sed si venit, vt pateretur, quare dubitas, ò Propheta, ne auertat, ne patiatur? Audiamus Petri Christi dilecti consilium. Quid dicis Petre? debet ne humilitatem passionis suæ auertere Christus? Absit, inquit, hoc à te Domine, sed quare? quia, inquit, bonum est nos hìc esse; si vis faciamus hìc tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum. Vade retrò Satana, inquit Christus; calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Ioan. 18. nu. 11. Matth. 16. nu. 23. non enim sapis quæ Dei sunt; sed quæ hominum sunt, Marc. 8. nu. 33. nàm ad hoc veni in mundum, vt non auertam in humilitatem, & vt ponam animam meam pro ouibus meis, & vos doceam, vt humiles efficiamini, sicut paruuli, si Deum videre desideratis, & alter alterius onera portantes vestigia mea sequamini.

Vel cum Augustin. dicamus. Ne auertas hominem in humilitatem, idest, ne à tuis æternis, atque sublimibus homo auersus temporalia concupiscat, sapiatq. terrena; provt idem Dominus nos docens præcepit, vt Patrem orantes dicamus, Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Quod faciet Dominus, si ad illum ex toto corde conuertamur. Da igitur nobis Domine gratiam tuam, vt conuersi ad te, te solum quæramus, vt in te sit gloria nostra, & gloriantes in te Domine gloriemur.

Ne ò homo ab humilitate auertaris, cõuertere ad Dominum, quia cætera sunt inania, & transitoria, & caduca; nàm si in diuitijs, & in huius mundi voluptatibus confidas, citò transeuntes, te ad pœnas æternas perducent; si in tempore est spes tua, quia iuuenis, Sap. 2. An ignoras, quia apud Deum mille anni, sicut

dies

tized by Google

dies eſterna, quæ præterijt: longum non eſt, quod breui tẽpore conſummitur. Quid dicis animę tuę? anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, & epulare; Quantò tempore viues? an 70. an 80. ſi vltra ſperas, amplius labor, & dolor. Si præterita reſpicias, tamquam dies eſterna, quæ præterijt. Et quid dicet tibi Deus? Luc. cap. 12. numer. 19. Stultè hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem paraſti, cuius erunt? ſic eſt qui theſaurizat, & non eſt in Deum diues.

Conuertimini filij hominum, & Dominus non auertet nos ab humilitate, vt cognoſcamus, quòd nihil eſt in mundo ſolidum, niſi vt bonum facientes Chriſti veſtigia ſequamur; Vndè Auguſtin. hìc, Debemus ad refugium tuum, vbi ſine vlla mutabilitate tu es, ab his prætereuntibus, labentibusq. conuerti, quoniam quantumlibet huic vitæ longum tempus optetur, mille autem anni ante oculos tuos tamquam dies eſternus eſt, qui præterijt, non ſaltem tamquã dies craſtinus, qui venturus eſt, ità omnia, quæ temporis fine clauduntur, pro tranſactis habenda ſunt; hinc Paul. ad Philippenſ. cap. 3. num. 13. Fratres ego me non arbitror comprehendiſſe; Vnum autem, quæ quidem retrò ſunt obliuiſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens meipſum ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Quod exponit Auguſtin. de Intentione quæ retrò ſunt obliuiſcentis, vbi temporalia cuncta oportet intelligi, & in ea, quæ ante ſunt, extenti quæ eſt appetitio æternorum.

Mille ergo anni ante oculos tuos, vt dies eſterna, quæ præterijt, & 2. Petr. cap. 3. numer. 8. Vnum hoc vos non prætereat dilectiſſimi, quia vna dies apud Deum quaſi mille anni, & mille anni quaſi vnus dies; ſed ſi dies apud Dominum mille anni, quomodò mille anni apud Dominum tamquam dies eſterna, quæ præterijt, & cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt? Mille anni ante Dominum, ſicut dies vna, quæ præterijt, nàm ſperans in temporalibus, etiam ſi per longum tempus illis frui videatur, tamquam dies eſterna, quæ præterijt, illi erunt in adiutorium, quia ſicut fœnum areſcet. Si pœnitens reſipiſcas, & ſi longo tempore in humanis perſtiteris, dies illa, in qua te pœnituerit, tamquam mille anni ante Dominum; nàm etſi, inquit Ieſus, in tertia vigilia venerit, & ità inuenerit, beati ſunt ſerui illi, Luc. 12. num. 38. Sed cur dies illa mille anni ſunt coram Domino? quia longanimis, & patiens eſt Dominus, & non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat, Pſalm. 102. numer. 8. hinc Sap. cap. 12. num. 20. Quoniam iudicans das locum pœnitentiæ in peccatis. In peccato ergo ne moreris ſub ſpe futuri, & longi temporis; qua hora enim non putatis, filius hominis veniet. Quòd ſi dixerit ſeruus ille, inquit Dominus, in corde ſuo; moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conſeruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari, veniet dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora, qua neſcit, & diuidet eum, partemq. eius cum infidelibus ponet, Luc. d. cap. 12. num. 45. Hinc D. Gregor. 8. Moral. cap. 11. litera E. Pro explendis voluptatibus carnis, longæuitatem vitæ præſentis cupiunt, ſed tamen ab ea ſub celeritate rapiuntur, de quibus Pſalm. 77. numer. 13. ſtatuit aquas quaſi in vtre. Aquæ quippè in vtre ſunt, cum lubrica eorum deſideria, quia operis effectum non inueniunt, ſub carnali corde deprimuntur.

Mille ergo anni apud Dominum tamquam dies eſterna in peccatore im-

pœnitente; vndè idem Gregor. in lib.8. Moral. cap. 10. litera B. cum seq. Si enim conualles ima pœnarum loca intelligimus, iniusti sicut torrens, raptim ad conualles transeunt, quia in hac vita, quam totis desiderijs appetunt, diù nequaquam stare possunt; nàm quot dies ætatis accipiunt, quasi tot quotidie gressibus ad finem tendunt; Augeri sibi optant tempora; sed quia concessa subsistere nequeunt, quot augmenta viuendi percipiunt; tot viuendi spatia totidem perdunt. Momenta ergo temporum, quæ sequuntur fugiunt, quæ accipiunt, amittunt; raptim itaquè ad conualles transeunt, qui in longum quidem voluptatum desideria pertrahunt, sed ad inferni claustra repentè deducuntur, quia enim hoc etiam tempus, quod qualibet longæuitate extensum est, in fine clauditur, longum non est, ex fine miseri collegerunt, breue fuisse; quod amittendo tenuerunt. Facit Eccles. cap. 11. numer. 8. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita; & sequitur Gregor. Stulta enim mens cum malum repentè inuenerit, quod nequaquam præterit, æternitatem eius tolerando intelligit, quia quod præterire potuit, vanum fuit: propterea sequitur Psalmi alius versiculus.

Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Nàm si tu auertas hominem à tuis æternis, anni eorum erunt, idest inter ea reputabuntur, quæ pro nihilo habentur, vt somnia; & meritò inter ea reputabuntur; quia hi anni antequam veniant, nondum sunt, cum autem venerint, iàm non erunt; in tenebris enim agitur vita præsens, & in solicitudine, ac trepidatione, & quasi nihil est.

Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt, conjungatur superiori versiculo, quoniam mille anni ante oculos tuos; tamquam dies esterna, quæ præterijt, & custodia in nocte, idest vigilia, quæ fit in nocte, quæ trium horarum solet esse, quæ pro nihilo habentur, erunt eorum anni. Quid enim in nocte ista custodire desideras, in hac sæculi vita, quæ nocti comparatur, his qui in tenebris ambulant? quid custodis in hac nocte, quæ breui spatio temporis iàm consumpta est? Separa ò Iudæe animam tuam à vili, à litera veteris testamenti, & aperi aures ad prædicationem Euangelij, & quæ in nocte custodisti, in die Euangelij pacis alijs prædica, & nox illa trium horarum erit tibi in lucem æternam, Ierem. cap. 15. num. 19. Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.

Vndè Iob cap. 28. num. 10. Profunda quoque fluuiorum scrutatus est, & abscondita in lucem producit. Quid, inquit D. Gregor. namque aliud hìc flumina nisi antiquorum Patrum dicta nuncupantur? Quis enim pensare sufficiat, quàm vehemens fluuius dum legem conderet, ex pectore Moysi erupit? quàm vehemens fluuius ex Dauid corde defluxit? quanta à Salomonis ore, atque omnium Prophetarum fluminũ fluenta manarunt? Sed horum fluminum Iudæa speciem tenuit, dum litteræ superficiem seruans, eorum profunda nesciuit. Nos verò, qui veniente Domino, in eis internè spiritualia quærimus, eorum profunda rimamur. Quod ipse Dominus facere dicitur, quia id nos agere, ipso donante, prævalemus. Per nos ergo, qui non literam, quæ occidit, sed spiritum; qui viuificat, sequimur, profunda fluuiorum Dominus scrutatur, & abscondita in lucem producit, quia dicta legis, quæ caliginosa

nimis

nimis hiſtoria obſcurat, nunc expoſitio ſpiritalis illuminat. Pro nihilo ergo eorum anni Iudæorum erunt, qui in cuſtodia noctis permanent. Velabat faciem Moyſes, cum populo loqueretur, Exod. cap. 34. vt deſignaret quòd ille Iudæorum populus legis verba cognoſceret, ſed eiuſdem legis claritatem omnino non videret: hinc Paul. 2. Corinth. cap. 3. num. 14. Vſque in hodiernam enim diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Pro nihilo ergo eorum anni vſque modò erunt, cum in nocte illorum ſit cuſtodia, & ideò.

Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat, veſpere decidat, induret, & areſcat. Mane, ideſt à principio populum Hebræum elegit Dominus, mane floreat, & tranſeat, cum in terram melle, & lacte manantem illum introduxerit Deus: tranſeat, inquit, quia in figura hæc omnia contingebant illis. Sed veſpere decidat, induret, & areſcat, quando ſcilicet Dominus Ieſus venit, tunc finis legis eorum vſque ad Ioannem. Decidat, quia iàm venit lux noua Chriſtus. Induret, vt videntes non videant, & intelligentes non intelligant, Iſai. cap. 6. & Areſcat, quia iàm ceſſauerunt holocauſtomata eorum, ceſſauit illorum ſacrificium, & Prophetæ, & aridi facti ſunt, & ſicut fœnum aruerunt.

Sed quomodò cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt? Nonnè paſtores erant vigilantes, & cuſtodientes in eadem nocte vigilias noctis ſuper gregem ſuum, & Angelus Domini ſtetit iuxtà illos? quomodò ergò ſicut cuſtodia in nocte? Luc. cap. 2. num. 8. Sed paſtores illi euangelizantium verbum audierunt, & vſque Bethlehem tranſierunt; ibique Verbum Dei carnem factum inuenerunt. Vigilantes enim loquebantur ad inuicem, dicentes; Tranſeamus, tranſeamus; non in litera veteris teſtamenti permaneamus; & feſtinantes venerunt, & videntes cognouerunt de Verbo, & crediderunt. Secus eſt de reſiduo populi Hebræi, qui permanent in cuſtodia noctis, & Euangelio credere nolunt: contrà quos clamat Propheta, & pro quibus etiam Eccleſia ſancta orat, dicens quæ per Iſai. dicta ſunt cap. 21. num. 11. Onus Duma, ideſt vos Iudæi, vos carnales, & terrena ſapientes, qui in duritia cordis veſtri permanetis, quouſque perditio veſtra durabit? Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte? dixit cuſtos, venit mane, & nox: ſi quæritis, quærite, conuertimini, venite, &c. Dies venit, nox autem in vobis permanet. Bonum, & malum appoſitum eſt vobis, cur bonum amittitis, vt malum retineatis? cur lucem fugitis, vt permaneatis in nocte? conuertimini, venite, benignus eſt Dominus, & ad ſe venientes non eijcit; Iàm nox præceſſit, dies autem appropinquauit, abijcite ergo opera tenebrarum, & induimini arma lucis. Tu verò Domine Ieſu ne auertas hominem ab æternis, ne cadant in inferiora, & anni eorum vt ſomnia reputentur.

Mane ſicut herba tranſeat: mane floreat; Ideò citò marceſcit, hinc Clemens Alex. 2. Pedag. cap. 8. Roſa, inquit, citò marceſcit, quia odoris plurimum fluxum emittat, ſymbolumq. & ſignum eſt marcidarum voluptatum, quæ breui decorem, & odorem perdunt, Auguſtin. lib. 4. Confeſſ. cap. 10. Omnia oriuntur, & occidunt, & oriendo quaſi eſſe incipiunt, & quò magis celeriter creſcunt, vt ſint, eò magis feſtinant, vt non ſint, & tranſeant.

Veſpere decidat, induret, & areſcat. Conuertimini filij hominum, quoniam, etſi mille eſſent anni vitæ veſtræ, tamquam dies eſterna, quæ præterijt.

Quin

Quin & longiori ſi viuas tempore, & in Potentatibus octoginta, pleni nihilominus ſunt dies, anniq. illi tui ærumnis, & doloribus, itàvt nunquam in eodem ſtatu permaneas.

Mane, inquit Pſalmus, ſicut herba tranſeat; Nàm à pueritia citò ad iuuentutem tranſit, & ab illa, & ſi florere videaris, ſed flos ipſe tranſit citò, itàvt veſpere ſenectutis decidat; induret, & areſcat, cuſtodia tua in nocte, quæ pro nihilo habetur. Sed dices, nunquid & chriſtianorum non eſt vita breuis, & ærumnoſa? Immò magis: nàm quot ex illis Martyres, quot propter Chriſtum eſurientes, legas Paulum; Et nos, inquit, eſurimus, & tamquam purgamenta huius mundi facti ſumus, 1.Corinth. cap.4. num.13. omnium peripſema vſqueadhùc. In memoria tamen æterna ſunt illi chriſtiani, Pſalm.111.num.7. Cæterorum verò carnalium, & terrenorum hominum, non ſic, non ſic, ſed tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, Pſalm.1.num.4. Ideò non reſurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iuſtorum, quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit, vndè Iob cap.13. num.12. Memoria veſtra comparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices veſtræ, in quorum expoſitione, Gregor.lib.11.Moral.14. Rectè ſtultorum memoria cineri comparatur, quia illìc ponitur, vbi ab aura rapiatur. Quantumlibet enim quiſque pro facienda gloria ſui nominis elaboret, memoriam ſuam quaſi cinerem ponit, quia hanc citius ventus mortalitatis rapit. Cum enim ipſa celerius ad finem vita percurrat, quid in ipſa fixum ſtabit, quando, & ipſa celeriter pertranſit?

Vtriuſque ergo, & boni, & mali hominis eſt vita mortalis, ſed finis diuerſus, nàm boni ad vitam æternam, ad quam viuentes reſpiciunt, & caduca deſpiciunt, mali verò, quorum Deus venter eſt, alium Deum non credentes, Pſalm.13.num.1. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus, ad pœnam æternam: Vndè Gregor. vbi ſupra; Intueamur qualia in ſepulchris iaceant diuitum cadauera, quæ illa in extincta carne ſit imago mortis, quæ tabes corruptionis & certè ipſi erant, qui extollebantur honoribus, habitis rebus tumebant, deſpiciebant cæteros, & quaſi ſolos ſe eſſe gaudebant: & dum non perpenderent quò tendebant, neſciebant, quid erant. Sed in lutum ceruix redacta eſt, quia deſpecti iacent in putredine, qui tumebant in vanitate. In lutum ceruix redigitur, quia quantum carnis potentia valeat, tabes corruptionis probat; hæc Gregor.

Veſpere ergo herba malorum decidit, indurat, & areſcit; Luunt enim quod merentur, decidant in mortem, indurent in cadauera, & areſcant in puluerem. Auguſtin. Mane, ideſt pueritia, citò tranſeat ſicut herba, Iſai.cap.40.nu.6. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos. Mane ideſt in iuuentute floreat herba, & ſiccatus eſt flos. Sicut ergo primum mane tranſit ad adoleſcentiam, ſecundum mane, ideſt in iuuentute ſicut flos & tranſit, qui ſicut fœnum ſiccatur, itàvt veſpere, in ſenectute ſcilicet decidat, induret, & areſcat, & in clibanum mittatur, vbi vermes, & fœtores ſecum morentur, & quare hoc?

Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati ſumus. Quocircà pœna hominis anguſtatur ad vitam, & dilatatur ad miſeriam. Quæ eſt enim vita noſtra, niſi pœna, & miſeria? nàm contrà frigus veſtimenta, contrà famem

Digitized by Google

famem alimenta, contrà æstum frigora requiruntur. Salus corporis multa custoditur cautela, & custodita amittitur, & amissa cum graui labore reparatur, & si reparata, tamen semper dubia est: ò vitæ mortalis miseria? cæteraq. omnia, quæ sunt in homine miseria sunt, foris pugnæ, intus timores, 2. Corinth. cap.7.num.5. nullam requiem habuit caro nostra, hinc Greg. lib.11.Moral.26. lit. E. Quid miserabilius? nàm amissa cælesti patria, repulsus homo delectatur exilio, grauatur curis, & tamen cogitare dissimulat, quàm graue sit, quia multa cogitantur, quòd priuatus est interno lumine, & tamen in hac vita diù vult perpeti cæcitatem suam; Quid hoc aliud, quàm quòd de pœna nostra nata miseria est? Sed quamuis hìc diù stare desideret, ipso tamen cursu mortalis vitæ impellitur, vt egrediatur; Vndè vir sanctus rectè subiungit; Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquâ in eodem statu permanet. Quasi flos enim egreditur, quia nitet in carne, sed conteritur, quia redigitur in putredinem; quid enim sunt nati homines in mundo, nisi quidam flores in campo? homo ergo, dicit Psalm.102. sicut fœnum dies eius, & sicut flos agri, sic efflorebit: Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc, Psalm.91.num.7. Quia in nocte custodia eius, vndè Eccles.cap.6.num.4. Frustra venit, & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius, non vidit Solem, neque cognouit distantiam boni, & mali, etiam si duobus millibus annis vixerit, &c.

Non ità in hoc viro sancto, in homine pœnitente, quia peccatum suum cognouit, Psalm.50. Quia iniquitatem meam ego cognosco, inquit Dauid, & peccatum meum contrà me est semper. Et in furore tuo turbati sumus, quia in ira tua defecimus: August. Defecimus in infirmitate, cõturbati sumus mortis timore, infirmi enim facti sumus, & infirmitatem finire trepidamus. Alter te, inquit, cinget, & ducet quò tu non vis, quamuis martyrio non puniendo, sed coronando, Matth.cap.16. Et ipsius Domini anima nos in se transfigurans, tristis erat vsque ad mortem, quoniam & Domini exitus non nisi & mortis, Psalm.67. Quia ergo defecimus, in pœnam peccato inflictam incidimus. Et quia omnium terribilium est mors, quæ peccatori, comminata fuit in æternum, propterea, quia post mortem non est confessio, in furore tuo turbati sumus, quando in iudicio dices contrà impœnitentes; Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui, Iob cap.13.num.26. Scribis enim contrà me amaritudines, & consũmere me vis peccatis adolescentiæ meæ, ideò iniquitates nostras in conspectu tuo posuisti, propterea diù super nos flagella tua perdurant: Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, quia nec nos de præteritis delictis doluisse agnoscis. Pœnitentiam dolentes agamus, & non amplius Dominus recordabitur iniquitatis nostræ, Ezech.cap.18.num.22. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur; omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor, in iustitia sua, quam operatus est, viuet.

Sæculum nostrum posuisti in illuminatione vultus tui. O huius sæculi miseria nostri, in quo magna viget quasi omnium iniquitas. Bonas faciamus fratres

mei

mei vias noſtras, & ſtudia noſtra, vt nobiſcum habitet Dominus. Non confidamus in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini eſt; Quoniam ſi benè direxerimus vias noſtras, Dominus habitabit nobiſcum in loco iſto, Ierem.cap.7.num.4. Mementote, quia non eſt domus Dei ſpelunca latronum, ego vidi, dicit Dominus.

Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo. Illa nempè, quæ illuminantur; puniuntur, quæ verò teguntur veniam habent. Conuertere ergo Domine Deus ſalutis noſtræ, & auerte iram tuam à nobis, & nos adiuuando feſtina, vt deleas peccata noſtra, Auguſtin. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo; quia non ab eis diſſimulaſti, ideò quia peccantes non egerunt pœnitentiam; Dominus enim tu es, qui animas noſtras amas; propterea omnium peccata diſſimulas propter pœnitentiam, Sapien.cap.11.num.24. Quocircà tamquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te Orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram, ideò in conſpectu tuo iniquitates noſtras poſuiſti, non vt punias, ſed vt miſereris; diſſimulas peccata noſtra propter pœnitentiam; non vis enim mortem peccatoris; ſed vt conuertatur, & viuat, Ezech.cap.18.num.24. & cap.33.num.11.

Quoniam omnes dies noſtri defecerunt. Cognitio enim noſtra defecit, obtenebrata ratione per peccatum, & ideò in ira tua defecimus nos amando quæ tranſeunt, D. Bernard. in Serm. de miſeria Humana; Quantò magis ad mundum accedis, tantò magis à te recedis. Quantò magis foris lucraris, tantò magis intus perdis: Quantò magis in his, quæ foris sũt vagaris, tantò magis intus euacuaris; Quantò magis in temporalibus es ſolicitus, tantò es mendicus in ſpiritualibus. Dormit in te ſpiritus Dei, & vigilat in te ſpiritus mundi: feruet in corde tuo amor terrenorum, & moritur in te amor æternorum bonorum. Mundum diligis, & Deum relinquis; omnium recordaris, & teipſum obliuiſceris; quæ ſuper terram ſunt deſideras, & diligis, cæleſtia verò non curas; appropinquas ad interitum, & elongaris à ſalute. Curris ad Diabolum, & elongaris à Deo, redi ò præuaricator ad cor, hæc Bernard.

Dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus. Flos enim in mane, in iuuentute pertranſijt, & veſpere induratus cecidit. Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in interitu oculorum tuorum, & ſcito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium, Eccleſ. cap.11.num.9. Defecerunt anni tui, & in ira Dei deficis, hinc Ierem.cap.48.num.9. Date florem Moab, quia florens egredietur; delectetur iuuenis in flore iuuentutis ſuæ, quia florens delebitur, areſcens, & dolens in ſua perditione, cum enim dederit ſuæ libidini pœnas debitas, diſcet, in quanto fuerit errore, atque ſtupore.

Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur, dies annorum noſtrorum in ipſis 70. anni. Quot ſunt anni noſtri? 70. & poſt illos finitos in cuius erunt ſuperexiſtentium conſideratione? & illis tranſactis, videntes illos finitos, quid meditabuntur? Si diuitias cõgregauerit in illis, & in peccatis mortuus fuerit, quid dicetur de tali? Sicut aranea multum laborauit iſte, & cui congregauit? telam aranæ texit, ventus, ſiue flatus illam diſſipauit, aranea telam fecit cum multo labore, vt muſcam apprehenderet, mortuæ muſcæ perdiderunt ſuauitatem vnguenti, Eccleſ.cap.10.num.1. Congregauit diuitias iniuſtè, vel de illis

non

non rectè disposuit, muscæ mortuæ, peccatum scilicet eorum cecidit in illas, & ecce quia perdiderunt vnguenti suauitatem odoris. Nudus, inquit, eram, & non cooperuistis me, Matth.cap.25.num.30. Toto tempore suæ vitæ benè viuendo processit, cecidit in fine in peccatum, & ecce moriens in illo vnguentum suauitatis perdidit. Septuaginta annis stetisti in hac valle, quid fecisti? multa bona congregasti in iuuentutis tuæ flore, fruitus es bonis, carni delectamenta dedisti, in primo peccati lapsu araneæ telam texisti, vmbra pertransijt, ventus animæ tuæ flauit, telam scidit, illamq. dilacerauit, vbi sunt bona tua? vbi labores? anima tamen tua in miserijs subsistit, quia Sacramenta legis nesciuisti, cap.2. in Sapien. In die enim obductionis, & vindictæ non proderunt diuitiæ iniustæ, Eccles.cap.5.num.10.

Vel cum Augustin. dicamus; Quia longæui appellantur hoc tempore, etiam qui septuaginta annis vixerunt, & qui octoginta annis vixerunt, aliquas vires habere dicuntur; sed amplius labor, & dolor. Sed dico ego, quot millia hominum sunt, qui nec sexaginta attingunt; & inter illos multi varijs infirmitatibus tenentur, & nihilominus quot sunt, qui ante, & in iuuentute moriuntur, & de istis non fit mentio per Psalmistam, & tamen illorum ætas breuior? Crederem ego, Prophetam longæuam posuisse hominum ætatem, vt intelligeremus tales, qui per tot mundi pericula transierunt, si adhùc terrenis, & mundanis in senectute se immisceant, magis esse damnandos, vt potè, qui morti magis propinqui, tamen quasi temporalibus obstructi, spiritualia contemnentes videantur non agnoscere Deum factorem suum. Pœna peccati est mors; miseria vitæ est in laboribus, & vanis meditationibus permanere, donec sicut aranea in suis retibus & ipsi moriantur euiscerati, & in profundum pelagi demergendi.

O nos in ætate prouectiores, vana meditantes, iàm 70. transiuimus, 80. ferè attingimus, vbi sunt, qui nos ad tantam annorum prouectionem perduxerunt? iàm transacti sunt, iàm recesserunt, & quod futurum speramus, vbi est? ignoramus, & quatenus perueniendo, tempus det tibi Deus longiorem pœnitendi vitá. Amplius labor, inquit Sanctus iste, & dolor. Surge, surge, qui dormis: ecce in ianuis est mors, pœniteat te, & ad Deum preces effundas, quia benignus est, & libenter audit, vt vitam post mortē tibi concedat in paradiso, & tunc sicut iustus in memoria æterna eris. At si in vanitatibus perstiteris, quod absit, anni tui tamquam aranea meditabuntur, & morte æterna morituus es. Tempus, quod est præsens, in modico consistit, in momento finiri potest: quid in inueteratis mális moraris? Surge, surge, accipe puerum Iesum in senectute tua, qui ideò venit, vt liberet te à morte perpetua. Anni tui sint tibi continua meditatio peccatorum, quæ cōmisisti, vt te tantò magis dolentem inueniat, qui te redemit benignus Saluator. Dicas ergo, & tu cum Iacob, Genes. cap.47. Dies sunt peregrinationis meæ 130. annorum parui, & mali: Domine miserere mei, quia infirmus sum; sana me Domine, vt peruenire possim ad te.

Iàm ò Iudæi, ò terreni homines in 70. annis satis morati estis, in testamento scilicet veteri, in quo temporalia vobis promittebantur, vt denotarentur vobis æterna. In nouo testamento per aduentum Iesu Christi, in 80. iàm venite, in quo facta est redemptio vestra per Iesum Christum; in die septima quieuit ab

ope-

operibus, Dominus in octaua resurrexit, vt ab operibus temporalibus & nos quiescentes ad octauam resurrectionis cũ Domino perueniamus. Vidit Dominus quod ea, quæ ipse fecit, in die septima erant valdè bona, & tu ità in bonis temporalibus te immiscеas, vt videns Dominus, quia bonum feciſti, in octauo etiam tu cum ipso resurgas, cælesti patria fruiturus, Gregor. 18. Moral. cap. 12. Nàm culpa rerum simul ducitur, quamuis hìc omnia, pro quibus culpa perpetrata est, relinquantur; eat ergo nunc, & acceptis rebus tumeat, seseq. super cæteros extollat, glorietur se habere, quod proximus non habet; veniet quandoque tempus, vt euigilet, & tunc cognoscat, quàm vacuum fuerit, quod in somno tenuerat; sæpè namq. contigit dormienti inopi, vt se per somnium diuitem videat, atque ex eisdem rebus animum extollat; lætetur se habere quod non habuit, iàmq. dedignari quærat, à quibus dedignatum se esse doluit. Sed repentè euigilans, euigilasse se doleat, qui interim diuitiarum imaginem, vel dormiens tenebat. Gemit enim protinus sub paupertatis pondere, & inopiæ suæ angustijs præmitur, & eò peius, quò ad tempus breuissimum, vel vacuè diues fuit. Sic, sic nimirum huius mundi sunt diuites, qui rebus acceptis tument, benè operari de sua abundantia nesciunt, quasi dormientes sunt diuites, sed paupertatem suam euigilantes inueniunt, quia secum nihil ad illud iudicium, quod permanet, ferunt; & quantò nunc ad breue tempus sublimius elati sunt, tantò contrà se in perpetuum ingemiscunt; Dicat ergo; Aperiet oculos suos, & nihil inueniet, quia hìc aperit ad supplicia, quos hìc ad misericordiam clausos tenebat. Aperit oculos suos, & pietatis fructum non inuenit, quos hìc clausos tenuit, cum viueret. Hæc Gregor.

Meditare ergo, & recordare, quia in septima est ventus, & vmbra, & operare, vt permaneas in octaua, extrà, & vltra quam non reperitur nisi dolor, & pœna; memorare nouissima, omnesq. annos tuos in amaritudine animæ tuæ recogita, vt rupta araneæ tela, nulla amplius musca retineri possit in illa.

Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur; Adhùc labor, & dolor, sed correptis, & dolentibus Domini superuenit mansuetudo, domando nos Deus effecit nos mansuetos, Paul. ad Hebr. c. 12. Quos enim diligit Deus, corrigit, & omnem filium, quem recipit flagellat, Augustin. inquit, quosdam codices habere, erudiemur, quod ad eandem mansuetudinem reuocatur, non enim potest erudiri quispiam sine labore, & dolore, quia virtus in infirmitate perficitur, 2. Corinth. cap. 12. num. 9. Et ità etiam ex parte correpti oritur mansuetudo, idest humiliatio, & tunc sensus erit huius versiculi, quoniam superuenit mansuetudo, idest, quoniam humiliatio, & punitio Dei venit super nos, ideò corripiemur, & erudiemur; pœna enim multotiens aperit oculos, quos clauserat culpa, & hoc est quod ait Gloss. Mansuetudo si Dei est, clementia dicitur, si nostra est, punitio, vel damnatio dicitur.

Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Beatus qui nouit; Paucorum enim est hoc, scilicet potestatem nosse iræ tuæ, dicit Augustin, quia plerisque dum parcis, magis irasceris; quosdam alios dum punis, mansuetudo est, vndè Habac. cap. 3. nu. 2. Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis. Quibus autem plus irasceris, parcis, vt sic prosperetur peccator in via sua, & maiora recipiat in nouissimo, idest pœnam æternam, quæ est potestas iræ tuæ.

Non

Digitized by Google

Non irascitur Deus, nec perturbatur, sed iniustitia iniquorum secùm fert punitionem delictorum suorum, iram Deo attribuens, quos iustitia Dei tangit delinquentes. Vndè dicitur, quòd latro crudelem Iudicem appellat, qui ex iustitia illum morti tradendum iudicat. Non est crudelis, qui crudeles iugulat, sed crudelis ideò vocatur, quia crudelis patientibus esse videtur, nàm latro suspensus patibulo, crudelem Iudicem putat, dicit Hieron. super Isai. qui per Gratianum allegatur, 23. quæst. 5. c. Non est crudelis. Quoties ergo Deo facta est offensio, & quoties, & qualiter peccator egit iniustè, & non se pœnituerit, toties, & tot incurrit pœnas, quales qui potens est, infert punitiones Dominus, qui Deus vltionum est, & liberè egit, Psalm. 93. Et si totum mundum destruxerit, quis eum accusare poterit, quia ità fecit, Sap. 12. n. 12. Quis, inquit, dicet tibi, quid feciſti, aut quis stabit contrà iudicium tuum? aut quis in conspectu veniet, Vindex iniquorum hominum? non impotens est enim Deus verbo duro simul exterminare, sed quia misericors est, partibus iudicans, dat locum pœnitentiæ, &c. In infernum detruduntur, qui Deum contemnentes, præcepta eius non seruant, & peccant in illum. Legis Dei est ministerium iniquorum punitio, non iudicantis condemnatio, facit quod refertur, D. Hieron. in Ierem. dixisse in cap. Iudex non est, & cap. Homicidas 23. q. 5. Misericors tamen est Dominus nobiscum, quia si de culpa conuertamur ad illum ex toto corde indulget, & parcit, Ezech. cap. 18. & 33. & in hac vita punit, ideò vt corrigaris, & reuertaris.

Gregor. in lib. Moral. 18. cap. 13. super illo verbo Iob cap. 27. Emittet super eum, & non parcet; Peccatorem inquit, quoties feriendo corrigit, ad hoc flagellum emittit, vt parcat. Cum verò eius vitam in peccato permanentem, feriendo concludit, flagellum emittit, sed nequaquam parcit, qui enim flagellum emisit, vt parceret, ad hoc emittit quandoq. vt non parcat. In hac nàmq. vita Dominus, tantò magis studet, vt parcat, quantò magis expectando flagellat, Ioan. Apocal. cap. 3. Ego quos amo, arguo, & castigo, & ad Hebr. 12. dicit; Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. E contrà autem de flagello damnationis scriptum est, Psalm. 9. num. 17. In operibus manuum suarum comprehensus est peccator, de quo per Ierem. cap. 30. Plaga inimici percussi, castigatione crudeli, ibid. numer. 14. Dum enim incorrigibiliter delinquentes populos vidit, quos non iàm sub disciplina filios, sed sub districta percussione intuetur vt hostes. Omnis ergo, dicit Gregor. Diuina percussio, aut purgatio in nobis vitæ præsentis est, aut initium pœnæ sequentis. Propter eos enim, qui ex flagello proficiunt, dictum est; Qui fingit dolorem in præcepto, quia dum flagellatur iniquus, & corrigitur; audire præceptum noluit, audit dolorem. Dolor ergo in præcepto fingitur ei, quia malis operibus; quasi præcepti vice dolore cohibetur. De his verò, quos damnant flagella, & non liberant, dicitur Ierem. cap. 5. num. 3. Percussisti eos, nec doluerunt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. His flagella ad hac vita incohant, & in æterna percussione perdurant, vndè Deut. 32. Ignis exarsit ab ira tua, & ardebit vsque ad infernum deorsum, &c. non ergo bis in idem, sed quod puniendo incipit in hac vita, perficit in alia sequendo, & ardebit vsque ad inferos deorsum, vel cum Gregor. dicamus scriptum esse, Ierem. 17. Duplici contritione contere eos, & quod aliàs scriptū est

Iudæ 1. Ieſus populos de terra Ægypti ſaluans, ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit. Eorum tamen percuſsio hìc cœpta, illìc perficitur, vt incorrectis vnum flagellum ſit, quod temporaliter incipit, ſed in æternis ſupplicijs conſummatur; quatenus eis, qui omnino corrigi renuunt, iàm præſentium flagellorum percuſsio, ſequentium ſit initium tormentorum, &c. ſequitur Pſalm. orans pro electis, dicens.

Dexteram tuam Domine ſic notam fac, & eruditos corde in ſapientia: Irà ſcilicet corrigas, & dextera tua corripias, vt ſapientiores facti ad dexteram tuam poſiti mereantur audire; Venite benedicti Patris mei, &c. Simile habemus in lib. Iob. De manu eius fugiens fugiet, Iob 27. Quæ verba explicans Greg. ibi; Ille etenim de manu fugit ferientis, ait, qui ſuæ prauitatẽ corrigit actionis. Vel certè, quia in ſacro eloquio manus operatio ſolet intelligi, de manu percuſsi fugit, qui dum praui interitum conſpicit, vias prauitatis relinquit.

Dexteram tuam ſic notam fac Domine; Vt reuertentes ad cor, & alienum interitum videntes, te ſolum Ieſum Chriſtum Saluatorem, & Redemptorem noſtrum confiteamur. Dexteram tuam ſic notam fac, ideſt æternam felicitatem ſic notam fac, vt homines dinumerent iram tuam præ timore, & eruditos, vel compeditos corde in ſapientia ſubaudi, fac notos.

Dexteram etiam tuam, Chriſtum tuum notam facias deſiderantibus illam, ità ſcilicet filium tuum in carne noſtra abſconditum notum facias, ſicut & Prophetas tuos, aduentum eius prophetantes, eruditi in ſapientia tua, vt ſicut ij, illum venientem prædixerunt, ità & nos iàm veniſſe, & carnem noſtram ſuſcepiſſe confiteamur; confiteantur omnes populi, quia filius tuus venit, vt redimeret nos, eiq. credant, qui dixit; Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me; & iterum, Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, Luc. 14. non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et nos te confitentes corde Ieſum Chriſtum filium Dei, fac eruditos in ſapientia, ideſt adauge nobis fidem in corde; fac nos in obſeruatione mandatorum eſſe paratos, vt alios, exemplo noſtro docere valeamus, Euangelium tuum prædicantes.

Eruditos fac nos corde in ſapientia, in Ieſu Chriſto, vt corde non ſimus longè ab illo, vt quod corde credimus confiteamur ore, & opere, Auguſt. Quid eſt dexteram tuam ſic notam fac, niſi Chriſtum tuum, de quo dictum eſt Iſai. cap. 52. Et brachium Domini, cui reuelatum eſt? ſic notum fac, vt in eo diſcant fideles tui, ea magis à te poſcere, & ſperare præmia fidei, quæ non apparent in veteri teſtamento, ſed reuelantur in nouo; ne arbitremur pro magno habendam, & cupiendam, vel ad amandam eſſe terrenorum, ac temporalium bonorum felicitatem: & commoueantur pedes eorum, cum eam viderint, & in eis, qui te non colunt, & greſſus eorum effundantur in lapſum, dum neſciunt dinumerare iram tuam.

Dexteram tuam ſic notam fac, vt ex paſsione filij tui cognoſcant fideles, cæleſtia reſpicere, & terrena deſpicere, tunc dextera Chriſti Ieſus nota illis erit, quos ad dexteram vocauerit.

Domine dexteram tuam ſic notam fac, & eruditos corde in ſapientia. Quid quæris à Deo vir ſancte? Nonnè notus in Iudæa Deus, Pſalm. 75. n. 2. & filius Dominus Ieſus nonnè palam locutus eſt nobis? Ioan. cap. 15. numer. 22. Nunc nullam habent excuſationem. Dicite Ioanni, quia cæci vident, leproſi mundan-

Digitized by Google

dantur, mortui reſurgunt, Luc.cap.7.num.22

Dexteram tuam ſic notam fac, nàm in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum, Pſalm.18. numer.4. Audiamus Ierem.cap.5. Circuite, inquit, vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei. Quod ſi etiam viuit Dominus dixerint, & hoc falsò iurabunt. Domine oculi tui reſpiciunt fidem; Percuſſiſti eos, & non doluerunt, attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam, induraue-runt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti; Ego autem dixi, inquit Ierem. forſitan pauperes ſunt, & ſtulti ignorantes viam Domini, iudicium Dei ſui. Dexteram tuam ſic notam fac. Habent, reſpondit Deus, legem, & Prophetas, habent Doctores, & Prælatos, audiant illos. Ibo, inquit Ierem. ad Optimates, & loquar eis, ipſi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei ſui. Et ecce, inquit, hi ſimul, magis confregerunt iugum, ruperunt vincula. Idcircò percuſſit eos leo de ſilua, lupus ad veſperam vaſtauit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorum, Domine notam fac dexteram tuam, vt omnes ſciant, quia tu es Redemptor noſter. Erudias ſapientes, vt non mentiantur corde, & te Domine fidem noſtram reſpicientes, centuplum fructum afferamus. Verbum tuum nos prædicamus, & auium pruritum fugientes, tibi ſoli placere curemus, tibi ſoli ſeruire, te ſolum Deum noſtrum, Creatorem, & Redemptorem filium Dei Ieſum Chriſtum confitentes, & docentes: Domine opus noſtrum non deſpicias.

Conuertere Domine, vſquequò & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos. Vſquequò auerſus eris à nobis? Conuertere Domine, & preces noſtras dignanter exaudi, vt nos ſerui, correpti quidem, ſed non anulſi à te, ſemper te amantes, iramq. tuam fugiẽtes, incolumes ad te peruenire valeamus. Conuertere Domine vſquequò fias deprecabilis ſuper ſeruos tuos. Sed quando Dominus conuertetur? quando nos probauerit pœnitentes, ac fortes eſſe in tribulationibus, Sap.3.n.4.

Repleti ſumus mane miſericordia tua, exultauimus, & delectati ſumus omnibus diebus noſtris. Sed ſi adhùc in tenebris huius ſæculi afflicti ſunt, & tribulati, quomodò repletos ſe, inquiunt, mane miſericordia Dei? Niſi quia illorum ſpes immortalitate plena eſt; quocircà dicunt, vſquequò Domine concedes, vt peruenire poſſimus ad te? conuertere Domine, non quidem, vt nos liberes à perſecutione, ab iniquis hominibus, ſed vt tu Deus nos non deſeras in tentatione, at liberes à malo, vt perſeuerantes ſimus in tua miſericordia, donec veniat mane, ideſt lux tua, eaq. repleamur, & exultemus in te. In his enim afflictionibus, omnibus diebus vitæ noſtrę delectabimur, quia oculi noſtri ſunt ad te, nec mortaliũ tormenta timemus. Non rogant, vt tollas eos de mundo, ſed vt liberes eos à malo, oratione, qua filius ad Patrem vſus eſt pro diſcipulis ſuis, Ioan. cap.17.

Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti: annis, quibus vidimus mala: Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumelias pati, Act.5.n.41 Sap.5.n.1 Stabunt iuſti in magna cõſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum; hinc & Eccleſia cantat: Sanctorum meritis, inclyta gaudia, pangamus ſocij, &c.

Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum. Reſpice, & dirige, quia tu es Deus, qui nobis das, & operaris in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate, Pſal.72.n.24. Reſpice ergo in ſeruos tuos, quia ipſi,

& opera, quæ faciunt, tua ſunt, & quamuis lætati ſimus in diebus, quibus vidimus mala: in diebus, quibus nos humiliaſti, reſpice tamen in nos ſeruos tuos & in opera noſtra, quæ tua ſunt; tenet enim nos adhùc huius mortalitatis corruptio, & niſi tu Domine reſpicias, humilitas noſtra, & lacrymæ nos mundos ad perfectum reddere non valent, vndè Iob in c.9. Si lotus fuero quaſi aquis niuis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ, tamen ſordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea; Quæ enim ſunt aquæ niuis, niſi lamenta humilitatis? Vndè Greg. in expoſitione iſtorum verborum, lib.9.Moral.19. in princ. Aquæ enim niuis ſunt lamenta humiliatis: quæ profectò humilitas, quia ante diſtricti Iudicis oculos cæteris virtutibus præeminet, quaſi per magni meriti colorem candet. Reſpice ergo Domine in ſeruos tuos, in eorum operibus humilitatis, in lacrymarum compunctione pro tui nominis amore, vt aqua niuis mundi facti in conſpectu tuo candidiores appareant, non aquis fontium, & fluminum loti, quæ ex terra oriuntur, non lacrymis, quæ ex amiſſione terrenorum aliquorum producuntur, iſtæ nàmq. non lauant: per orationum enim lamenta ſe cruciant, ſed tamen totis lamentorum laboribus ad ſola terrena deſideria exudant. Compunguntur in precibus, ſed felicitatis tranſitoriæ gaudia exquirunt; Non ſunt iſtæ aquæ niuis, quæ ex aere producuntur, & lauant, ſed aquæ terræ, quæ ab imis veniunt, & ideò non abluunt. Hæc Gregor.

Reſpice ergo Domine in ſeruos tuos, qui te ſolum Deum in lacrymis, & humilitate exquirunt opere, & ſermone. Reſpice humilitatem, & dele iniquitatem, & dirige filios eorum, quos tibi genuerunt, in euangelij tui prædicatione.

Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige. Nàm ſi loti fuerimus aqua niuis; Si verè compunctionis lacrymas effuderimus apud te, erit ſplendor tuus, lux tua ſuper nos; lumen vultus tui, imago ſcilicet tua Domine recreans, & menti noſtræ erit gratia tui reformans; Auguſtin. hìc: Triplex eſt imago, ſcilicet imago creationis, imago recreationis, imago ſimilitudinis; imago creationis eſt, qua creati ſumus, ſcilicet ratio; imago recreationis, gratia, per quam reformatur imago creata, ſcilicet ratio: imago ſimilitudinis, ad quam facti ſumus, ſcilicet Deus Trinitas, ad cuius ſimilitudinem factus eſt homo, non Patris tantùm, vel Filij, vel Spiritus ſancti, ſed Trinitatis: per memoriam ſimiles Patri, per intellectum Filio, per voluntatem Spiritui ſancto: per hanc Trinitatem imago creata ſimilis eſt increatæ Trinitati; Vndè meminerim te, intelligam te velim, ac diligam te.

Vel ex Hieron. & Caſſiod. Splendor Dei eſt ſuper nos, dum crucis impreſſione decoramur, & vexillum triumphi in fronte portamus. Opera etiam manuum noſtrarum ità dirigas, vt non pro mercede terrenorun ea faciamus, ſed pro æternis. Deinde, quia omnia opera bona ad vnum diriguntur; ſingulari numero ſubdit, & opus manuum noſtrarum dirige: omnia bona, vnum opus charitatis ſunt, & ad vnum finem diriguntur: hæc ex Auguſtin.

Sit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, ad Hebr.1.n.3. & Pſal.4. Signetur ſuper nos lumen vultus tui Domine, & erit lætitia in cordibus noſtris. Sed vlterius, quæ D. Hieron. in Epiſt. ad Cyprian.139. in fine dixit, hìc tranſcribenda duximus: Vbi ſunt, qui liberi arbitrij poteſtate plaudentes in eo putant ſe Dei gratiam conſequutos, ſi habeant poteſtatem faciendi, vel non faciendi

faciendi bona, siue mala? Ecce hìc beatus Moyses, post resurrectionem, quam postulauerat, dicens, imple nos matutina misericordia tua, & laudemus, & lætabimur in cunctis diebus nostris; nequaquam se resurrexisse contentus est, & æternæ vitæ præmia consequuturum. Sed postulat, vt decor Domini Dei sui sit super eos, qui resurrexerint, & splendeat in animabus, cordibusq. Sanctorum, & opera manuum eorum ipse dirigat, faciatq. esse perpetua, ipseq. confirmet quidquid in Sanctis videtur boni: sicut enim humilitas deprecantis meretur præmia, ità superbia contemnentis, Dei auxilio deseretur. Hæc Hieronym.

SOLILOQVIVM.

DOMINE Iesu, qui antequam terra formaretur, & montes fierent, cum Patre, & Spiritu sancto es Deus vnus, & Trinus, gratias tibi ago immensas, quòd mihi indigno seruo tuo, in hac miseriarum valle existenti, factus es refugium. Ad hoc quippè mea assumpta carne, in hunc mundum veniſti, vt & mihi refugium esses, & vniuersis fidelibus tuis. Ne tradas me in animas persequentium me, neque me auertas in humilitatem, vt ab æternis tuis deficiam. Vsque in senectam & senium perductum, ne me derelinquas, quia spes mea semper fuit in te. In eo quod supererit amplius, laborem, & dolorem expecto: Et si mille fuissent, vel essent anni mei, apud te censerentur tamquam dies esterna, quæ præterijt, & instar custodiæ in nocte, quæ pro nihilo habetur. Defecerunt enim in vanitate dies mei, & anni mei cum festinatione. Mane sicut herba transiui, mane florui, & arefactus sum, nunc in vespere aliud non restat, nisi vt flos decidat, induret, & arescat. Tibi peccaui; ob iram tuam defecit præ timore anima mea: in conspectu tuo ne ponas iniquitatem meam, sat quippè illam ego cognosco. Vultum tuum, quo sæculum nostrum illuminasti, deprecor: vultum tuum Domine requiro, ne discedas à me. Iàm omnes dies mei propter peccatum obtenebrati fuerant, cum in errore huius sæculi ambularem, & miseram contexerem vitam meam sicut araneæ telam, inanem, omniq. bono vacuam, & solùm senectutis morbus remansit. Superueniat Domine clementia, vt correptus, & contritus securus perueniam ad te. Ne irascaris Domine, sed dum corripueris, magis in me tuam misericordiam exerceas, & cæteri cognoscent, quia tu es filius Dei viui. Tu dextera Patris es: dignum me quæso redde, vt ex illis sim, qui ad tuam constituentur dexteram: Ne igitur auertas faciem tuam à me, sed conuertens iustitiam tuam tempera. Vsquequò Domine irasceris in me? deprecabilis super me seruum tuum esto, dum in tenebris huius sæculi permaneo. Veniet spero, mane resurrectionis, & lætabor in illo, tunc enim satiabor, cum apparuerit gloria tua. Quin etiam, & dum hìc viuam, quamuis ærumnis, & doloribus pressus, mecum si fueris in tribulationibus lætabor; donec veniat gloria tua. Respice in me Domine seruum tuum, vt splendor tuus effulgeat super me; opera mea resplendeant coram te, & omne opus manuum mearum ad totius legis scopum, ad præceptum dilectionis diriges, vt ex toto corde diligam te, & proximum meum propter te. Senex Simeon te puerum hodie portabat; puer autem senem regebat, & tu Domine nunc me senem ità regas,

Digitized by Google

vt te in corde portans, quod ſupereſt vitæ ſine tui tranſigam offenſione. Glorioſiſſima Virgo Maria pueri Ieſu Mater, in vlnas quæſo puerum tuum & mihi præbeas, vt illius exhilaratus conſolatione, & prævalido munitus tutiſſimæ ſpei robore cum Simeone illo ſancto exclamem. Nunc dimittis ſeruum tuum in pace. Amen.

IN PSALMVM XC.

Qui habitat in adiutorio Altiſsimi: in protectione Dei cæli commorabitur.

CONTINVATVR ad præcedentem, in quo de eorum agebatur ſpe, qui ad Dei imaginem, & ſimilitudinem facti ſunt, haud nempè eam in temporalibus collocandam, ſed in Ieſu Chriſto, vt per illum æternis perfruantur bonis; illius quippè tunc verè imitatores erimus, ſi eius præcepta ſeruauerimus, ſi in vijs humilitatis ambulauerimus; ſi in tribulationibus fortes, in tentationibus conſtantes in fide Domini perſeuerauerimus. Cæterum ne qui tribulantur, à Dæmonibus vexantur, aut ab hominibus mala patiuntur, arbitrentur ſe à Deo derelictos, propterea conſequenter in hoc Pſalm. noſtro 90. de tuta agitur præexpoſitæ ſpei in Deo efficacia, in cuius protectione poſiti, omnia mala ſuperare poterunt in illius gloria, atque virtute, quocircà incipit Pſalmiſta, dicens; Qui habitat in adiutorio Dei; Non in tua fortitudine, & virtute, non in tua potentia, & nobilitate, ſed in adiutorio Altiſſimi debet eſſe ſpes tua, fortitudo tua, tunc in protectione Dei commoraberis: Vndè Apoſt. 2. ad Timoth. c. 2. num. 11. Si commortui ſumus, & conuiuemus, ſi ſuſtinebimus, & coregnabimus, &c. Quocircà, & omnes, qui in Chriſto Ieſu piè volunt viuere, perſecutiones patientur, ibid. cap. 3. num. 12. & ad Hebr. cap. 10. num. 5. Fili mi noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. In diſciplina perſeuerate; tamquam filijs offert ſe Deus.

Hinc Auguſtin. hìc litera F. Noli, inquit, timere, quando imitaris Chriſtum, nàm & quando tentauit Dominum Diabolus, nullus homo fuit in Eremo, occultè illum tentauit, ſed ſuperatus eſt; ſic & tu fac, ſi vis intrare per ianuam, quando occultè tentat inimicus, quando poſtulat hominem, vt aliquid ei noceat per corporales moleſtias, per febres, per ægritudines, per aliquot labores corporis, ſicut laborauit Iob; Diabolum non videbat, ſed poteſtatem Dei intelligebat; nouerat, quia diabolus in eo nihil poſſet, niſi ab illo, cuius ſumma poteſtas eſt, permitteretur, totam gloriam Deo dabat, poteſtatem diabolo non dabat: nàm & quando diabolus abſtulit omnia, hoc dixit Iob cap. 1. Dominus dedit, Dominus abſtulit; quia nihil abſtuliſſet diabolus, niſi permiſiſſet Dominus; ideò autem permiſit Dominus, vt homo probaretur, diabolus vinceretur. Et quando eum plaga percuſſit, ille permiſit; quia cum à capite, vſque ad pedes in putredine vermium flueret, nec tunc tribuit diabolo aliquam potentiam Iob. Sed cum ei ſuggeſſiſſet vxor eius, quam ſolam reliquerat diabolus, non mariti conſolatricem, ſed adiutricem ſui, & dixiſſet ei, dic aliquod verbum in Deum, & morere, dixit ei, Loquuta es tamquam vna

ex

ex insipientibus mulieribus; si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustinebimus? Ergo, qui sic imitatur Christum, vt tolleret omnes molestias huius sæculi, spes eius in Deo sit, vt nec illecebra capiatur, nec timore frangatur, ipse est: hæc ex Augustin. Non commouebitur ergo, donec despiciat inimicos suos, Psalm. 111. nu. 8. quia, qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.

Titulus huius Psalmi: Laus Cantici Dauid. Quia non in alio vincitur diabolus, quàm sequendo Christi exemplum in humilitate, & patientia. Tentauit Christum diabolus, in humilitate victus ille est, & discessit ab eo, exemplum nobis relinquit Christus; sequentes eius vestigia, discamus ab illo, qui cum Deus sit, hominem se fecit, vt in humilitate vinceret diabolum, propterea dixit Matth. cap. 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Per ianuam tales imitatores Christi ingrediuntur, ipse enim est ianua, Ioan. cap. 10. per quam si quis introierit ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Introeuntes namque per ianuam dicuntur intrare per Christum, intrare autem per eum est imitari eum, non in magnificentia, & miraculis, sed in humilitate, & patientia, per quas ab ipsis sequentibus Dominum diabolus vincitur. Laus ergo Dauid Christi, qua docemur vincere tentationes diaboli. Dicitur Cantici laus, quia non est nisi diuina, S. Hieronymus, Iste, ait, Psalmus non habet titulum, eo quòd de capite, vel membris cantatur, caput in Cælo, membra in terra, & propriè intelligitur de ieiunio, & illa tentatione Eremi, præuidebat Propheta, quod venturus erat in carne, vt tentaretur à diabolo.

Summa ergo istius videtur esse Psalmi, Fidelis Dei in protectione eius erit. Vel ab hostibus est securus, qui in Dei tutela est positus. Vel dicamus, quiescendum in Domino, & securè pernoctandum, siuè ambulandum in nocte tribulationum. Incipit ergo Psalmus.

Qui habitat in adiutorio Altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur. Quis sit ille, qui in adiutorio Altissimi habitat, in Psalmo præcedenti declaratum est, qui scilicet in Domino crediderit humilis, & patiens, & eius vestigia sequutus fuerit, vndè dicitur Matth. cap. 11. num. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, & in alio loco, Venite benedicti Patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi, Matth. cap. 25. numer. 34. & alibi Sap. cap. 5. numer. 16. Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum; Quòd verò Iesus Dominus illos in protectione recipiat, qui in eius adiutorio confidunt, & sperant, patet ex Ioan. cap. 17. numer. 12. Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine meo, quos dedisti mihi custodiui, & pro eis sanctifico meipsum, & non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt in me. In adiutorio Altissimi, nàm ego in eis, inquit Iesus, & ipsi in me, ibidem Ioan. numer. 22. Qui habitat, inquit, continuationem significans. Vna enim est mortalium vita, vna Christianorum in Deo cõfidentium Ecclesia, vna actio charitatis in Deum, & proximum, quæ debet esse habitatio, vt illorum sit adiutorium in Domino. Qui habitat, inquit, in hoc tempore præsenti in adiutorio Dei, nàm nemo mittens manum ad aratrum, & retrospiciens aptus est regno Cælorum, Luc. cap. 9. num. 62. Habita ergo in adiutorio Dei, & commoraberis in protectio-

Digitized by Google

ctione Altiſſimi, non enim cum Altiſſimo protectionis commoratio, niſi ſit cum eo continuata habitatio.

Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, ideſt in fide, & ſpe Ieſu Chriſti. Et ne putares, hominis tantùm adiutorium, declarat, quis ſit iſte Altiſſimus, Deus nempè Cæli, & vniuerſæ terræ: nomine autem Altiſſimi Ieſus Chriſtus hoc loco deſignatur, ſic nuncupatus, quia in loco altiſſimo ad dexteram Patris reſidet, ideò altiſſimus, quia illi cognita ſunt omnia, ad Hebr. cap. 4. numer. 13. Omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius, & preces ſeruorum ſuorum audiendo ſit illorum adiutor in opportunitatibus, & tribulatione, Pſalm. 9. num. 10. protector factus, quia illum quærentes non derelinquit, ibidem num. 11. Altiſſimus eſt Ieſus Chriſtus, nàm, quamuis humilis factus, quia exiuit à Patre, & venit in mundum, iterum tamen reliquit mundum, & iuit ad Patrem, Ioan. cap. 16. num. 18. & ſolus non fuit in terra, quia Pater erat cum illo, num. 33.

Qui diligit Ieſum Chriſtum, habitat in illo, Ioan. cap. 15. num. 8. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione. Ecce qui ſunt habitantes in adiutorio Altiſſimi, qui ſeruant præcepta eius; ecce quomodò ſit Deus Cæli protector eorum. Vos, inquit, amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis; & fructus veſter manebit, vt quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis, idem Ioan. dicto cap. 15. num. 16. continuata ergo præceptorum obſeruatio eſt neceſſaria, vt ſit tibi Dei Cæli protectio: nàm ſi peccas, quomodò manes in illo, immo longè factus es ab illo, & ſi ab illo elongaris, quomodò in Dei Cæli protectione commoraberis? Stultus tranſilit, & confidit, Prouerb. cap. 14. num. 16. Manete, inquit, in me, & ego in vobis ero. Qui confidunt in Domino, non commouebuntur in æternum, ſicut mons Sion, qui habitat in Ieruſalem, Dominus enim in circuitu eius, ex hoc nunc, & vſque in ſæculum, Pſalm. 124. numer. 1. ad Hebr. cap. 3. Chriſtus tamquam filius in domo ſua; quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus, & num. 14. Participes enim Chriſti effecti ſumus; ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus.

Dices Domino, ſuſceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus ſperabo in eum, Auguſtin. Quis hoc dicit Domino? qui habitat in adiutorio Altiſſimi. Quis eſt, qui habitat in adiutorio Altiſſimi? qui non habitat in adiutorio ſuo. Quis eſt, qui habitat in adiutorio Altiſſimi? qui non eſt ſuperbus, quomodò illi, qui manducauerunt, vt eſſent quaſi Dij, & perdiderunt quod erant, Geneſ. cap. 3. In adiutorio enim ſuo inhabitare voluerunt, non in adiutorio Altiſſimi; ideò ſuggeſtionem ſerpentis audierunt. Præceptum Domini contempſerunt, & inuenerunt, hoc eueniſſe in ſe, quod minatus eſt Deus, non quod promiſit diabolus, hucuſquè Auguſtin. Non ergo qui habitat in adiutorio Altiſſimi, ſperat in ſemetipſo, ſicut Adam in virtute ſua, ſed in adiutorio, inquit, Altiſſimi, ideò ſubiungit. Dixi Domino, ſuſceptor meus es tu, & Deus meus ad curandum, & refugium meum, vt ad te tribulatus confugiens liber ſim ab omni ſæculi tempeſtate.

Sed quomodò ſuſceptor meus? quia ſeruante eius præcepta, & diligente eum, ſuſcepit me in ſuum. Domine adiutor meus, & redemptor meus, ſuſce-

Digitized by Google

ſceptor meus, quia iuſto ſupponit Dominus manum ſuam, vt cum ceciderit non collidatur, Pſalm. 36. num. 24. S. Bernard. in hunc Pſalm. Serm. 2. in princ. Omnis, qui adhùc in adiutorio habitat, non in regno, & frequenter opus habet fugere, & interdum cadit! Fugere, inquam, dum in hoc corpore ſumus, à facie tentationis perſequentis oportet. Quòd ſi minus celeriter fugimus aliquando (vt aſſolet) impellimur, & euertimur; ſed Dominus ſuſcipit nos. Ipſe, itàq. refugium eſt, vt venientem cum ſtercoribus boum pigrorum, lapidatorem impigrè fugiamus, & euadere poſſimus fœdam nimis lapidationem. Ipſe quoque ſuſceptor eſt, vt etiam cum ceciderimus non collidamur, quoniam ſupponit manum ſuam. Cum ergo tentationis impetum ſentimus in cogitatione, ſtatim fugiamus ad ipſum, & humiliter poſtulemus auxilium. Quod ſi forte præoccupauerit nos, vt aliquando cum tardius, quàm oporteat, ad eum confugimus, ſolliciti ſimus, vt ſuſcipiat nos manus Domini. Homines enim aliquando cadere neceſſe eſt, dum in hoc ſæculo detinentur, ſed alij colliduntur, alij non, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Iuſti autem de quibus dicitur, quòd & ſepties in die cadunt ab iniuſtis; ità diſcernuntur, quòd iuſtus ſuſcipitur à Domino, ideòq. reſurgit fortior; iniuſtus autem cum ceciderit, non adijciet vltra, vt reſurgat, Iſai. cap. 24. num. 20 Impij autem corruunt in malum, Prouerb. 11. cap. 24. Immò verò, aut in pudorem noxium, aut in impudentiam cadit: aut excuſat, quod fecit; & hic eſt pudor, adducens peccatum, aut fit ei frons meretricis, & iàm nec Deum timet, nec hominem reuereatur, ſed prædicat peccatum ſuum, ſicut Sodoma. Iuſtus verò ſuper manum Domini cadit, & miro quodam modo, etiam ipſum ei peccatum in iuſtitiam cooperatur. Scimus enim, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ad Roman. cap. 8. Nonnè cooperantur illi caſus in bonum, vndè & humiliores efficiuntur, & cautiores? nonnè Dominus cadentem illum ſuſcipit, qui ab humilitate ſuſcipitur, Pſalm. 117. Impulſus, euerſus ſum, vt caderem; ſed nihil profecit, qui impulit me, quoniam Dominus ſuſcepit me.

Sic ergo dices fidelis anima mea Domino; ſuſceptor meus es tu. Poſſunt omnia dicere, creator meus es tu; poſſunt & animalia dicere, paſtor meus es tu; poſſunt omnes homines dicere, Redemptor meus es tu. At verò ſuſceptor meus es tu, is tantùm dicere poteſt, qui habitat in adiutorio Altiſſimi. Vndè, & additur, & Deus meus: Cur non Deus noſter? Quia in creatione, in redemptione, cæterisq. communibus beneficijs eſt Deus omnium; ſed in tentationibus ſuis tamquam proprium eum habent ſinguli electorum; ſic eſt enim paratus ſuſcipere cadentem, & eripere fugientem, vt videri poſſit, relictis omnibus alijs, ei ſoli operam dare; propterea expedit omni animæ Deum ſemper attendere; tamquam proprium, non modo adiutorem, ſed etiam inſpectorem. Quomodò enim negligens poterit fieri, qui intuentem ſe Deum, nunquam deſinit intueri? Aut quomodò non quaſi proprium illum habere videtur, qui ſic eum ſuper ſe videt intentum, vt omnia interiora eius, & exteriora, omni hora conſiderare non ceſſet? omnesq. non ſolum actus, ſed etiam ipſos ſubtiliſſimos animæ motus, perſcrutetur, atque dijudicet? Hic igitur non immeritò dicere poteſt, Deus meus ſperabo in eum. Et attende, quòd non dixit ſperaui, aut ſpero, ſed ſperabo: hoc, inquit, eſt votum, hoc propoſitum meum, hæc intentio cordis mei. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo, & in hac per-

ed by Google

perſeuerabo. Sperabo in eum. Nec deſperabo, nec fruſtra ſperabo, quia maledictus, qui peccat in ſpe, & nihilominus, qui peccat in deſperatione: ſed nec eſſe volo de his, qui non ſperant in Domino. Sperabo, inquit, in eum: ſed iàm dic nobis, quo fructu, qua mercede, quo lucro? Hæc Bernard.

Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. De laqueo venantium liberabit. Venatores vt plurimum in ſacris litteris ſumuntur in malum; piſcatores verò ſemper in bonum: quamuis aliquando & venatores vſurpati reperiantur in bonum. Vndè Ierem. cap. 16. num. 16. Ecce ego mittam piſcatores, ideſt Prædicatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos, & poſt hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum. Propriè tamen Diabolo, eiuſquè miniſtris nomen venatoris conuenit, nàm Diabolus ſemper circuit, quærens quem deuoret, 1. Petr. 5. num. 8. propterea laqueos ponit, Pſalm. 139. numer. 6. & ſequen. Cogitauerunt ſupplantare greſſus meos; abſconderunt ſuperbi laqueum mihi; & funes extenderunt in laqueum; iuxtà iter ſcandalum poſuerunt mihi, Ioan. cap. 8. num. 53. & 48. Inuidia enim Diaboli, mors introiuit in orbem terrarum, Sap. cap. 2. num. 24.

Dicet ergo Domino gratias, quia ab illo ſuſceptus, non ab alio, neque ex viribus ſuis, Deus meus, ſperabo in eum. Sed ſi iàm ſuſceptus, quid amplius reſtat, vt ſperaturus ſit in eum? Suſceptus, vt pugnaturus reſiſtat, & vt fortis, & reſiſtens tentationibus certaminis coronam accipiat; & ideò ſperabo, quia ſi fortis in bello gloriam coronæ accipiet in Cælo. Non ergo dixit ſpero, ſed ſperabo; quandiù enim peccamus, non ſperamus; ſi peccare deſierimus, ſperamus, hæc Hieron. Speremus ergo veniam, vt accipiamus regnum.

Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, quærentium animam meam ad perdendum, & à verbo aſpero, quod dicetur in illa die tremendæ ad ſiniſtram exiſtentibus: Ite maledicti in ignem æternum, &c. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus, Pſalm. 123. num. 7. Ideò ambula in via, quæ eſt Chriſtus, & ſecurus eris à laqueo venantis diaboli. Facit Prouerb. cap. 11. num. 13. Qui cauet laqueos, ſecurus erit. Circa viam ponit diabolus laqueum, in via non ponit; Auguſtin. Via autem tua Chriſtus ſit, & tu non cades in muſcipulam diaboli. Aberranti à via, iàm ibi eſt muſcipula, hinc, atque hinc ponit laqueos, hinc, atque inde ponit muſcipulas. Inter laqueos ambulas, ſi vis ſecurus ambulare, noli declinare in dexteram, aut ſiniſtram, & ſit tibi via ille, qui tibi pro te factus eſt via, vt perducat te ad ſe, & non timebis laqueos venantium.

O infenſatos nos peccatores, Chriſti famulos, qui extrà viam, quæ nos ducit ad ſalutem, ad dexteram, per diuitias, vel ad ſiniſtram ſine patientia incedimus, & vt venatores ij peſſimi laqueos in nos tamquam beſtias inijciant expectamus, vt & nos cum illis, quaſi animalia bruta ſimul incedentes in profundum trahamur inuiti. Vndè D. Bernard. in Sermon. 3. huius Pſalmi exclamans, dixit, Ipſe liberauit me de laqueo venantium. Ergo ne beſtiæ ſumus nos? Beſtiæ prorſus, Pſalm. 48. Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Beſtiæ profectò ſunt homines, oues errantes, non habentes paſtorem. Quid ſuperbis homo? Quid te ſciolum iactas? Vide, quia beſtia factus es, cui venandæ laquei præparan-

by Google

rantur. Sed qui ſunt venatores iſti? Venatores vtique peſsimi, & nequiſsimi, calidiſsimi, & crudeliſsimi. Venatores, qui cornu non ſonant, vt audiantur, ſed ſagittant in occultis immaculatum: ipſi rectores ſunt tenebrarum harum aſtutiſsimi verſutia, & malitia diabolicæ fraudis, itàvt ſicut eſt ante venatorem beſtia, ſic ad eorum comparationem ſit quilibet aſtutiſsimus hominum, præter eos dumtaxat, qui cum Apoſtolo non ignorant cogitationes eorum, 2.Corinth.cap.2.num.11. quibus in Dei ſapientia datum eſt fraudes deprehendere malignorum: hæc S.Bernard.

Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. Hic verſiculus intelligendus videtur de venatoribus illis, qui nondum prædam cœperunt, ſed circuunt quærentes, quem deuorent; & poſtquam comprehenderint, verberibus, & aſperis verbis cogitant iuſtos perdere, & debiles ad ſeipſos trahere. Litteras habebat Saulus, vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros perduceret in Ieruſalem: ſed ecce, quia qui piſcator eſt hominum, cœpit illum, Act. Apoſtol. cap.9.num.15. cum ſequen. & num.23. Conſilium fecerunt Iudæi, vt Saulum interficerent, & num.29. & cap.16.numer.22. Quærebat, vt caperet, & ipſe captus meruit multa pati pro nomine Ieſu. Circumueniamus iuſtum, & opprimamus illum, quia contrarius eſt operibus noſtris, Sap. c.2. Et verbo aſpero in Chriſtum dixerunt, crucifigamus eum: laqueum pedibus eius ponamus. Licet ne cenſum dare Cæſari? vt caperent in ſermone. Et conſilium fecerunt, vt caperent, & apprehenſo eo, verbo aſpero clamantes, dixerunt, crucifigatur; ſeditioſus eſt; laqueum parauerunt, & ipſi inciderunt in eum, Pſalm.56.num.7. Ipſe enim Dominus liberatus eſt à laqueo venantium; & factus eſt in caput gentium; & à verbo aſpero, nàm in nomine eius omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiretur, quia Dominus Ieſus eſt in gloria Dei Patris.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis. Quæ ſunt ſcapulæ Chriſti, niſi humanitas Chriſti obumbrans diuinitatem eius. Illius enim diuinitatem videre non potuerunt, qui eundem in Cruce pendentem poſuerunt. Stantes ſunt ſupra petram, qui in prædicatum ipſis Chriſtum crediderunt: faciem illius non viderunt, niſi per fidem. Poſtquam Chriſtus crucifixus eſt, & redemit nos, poſuit nos in foramine petræ, petra enim eſt Chriſtus. Et cum pertranſibit gloria mea, protegam dextera mea, donec tranſeam, dixit Dominus Exod. cap.33.num.23. Sed quomodò tranſijt? niſi poſtquam in Cruce poſitus, omnia conſummata fuerunt, & ipſe glorificatus, quia redemit mundum, & mors abſorpta eſt in victoria, reuerſus eſt in Cælum. Poſitus enim erat Dominus ab illis infidelibus in Cruce, nec ibi habebat vbi reclinaret caput ſuum, tantùm ſcapulæ eius, poſteriora ſcilicet ſua, Crucem tangebat. Scapulis ergo ſuis, ideſt Crux, vbi ſcapulæ eius poſitæ ſunt, obumbrauit tibi, quia hominem crucifixiſſe Iudæis videbatur, cum is verè filius Dei eſſet: Crux autem fideles obumbrat, itàvt illius virtute ceſſent inimicorum inſidiæ, per ſignum enim Crucis liberat Deus fideles ſuos. Iuſtus tribulatur, ſub vmbra ſcapularum Chriſti, à tentatione protegitur.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi, qui in adiutorio Altiſsimi habitas, vt obumbratus gratia Dei, inimici nihil in te proficere poſsint. Ex quo colligas, quòd non eſt auxilium niſi à Domino; Auguſtin. Inter ſcapulas ſuas obumbrauit

tibi,

tibi, & à tergo poteſt intelligi, & à pectore, ſcapulæ enim circà caput ſunt, ſed quia dicit, ſub alis eius ſperabis, manifeſtum eſt, quia protectio alarum pannarum, facit te eſſe inter ſcapulas Dei, vt hinc, atque hinc, alæ Dei te ponant in medio, & non timebis, ne quis tibi noceat, tantùm tu noli inde recedere, quò nullus inimicus audet accedere. Si gallina protegit pullos ſuos ſub alis ſuis, quantò magis ſub alis Dei tutus eris? & aduerſus Diabolum, & Angelos eius; quæ aereæ poteſtates tamquam accipitres circumuolitant, vt infirmum pullum auferant: & ideò Dominus Matth. cap. 23. numer. 37. Quoties, ait, volui te congregare, ſicut gallina congregat pullos ſuos, & noluiſti? Noluit illa Ieruſalem, velimus nos, illa Ieruſalem rapta eſt ab aereis poteſtatibus, fugiens alas gallinæ, præſumens de viribus ſuis, cum eſſet infirma: nos infirmitatem noſtram confitentes ſub alas Dei fugiamus, erit enim nobis tamquam gallina protegens pullos ſuos. Non eſt iniuriosũ nomen gallinæ. Multæ aues ante nos fœtant, calefaciunt pullos ſuos, nulla ſic auis infirmatur cum pullis ſuis, quomodò gallina. Attende hyrundines, paſſeres, ciconias; videmus extrà nidos ſuos, nec cognoſcimus, vtrum fœtus habeant. At verò gallinam cognoſcimus in infirmitate vocis, & in relaxatione plumarum, tota mutatur affectu pullorũ, quia illi infirmi ſunt, infirmam ſe facit. Quia ergo & nos infirmi eramus, infirmam ſe fecit ſapientia Dei, quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, vt ſub alis eius ſperemus: hæc Auguſtin.

Scuto circumdabit te veritas eius: & non timebis à timore nocturno. Multæ enim ſunt tribulationes iuſtorum, ſperantes autem in Domino miſericordia circumdabit, Pſalm. 31. in fine, Hoc eſt ſcutum Domini erga nos, vt defendamur à malis, miſericordia nempè Domini Ieſu, veritas Dei eſt, quæ non reſpicit perſonas, nec miſcet ſperantes de ſeipſis, cum his, qui ſperant in Deo: ſed diſcernit humiles, & ſuperbos. Miſericordia ergo Domini ità pœnitentem, & dolentem circundabit, vt nec à timore nocturno timere debeat. Hinc dicebat, ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo, Pſalm. 18. n. 13. A timore nocturno, nàm delicta quis intelligit? idem Pſal. 18. numer. 13. confide ergo in miſericordia Domini, & non timebis à timore nocturno, ſcilicet ab occultis, quæ me latent delictis, & erroribus.

Scuto circumdabit te veritas eius. Sed quare dicit, te veritas eius? Ad diſtinctionem malorum, & hypocritarum, dicebat enim ille Phariſæus, Gratias tibi ago, quia non ſum ſicut Publicanus iſte, &c. ille verò pectus ſuum percutiebat, nec oculos ſuos ad Cælum eleuare volens, dicebat, Domine parce mihi peccatori, Luc. cap. 18. nu. 11. A timore ergo nocturno non timebis, ideſt à leui tentatione, quæ fit ignorantibus, & ſcientibus, quæ dicitur timor nocturnus, & ſagitta volans per diem. Auguſtin. hìc litera B. Tentationem, quæ fit in ignorantibus leuis, timorem nocturnum appellauit, & tentationem, quæ fit leuis, in ſcientibus; ſagittam volantem per diem appellauit. Quæ ſunt leues tentationes? quæ non ſic inſtant, non ſic vrgent, vt cogant, ſed poſſunt citò declinata tranſire: eadem rurſus fac grauia, ſi perſecutor inſtat, & vehementer terreat ignorantes, ideſt nondum firmos in fide, nec ſcientes, quòd ad hoc ſunt Chriſtiani, vt futuram vitam ſperent; cum cœperint terreri de malis temporalibus, putant quod deſeruit illos Chriſtus, & ſine cauſa ſint Chriſtiani.

Vel aliter dicamus, Scuto circumdabit te veritas eius. Quis circumdatur à

veri-

veritate eius? qui nempè habitat in adiutorio Altissimi. Sed quis erit ille, qui in Altissimi adiutorio habitat, nisi ille, de quo Petrus Apostolus 1.cap.4. numer.1. Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desijt à peccatis, vt iàm non desiderijs hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis? Scuto ergo erit circumdatus, qui cum Christo commortuus est, & à peccatis desijt; talis enim non timebit à timore nocturno, à præteritorum malis tentationibus, nec futurorum, Ezech.cap.18. & cap.33. Si iniquus desierit ab iniquitate, & faciet bonum, non amplius recordabor iniquitatis illius, quia pœnitendo,& bonum operando veritas circumdedit illum. Quia scilicet Iesus, qui est ipsa veritas, ipsi pœnitenti promisit liberationem, & peccatorum absolutionem, Isai.cap.1. numer.17. Lauamini, &c. Discite benefacere, quiescite agere peruersè, & venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt, hinc Luc.15.n.7. & 20. Gaudium erit super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis, qui non egent pœnitentia. Non timebit ergo à timore nocturno, quia Dominus Iesus eripuit eum de potestate tenebrarum, ad Colossens.cap.1.num.13. & transtulit, inquit, in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, &c.

Non timebit qui est in adiutorio Domini à timore nocturno, Quæ verba nobis vltrà alias interpretationes S. Augustin. vt supra, & S. Hieronym.& aliorum nobis visum est etiam sic adaptari posse, vt intelligamus, iustos, qui in adiutorio Altissimi habitant, non timere debere illos terrorem inferre volentes, qui falsam doctrinam docere volunt; qui diabolicas fraudes simplicibus cum timore, & terrore suggerunt, nocturni enim vocantur similes hæretici,& diaboli instigatores,contrà quos vigilandum admonet Apostolus,Quia aduersarius diabolus stat semper, quærens quem deuoret, 1.Petr.cap.5.num.8. propterea sequitur.

Ab incursu, & dæmonio meridiano. A quo etiam sagittæ in die volant, & negotium perambulans in tenebris, ab incursu eiusdem; omnia enim hæc mala, à Dæmone simplicibus incutiuntur; quando non est victori spes in Domino: terrent enim illos, proponendo dogmata nocturna,& contrà veritatem. Sagittam verò volantem in die accipimus pro percussionibus, iniurijs, & verberibus publicè, & palàm iustis illatis, & inflictis illis ab iniquis diaboli ministris, quæ ideò sagitta volans dicuntur, cum citò transeant illorum actus,citò dico respectu gloriæ æternæ, quæ sustinentibus debetur, vndè Sap. cap.3.nu.5. In paucis vexati, in multis benè disponentur,& cap.5.nu.7. Transierunt omnia illa tamquam vmbra,hinc Paul.2.Corinth.4.nu.16. Sed licet is, qui foris est noster homo, corrumpatur: tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis; non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt,quæ autem non videntur, æterna sunt: sæculi enim tristitia mortem operatur,2.Corinth.7.n.10. Volans epithetum est sagittæ propter pennas volucres, & celeres,de subitis,& inopinatis malis. A negotio perambulante

in tenebris, quod contrà legẽ fit, & in peccato ; Ab incurſu, & dæmonio meridiano. Ab his omnibus liberatur qui habitat in adiutorio Altiſſimi, hinc Paul. ad Epheſ. 6. num. 10. De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius ; Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli ; quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contrà ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, propterea armaturam fidei accipite, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis : in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, & galeam ſalutis aſſumite : & gladium ſpiritus, (quod eſt verbum Dei,) &c. Propterea dicit Pſalm. & à dæmonio meridiano, à ſpiritu ſcilicet fornicationis, in hoc enim vt plurimum ignea tela nequiſſimi ſunt ; Vnde Paul. orabat, dicens, Ter Dominum rogaui, vt ſtimulum carnis extinguere à me illum vellet, & dixit mihi Dominus, Sufficit tibi gratia mea, nàm virtus in infirmitate perficitur.

A negotio perambulante in tenebris, Pro re quacumque hoc accipitur, & pro quacumque actione, quæ lædere poteſt, S. Hieronym. legit. A peſte in tenebris ambulante, Et à dæmonio meridiano, ſcilicet ab omni occurſu in malum, omnem ærumnam, & omne malum, quod in die occurrere poteſt. Ab omni ergo periculo nocturno, & diurno liberatur ſperans in Domino, & qui ſub eius protectione erit. Et quis eſt, qui vobis noceat, dicit Petr. 1. cap. 3. num. 13, ſi boni æmulatores fueritis ? Si Deus pro nobis, quis contrà nos ? ad Roman. cap. 8. num. 31. Qui ergo ſtas, vide ne cadas.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Sed cur à latere tuo mille, à dextris autem decem millia ? Quia, vt dicit Paulus dicto cap. 6. numer. 10. ad Epheſ. Non eſt ſolum nobis colluctatio aduerſus ſanguinem, & carnem, ſed aduerſus principes, & poteſtates tenebrarum harum : propterea à dextris decem millia cadent, quia ſunt longè maiores illorum inſidiæ, & tentationes. A latere verò, qui pro ſiniſtra accipitur, terrenæ ſcilicet temporales, longè minores ſunt, nàm videntur reſtringi ſolum ad concupiſcentias bonorum temporalium, vel malorum, quarum ſub ſeptem peccatorum mortalium ſpeciebus, pars maior exprimitur quas etiam enumerat Dominus in Euangelio Matthæi, vbi ait. Non quæ intrant per os, coinquinant homines, ſed adulteria, furta, &c. Matth. cap. 15. numer. 18. & Paul. ad Coloſſenſ. cap. 3. numer. 5. Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, hæc enim à latere, ideſt à ſiniſtra, quia carnalia ſunt, temporalia ſunt. Et ſicut longè differunt, in quantitate, & qualitate, ſpiritualia ad carnalia, ità & in verſiculo huius Pſalmi maior numerus tentationum datur dexteræ, ideſt principatibus tenebrarum harum, quàm ſiniſtræ. Ideò cauendum, & vigilandum eſt magis à tempeſtatibus tenebrarum ; quamuis ab vtriſque ſit cauendum, quia omnes ducunt ad infernum illis cõſentientes, peccatum enim cum conſummatum fuerit, generat mortem.

Vndè Sanctus Bernard. in hunc Pſalmum Serm. 7. litera G. Nullus mihi ad hoc, niſi per medios hoſtium cuneos patet acceſſus. In itinere medio ſunt

Gi-

Gigantes: in aëre volitant, obſident tranſitum, obſeruant tranſeuntes. Attamen fiducialiter age, ne timeas. Magni ſunt, multi ſunt, ſed cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Cadent vndiquè, nunquam tibi deinceps in perpetuum nocituri. Parum eſt, non appropinquaturi; equidem videbit peccator, & iraſcetur, ſed à latere veniet; quòd videlicet præueniat te miſericordia Dei tui, eadem quoque nihilominus etiam miſericordia ſubſequatur, & introitum videlicet tuum, & exitum tuum cuſtodiens. Alioquin quid in illo tàm terribili ſpiritualium nequitiarum occurſu, humani poſſent conſiſtere ſenſus, quod non intollerabili concuterentur horrore? Quid putatis, fratres, ſi vel vni alij, cui è tàm multis principibus tenebrarum in medio veſtri irruere, & in tota feritate ſua, ac tenebroſi enormitate corporis apparere liceret; quis illum poſſet, vel corporis ſenſus ſuſtinere, vel cordis? (Et poſt pauca) ſequitur Bernard. Ne te horror inuadat, quia grauis te videaris ad illas tàm monſtruoſas effigies, & carnalium tantam multitudinem facierum? quia coram egregio Paraclito, qui tecum aſtant, procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent, Pſalm.71.numer.3. Et ad nihilum in conſpectu eius deducetur malignus. Sic timentes Dominum glorificat, præſente enim te Domine Ieſu, quantumlibet irruant hoſtes, immo non irruant, ſed ruant; confluant vndique, ſed vt fluant, & pereant à conſpectu Domini, quemadmodum fluit cera à facie ignis, Pſalm.67.num.3. Quid enim metuam deficientes? quid trementes paueam? quid verear cadentes? Et ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo, dummodò tu mecum ſis Domine. Veritas enim eſt, quæ ſuo ſcuto circumdat me. Et ſi vndique tentationibus ſim circumdatus, & vndique bella; vndique ſunt Dei miſericordiæ præſidia, non enim nos patitur Deus tentari ſupra id, quod poſſumus, 2.Corinth. cap.10.num.6.

Veruntamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis: cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, dicit Dominus. Sed nunquid Domine iuſtitiæ tuæ erit ſatisfactum ex hoc tantùm, quia à latere meo ceciderunt, animam verò meam perdere non potuerunt, quia tu Domine ſuſcipies illam? Veruntamen, dicit Deus, oculis meis conſiderabo, quia ſunt nota omnia, quæ coram me mala fecerunt, & eorum retributionem videbo. Ità à ſimili populum Hebræum conſolabatur Moyſes, Exod.cap.14. dicens, Nolite timere, ſtate, & videte magnalia Domini, & Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Hanc enim vim habet illa dictio; veruntamen. Quamuis hoſtes ad te non appropinquauerint, & ſi appropinquarint corpori, animam tamen lædere non potuerunt; Dominus tamen retribuet illis, quia malos malè perdet. Vndè dicebat Dominus, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius timete eum, qui poteſt animam, & corpus perdere in gehennam, Matth. cap.10.numer.28. & Iob in cap.27.numer.22. Emittet ſuper eum, & non parcet, vbi Gregorius in eundem locum dicit, peccatorem Deus quoties feriendo corrigit, ad hoc flagellum emittit, vt parcat. Cum verò eius vitam in peccato permanentem feriendo concludit, flagellum emittit, ſed nequaquam parcit, de talibus enim ſcriptum eſt, Pſalm.9.numer.17. In operibus manuum ſuarum comprehenſus

eſt peccator, & in alio loco Eccleſ. capit. 17. numer. 15. Viæ illorum coram illo ſunt ſemper, non ſunt abſconſæ ab oculis ipſius. Et ideò dicit, oculis tuis conſiderabis, opera enim manuum illorum ſequuntur illos, Matth. c. 21. numer. 41.

Vel ſi ad eundem iuſtum verba referamus, oculis tuis conſiderabis, provt dicit Sanctus Bernardus. Propterea hæc ſcripta intelligamus, quia lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam peccatoris, Pſalm. 57. manus ſuas lauabit in ſanguine peccatorum. In peccatorum morientium ſanguine iuſti lauantur manus, quia dum eorum pœna conſpicitur, conſpicientis vita mundatur, dicit Gregor. vt ſupra litera B.

Veruntamen oculis tuis conſiderabis. Quaſi enim Deus nequaquam malos conſpicit, quorum tamen facta conſiderat; ſed ſuper hæc damnationis iudicium in vltionem erit; hinc ſcriptum eſt Prouerbior. cap. 15. numer. 3. Oculi Domini contemplantur bonos, & malos, & Pſalm. 33. Vultus Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.

Vndè Gregor. lib. 17. Moral. cap. 2. Tom. 2. Conſiderat Deus quos puniat, ſed eoſdem ipſos ante non vidit, quos neſcit, nàm quibuſdam in fine dicturus eſt, Matth. cap. 7. Neſcio vos vndè ſitis. Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. Miro ergo modo peccatorum vitam & intuetur, & obliuiſcitur, quia quos per diſcretionem ſententiæ iudicat, quantum eſt ad memoriam miſericordiæ, ignorat. Qui quoniam in eius recordationem non veniunt, quaſi infructuoſum lignum ex eius iudicio conteruntur; terra quippè eos temporaliter ſumpta aruit, prædicationis deſuper pluuia infudit; ſed quia eorum vita nequaquam fructum boni operis protulit, iratus hanc Agricola abſcidit, vt iuxtà veritatis ſententiam, locum non occuper, quem tenere alius ad fructum valet. De hoc infructuoſo ligno dicitur per Ioannem; Iàm ſecuris ad radicem arboris poſita eſt, Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Nàm equidem reprobos mors carnis abſcindit, ſed pœna ſequens conterit, quaſi enim hæc inciditur, cum à præſenti vita ſeparatur. Sed in gehenna conteritur, cum perpetua damnatione cruciatur. Veruntamen ergo quaſi parciturus oculis ſuis Dominus conſiderabit, dans tempus, vt ipſos pœniteat, & ſi in iniquitate permanſerint, retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea, altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Cur non cadit à ruina, & à Dæmonio meridiano? quia, inquit, tu es Domine ſpes mea. Sed quæ ſpes tua eſt? Quia à te, qui es Altiſſimus filius Dei, refugium noſtrum venturum eſt, redemptio noſtra ventura eſt, Pſalm. 54. numer. 8. Expectabam eum, qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.

Vndè Bernard. in hunc Pſalm. verſ. 9. Serm. 9. litera I. Solus enim merum habuit vinum Dominus Ieſus, qui ſolus perfectè mundus, & ſemper etiam poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine. Solus planè merum habuit vinum, qui nimirum etiam ſecundum diuinitatem ſapientia eſt, vbique attingens propter munditiam ſuam, & nihil inquinatum cadit in eum, &c. Cum enim inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per ſanguinem filij ſui.

Aut

Aut pro iàm amicis, & ſi nondum quidem amantibus, ſed tamen iàm amatis. In hoc eſt enim gratia, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed prior ipſe dilexit nos. Vis noſſe quàm longè prior? Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, ait Apoſtolus 2.Corinth.cap.1.numer.3. qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus, in Chriſto Ieſu, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, & gratificauit, inquit, nos in dilecto filio ſuo. Quomodò ergo non dilecti iàm tunc in illo, quando electi in illo? Quomodò non ei grati, in quo gratificati ſumus? ſic ergo Chriſtus ſecundum tempus quidem pro impijs mortuus eſt; ſecundum prædeſtinationem autem pro fratribus, & amicis. Quomodò ergo in illo non eſt ſpes mea, qui ideò venit, vt ipſe ſit ſalus mea? In Domino ergo confido, non commouebor in æternum; qui ideò altiſſimum poſuit refugium ſuum; vt non accedat ad ſe malum, & flagellum non appropinquet tabernaculo ſuo. Tabernaculum enim Dei eſt omnis, qui viuit in illo iuſtus; vndè Apoſtol. 2.Corinth. cap.6.num.16. Vos eſtis Templum Dei viui, & Ioan. Apocalypſ. cap.11.num.3. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Quomodò ergo, inquit, tu es Domine ſpes mea? Cætera extrà te, vt ſtercora arbitror, ad Philippenſ.cap.3.num.8. vt te Chriſtum lucrifaciam, 1.Reg. cap.2.numer.3. neque enim eſt alius extrà te. Tu es ſpes mea, quia te ſolum quæro, te ipſum deſidero, te cupio, te volo; perfecta enim charitas, ſolum ſitit, quod ſummum eſt.

Bernard. in d. Sermon.9. Tota deſiderij vehementia clamat; Quid enim mihi eſt in Cælo, Pſal.72. & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Pulchrè nobis vtrumque paucis verbis hodie lectio Ieremiæ Prophetæ commendauit, Thren. cap.3.num.25. Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum. Sperantes in eum, inquit, quod hoc videatur commune multorum; quærentem verò illum ſingulariter, ideò, quòd ſingularis ſit puritatis, ſingularis gratiæ, ſingularis perfectionis, non modò nil ſperare niſi ab eo, ſed nil quærere, niſi eum, quòd ſi bonus illis, quantò magis ipſi? Meritò proinde illi animæ reſpondetur, Altiſſimum poſuiſti refugium tuum; neque enim Deum ſic ſitiens anima, aut cum Petro ei in terreno monte facere tabernaculum, aut cum Maria Magdalena deinceps eum tangere vult in terra. Sed planè clamat; Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ, hinnuloq. ceruorum ſuper montes Bethel, Cantic.cap.8.num.12. in fine, Audiuit enim dicentem, Ioan.cap.14. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem; quia Pater maior me eſt. Audiuit dicentem: Noli me tangere, Ioan.20. nondum enim aſcendi ad Patrem; & cæleſtis iàm non ignara conſilij, clamat cum Apoſtolo; Et ſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iàm non nouimus. Super montes, inquit, Bethel, ſuper omnem ſcilicet poteſtatem, & principatum, ſuper Angelos, & Archangelos, Cherubin quoque, & Seraphin. Neque enim alij ſunt montes domus Dei, quod ſonat Bethel, planè in dextera Patris, vbi non ſit Pater eo maior: in dextera Altiſſimi, coaltiſſimum apprehendere concupiſcens. Hæc enim eſt vita æterna, vt Patrem cognoſcamus verum Deum, ſed & quem miſit Ieſum Chriſtum, verum, & vnum cum eo Deum ſuper omnia benedictum in ſæcula: hæc Bernard.

Non accedet ergo ad te malum, qui Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Sed quomodò non accedet ad te malum? nàm ſicut in fine dicit, Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum; ſi de tribulatione eripit, ergo prius erat tribulatus, quia de illa ipſum tribulatione eripuit; quomodò ergo non accedet malum, nec appropinquabit flagellum, ſi de illis eripuiſti eum? & quid de te, ò Dauid vir ſecundum cor Dei? cecidiſti, peccaſti, adulteraſti, homicidium commiſiſti, 2.Reg. cap.11. & cap.12.num.10. cum ſequen. propterea non receſſit gladius de domo tua; Laui, dixiſti, inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, Pſalm.72.num.13. & caſtigatio mea in maturinis; Quomodò non appropinquauit flagellum tibi, & malum non acceſſit ad te? Quid de alijs dicã Sanctis? & Dominus omnes, quos recipit, non flagellat? accedant Apoſtolorum omnium martyria, tot Martyrum mortes, & tormenta: quomodò ergo non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo? ſed an ignoras, quod tibi à Domino per præceptum relictum eſt; Abneget enim, inquit Dominus, ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me, qui vult venire poſt me? Matth.cap.10.nu.24. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos; ad labores miſit Ieſum, vt tu eum ſequendo peruenias ad coronas.

Mitto ad tollerantiam famis, ad onera vinculorum, ad ſqualorem carceris, ad perferenda omnia genera pœnarum mitto, non auctoritate ad hæc iubentis, ſed toto diligentis affectu: non eſt enim malum in hoc mundo; per quod bono fruemur in æternum; vndè Sap. cap.3.num.1. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace; & ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. In paucis vexati, in multis benè diſponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos ſe. Quomodò malum dicemus, quod pro Chriſti nomine patiuntur, ſi diſciplinam, quam Deus illis dat, abijcientes, infelices dicerentur, Sapien. ibidem cap.3. Pſalm.89. numer.15. Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti: annis, quibus vidimus mala; & ſuſtinentes illam inter ſanctos ſors illorum ſit? cap.5. in Sapien. num.5: Non enim coronabitur, niſi qui legitimè certauerit, 2.Timoth.cap.2. numer.5. Memor eſto, inquit, Dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid ſecundum Euangelium meum, in quo laboro vſque ad vincula, quaſi malè operans: quaſi dicat, malè operans, ſcilicet vt illis contradicentibus videbatur. Fidelis ſermo; nàm ſi commortui ſumus, & conuiuemus; ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus. Dilatetur igitur os noſtrum ſuper inimicos noſtros, quia lætati ſumus in ſalutari eius, 1.Reg.2.num.2.

Tunc Altiſſimum poſitum refugium noſtrum, quia non accedet ibi flagellum, nec malum appropinquabit nobis; quia cum Rege in altum habitantes habitabimus in tabernaculo ſuo. Non ergo de malis huius mundi ſermo hic eſt, & de flagellis, quæ ad modicum tempus ſuſtinentur propter Chriſtum; vt ad vitam, illa ſuſtinentes, æternam perueniamus, vbi nullus dolor, neque mors erit vltra, quoniam priora abierunt, Apocalyp. cap.21. numer.4. Trahe me poſt te, dicit ſponſa, vbi Bernard. Sermon.21. in Cantic. Sancta enim anima nihil magis optat, quàm Dominum Ieſum per Crucem, ac labores ſequi, & comitari, peruentura quandoq. ad montes gaudiorum per viam ærumnarum, ac perſecutionum; ſed quàm pauci, inquit, poſt te ire volunt,

bone

Digitized by Google

bone Ieſu, cum tamen peruenire nemo ſit, qui nolit, quia delectationes in dextera tua vſque in finem, Pſalm. 15. numer. 10. Propterea omnes te volunt frui, at non ità imitari; conregnare cupiunt, ſed non compati, ideò reſurrexiſti à mortuis, & in cælum aſcendiſti, vt altum poneres refugium tuum, aſcendiſti, vt fieres ſpes mea.

Auguſtin. hìc lit. A. in 2. Concione expoſitionis. Genus humanum mori hominem nouerat, reſurgere non nouerat, ideò quid timeret habebat, quod ſperaret non habebat. Vt ergo ille, qui propter diſciplinam fecit timorem mortis propter præmium futuræ vitæ æternæ daret ſpem reſurrectionis, prior reſurrexit Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Mortuus eſt poſt multos, reſurrexit ante omnes; hoc paſſus eſt moriendo, quod iàm multi paſſi erant, hoc iàm fecit reſurgendo, quod nullus ante illum. Quando hoc accipiet Eccleſia, niſi in fine? Præceſsit in capite, quod membra ſperent. Dicat ergo Eccleſia Domino noſtro Ieſu Chriſto, dicat corpus capiti ſuo; Quoniam tu es Domine ſpes mea, Altiſſimum poſuiſti refugium tuum: ideſt qui in terra deſperabam, & me reſurrecturum eſſe non credebam, modò iàm credo, quia aſcendit in cælum caput meum, quò caput præceſſit, & membra ſequutura ſunt. Non ibi accedet malum, nec appropinquabit tabernaculo tuo (& poſt multa.

Auguſtin. Hoc autem tabernaculum eius ſenſit flagella in terra; manifeſtum eſt, quia flagellatus eſt Dominus; nunquid in cælo ſenſit flagella? Nequaquam; quia Altiſſimum poſuit refugium ſuum, vt eſſet ſpes noſtra, & non ad eum accedant mala, nec flagellum propinquabit tabernaculo eius. Longè enim eſt ſuper omnes cælos; habet tamen pedes in terra, caput in cælo eſt, corpus in terra. Cum autem pedes eius flagellarentur, & à Saulo calcarentur, clamauit caput, Act. Apoſt. cap. 9. Saule, Saule quid me perſequeris? Diſcretum enim eſt locis, ſed iunctum eſt affectu, illa ipſa affectus coniunctio clamauit de cælo, Saule, Saule, quid me perſequeris? Voce enim obiurgante proſtrauit eum, & leuauit dextera miſerante. Qui corpus Chriſti perſequebatur, factus eſt membrum Chriſti, vt quod faciebat ipſe, ibi pateretur, ad modicum pateretur, vt in æternum frueretur. Non ſunt enim condignæ paſsiones huius mundi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, ad Roman. c. 8. nu. 18. Compatimur enim, vt conglorificemur, ibid. num. 17.

Mali ergo nomine illa ſolum intelliguntur, quæ mentem crimine implicant. Faciunt quæ notantur in Decretal. 15. quæſt. 1. per totum; vndè ægritudo, paupertas, mors, & ignobilitas propriè non dicuntur mala, Apoſtolus; Vos nobiles, nos verò ignobiles: vſque in hanc horam eſurimus, & ſitimus, 1. Corinth. cap. 4. numer. 10. Rogo vos imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Deus enim ſuos electos ſic cuſtodit, vt ſaltem finaliter ipſos peccato implicari non permittat.

Non accedet ergo malum culpæ ad electos, & confidentes. Ideò autem pœnæ malum hìc pedibus ſuis, electis ſuis permittit Dominus, vt tentans illos dignos ſe inueniat, & à culpæ pœna liberet, atque præſeruet. Quocircà Angelis ſuis, inquit, mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Quæ ſunt iuſtorum viæ, niſi ipſe Dominus, qui eſt Via, Veritas, & Vita; de Domino ergo Ieſu Chriſto loquitur Dauid de eius corpore, ideſt de membris eius, quæ ſunt in terra; quocircà, Saule inquit, quid me perſequeris? quid

ſcili-

ſcilicet membra mea, electos à me, & quos dedit mihi Pater, & qui vnum ſunt mecum, Ioan.cap.17. in fine, perſequeris? Non accedet idcircò ad te malum, & tabernaculo tuo malum non appropinquabit culpæ: Caro enim eſt tabernaculum Dei, in qua pro nobis militauit, ad quam leuatam ſupet cælos, vt ſit illùc directa ſpes noſtra, non accedunt flagella, vt prius acceſſerunt in terra. Pedes ergo habet Ieſus in terra, ſed nec his pedibus ità flagellum appropiat, vt fidem excutiat; propterea à Petro dixit, rogaſſe, vt fides eius non deficeret, Luc.cap.22.num.32. Rogat enim Dominus Ieſus iubendo, cuſtodiendo, ideò mandauit Angelis, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, Exod.cap.23.num.20. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paraui, obſerua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaueris, & eſt nomen meum in illo.

D. Bernard. hìc Serm.11. litera B. ibi; Quæ ſunt ſanctorum Angelorum viæ? Profectò illæ, quas enarrauit Vnigenitus, Ioan.cap.1.num.51. dicens; Videbitis Angelos aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis; aſcenſio igitur, & deſcenſio viæ illorum, aſcenſio propter ſe, deſcenſio, vel potius condeſcenſio, propter nos; Sic beati illi Spiritus aſcendunt per contemplationem Dei, deſcendunt per compaſſionem tui, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Aſcendunt ad vultum eius, deſcendunt ad nutum eius, quoniam Angelis ſuis mandauit de te; nec tamen deſcendendo viſione gloriæ fraudantur, quia ſemper vident faciem Patris. Hæ ſunt viæ Domini, viæ Angelorum eius. Cæterum, ſi vias hominum, quæ ſint conſideremus; viæ enim filiorum Adam in neceſſitate, & cupiditate verſantur. Ab vtraque ſiquidem ducimur, & ab vtraque trahimur; niſi quòd magis videmur vrgeri neceſſitate, trahi cupiditate; & neceſſitas quidem corpori ſpecialiter tribuenda videtur.

Multiplex eſt hominum neceſsitas, vndè benè dicitur, de neceſsitatibus meis erue me; ab iſta autem neceſsitatis via educi, & ab altera cupiditatis abduci, deſiderandum eſt, vndè Eccleſ.cap.18.num.30. poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere; quamuis ſecundum Bernard. vt ſupra, de duobus malis longè melius eſt in neceſsitate gradi, quàm in cupiditate. Multiplex illa neceſsitatis, ſed iſta cupiditatis amplius per omnem modum, imò vltra omnem modum multiplicior inuenitur: cupiditas res eſt cordis, ideò tantò maior, quantò anima pluſquam corpus. Hæ denique ſunt viæ, quæ hominibus videntur bonæ, ſed finem non habent, niſi cum demergunt in profundum inferni. De his vijs, Pſalm.15. Contritio, & infelicitas in vijs eorum, contritio enim in neceſsitate, infelicitas in cupiditate, infelicitas dixi, quia non eſt felicitas, vt putatur; nàm in terrenarum affluentia rerum eſt cupiditas, eò infelicior eſt, quò vehementius ipſam pro felicitate amplectitur infelicitatem; aut magis immergitur ei, & abſorbetur ab ea; Væ filijs hominum ab hac felicitate fallaci; Væ qui dicit, quia diues ſum, & nullius egeo; cum ſit pauper, & nudus, & miſer; & miſerabilis. Et neceſſitas quidem ex infirmitate carnis, cupiditas ex cordis inedia, & obliuione procedit; Idcircò alienum mendicat anima, quòd oblita ſit comedere panem ſuum; propterea terrenis inhiat, quòd minime cæleſtia meditetur.

Quare inhiat? vt ſuper alios ditior appareat. Et cui diuitias congregat, qui terre-

terrenus in terram conuertendus, puluis, & vmbra cum sit? citò venturus est, qui animam tuam tollat, Luc. cap. 12. num. 19. Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, & epulare. Dixit autem illi Deus. Stulte hac nocte animam tuam repetent à te; quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui thesaurizat, & non est in Deum diues. Sed dato, quòd statim moriaris, & quid illæ tibi proderint, nisi vt magis in mundo extollaris, atque in infernum detrudaris, si de illis non rectè iuxtà Euangelium disponas? Et si potens ex illis fias, & inter Principes Deus permittat te connumerari, quid tùm? si superbiens effectus, factus eris minister Diaboli? Nunquid in terrenorum affluentia felicitas tibi videtur? Eò ipso, quo pro felicitate diuitias accipis, infelicior es, vt supra dixi: in eas enim magis immergeris, & ab eis absorbeberis. Similis tu eris Diabolo, qui cadenti Domino omnia regna mundi dare volebat, vt illum adoraret. Quid superbis cinis, & vmbra, nisi vt minister Diaboli, qui expulsus de cælo, cadas & tu cum illo in infernum; Princeps factus es? An ignoras, quod dixit Habac. cap. 3. num. 5. Incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius? & Psalm. 75. nu. 12. Terribili ei, qui aufert spiritum Principum, terribili apud Reges terræ. In illa die peribunt omnes cogitationes eius, Psalm. 145. numer. 4. Sanguine Christi redemptus duritiæ cordis tui colles incurua, in itineribus æternitatis Dei ingredere, humerum tuum incurua, vt sequens Dominum, crucem eius portando, iugum enim eius suaue est, & onus leue, merearis peccatorum veniam, & in futurum in manibus Angeli portabunt te, ne amplius offendas ad lapidem pedem tuum, & in omnibus vijs tuis custodient te. Portabant te hucusquè iumenta tua sensualitatis tuæ corpus tuum in perditionem, vt iumentum enim factus eras apud Deum, & peregrinus fratribus tuis Angelis, Psalm. 72. nu. 23. Et ecce, quia manus Domini suscepit te, ne amplius offendas ad lapidem pedem tuum.

In nomine ergo Iesu genu tuum flectatur, vestigia eius adorando incuruetur cor tuum, & corpus tuum. Miserearis animæ tuæ, compunctus cum eo, qui prior pro te punctus est; redeas ad cor, qui prius iniquus eras; si tu miserearis tui, miserebitur etiam & ille tui, qui morte sua peccatum tuum delere voluit. Ingrediaris, iter habens in viam veritatis Iesu Christi, & Angeli Domini in manibus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Tentat Diabolus, vt iterum te mittas deorsum, vt iterum terrena respicias, & simul in diuitias, & illius vanitates ingrediaris, quia sic te facilius apprehendet, qui falsò eximia mundi tibi daturum promittit. In manibus te Angeli Dei portabunt, quia lux Domini orietur in te, vt fallaciam Diaboli cognoscendo, à via veritatis non discedas. Non enim ad lapidem pedem tuum offendes, quia in humilitate permanens super te lapis Christus, vt te conterat, minime cadet, sed fundaberis in illo, quia Angelis suis mandauit de te, non tuis meritis, sed gratia sua te præueniente, & adiuuante.

Et si de Iesu Christo hunc versiculum etiam intelligere volueris, prout Diabolus tertia vice illum tentans, dixerat; Mitte te deorsum, quia scriptum est, Angelis suis Deus mandauit de te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. In manibus portabunt te. Hoc verificatur in resurrectione, & ascensione Christi, quia Angeli manibus portauerunt in cælum, dicit Augustin. Non

quia,

quia, si non portassent Angeli, ruuiturus erat, sed quia obsequebantur Regi; non vt credamus, quia meliores sint, qui portabant, quàm qui portabatur; cælum enim sedes eius, Psalm. 10. nu. 5. ergo cælum maior Domino? absit; Ipse enim fecit cælum, & terram, & omnia, quæ in eis continentur, Psalm. 133. num. 3. & Psalm. 14. nu. 3. Regnum enim eius, Regnum omnium sæculorum, & dominatio sua in omni generatione, & generationem, Psalm. 144. num. 13. & Psalm. 56. num. 6. Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua; non ergo ad infirmitatem Domini pertinet, sed ad illius honorificentiam, & illorum seruitutem portant in manibus Angeli Dominum.

In manibus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Rogaui enim pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, Luc. cap. 22. numer. 32. Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem, Matth. vltimo, Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis, & ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Et quæ erunt signa credentium? dæmonia eijcient, serpentes tollent, & si quid mortiferum biberint, non nocebit eis, Marc. cap. 16. num. 18. Super aspidem ergo credentes ambulabunt. Quid est ambulare super aspidem, nisi occultis tentationibus Diaboli, & percussionibus resistere, & illas vincere, atque superare, & eijcere? Quid super basiliscum, qui palam veneno inficit, & occidere tentat, quàm serpentes tollere? Basiliscus est Rex serpentum, & nocet flatu. Quid etiam est conculcare Leonem, & Draconem, nisi potentiam Diaboli vincere, superare, & ei resistere, vt nihil noceat credenti, si quid mortiferum biberit; Leo enim est Rex animalium, & viribus nocet, at infernalis Draco negligit negligentes, fidelibus tamen nihil nocere potest vigilantibus. Aduentu Domini pedibus, idest credentibus omnia hæc prostrata sunt nocumenta, & ideò Ioan. cap. 14. nu. 30. Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam: Augustin. hìc lit. B. Leo sæuit apertè, Draco occultè insidiatur; vtranque vim, & potestatem habet Diabolus. Quando Martyres occidebantur, Leo erat sæuiens; quando Hæretici insidiantur, Draco est surrepens; vicisti Leonem, vince Draconem; non te fregit Leo, non te decipiat Draco. Quo ad Leonem, 1. Petr. cap. 5. Nescitis, quia aduersarius vester Diabolus, tamquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, sæuiebat apertè, vt deuoraret ĩniquè. De secundo Dracone scilicet, qui insidiatur per Hæreticos; mles timens Paulus, 2. Corinth. cap. 11. num. 2. ne ab illis corrumperetur Ecclesia à castitate fidei, quam gestabat in corde, ait; Desponsaui vos vni viro Virginem castam exhibere Christo. Et timeo, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ità & mentes vestræ corrumpantur à castitate, quæ est in Christo. Virginitatem corporis paucæ fœminæ habent in Ecclesia, sed virginitatem cordis omnes fideles habent; in ipsa fide virginitatem cordis timebat corrumpi à Diabolo, quã qui perdiderint, sine causa sunt virgines corpore: corrupta corde quid seruat in corpore? ideò mulier catholica præcedit virginem hæreticam, illa enim non est virgo in corpore, ista mulier facta est in corde, & mulier non à marito Deo, sed à serpente. Quid autẽ Ecclesia? super aspidem, & basiliscũ ambulabis; Rex est serpentum Basiliscus, sicut & Diabolus Rex est Dæmoniorum, hæc Aug.

Quoniam

Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Loquitur nunc Ieſus Chriſtus, cuius nomen cognitum à fidelibus chriſtianis, per quod nomen liberantur ab hoſtibus omnibus, ſub cuius protectione exiſtunt. Et quis talem fidelem de manu Domini eripere poterit, itavt is offendat ad lapidem pedem ſuum? Ioan.cap.10.numer.28. Non enim quidquam rapies de manu mea.

Cæterum ſi dicamus, verſiculum de Chriſto loqui, tamquam de Deo humanato ſimile habemus in Iſai. cap.53. num.9. Et dabo, inquit, impios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua, eo quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius: & Dominus voluit conterere eum in infirmitate: ſi poſuerit animam ſuam pro peccato, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur, &c. ideò ſequitur.

Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, vndè ſequitur Iſai. ibid. num.10. Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur, & ideò diſpertiam ei plurimos.

Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, Ioan.cap.12.num.27. Nunc anima turbata eſt, & quid dicam? Pater ſaluifica me ex hac hora; ſed propterea veni in hanc horam. Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo. Et clarificaui, & iterum clarificabo. Et ego exaudiam eum, nàm Ioan.13. Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo. Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo, & continuò clarificabit eum, ibid.num.32.

Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, Pſalm.21. In te ſperauerunt Patres noſtri, ſperauerunt, & liberaſti eos, ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt, in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi, & Pſalm.61.num.9. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra, Deus adiutor noſter in æternum. Pes ergo noſter ſit in directo, Pſalm.25.num.12. & in Eccleſia benedicamus te Domine; in directo pes noſter, vtique ſpes noſtra in Domino eſt, quemcunque locum pes noſter calcauerit, noſter erit; quatenus ſpes noſtra in Domino ſit ſine aliqua hæſitatione, Deut.cap.11.num.16. Cauete ne forte decipiatur cor veſtrum, & nu.24. Firma ergo ſit ſpes noſtra, & in Deum tota figatur, & non titubet. Tunc, nec aſpidem, nec baſiliſcum timeamus, nec leonis rugitum, aut draconis ſibilos expaueſcamus, nàm in Domino ſperantes, liberabimur ab illo.

Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Quid eſt enim nomen Domini cognoſcere? an qui blaſphemant, illud cognoſcunt? nec talis illum, vt Patrem honorat, nec vt Deum timet; audi quid in Sapien. dicatur cap.1. Et hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis. Propter quod qui loquitur iniqua, non poteſt latere, vndè Auguſtin. Pſalm.74. litera B. Noli cogitare Deum in locis, ille tecum eſt talis, qualis fueris; vndè bonus, ſi bonus fueris, & malus tibi videtur, ſi malus fueris; ſed opitulator, ſi bonus fueris; vltor, ſi malus fueris; ibi habes Iudicem in ſecreto tuo. Volens facere aliquid mali, de publico recipis te in domum tuam, vbi nemo inimicorum videat: de locis domus tuæ promptis, & in faciem conſtitutis remoues te in cubiculum; times & in cubiculo aliunde conſcium, ſecedis in cor tuum, ibi meditaris: ille in corde tuo interior eſt: quocunque ergo fugeris, ibi eſt: te ipſum.

quò

quò fugies? Nonnè quocunque fugeris, te ſequeris? Quando autem & teipſo interior eſt, non eſt quò fugias à Deo irato, niſi ad Deum placatum. Vis fugere ab ipſo? fuge ad ipſum. Ergo aduerſus Deum ne loquamini iniquitatem: Sed ſacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino: & tunc cognoſces Dominum, quia te cognoſcet in bonum. Quot ergo habes ibi compunctiones facinorum, tot habe illìc punctionis confeſsìonem. Hæc Auguſtin.

Si ergo cognoſcere velis, quid ſit Deus, in Pſalm.97.num.5. tibi declaratur, Dominus, inquit, nomen illi; libenter ergo & tu in famulum Dei te ſubdas; & cognoſces nomen Dei, quale ſit, & tunc ſperare poteris in eum, qui noſces nomen eius, Pſalm.9.num.11. Si ergo famulus eius es, deſine temporalia diligere, & in illum, qui idem eſt ſemper, & anni eius non deficiunt, ſit ſpes tua. Auguſtin. d.Pſalm.9. litera D. Dominus Moyſi dixit; Filijs Iſrael dicito, quia ego ſum, qui ſum, Exod.cap.3. Miſit Deus Moyſen filijs Iſrael, dicens, miſit me, qui eſt. Sperent ergo in te, qui cognoſcunt nomen tuum, nec ſperent in his rebus, quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes, niſi erit, & fuit. Quoniam quod in illis futurum eſt, cum venerit, fit ſtatim præteritum, & quod expectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore. In Dei autem natura non erit aliquid, quaſi nondum ſit, aut fuit, quaſi iàm non ſit: ſed eſt tantùm id, quod eſt, & ipſa eſt æternitas.

Protegam ergo eum, dicit, quia cognouit nomen meum. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum, Pſal.18. num.1. Vndè ad Roman.cap.1.nu.20. Inuiſibilia enim eius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, itàvt ſint inexcuſabiles. Quia cognoſcentes Deum, non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes, ſe eſſe ſapientes: ſtulti facti ſunt; & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & voluerum, & quadrupedum, & ſerpentium, &c. Auguſtin. ad Marcellin. de Spiritu, & Anima lib. Vnico litera K. Hìnc Ioan.1.cap.1. Quod erat ab initio, quod audiuimus, & quod vidimus, & manus noſtræ cõtrectauerunt de verbo vitæ, vbi Auguſtin. in expoſitione Epiſtolæ Ioan. Tom.9. in Tract.1. Quis eſt, qui in manibus contrectet Verbum, niſi quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis; & ibid. litera G. Quæ ergo vidimus, & audiuimus, nunciamus vobis. Illi viderunt ipſum Dominum præſentem in carne, & audierunt verba ex ore Domini, & annunciauerunt nobis. Et nos ergo audiuimus, ſed non vidimus, minus ergo ſumus felices, quàm illi, qui audierunt, & viderunt? Et quomodò adiungit; Vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum? Illi viderunt, nos non vidimus, & tamen ſocij ſumus, quia fidem communem tenemus; nàm quidam videndo non credidit, & palpare voluit, & ſic credere, & ait, Ioan.cap.20. Non credam, niſi digitos meos miſero in locum clauorum, & cicatrices eius tetigero. Præbuit ſe ex tempore palpandum manibus hominum, qui ſemper ſe præbet videndum aſpectibus Angelorum. Et palpauit ille diſcipulus, & exclamauit, Dominus meus, & Deus meus; quia tetigit hominem, confeſſus eſt Deum. Et Dominus conſolans nos, qui ipſum in cælo ſedentem manu contrectare non poſſumus, ſed fide contingere, ait illi; Quia vidiſti, credidiſti; beati, qui non vide-

viderunt, & credunt. Nos deſcripti ſumus, nos deſignati ſumus. Fiat ergo in nobis beatitudo, quam Dominus prædixit futuram. Firmè teneamus, quod non vidimus, quia illi nuntiant, qui viderunt; Vt & vos, inquit, ſocietatem habeatis nobiſcum; quæ ſocietas eſt cum Deo Patre, & Ieſu Chriſto filio eius. Hæc, inquit Ioannes, ſcribimus vobis, vt gaudium veſtrum ſit plenum; plenum gaudium in ipſa ſocietate, in ipſa charitate, in ipſa vnitate. hæc Auguſtin. ibi; Beati ergo, qui habitant in domo tua Domine, quia in protectione tua, qui es Deus cæli, & terræ, commorabuntur. Ergo ſecurius, & tutius eſt ſperare in Domino, quàm in Principibus, Pſalm. 117. n. 9. Quid certius clauibus Eccleſiæ? quibus quodcumque in terra ſoluitur, etiam in cælo ſolutum eſſe promittitur. Sequere ergo Dominum in humilitate, qui ſe humilem fecit, vt tu ſecum eſſes in diuinitate; Spera in Deo, & fac bonum, & Deum cognoſce corde tuo exiſtentem in cælo.

Clamemus ergo ad Dominum in fide, & ſimplicitate cordis noſtri, & ipſe exaudiet nos, & in tribulationibus nobiſcum erit, vt eripiat nos ab illis, vt glorificet nos. Sit fides in te, dicit Auguſt. & Deus in te: ſi dormit, ideſt repeſcit in te fides, excita eam, vt Chriſtus dormiens in naui, excitatus eſt à diſcipulis, & ſaluati ſunt, Matth. 8. Ità & tu ſi fidem excitas, ſaluaris, non deſereris; Et, ſi quando vis, non eripit, nõ ideò putes te deſeri; eripuit tres pueros de igne, ſed qui illos eripuit, nunquid Martyres deſerit? abſit, & illos eripuit, & iſtos; ſed tres pueros liberauit corporaliter, vt confundãtur infideles, Martyres liberat ſpiritualiter, vt imitentur eos, fideles: eripiã ergo de ſæculo, & glorificabo eũ in cælo.

Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiã eum, & glorificabo eum. Sed nunquid, qui non eſt in tribulatione, ad Deum non tenetur clamare? Quæro à te, quis ſeruus Dei, & in mundo præſſuram non habebit? Ioan. 16. In mundo præſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum. Propterea eripiam, inquit, illum, & glorificabo eum; & Paul. 2. Timoth. 3. Omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur; liberatio enim plena, atque perfecta ante diem ſepulturæ eſſe non poterit, Bernard. hìc. Quòd maneat iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. In hac ergo die eripiam eum, inquit, quando nihil iàm vltra, quod vel corpori, vel animæ faciat, mundus habebit. Sanè glorificatio diem vltimum manet, diem reſurrectionis, quando ſurget in gloria, quod in ignominia interim ſeminatur, hæc Bernard. Serm. 16.

Cum ipſo ſum in tribulatione. Propterea ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quia tu mecum es, Pſal. 22. Et glorificabo, inquit, eũ, vt in Pſal. 100. Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum; ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat; & hoc erit, cum Chriſtus apparuerit gloria noſtra, ad Coloſſ. 3. Cum enim, inquit, Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Si igitur omnes in mundo, in terris præſſura ſumus Gentium, cur non omnes in Chriſto viuemus, vt tribulati ab illo eripiamur, & glorificemur, inquit enim D. Bernard. Tribulatio neceſſe eſt, vt præcedat ereptionem, ereptio glorificationem; clamemus ergo omnes in cælum, & miſerebitur noſtri Deus noſter. Quid enim ſub cælo, niſi omnia labor, & dolor, vanitas, & afflictio ſpiritus, & ſi hæc ſub cælo, cur cor noſtrum, & illius clamor non erit in cælo? ſi corde clamemus pio, debet nobis Dominus

ex promisso, sed quid promisit? sequitur.

Longitudine dierum replebo illum, & ostendam illi salutare meum, Vbi est longitudo dierum, nisi vbi est ciuitas illa? de qua Apocal. 21. Sancta Ierusalem descendens de cælo à Deo, habens claritatem Dei, quæ non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea, & cuius templum est Dominus Deus omnipotens, cuius lucerna est Agnus, & ibi non est nox; ibi tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis; & ostendam illi salutare meum, idest Saluatorem Christum Iesum. Lucerna enim est illius æternæ ciuitatis, ibi enim est vita æterna omnium fidelium, idest Christus Iesus, quem videbimus per speciem, non amplius per fidem. Longitudo ergo dierum vita æterna est, quæ non habet finē, nàm si finem haberet, non nobis sufficeret, neque diceret; Replebo eum, & ostendam illi salutare meum, Augustin. hìc. Nunquid non est visus Christus in terra? qui crucifixerunt viderunt: nos non videmus, & credimus: oculos habebant illi carnales, nos verò oculos cordis habemus, sed per fidem adhùc videmus non per speciem, tunc verò facie ad faciem videbimus, Paul. 1. Corinth. c. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Sursum ergo corde anima mea, in hac nocte dum permanes, Deum manibus exquiras, Deum tuum Redemptorem tuum, non vt Pharisæi, & Iudæi quæsierunt, vt eum morti traderent, vt hodie secundum Matth. & illum apprehensum perderent, & nomen eius delerent; sed vt tu per illius passionem, à morte perpetua libereris. Et tu anima mea illum traditum pro te sustineas, vt cum latrone dicas, Domine memento mei, quia pœnitet me peccasse. Tu enim hodie passus es, vt illam redimeres à peccato. Ecce Domine Iesu in hac nocte tenebrarum vitæ huius mortalis, manibus ideſt operationibus exquisiui te, qui es lux mea, & vita mea, vt longitudine dierum repleas me, qui dixisti, Quotiescunque peccator ingemuerit, non recordabor amplius peccati illius.

SOLILOQVIVM.

O Te beatam animam meam, si in hac vita toto corde, & opere Dominum inuocaueris: in Altissimi adiutorio habitans, in Dei protectione commoraberis: spes, & charitas in te vigeat, vt Dominus sit tuus susceptor, atque refugium: itàvt à laqueo venantium, & ab iniquitatis verbo aspero libereris. Quid moraris? dies modò acceptabiles sunt; dies Domini, qua pro te passus est, nunc dies salutis tuæ; an eum non considerabis in cruce fixum, extensis manibus, vt vmbra illarum Diaboli tentationes à te effugiant? Sit in illius passione posita tota spes tua, vt scuto veritatis illius circumdata, nocturnus timor abscedat à te; ipse enim cum sit veritas, & vita in salutis locum tibi promissum suscipiet te. Viuus est sermo illius, omni gladio ancipiti penetrabilior. Omnium peccata tulit, cur non & tua, si tecum is fuerit? Ne ergo à timore paueas nocturno, cum & tibi sit orta de cælo lux, quæ omnem illuminat hominem venientem in hunc mundum. Confitearis illi, cognosce nomen Domini, ne in Hæreticorum obscuram cadas tergiuersationem fallacem. Recedant vetera à te, sint tibi firma spes, fides, & opera, & à te fugati cadent quoquot te infestabant, vel prosperis, vel aduersis, itàvt non audeant appropinquare tibi. Signo quippè crucis munita incedens, quis

tibi

tibi nocebit? Certa ergo fidei bonum certamen, ſuſtine modicum, & peccatorum retributiones videbis, iuxtà enim vnius cuiuſque opera erit illorum menſura pœnarum. Enitere tu anima mea, vt benè facias, quia, cum ſit poſitum Altiſſimum refugium tuum, flamma peccatorum non nocebit tibi. Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, ne ad lapidem offenſionis pedem tuum offendas. Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. Sit ergo in Ieſu Chriſto Redemptore tuo ſpes firma, quia in eius luce, & via deduceris ad æterna Regna cæleſtia. Noli timere, ſed magis ad Dominum clama; ne ceſſes, quia propè eſt tibi Dominus in quacumque tua tribulatione, vt te ab omni malo defendat, atque eripiat, & in longitudine dierum te glorificet, oſtenſo tibi Saluțari tuo, Ieſu Chriſto ad dexteram Dei Patris ſtante. Dies nunc eſt Beatiſſimæ Virginis Mariç Annunciationis feſtus, & tu cum Archangelo Gabriele exultans, dicas; Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, addens; Et benedictus fructus ventris tui Ieſus, qui hodie dignatus eſt pro me peccatore crucem ſubire, & ſeruos ſuos à morte perpetua liberare: impetra mihi, vt tecum ſanctiſſima Mater plangam, & crucifixo condoleam, donec vixero; vt ſua ſancta Cruce, cuſtodita anima mea, ad te incolumis valeam peruenire. Amen.

IN PSALMVM XCI.

Bonum eſt confiteri Domino: & pſallere nomini tuo Altiſſime.

TITVLVS Pſalmus Cantici in die Sabbati. Beatus homo, quem tu erudieris Domine; & qui verba huius Pſalmi in ſe ità ſuſceperit, vt rectè Pſalmum Cantici in die Sabbati decantare poſſit: vt qui pro bonis, & malis gratias Deo egerit, & in bonis receptis conſtans, & in malis patiens in Sabbato in die requietionis, bonis perfrui mereatur æternis. Quomodò autem Pſalmus Cantici in die Sabbati, illis cenſendum, qui in ſex præcedentibus diebus ſibimet ſtudeant eſſe quietem inquietam, quibus & labores ſine mercede, & lux in tenebris ſine vera Chriſti luce? Quomodò in adiutorio Dei, ſi in terrenis ſit illorum ſpes, illorum vana exagitatio, & momentanea gaudia, vt eis debeantur inferni incendia æterna, & lamentationes, & væ? ſi inquam terrenis inuoluti, nec temporis, nec mentis ſeptimum diem requietionis, habere, & ſperare poterunt? Morte moriuntur qui ſecundum carnem viuunt, dicit Apoſtolus ad Roman. cap. 8. numer. 13. Dicebat ille Luc. cap. 12. numer. 19. Poſtquam in congregandis bonis multum inſudauerat, Anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare: dixit autem illi Deus; Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti, cuius erunt?

Cum ergo in præcedenti Pſalmo, de his, qui in adiutorio Altiſſimi habitant dictum ſit, ad quos non accedit malum, &c. cadentibus à latere eorum mille, & decem millia à dextris tuis, quibus & eſt firma fides, ſpes, & charitas; Quid illis debeatur, meritò in huius Pſalmi titulo declaratur. Quod nempè illis, & huius temporis quies eſt, quibus ſpes immortalitate plena eſt, et ſi coram hominibus tormenta patiantur, Sapien. cap. 3. numer. 4. hinc

Habacuc.cap.3.numer.16. Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis.

Continuatur ergo ad præcedentem iste Psalmus; nàm supra visum est de iustorum tribulationibus, qui in adiutorio Altissimi esse dicuntur, nunc verò in præsenti, quid sit Altissimi adiutorium declaratur; nàm etsi oculis insipientium videantur illi tormenta pati, est tamen ijs quies in Sabbato, ascensiones in corde suo disponentibus in valle lacrymarum, Psalm.83. num.6. quia stant in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum, Sap.5. in princ. quia spes illorum immortalitate plena est.

Canticum ergo quod nos docuit Dominus, id, vt sit nobis fides, spes, & charitas, vt fides nostra firma sit in Deum, quamdiù illum non videmus, credentes in eum, quem non videmus, vt gaudeamus cum viderimus, & fidei nostræ succedat lux clara in cælis, vbi iàm non nobis dicetur, crede quod non vides, sed gaude, quia vides, inquit Augustin. hìc. Vt ergo in die Sabbati legitimum sit Domini canticum tibi iuxtà Exod.cap.20.nu.8. Memento, vt diem Sabbati sanctifices; omnia, quæ ad Dei cultum pertinent, obseruare non desinas, ab operibus peccatorum cesses, illa enim maximè seruilia sunt, iuxtà illud qui facit enim peccatum seruus est peccati, ad Roman.cap.6. nu.17. & 2.Petr. cap.2.numer.19. & Ioan.cap.8.numer.34. Appetitum irrationabilem tuum ne sequaris, satisfaciendo voluntati tuæ malæ. Propterea enim Isai. c.58. suadet auersionem pedis à Sabbato, & deterret à voluntate mala implenda eam, qui Sabbatum obseruare voluerit Domino, eumdemq. glorificare. Tunc, inquit, delectaberis in Domino, & cibabit te hæreditate Iacob, hinc Psalm.77.num.2. Super aquam refectionis educauit me, deduxit me in semitis iustitiæ, idest in tribulationibus, in itineribus, in angustijs, vt in aquam refectionis educat, Augustin. Psalm.33.

Summa ergo præsentis Psal. 91. hæc erit; Siuè in bono, siuè in malo semper bonum est benè operando confiteri Domino, vt sit tibi quies in die Sabbati.

Augustin. hic litera K. Nemo præsentia bona speret, nemo sibi promittat felicitatem mundi, quia christianus est; sed vtatur felicitate præsenti, vt potest, quomodo potest, quando potest, quantùm potest. Cum adest, consolationi Dei gratias agat: cum deest, iustitiæ Dei gratias agat, vbique sit gratus, nusquam sit ingratus, & Patri consolanti, & blandienti gratus sit; & Patri emendanti, & flagellanti, & disciplinam danti gratus sit, amat enim ille semper siuè blandiatur, siue minetur.

Dicamus ergo cum Propheta: Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime. Non sit tibi conscientiæ perturbatio, vt bonum sit Domino confiteri; quando enim cantas hymnum laudas Deum, quid enim agit lingua tua, nisi laudet conscientia tua? Augustin. in Psalm.33. lit. H. Quoties tu cessasti ab hymno cantando; discedis vt reficiaris, noli inebriari, & laudasti Deum; discedis vt dormias, noli surgere ad malefaciendum, & laudasti Deum; negotia agis, noli fraudem facere, & laudasti Deum; agrum colis, noli fraudem facere, & laudasti Deum; agrum colis, noli litem mouere, & laudasti Deum: in innocentia operum tuorum præpara te ad laudandũ Deum tota die; præparatio enim sit mane, vt scilicet mundus sis à crimine, & tunc confessio erit valida corã Domino, & laudis canticum corã eo, quocircà sequitur Psal

Ad

Ad annunciandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem, Pſalm. 5. num. 4. Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam, ſequitur; Mane adſtabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Mane exaudies; nàm non ille es, qui poſſis videri ab eis, quorum ab oculis nox peccatorum nondum receſſit; peracta ergo erroris mei nocte, & diſcedentibus tenebris, quas mihi peccatis meis feci, exaudies vocem meam. Tranſeant huius mundi tenebræ à te, & tunc bonum erit confiteri Domino, & mane videbis; quia quando in tenebris ambulaſti, longe fuiſti ab eo; Non eſt inhærendum terrenis, ſi volumus à Deo exaudiri: ſis mundo corde, ſi Deum videre cupis, Matth. cap. 5. num. 8. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, cubile tuum, ideſt conſcientiam tuam munda, vt mane ſurgens exaudiri mereatur oratio tua in conſpectu Dei tui.

Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini Dei Altiſſimi, dicitur ei, qui quietem habere cupit in die Sabbati. Sed nunquid in ſex diebus præcedentibus Sabbatum non erit ſemper pſallendum, & Domino cantandum? nunquid in illis non erit alicui tribulatio? nunquid non perſecutio? quomodò cantandum in tribulatione? quomodò pſallendum in anguſtia? nonnè ſcriptum eſt Eccleſ. cap. 35. num. 17. Omnis plaga, triſtitia cordis eſt. Si bona tribuuntur, lingua poteris pſallere, & laudare Deum; At & forſan præſumes tuo labore ea percepiſſe, ſed pro malis quomodò laus? Reſpondeo, ideò tibi mala, quia peccaſti, & ideò à Deo, quia ille cupit corrigendo te reſipiſcentem, & temet accuſantem, vt illius miſericordiam merearis: te accuſa, & accipis indulgentiam, Satanas tibi ſuaſit malum, ſed non habet poteſtatem cogendi ad malum.

Auguſtin. hìc; Satanas aſtutiam ſuadendi habet, non cogendi: inexcuſabilis es ò peccator, Deus amat quem corrigit; Cur potius ſuadentem Diabolum, quàm monentem te Deum non audis? Aures tuæ ſunt inter monentē Deum, & ſuggerentem ſerpentem, quare hùc flecteris; hìnc auerteris? Non ceſſat Satan ſuadere malum, ſed nec Deus ceſſat admonere bonum. Surge mane ad annunciandum miſericordiam Dei; Si enim diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus: ſi mundus, & rectus inceſſeris, ſtatim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iuſtitiæ tuæ, Iob cap. 8. num. 5. cum ſequen. Intantum, inquit, vt ſi priora tua fuerint parua, & nouiſſima tua multiplicentur nimis. Et per noctem, in qua verſatus eras peccando, veritatem Domini prædicabis, quia conſurgens mane lux orta erit tibi, quæ apparuerit tibi credenti. Sit ergo tibi, dum ambulas, fides, ſpes, & charitas, ſit fides tua in ſpe, donec illùc peruenias, vt illum videre poſſis: vt annunciando veritatem Dei per noctem, ideſt confitendo Domino, & pſallendo, donec vixeris, fidei tuæ ſuccedat ſpecies lucis, & tunc in die Sabbati gaudeas, quia vides, nec amplius dicetur tibi, crede quod non vides, ſed gaude quia vides; quia in tenebris lux tibi orta eſt, vt videns gaudeas, & laudando Deum, dicas, Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo Altiſſime, Iſai. 52. num. 8. Vox ſpeculatorum tuorum, leuauerunt vocem, ſimul laudauerunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum conuerterit Dominus Sion.

In vtraque re, & in peccato tuo, quia tu feciſti, & in bono facto confitere Domino, quia ipſe fecit, tunc pſalles nomini Dei Altiſſimi, quærens gloriam

Dei non tuam: nomen ipſius, non tuum, quod erit fixum apud Deum, ſi nomini eius dixeris Pſalmum, & non tuo, Luc.cap.10.num.20. Ne gaudeatis in hoc, quia à vobis dæmonia iecta ſint, nec in hoc gloriemini, ſed quia hæc in nomine meo à vobis facta ſunt; veſtra etiam nomina ſcripta ſunt in cælis, quia gloriam mihi dediſtis, & non vobis.

Ad annunciandum ergo mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem; Siuè in largitione bonorum, ſiuè in illorum ablatione, laudes Deo dare debemus; quia Dominus dedit, Dominus abſtulit; non dicit Iob cap.1. num.21. Diabolus abſtulit, ſed Dominus dedit, Dominus abſtulit. Cur ergo dolendum eſt, quia, quod ipſe Dominus dedit, idem auferre à te iudicauit? quia ſua recipit, non tua abſtulit, hinc Gregor. lib.2. Moral.cap.12. ſeù 18. Si enim ab illo accipimus, quibus in hac vita vtimur, cur dolemus, quòd ipſo iudicante exigimur, quo largiente fœneramur? nec aliquando iniuſtus eſt creditor, qui dum præfixo reddendi tempore non conſtringitur; quando vult, exigit quod fœneratur: cum enim in hac vita ea, quæ nolumus patimur, neceſſe eſt, vt ad eum, qui iniuſtum velle nihil poteſt, ſtudia noſtræ voluntatis inclinemus. Magna quippè eſt conſolatio, in eo quod diſplicet, quòd illo ordinante erga nos agitur, cui non niſi iuſtum placet. Si igitur iuſta Deo placere ſcimus; pati autem nulla, niſi quæ Domino placuerint, poſſumus, iuſta ſunt cuncta, quæ patimur, & valdè iniuſtum eſt, ſi de iuſta paſſione murmuramus, hæc Gregor.

Ad annunciandum mane miſericordiam tuam, quando nobis das bonum, & veritatem tuam per noctem, quando illa aufert, quando tribulationes mandat, ideò in vtroque caſu Iob Deo benedicens, dixit, Dominus dedit, Dominus abſtulit (& ſequitur) ſit nomen Domini benedictum. Quod enim omne rectum ſenſit, Domini benedictione concluſit, vt hinc aduerſarius inſpiciat, & ad pœnam ſuam victus erubeſcat: quia ipſe Domino contumax, etiam in beatitudine conditus extitit, cui homo hymnum gloriæ etiam percuſſus dicit. Veritatem ergo per noctem cognoſce, quando affligeris, quando turbaris, quia ideò hæc tibi, quòd Domino peccaſti. Hymnum tunc illi dicas, qui ex tali vexatione dat tibi intellectum, vt relinquens peccatum, in tribulatione patiens, reuertaris ad illum, qui te ſaluum facere cupit. Si enim bona de manu Domini ſuſcipimus, cur & mala non ſuſtineamus? dicit Iob vt ſupra. Non enim, dicit Auguſtin. hìc litera A. in fine, poteſt fieri, vt Deus puniat quod fecit; punit quod facis, vt liberet quod fecit.

Ad annunciandum mane miſericordiam tuam. Nàm quidquid ambitu Cæli continetur, ex Dei miſericordia procedit. Exaltatur iniuſtus, lauda Dominum; qui ſolem facit oriri ſuper bonos, & malos; affligitur iuſtus, hymnum Deo dicas, quia ideò afflictus, vt tentatus, probetur ſicut aurum in igne, Sap. d. cap.5. vel, vt iniuſtus, & peccator exemplo illius corrigatur, vt ad Dominum conuerſus, ſimul & ipſe iuſtus effectus, laudes Deo dicat. Et de mane, & in nocte, & in omni tempore Dominum benedicas, ſitq. ſemper laus in ore tuo.

In decachordo pſalterio cum cantico in cithara laus ſit Deo. Hoc eſt in cantu, & in opere, hæc duo iuncta procedant, vt cantes operando, & opereris cantando, hoc eſt vt hilari animo, vocem Deum laudando emittas, & opereris ſimi-

Digitized by Google

ſimiliter : hilarem enim datorem diligit Deus, 2.Corinth.9.n.7.Eccleſ.35.n.10. Bono animo gloriam redde Deo; & in omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exaltatione ſanctifica decimas tuas . Vtrunq. ergo requiritur , & pſallere Deo cum lætitia , & operari opera Dei cum hilaritate . Quæ verò ſint orationum voces, declarat Pſal. In decachordo pſalterio cum Cantico: decachordum enim eſt inſtrumentum decem chordarum, Pſalm.32.num.2. Confitemini Domino in cithara , in pſalterio decem chordarum pſallite ei: obſerua ergo decem legis præcepta, & multiplicabis oblationem , ideſt orationem ; ità faciunt ſancti Dei . Ità enim ſcriptum eſt in d. cap.35. in princ. Eccleſ. Qui enim conſeruat legem , multiplicat orationem , ideſt oblationem . Sacrificium ſalutare eſt attendere mandatis , & diſcedere ab omni iniquitate , & Ierem. cap. 7. num.3. & cap.26.num.13. Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & audite vocem Domini Dei veſtri .

In decachordo pſalterio cum Cantico in cithara . Confiteantur Domino miſericordiæ eius , &c. & ſacrificent ſacrificium laudis ; & annuncient opera eius in exultatione , Pſalm.106. num.21.& 22. In decachordo ergo , in legis obſeruantia etiam pſallas , manus in pauperes erogando , Eccleſ. cap.4.nu.36. Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum , & ad dandum collecta , bona Dei exercendo ; ſed cum cantico , ideſt cum gaudio , & hilari animo . Nec tibi putes ſatis feciſſe , niſi etiam facta carnis mortificaueris, in cithara inquit , ſcriptum eſt enim in Pſalm.43. num.23. Propter te mortificamur tota die , ad Coloſſ. cap.3.num.5. Mortificate ergo membra veſtra , quæ ſunt ſuper terram, fornicationem , &c. De citharæ ſono vide ſupra , Pſal.32. S. Hieron. hìc . Bonum eſt pſallere cum Cantico in cithara , ideſt cum gaudio in carnis mortificatione , & in actualibus rebus . Et Auguſt. hìc . In hoc pſalterio pſallit , qui ſpiritu viuificato per obſeruantiam Decalogi, cum hilaritate benè agit; in pſallendo enim hilaritas eſt ; quidquid ergo cum hilaritate facis , benè facis ; qui autem cum triſtitia bonum facit, de eo fit, non ipſe facit, & portat pſalterium , ſed non cantat in eo . In pſalterio decachordo cum Cantico in cithara , hoc eſt , in verbo , & opere; cum cantico in verbo , cum cithara in opere ; ſi verba ſola dicis , quaſi Canticum ſolum habes , citharam non habes ; ſi operaris , & non loqueris , quaſi ſolam citharam habes , propter hoc & loquere benè , & fac benè , ſi vis habere canticum cum cithara , hucuſq. Auguſtin.

Hic verò vir Dei corde rectus , & opere , & voce perfectus , gratia Spiritus ſancti repletus, poſtquam bonum eſſe confiteri fatetur , & nomini Domini pſallere ; non ſibi gloriam quærens , ſed Deo , à quo bona cuncta procedunt , quaſi è ſomno euigilans , ſequitur.

Quàm magnificata ſunt opera tua Domine , nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ . Quid ad hæc narranda te impellit ? prius in præcedenti. verſ. propterea hæc cecinisſe , & operaſſe confiteris , quia delectauit te Dominus in factura ſua , & in operibus manuum ſuarum exultas ; bonum enim eſt ante homines Dominum poſuiſſe bonum, & malum , vitam, & mortem, Deut.cap.30. num.19. & in Eccleſ. cap.15. num.17. & 18. Ante hominem vita , & mors , bonum, & malum , quod placuerit ei, dabitur illi , Ierem. cap.21. num.8. Ego do coram vobis viam vitæ , & viam mortis , & Eccleſ cap.39.num.30. Bona bonis creata ſunt ab initio , ſic nequiſſimis bona , & mala . Quid tùm ò ſerue Dei ?

Dei? Canis & operaris Deo, quia inquit, delectasti me Domine in factura tua, quia bonis præmia proposuisti, malis verò mala. Delectasti me Domine in hac factura, & in operibus manuum tuarum exultabo. Nunquid quia malos malè perdes; iniquorum malo gaudebis? nonnè scriptum est Prouerb. 24.nu.17. Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum, quomodò exultabit, si in malum in ruinam posuit?

Vel aliter dicamus; Quare delectaris in Dei factura, & in operibus manuum suarum exultas? nonnè scriptum est. Pluit super iustos,& iniustos,Matth. cap.5.num.46. & pacem peccatorum videbis, Psalm.72. & num.12. Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias, iustus flagellatur tota die, & castigatio eius in matutinis, ibid. num.14. Quomodò ergo delectatur Dei in factura, si bonis dat mala, iniquis verò bona? Quomodò iustus Dominus? Quid dicis? Audi Ecclesiastem c.9. num.1. & sequen. Vniuersa æquè eueniunt iusto, & impio, bono, & malo, mundo, & immundo; immolanti victimas, & sacrificia contemnenti; sicut bonus, sic & peccator, vt periurus, ità & ille, qui verum deierat. Hoc, inquit, est pessimum inter omnia, quæ sub Sole fiunt. Quomodò delectasti me in factura tua Domine? cum hinc corda filiorum impleantur malitia, vt ibi.

Domine Deus in operibus manuum tuarum exultabo. Quoniam docuisti me à iuuentute mea, & vsque nunc pronunciabo mirabilia tua; exultabunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea quam redemisti: Confitebor tibi in vasis psalmi, veritatem tuam, Deus psallam tibi in cithara sanctus Israel: Psalm. 70. num.17. Quia à iuuentute me vocasti, & docuisti, & vsque nunc pronunciabo mirabilia tua. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Fruuntur mali temporalibus bonis, quia Dominus finit zizania crescere vsque ad messem, Matth. cap.13. non enim creaturam, quam fecit, Dominus castigat, sed peccatum, quod creatura facit; vt illam saluet; Non potest enim, dicit Augustin. fieri, vt puniat quod fecit: punit quod facis, vt liberet quod fecit; alioquin si Deus peccatum non puniret, delictum impunitum reliquisset, & iniustus esset, iniustitia autem in eo inueniri minime potest, Ioan.cap.7.num.18.

Confitearis ergo Domino, & in peccato, quod tu fecisti, & in bono, quod ille fecit; nàm si in peccato, quod fecisti, confitearis Domino, nonnè suauis est Dominus, quia tibi pœnitenti remittit quod in illum peccasti? Ezech.c.18. & cap.33. Non venit Dominus vocare iustos, sed peccatores, Matth. cap.9. num.13. Luc. cap.5.num.32, Fidelis, dicit Paul.1. Timoth.1.num.15. sermo, & omni acceptione dignus: quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Quocircà Ierem. cap.18. num.15. Si feceris malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum vt facerem ei. Ecce ego fingo contrà vos malum, & cogito contrà vos cogitationem. Quàm bonus Deus Israel dissimulans peccata hominum, Sapien. cap.11. num.24. propter pœnitentiam: Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti; aut fecisti; vnde Genes.1.num.31. Vidit Deus, quia omnia, quæ fecerat, erant valde bona.

Quàm ergo bonum est confiteri Domino, nàm & peccatorum pœnitentium nomi-

Digitized by Google

nomina ſcripta voluit in cælis. Lauda ergo Dominum, etſi peccata tua flagellat, quia non eſt iniquus Deus, ſed verax, Pſalm. 115. num. 2. Deus enim vltionum eſt, Pſalm. 93. Propterea Daniel cap. 6. in lacum leonum miſſus, & tres Pueri, Daniel c. 14. in ignem proiecti: per noctem confitebantur veritatem Dei dicentes: peccauimus, impiè egimus, iniquitatem fecimus, tibi Domine gloria, nobis confuſio, Daniel cap. 3. nu. 24. & cap. 9. nu. 7. Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei. Annunciatur ergo veritas Dei per noctem, quando mala pateris, & confiteris, quia peccaſti Domino. Delectabitur in factura Domini iuſtus; & in operibus manuum eius exultabit. Diximus etiã aliàs in Pſal. 57. nu. 11. ſuper illud, Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris; quomodò id intelligendum. Enimuerò poſtquam obſtinati peccatores ad nihilum deuenerint, quando in peccatis mortui erunt; tunc iuſti lætabuntur non quia vindictam velint peccatorum, ſed amore iuſtitiæ Dei, cum peccatores viderint perire, non ob id quod ipſi pereant peccatores, ſed quòd iuſti ab iniuſtitia, & ab iniquitate per miſericordiam Dei conſeruati ſint, vt non & ipſi perierint; vndè dicebatur in alio loco, Miſericordiæ Domini quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes eius, Thren. cap. 3. num. 22. Non perturbatur Dominus, quia te peccantem flagellat; iudicium enim eius eſt contra te, quo irrogatur pœna peccato, Auguſt. de Ciuit. Dei ad Marcellin. lib. 15. cap. 20. in princ. tom. 5. & in lib. eodem 21. cap. 18. litera M. eodem Tom. Ira Dei eſt, vt omnes indigni beatitudine ſempiterna, ipſo iudicante, puniantur ſupplicio ſempiterno, & in Pſal. 105. lit. E. Perturbatio non cadit in Deum, ſed de conſuetudine tranſlatum potentiam vindicandi, hoc nomen accepit.

Beatus ergo ille erit, qui, Deo adiuuante, eidem confitebitur, & nomini eius pſallet: ad annunciandum mane miſericordiam eius, vt illo ipſum impellente ad bonum in principio in iuuentute accedens ad illum cum iuſto iſto & tu confitearis, dicens, Bonum eſt confiteri Domino, operibus bonis illum ſequendo, & voce hilari illum laudando: iuxtà illud Sap. cap. 6. num. 16. Cogitate de illa, ideſt de Dei ſapientia ſenſus eſt conſummatus, & qui vigilauerit propter illam, citò ſecurus erit; Quoniam dignos ſeipſa circuit quærens, & in vijs oſtendit ſe illis hilariter, & in omni prudentia occurrit illis; initium enim illius veriſsima eſt diſciplinæ concupiſcentia. Cura ergo diſciplinæ dilectio eſt, & dilectio cuſtodia legum illius eſt. Cuſtoditio autem legum, conſummatio incorruptionis eſt: incorruptio autem facit eſſe proximum Deo; Concupiſcentia ergo ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum.

Confiteamur ergo Domino cum iuſto noſtro hìc, dicentes, Quia delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Hæc eſt bona confeſſio; nàm nihil boni poteras operari ex te, niſi illuminatus à lumine Dei, & feruefactus à Spiritu Dei, Deo confitere, & cum Apoſt. 1. Corinth. cap. 4. num. 7. die; quod habeo, à Deo accepi; & ideò gloria mea eſt in eo, à quo accepi lumen, vt in factura ſua delecter; vt in operibus manuum ſuarum exultem. Confitetur iuſtus; & bonam nos confeſſionem docet, vt gloria noſtra ſit in illuminatione vultus Dei, vndè Pſalm. 26. num. 1. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea; quem timebo? Non enim in gladio ſuo poſſe-

Digitized by Google

ſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis. Quia delectaſti me in factura tua, ideò in operibus manuum tuarum exultabo. Quid eſt delectari in factura Dei, niſi ſe cognoſcere facturam Dei eſſe? lux orta eſt ei, qui in tenebris iàm exiſtens, gloriam dat ſuo Factori, & Redemptori; lux in tenebris luceſcit ei, qui peccata ſua confitendo factus eſt amicus Dei; non enim agnoſceret Deum, niſi opera ſua mala cognoſceret, niſi illum Deus formaret ad opera bona.

Auguſt. hìc litera F. Niſi te formaret ad opera bona, non noſces niſi opera tua mala: qui enim loquitur mendacium, de ſuo loquitur, Ioãn.8. num.44. Omne peccatum, mendacium eſt; cum, inquit, loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt & Pater eius. Contrà legem enim, & contra veritatem quidquid eſt, mendacium dicitur, propterea qui loquitur mẽdacium de ſuo loquitur, ideſt qui peccat. Si ergo qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur, reſtat, vt qui loquitur veritatem, de Deo loquatur; vt ergo ſis verax, bibe veritatem, vt de eo ructes, vt ſis verax. Quia de tuo illam non potes bibere, omnis enim homo mendax, Pſalm.115. Ergo vt luceat in te veritas, neceſſe eſt, vt illam bibas, vndè fluit. Si & tu à Deo receſſeris, frigeſces; ſi vero ad Deum acceſſeris, ferueſces; vndè ad Roman.12. num.10. Spiritu feruentes. Acceſsit ergo iuſtus iſte ad Deum, & illuminatus eſt, Pſal.33. num.4. & vultus eius non erubuit, confeſſusq. eſt, quia Dominus delectauit eum in factura ſua. Et ſi delectatio eſt in factura Dèi, quantò magis erit illius amor in factore in Deo, qui ſeipſum dat amico ſuo?

Idem Auguſt. in Tom.10. Homil.38. litera E. & in Pſalm.53. Tom.8. lit.D. Quale præmium daturus eſt tibi Deus, quia diligis eum? Quidquid tibi aliud dederit, minus eſt, quàm ipſe; colis, non gratis, vt aliquid ab ipſo accipias; gratis cole, & ipſum accipies; ſe enim ſeruat tibi Deus, quo fruaris, & ſi amas quæ fecit, qualis eſt ille, qui te fecit? ſi pulcher eſt mundus, qualis artifex mundi? euelle ergo cor tuum ab amore creaturæ, & inhæreas Creatori, & dicas, quod in Pſalm.72. ſcriptum eſt; Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Si autem deſeris eum, qui te fecit, & amas illa, quæ fecit, deſerto illo, qui te fecit, adulter es, ſic clamat Epiſtola Iacobi, cap.4. adulteros appellans, & vndè adulteri? Quæris vndè? Neſcitis, quia amicitia huius mundi, inimica eſt Deo, quicumque ergo amicus eſſe voluerit ſæculi huius, inimicus Dei cõſtituitur.

Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc, nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ. quomodò enim magnificata? niſi quia quæ prius erant temporalia, & caduca per te Domine facta ſunt æterna. Creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam fecit illum, Geneſ.c.1. n.27. Eccleſi cap.17. num.8. Inuidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum, Sapien.12. num.25. magnificata ſunt opera Domini, quia per aduentum Ieſu Chriſti iuſtorum animas non tanget tormentum mortis, & inter filios Dei illi reputantur, Sapien.c.3. & 5.nu.5. Ioan.cap.8. num.51. Non guſtabit mortem in æternum; Mortalis es homo? ſi æternitati Dei cor tuum iungas, & cum illo æternus eris, Auguſtin. hìc. Quid dicit Iſai. cap.40. num.5. Omnis caro fœnum, & omnis gloria carnis vt flos fœni, fœnum aruit, & flos decidit. Omnia ergo

are-

Digitized by Google

areſcunt, & decidunt, verbum autem Domini manet in æternum; Tranſit fœnum, tranſit claritas fœni; ſed habes, quo te teneas, Verbum Domini manet in æternum, hæc Auguſtin. Quam magnificata ſunt opera tua Domine, Boni laborant, & flagellantur; Virga tua, & baculus tuus: ipſa me conſolata ſunt, Pſalm. 22. num. 4. Paraſti in conſpectu meo menſam; mali exultant, iſti alieni facti damnantur, illi verò corriguntur, quia vt filijs correptio, ideò debetur hæreditas Patris, Luc. cap. 16. num. 18. cum ſequen. num. 22. Matth. cap. 25. num. 34.

Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ, quid profundius, quàm quòd qui mali ſunt iucundentur, boni verò, & iuſti tribulentur? Quis intelliget, quia primi à te alieni ſunt, iuſtis verò tu ſis proximior; ijq. tecum regnent in æternum? exoriũtur iniuſti ſicut in hyeme huius ſæculi, vt ſicut fœnum creſcant in æſtate, propterea vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc. Sed cur iuſti tribulationibus ſunt expoſiti? 1. ad Theſſalon. cap. 3. num. 4. Nemo, inquit Apoſtolus, moueatur in tribulationibus iſtis, ipſi enim ſcitis, quòd in hoc poſiti ſumus. Rationem videtur ponere Gregor. lib. 11. Moral. cap. 26. ſuper illud Luc. cap. 13. num. 24. Contendite intrare per anguſtam portam, Matth. cap. 7. num. 13. dicens, Niſi mentis contentio feruerat, vnda mundi non vincitur, per quam anima ſemper ad ima reuocatur. Verùm quia in aſcenſu labor eſt, in deſcenſu otium; inſipiens dicit, lata eſt via gaudij, fruamur bonis, Sapien. c. 2. Quid contrà ictum fluminis conabor? in aſcenſu labor eſt, in deſcenſu otium, attendit enim quod patitur, & non attendit, quid illi ſeruetur. Auguſtin. hìc litera M. Nunquid eſt cura Deo de iſtis? Nos non agnoſcit amplius, Pſalm. 52. num. 1. anima verò iuſti luctu ſuo paſcitur, cum ad ſuperna gaudia flendo ſubleuatur, & intus quidem doloris ſui gemitum tolerat, & in eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris per lacrymas emanat, Greg. Moral. lib. 5. cap. 7. in Iob, & lib. 6. Moral. c. 7. In eo quòd caro flagellis afficitur, mens ad appetenda altiora ſubleuatur, Paulo atteſtante 2. Corinth. cap. 4. num. 16. Licet ille, qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renouatur de die, in diem, vndè Iob cap. 5. num. 7. Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum; quia inquit Greg. ibidem. Mens ad ſumma euolat, vndè caro in infimis durius laborat. Quocircà ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, Act. c. 5. Quid ergò dicit Greg. eorum mentibus labor eſt, quibus & pœna verberum non eſt; cuius enim mens ad alta ſuſpenditur, ſub ipſa eſt, quidquid exterius contrà ipſam mouetur: auis ergo ad volatum, quia tantò animus à laboris afflictione ſe ſubtrahit, quantò per ſpem ad ſumma ſuſtollit.

Quid dicitis iuſti Dei, nunquid ex vobis aliquis hæc Dei inſcrutabilia cognoſcet? non, inquit Iob d. cap. 5. num. 8. Quamobrem ego, inquit, deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum, qui facit magna, & inſcrutabilia abſque numero, &c. Illum ergo rogat, per quem hæc tribui ſcit; non enim hæc per ſe habere ſi crederet, deprecari Dominum indigeret, ſtultus autem non intelliget hæc: oculi enim eius ſunt in vijs illius. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam, Iob cap. 24. num. 23. accepta enim pœnitentiæ tempora, quia diuertit ad culpam, diſtrictius in vltimis

Iudex

Iudex impensa argumenta misericordiæ conuertit ad pœnam; Facit quod dicitur ad Roman. cap. 2. num. 4. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua, & Greg. in lib. Moral. 17. d. c. 4. adducit illud Isai. cap. 65. in d. nu. 21. Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit, vita quidem, inquit, pueri in longum trahitur, vt à factis puerilibus corrigatur, sed si à peccati perpetratione, nec temporis longinquitate compescitur, hæc ipsa vitæ longinquitas, quam per misericordiam accepit, ei ad cumulum maledictionis accrescit, sequitur enim Iob dicens, oculi enim eius sunt in vijs illius, quæ sua sunt, quærens, non quæ Iesu Christi: ad Philip. cap. 2. num. 21. facit illud Prouerb. cap. 17. num. 24. Oculi stultorum in finibus terræ, quia hoc solum tota cordis intentione conspiciunt, per quod ad finem terreni desiderij perducunt, Greg. vt supra cap. 5. in Iob lib. 17.

Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc; cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum arescent. Non intelliget stultus, quòd peccatores in sæculum sæculi pereant; arescunt enim in temporalibus; vt deficiant in perpetuum, vt in inferno in perpetuum crucientur. In malignitate enim nostra consumpti sumus, dicebant talia in inferno hi, qui peccauerunt, Sapien. cap. 5. num. 14. Vbi sunt Imperatores illi, dicit Hieron. & illorum florentes exercitus? iàm floruerunt, nunc verò exsiccati in inferno reperiuntur; sicut fœnum aruerunt; sed vt in perpetuum isti peccantes ardeant. Nihil verè bonum est, nisi quod æternum est, quod perpetuum est: quodcumque finem habet, nec inter vera bona numerandum est. Quid enim mihi prodest, si heri Præfectus fui, & hodie fame moriar? etsi anteriori die Rex fui, & hodie in carcere moriar, quid prodest regnum, quod præterijt? Recogitabo tibi, dicit Ezechias, omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, Isai. cap. 38. nu. 15. Omnes contriti sunt à mari, in profundis aquarum opes suæ, dicit Ezech. cap. 28. num. 34. Et omnis multitudo tua, quæ erat in medio tui ceciderunt, & num. 35. Omnes Reges tempestate perculsi mutauerunt vultus. Exoriuntur peccatores, sed sicut fœnum est ortus illorum, cum apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem. Sed quomodo apparebunt, nisi vt condemnati in iudicio, intereant in sæculum sæculi? Florent impij, & apparent peccatores ad tempus, vt ariditate æterna crementur; apparent enim, quia citò transeunt; crescit fœnum in hyeme, exsiccatur in æstate; florent ad tempus, intereunt in æternum: omnia ista citò transeunt, & quod tibi videtur longum, breue est. Quid tu vides ò insipiens? ò stulte cur non intelligis? fœni florem vides, & florem dicidentem, & arescentem non consideras. Prospiciunt peccatores rosis opertos, florem illorum temporalem, & imitantur illos, & volentes cum illis florere ad tempus, intereunt in sæculum sæculi.

Tu autem Altissimus in æternum es Domine. An rem nouam dicis ò Propheta Dei, quòd Dominus Altissimus sit, & æternus? Rem certè nouam dicit, cum qui illi adiungitur, æternus sit, & ille in gloria Dei, Ioan. cap. 3. num. 1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus, & num. 2. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, &

idem

idem c.4.n.12. In quo manemus, & ipſe in nobis, ibid. nu.13. Tranſit iniquorum tempus, vt perdantur in infernum, & iuſti epulentur, & delectentur in lætitia in ſempiternum. Omnia à malis mala tolerat Deus, quia longanimis eſt, & patiens; quia æternus eſt, & videt, quid illis ſeruet. Iunge & tu te æternitati Dei, & eris longanimis, & patiens, Auguſtin. Cum adhæſerit cor tuum Altiſſimo, infrà te erunt omnia mortalia. Vel aliter dicamus; Scis quare Deus ſit patiens cum malis, & improbis? vel vt per illos boni exerceantur, vel vt illi corrigantur, vel vt magis ipſi puniantur, ideò ſequitur.

Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt. Si peribunt inimici, & operantes iniquitatem etiam ipſi inimici ſunt: ſi peribunt, quomodò diſpergentur, ſi amplius non erunt? & diſpergentur omnes, qui operantur iniquitatem. Apparuerunt, qui iniquitatem operati ſunt, quaſi qui non ſint, quia ſicut fumus deficient, ac ſi vix vnquam fuerint, Pſalm.1.numer.4. & Pſalm.36.numer.36. Cum exoriantur peccatores ſicut fœnum. Qui ſunt inimici iſti? niſi qui fornicati ſunt abs te Domine, qui nec legem tuam, nec te recipere voluerunt? & quid factum eſt de illis, qui te Ieſum Chriſtum crucifixerunt? Iàm multi ex illis ad te reuerſi pœnitentia ducti pectora ſua percutientes, facti ſunt amici tui, Act.Apoſt.cap.2.num.37. His autem auditis à Petro, quia Dominum vitæ crucifixiſſent, dixerunt ad Petrum, & ad alios Apoſtolos; Quid faciemus viri fratres? Pœnitentiam, inquit Petrus, agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti: baptizati ergo ſunt illi, qui receperunt ſermonem Petri.

Quoniam, ſequitur Pſalm. diſpergentur omnes, qui operantur iniquitatem, nàm reliquum generationis illius prauæ diſperſum eſt, iuxtà illud, quod ſcriptum eſt, Deut.cap.28.num.63. & Pſalm.43. num.12. Ierem.cap.9.numer.16. Et diſpergam eos in Gentibus, quas non nouerunt, & cap.18.num.16. & 18. & ſequen. Ecce ergo quomodò amici facti inimici peribunt, cæteri verò operantes iniquitatem diſpergentur; quia non ceſſauerunt operari iniquitatem. Sed nunquid, increduli, & iniqui tantùm Iudæi? omnes, inquit, qui operantur iniquitatem. Qui ſunt, qui operantur iniquitatem? qui peccatum faciunt, illi operantur iniquitatem, Ioan.cap.3.numer.4. Omnis, inquit, qui facit peccatum, iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas. Omnes ergo peccatores, qui in peccato mortui ſunt, qui contrà legem Dei agunt, diſpergentur, quia inimici Dei ſunt, & mundum magis diligunt, quàm Deum.

Vndè Iacob.4. Adulteri neſcitis quia amicitia huius mundi, inimica eſt Dei, Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur, adulteros, & adulteras vocat Iacob. ſicut & Paul. 2.Corinth. c.1.n.17. Non ſumus, inquit, ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, quos Pſeudoapoſtolos vocat S. Hieron. in Commentarijs dictæ Epiſtolæ dicens, Pſeudoapoſtolos tangit, humanum ſenſum diuinæ prædicationis miſcentes, Iſai.1. Vinum tuum miſtum eſt aqua, S. Hieron. vt ſupra exponit, Caupones tui miſcent vino aquam, ideſt meræ doctrinæ adulationis mollia verba, quibus homines non tàm inebriati ferueant, quàm delectati tabeſcant, Greg. in lib.22. Moral.c.12.lit.B. Adulterari, inquit, verbum Dei, eſt, aut aliter de illo ſentire, quàm eſt, aut ex eo non ſpirituales fructus, ſed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ, &c.

Auguſtin. verò in Homil. 38. litera F. Tom. 10. Si deſeris eum, qui te fecit, & amas illa, quæ fecit, deſerto illo, qui te fecit, adulter es, ſic Iacobus d. Epiſt. cap. 4. adulteros vocat, &c. Anima, deſerto creatore, adultera eſt, illius enim amore nihil caſtius, nihil delectabilius, illo deſerto, hoc amplectendo efficieris immunda: ò anima, vt illius amplexibus digna ſis, dimitte iſta, & illi inhære gratis, &c. vt ſupra dixi, adde Auguſtin. in d. Pſalm. 53. litera D. Fornicantur, qui operantur iniquitatem, adulterantur Hæretici, qui ſenſum ſacræ Scripturæ ſubuertere nituntur. Iſti tamen deficient, & diſpergentur, cornu verò meum, dicit iuſtus iſte, exaltabitur, ſicut Vnicornis; & ſenectus mea in miſericordia vberi. De Chriſti poteſtate hæc intelligenda ſunt, nàm quamuis cornu multa ſignificet, hìc tamen ſpecialiter ſignificat Chriſtum, & Chriſti poteſtatem, Pſalm. 131. num. 18. Illùc producam cornu Dauid, ideſt regnum Ieſu Chriſti; & illius poteſtatem in æternum duraturam, Ierem. cap. 23. nu. 15. Ecce dies veniunt, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & Sapiens erit, &c. quod in æternum non diſſipabitur, Daniel. cap. 2. & Luc. cap. 1. Erexit nobis cornu ſalutis in domo Dauid pueri ſui. Vnitas enim Eccleſiæ exaltabitur, & omnes hæreſes cum inimicis Dei peribunt.

Et quando hoc erit? Auguſtin. Et ſenectus mea in miſericordia pingui. Senectus mea, ideſt nouiſſima mea, tunc erit vnum ouile, & vnus paſtor; quomodò enim in ætatibus noſtris nouiſſima ſenectus eſt, ſic totum hoc, quod modò patitur Chriſti corpus in laboribus, in ærumnis, in vigilijs, in fame, & ſiti, in ſcandalis, in iniquitatibus, in preſſuris, iuuentus ipſius eſt; ſenectus ipſius, ideſt nouiſſima ipſius in lætitia erunt; Et quod dixit ſenectutem, ne putetis, inquit Auguſtin. & mortem; homo enim in carne ideò ſeneſcit, vt moriatur. Senecta Eccleſiæ candida erit rectè factis, morte autem non corrumpitur. Quod eſt caput ſenis, hoc erunt opera noſtra; caneſcit caput, & inalbeſcit, quantumcunque ſenectus accedat, qui benè ſeneſcit ordine ſuo quæris illi aliquando in capite capillum nigrum, & non inuenis: ſic, cum fuerit vita noſtra talis, vt quæratur nigredo peccatorum, & inueniatur, ſenectus tua iuuenilis eſt, ſenectus iſta viridis eſt, ſemper virebit. Vita ergo peccatorum ſicut fœnum, ſenecta autem iuſtorum in miſericordia vberi, dicit Dauid; illi peribunt, iuſti verò exaltabuntur ſicut Vnicornis, Gloſſ. hìc, Cornu meũ exaltabitur, ideſt Princeps meus, Ieſus Chriſtus deſtructis hæreſibus exaltabitur, & ego, inquit iuſtus, in vnitate fortitudinis illius exaltabor, ſicut Monarcha. Sed quando hæc erunt? in miſericordia vberi, in abundantia gratiarum Ieſu Chriſti; in ſenectute Eccleſiæ, quæ in lætitia erit. Paſſiones ergo præſentis temporis in Eccleſia ſunt ſicut iuuentus in illa, vt in ſenectute, læta permaneat in ſæcula.

Quid ergo mala operantes erunt iuſto in conſideratione, quid oculus eius in illis proſpicere dignabitur? Deſpiciet, inquit, inimicos meos oculus meus; talia enim malè operantes inimici ſunt iuſti; & quamuis contrà me malignantes inſurgant, auris mea audiet, quæ intus ſunt à veritate, ideſt quia iuſtus, vt palma florebit, & ſicut cedrus Libani multiplicabitur, & tunc auris contrà malignantes iuſtè audiet; Ite maledicti in ignem æternum.

Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur; Paſſus eſt iuſtus, Dominus ſcilicet Ieſus Chriſtus, vt nec homo reputaretur, Iſai. cap. 53. va

palma

ized by Google

palma tamen florebit, nàm etsi oculis insipientium visus est pati, & mori; vt palma tamen floruit, cuius radix illis aspera videbatur; Nonnè, dicebant, hic est filius fabri? Matth.cap.13.num.55. Marc.cap.6.num.3. Nonnè hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus Patrem, & matrem? quomodò ergo dicit hic? quia de cælo descendi, Ioan.cap.6.num.42. Radix aspera, quia vt homo visus est, sed vt palma florebit, quæ pulchra coma in summo fine, & tardè fert fructum. Ascendit enim Iesus sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti, idest de Maria Virgine; vt palma floruit, nàm in cruce eleuatus omnia traxit ad seipsum, & fructum suæ passionis ostendit. Nàm & animas iustorum de inferno liberauit; & sicut cedrus Libani ità multiplicatus est, vt totus mundus ad illum conuersus, illum filium Dei confiteatur: & in illum credentes fortès ità sint, vt cedrus Libani, itàvt altitudines montium superent, hoc est superborum colla calcauerint, & potentium minas spernentes accipiant regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini; quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet eos, Sapien. d. cap.5.num.17. cum sequen. Sicut cedrus iustus iste, qui immarcessibilis dicitur, & altior alijs arboribus in Libano, præsertim quando credentes à peccatis mundati, & candidi facti, ità enim Libanus interpretatur, idest candidatio; cui iusto stola immortalitatis candida profertur.

Sicut ergo cedrus Libani multiplicabitur, quia sicut in vno corpore multa membra sunt, ità in Ecclesia Dei vnum caput est Christus, in vno corpore multi iusti, propterea multiplicabitur iustus sicut cedrus Libani; nàm multi sunt credentes, & sub capite Christo existentes, 1.Corinth. cap.12.nu.27. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Plantatus ergo ille iustus in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt & membra illius: ideò in singulari dixit, iustus vt palma florebit, cum appellatione iusti veniant & cæteri credentes, quocircà dicit in atrijs domus Dei nostri florebunt. Plantati ergo in domo Domini, idest in Ecclesia Dei militante firmati, in atrijs domus Dei nostri florebunt, in Ecclesia scilicet triumphanti florebunt, Ioan.14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt; Hìc ergo plantantur, qui in resurrectione, in atrijs cæli florebunt, Matth.d.cap.15. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. clamans propterea plantatus hìc, in hac Ecclesia Dei, dicebat.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum concupiscit, & deficit anima mea in atrijs Domini, Psalm.83. quia ibi melior est dies vna in atrijs tuis super millia, non enim ibi amplius est timor caducitatis; non Diaboli laquea, Apocal. cap.21. numer.4. Absterget Dominus omnem lacrymam ab oculis eorum, &c. & Ioan. ibid. in dicto cap.21.Apocalyp. num.4. & sequen. Hæc de futuro sæculo ità sunt clara, vt non egeant aliqua declaratione, vt dicit Augustin. de Ciuitate Dei lib.20. cap.7. litera A. Tom.5. Circumdatum est enim atrium tentorijs, & ingressus eius, Exod. cap.40. num.8. Propterea sequitur.

Adhùc multiplicabuntur in senecta vberi, & benè patientes erunt, vt annuncient; Nunquam fides Christi deficiet, semper erit Ecclesia Dei, & quantò magis illa senescit, adhùc magis multiplicabuntur fideles eius, & in illius senectute. Et quamuis vndis aliquando videatur flecti, & ab Hæreticis, &

Infidelibus agitari, vt demergatur, non fragitur tamen. Patientes erunt Prædicatores : fortes erunt in bello fideles, vt annuncient, quia per patientiam, & fidem viuam datur introitus; per illas fit salus, alioquin fur est, & latro, qui aliunde ingreditur. Adhùc multiplicabuntur in senecta vberi, quia & vbera prædicationis præbebit, tunc enim plenitudo Gentium introibit, ad Roman. cap.11. num. 5. Benè patientes erunt, vt annuncient. Et sicut cedrus, & palma, à tempestatibus sæculi non curuantur, tranquilli erunt, vt annuncient, quamuis oculis insipientium visi sint mori; illi autem sunt in pace, Augustin. hìc litera F. Quid annunciant subsannatoribus? ò miseri homines amatores mundi; annunciant vobis, qui plantati sunt in domo Domini, qui confitentur Domino in cantico, & cithara, in verbo, & opere annunciant vobis, & dicunt vobis. Nolite seduci felicitate iniquorum, nolite florem fœni attendere, nolite attendere ad tempus beatos, in æternum miseros: nec ista beatitudo, quæ foris modò videtur vera est: nec in corde beati sunt, qui torquentur mala conscientia.

Tu autem tranquillus esto, sperans de promissis Domini tui. Sed si in tranquillitate, quomodò in fine benè patientes erunt, vt annuncient? Surget Gens contrà Gentem, & si dies illi non abbreuiarentur, non fuisset salua omnis caro, Matth.cap.24.num.22. & Marc.cap.13.nu.8. & 9. Tradent enim vos in Concilijs, & in Synagogis, vapulabitis, & ante Reges, & Præsides stabitis propter me in testimonium illis; & in omnes Gentes primùm oportet prædicari Euangelium, &c. qui autem sustinuerit in finem, hic saluus erit.

Has Ecclesiæ perturbationes in fine venturas, Iob præuidens, cap.29. dixit; Quis mihi tribuat, vt sim iuxtà menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me; vbi S. Gregor.cap.9.lib.19. Reminiscitur perfectionis primæ, quanta scilicet sua prædicatione, collectis animabus reportabat lucra, & angustatus tribulationibus, dicat; Quis mihi tribuat, vt sim iuxtà menses pristinos. Mensis enim aliquando pro perfectione ponitur; Isa.c.66.nu.23. Et erit mensis ex mense, & Sabbatum ex Sabbato. Veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea, dicit Dominus. Videbat enim in spiritu, persecutione cogente, multos cadere, quos nunc, vt Mater intrà pacis sinum paruulos fouet, & intrà tranquillas fidei cunas continet, quia admixti fortibus, ipsa fidei tranquillitate nutriuntur. Tunc verò tales casuri sunt multi; & per viscera charitatis quicquid in damno paruulorum sustinet, se perpeti animus perfectorum dolet. Infirmorum etenim damna ad corda fortium per compassionem transeunt; tantò enim quisque perfectus est, quantò perfectè sentit dolores alienos, 2.Corinth.cap.11.num.29. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Benè ergo erunt patientes, vt annuncient. Sed quid annunciabunt?

Quoniam rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. Ne turberis ò fidelis, quia ab iniquis iniqua patiaris, quia impium exaltatum videas, diuitijs abundantem, filios multos habentem, & quasi tranquillitate fruentem. Non est iniquitas in Deo, & si innocentem, & iustum malis affluentem videas. Augustin. Radiare tibi vult æternus, noli tibi facere nubilum de perturbatione, esto tranquillus in te, & vide quod tibi dicat, quia Deus æternus est, quia modò parcit malis, adducens illos ad pœnitentiam; flagellat bonos, erudiens illos ad regnum cælorum. Non est iniquitas in eo, noli timere;

ecce

ecce ego flagellatus sum, tantum manifestum est, confiteor ; peccaui non enim dico me iustum, hoc dicunt plerique. Quando est fortè quisquam in aliqua miseria, in doloribus intras consolari illum; & ille, peccaui fateor, multa sunt peccata mea, agnosco illa : sed nunquid tanta peccaui, quanta ille? Ego noui quanta fecit ille, quanta commisit, peccata mea sunt, fateor illa Deo, sed minora sunt quàm illius ; & ecce ille nihil mali patitur. Noli turbari, tranquillus esto, vt scias, quoniam rectus Dominus, & non est iniquitas in eo. Quid, si te propterea flagellat modò, quia non tibi seruat ignem sempiternum? Quid, si illum propterea dimittit modò, quia auditurus est, Ite in ignem æternum? Sed quando? cum tu positus fueris ad dexteram, tunc dicetur positis ad sinistram ; Ite in ignem æternum, Matth. cap. 25. qui paratus est Diabolo, & Angelis eius ; Non te ergo ista moueant, tranquillus esto, sabbatiza, & annuncia.

Quoniam rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo, hæc Augustin. Iob cap. 41. num. 41. Mittet contrà eum fulmina, & ad alium locum non ferentur, vbi Gregor. lib. 33. Moral. cap. 5. Quid appellatione fulminum, nisi tremendæ illæ extremi iudicij sententiæ designantur? Quæ idcircò fulmina vocantur, quia nimirum eos, quos ferunt, in perpetuum incendunt : Fulmina enim super eum Paulus venire conspexerat, cum dicebat, 2. ad Thessalon. cap. 2. litera B. Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. Hæc autem, quæ in eum mittuntur fulmina, ad locum alium non feruntur, quia iustis gaudentibus solis, tunc reprobos ferient. Nàm post trituram vitæ præsentis, in qua nunc triticum sub paleis gemit, ità illo extremi iudicij ventilabro inter triticum, paleasq. discernitur, vt nec in tritici horreum paleæ transeant, nec in palearum ignem horrei grana dilabantur.

Iustus Dominus, & non est iniquitas in eo. Non operemur ergo nos mundo, & Psalmus Cantici erit in die Sabbati; nàm si tibi sint immoderata vitia, & concupiscentiæ malæ, nullum habebit accessum compunctio. Sint tibi de commissis lacrymæ compunctionis, vt in corde tuo ignis spiritualis accendatur, qui secreta mentis illuminabit, Augustin. Tom. 4. lib. 11: de Salutaribus documentis litera E. Et si quis iustus, quantò sanctior sit, & desiderij sancti plenior, tantò est eius in orando fletus vberior: Quid tu facturus es, ò peccator, vt aquæ oculorum tuorum decursus deleant peccata tua? Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo, Psalm. 6. n. 7. & Psalm. 41. num. 4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte; nàm qui sumus in mundo ingemiscimus grauati, 2. Corinth. cap. 4. num. 5.

SOLILOQVIVM.

EIA ergo ne tardaueris anima mea. Voces tuas vertas in opera: sursum voces, & corda, vt sit tibi quies in die septima : iàm tu in platea otiosa permansisti vsque ad sextam vigiliam in hora sexta, in vineam Domini & tu intra, quæ in huius mundi platea otiosa tota die fuisti ; est enim in foris, qui te vocat, & sicut primo vocato erit tibi merces in cælo. Bonum est confiteri

Digitized by Google

Domino, quia peccasti in vita tua; lacrymæ sint tibi panes die, ac nocte, vt cæli lumine lucida facta in hac tenebrarum valle, totis viribus, & animo veritatem Domini opere, & confessione, in decachordo, & psalterio cum cantico, & cithara, Domini misericordias, & illius veritatem valeas annunciare. Sed, ò Domine, sine te, quomodò ego vermis, & non homo opera tua potero annunciare? tu enim conuersus viuificasti me, & opera, & mirabilia tua considerans, expaui; & in operibus manuum tuarum exultans, dixi. Quàm magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ; Quis staturæ suæ cubitum adijcere poterit, nisi tu?

Vermis, & vmbra es tu anima mea; ad immortalitatem facta es: Deo propinqua facta es, opus manuum tuarum Domine, quas, vt me redimeres, in ligno crucis affigi voluisti. Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ; his tamen, qui non nouerunt te. Tu enim amicis tuis nota fecisti, quæ à Patre tuo audiuisti; beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quomodò tu humilis, si exaltatus superbiendo similem te Deo esse vociferaueris? Quis tu es, qui in diuitijs, in huius mundi prosperitatibus gloriaris? Quid vilius cimice, non te mordendo vulnerat, & contremiscis? Quàm magnificata sunt opera tua Domine? Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Tu solus es potens, & omnes viæ tuæ misericordia, & veritas; Quid superbis Princeps, si omnium est vnicus finis? Quando homo moritur, non sumet omnia, neque cum eo descendet gloria eius. Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem; Sicut fœnum, quia heri apparuit floridum, hodie siccatum est; deficit pulchritudo, & mens remanet confusa. Si finem hæc habent, quomodò inter bonum enumeranda sunt? perit huius mundi gloria, disperguntur inimici Dei. Tu verò seruiens Deo, non peribis anima mea; opes dispergantur inter pauperes, & ex inimico factus eris amicus Dei, & exaltabitur sicut Vnicornis fortitudo tua, cornu tuum, nàm cum Deo, & filio eius vnigenito & tu eris, & quis contrà te? Et senectus tua vberi misericodia Dei plena erit in die Sabbati. Vidisti iniquum florentem, quæsiuisti, & non est inuentus locus eius, flos eius decidit. Iustus autem vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Anima mea in Ecclesia Dei plantata, abijcias terrena, vt & tu floreas sicut palma: ne timeas eos, qui tibi contradicunt; in senecta enim vberi Ecclesiæ nutrita es, vt inebrieris ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis potet te Deus: sustine contradictiones, & benè patiens eris, vt annuncies; quoniam rectus est Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.

Reginam cæli in adiutorium tuum inuoca, vt benè tibi sit in die illa extrema: vt sit tibi pro Dei amore in tribulationibus, & in huius mundi ærumnis torax, & clypeus; vt tamdiù durent, quamdiù hoc corpore mortali vestita, illam ei, qui te creauit, restituas Domino. Ità enim dicebant illi glorioſi Martyres Romani, Marcus, & Marcellianus iniquo illo Fabiano Duci, dum ad stipitem alligati, pedibus clauis confixis; Resipiscite, dicebat ille iniquus, & vos ipsos ab his cruciatibus eripite. Nunquam, respondérunt Sancti Martyres, tàm iucundè epulati sumus, quàm dum hæc libenter Iesu Christi causa perferimus, in cuius amore nunc fixi esse cœpimus. Vtinàm tamdiù nos hæc pati sinat, quamdiù hoc corruptibili corpore vestiti erimus. Sustine ergo

anima

anima mea, vt benè tibi ſit in die ſeptima. Illi ſuccurre beata Virgo Maria, ſancti Dei omnes, & tu Antoni beati Franciſci comes, & diſcipule, vt ſpiritualibus muniatur ſemper auxilijs, & gaudijs mereatur perfrui æternis. Amen.

IN PSALMVM XCII.

Dominus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.

CONTINVATVR ad præcedentem, in quo de ſex diebus viſum, quibus homini chriſtiano operandum eſt, vt ad ſeptimam diem requietionis perueniat ſempiternæ. Verùm quia huius diei ſeptimæ, ideſt Sabbati maximum fuit pignus Redemptoris paſſio, qua ſe Patri obtulit in ligno Crucis, vt nos redimeret à morte; ideò Titulus huius Pſalmi eſt.

Laus Cantici ipſi Dauid in die ante Sabbatum, quando fundata eſt terra. Vt ſcilicet gratias Domino noſtro Ieſu Chriſto agamus, laudis Canticum canentes; quia ante Sabbatum die nempè Veneris ipſe Chriſtus paſſus eſt in Cruce, vt quieſceret in die Sabbati, & reſurgeret in prima Sabbati, vt nos cum illo eadem die reſurgamus ad cælum. Tunc etiam fundata eſt terra, militans ſcilicet Eccleſia, in æternum duratura.

Laus ergo Cantici ipſi Dauid, ipſi Chriſto in die ante Sabbatum, quando per illum fundata eſt Eccleſia ſua: tunc data eſt ei omnis poteſtas in Cælo, & in terra, & tunc Dominus regnauit, decorem, &c. quando deſcendens ad inferos, omnes in limbo Patres exiſtentes ſecum duxit in cælum, & ideò dictum eſt illis, Attollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ: Dominus regnauit, decorem, &c. quia ſpecioſus forma præ filijs hominum.

Indutus eſt fortitudinem, nàm Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio; Dauid enim interpretatur manu fortis, & aſpectu deſiderabilis; ſed quis magis potens illo, cui data eſt omnis poteſtas in terra, & in cælo, de Chriſto igitur intelligitur.

Summa huius Pſalmi erit, vt nos cum Propheta virtutem atquè magnificentiam Domini decantemus; Vel iterum ſummari ſic poteſt: gloria Domini redemptio noſtra, fortitudo illius Diaboli expulſio. Propterea incipit Pſalm. Dominus regnauit, decorem indutus eſt, nàm ſemper regnat Deus, cuius regni non eſt finis, ità canit Eccleſia. Quomodò ergo regnauit, niſi quando Princeps huius mundi ab ipſo foras eiectus eſt: Ioan. c. 12. n. 31. & Dominus in cruce exaltatus omnia traxit ad ſeipſum, ibid. nu. 32. Regnauit, quia ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt: Regnauit, quia nos viuificauit: regnauit tamquam caput, vt membra illius, ideſt corpus ſuæ Eccleſiæ, regnaret cum illo.

Dominus regnauit: ſed quomodò regnauit, ſi Deus, & Dominus, qui cælum, & terram fecit voluit fieri hominem, vt infirmitatem noſtram ſuſciperet; An regnauit in præſepio natus, vbi iacuit pauper, & humilis? an regnare dicitur, qui ſedens laſſus, aquam ab illa petebat, quæ è puteo aquam hau-

rire

ſire volebat ? Ioan. cap.2. num.6. cui in ligno poſito , nec ſpecies erat , nequè decor ? cui nec erat aſpectus , qui deſpectus , & virorum nouiſſimus ? Iſai.c.53. nu.2. quomodò dicis ò Dauid , Regnauit Dominus , decorem indutus eſt ? qui nec haberet vbi reclinaret caput ſuum ?

An ignoras , quia Deus humilia reſpicit , ideò carnem aſſumpſit , vt humanitatem Deo placere non ignorares : factus eſt homo, vt tu homo fieres Deus cum illo ; naſci voluit in præſepio , vt te collocaret in cælo . Audi Luc. cap.1. num. 32. Paries filium ò Maria ſanctiſſima , quem in vtero concipies , & vocabis eum Ieſum . Hic erit magnus , & filius Altiſſimi vocabitur ; & dabit illi Dominus ſedem Dauid Patris ſui , & regnabit in domo Iacob in æternum , & regni eius non erit finis , & Daniel c.7. num.13. & 14. Et ecce in nubibus Cæli quaſi filius hominis veniebat , &c. & dedit ei poteſtatem , & honorem , & regnum ; & omnes populi , & tribus , & linguæ ipſi ſeruient ; poteſtas eius , poteſtas æterna , quæ non auferetur , & regnum eius, quod non corrumpetur , & Mich.quid dicit ? cap. 5. num.2. Et tu Bethlehem terra Ephrata , &c. ex te mihi egredietur , qui ſit dominator in Iſrael , & egreſſus eius ab initio , à diebus æternitatis , & cap.4.num.7. Et regnabit Dominus ſuper eos in montem Sion , ex hoc nunc , & vſque in ſæculum . Regnauit à ligno Deus, Ioan.Apocal. cap. 19. num. 6. Quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens , gaudeamus , & exultemus , & demus gloriam ei , quia venerunt nuptiæ agni , & dictum eſt ei , vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti , & candido , &c.

Decorem induit, induit fortitudinem ; nàm & portæ inferi non præualuerunt aduerſus eum . Decorem indutus eſt , crucifixus eſt Dominus , vt cum iniquis reputaretur , tali enim pœna antiquitus puniebantur iniqui, nullus modò crucifigitur, honorata eſt, & finita eſt : in pœnas , manet in gloria ; à loco ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontes Imperatorum , Auguſtin. ſuper Pſalm.36. in.G. Qui tantum dedit honorem pœnis ſuis, quid ſeruat fidelibus ſuis ? Nos cur flagella,cur tribulationes non ſuſtinebimus; quæ ad tempus à Domino permittuntur ? Pſal.26.n.14. Expecta,inquit,Dominum, viriliter age,& ſuſtine Dominum. Ad tempus nempè laboras, vt in æternum non labores: breuis eſt moleſtia tua, æterna erit beatitudo tua; modicum doles , ſine fine gaudebis , Auguſt. vbi ſupra . Vide quid propter te pertulit Chriſtus, qui quare perferret, non habebat; quantumcunque patiaris, non peruenies ad illas inſultationes, ad illa flagella , ad illam ignominioſam veſtem , ad illam ſpineam coronam , ad illam poſtremò crucem non peruenies . Decorem indutus eſt Dominus , & fortitudine præcinxit ſe . Vide gradus Regni filij Dei ; humilians ſe , quia factus eſt homo , exaltatus quia in cruce ; indutus decorem , quia cruci affixus ; fortitudinem indutus , quia animam ſuam , quando voluit ipſe , tradidit , & quando voluit, illam ex ſe reaſſumpſit , oblatus , quia voluit , Iſai. d. cap. 53. num. 7. Mortuus quando voluit, reſurrexit quando ità ſibi placuit, Ioan. cap.10.nu.17. Propterea me diligit Pater , quia ego pono animam meam , vt iterum ſumam eam à meipſo , & poteſtatem habeo ponendi eam , nemo tollit eam à me ; ſed ego pono eam à meipſo , & poteſtatem habeo ponendi eam , & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam ; propterea inclinato capite Ieſus tradidit Spiritum, Ioan. cap.19. num.30.

Indutus eſt Dominus fortitudinem , & præcinxit ſe . Quid enim quia præ-

cinxit

Digitized by Google

cinxit se, nisi quia ipse prius patiens exemplum nobis dedit? Etenim si is, qui fortis in bello omnes iniurias sustinuit, & sine ipsius culpa, immo innocens, vt liberaret nos: cur & nos eandem fortitudinem in Christo habentes, non omnia sustineamus, propter eum, qui prius præcinxit se, & quidem nos iustè patimur, quia peccauimus illi. Simul ergo cum illo præcincti perturbationes, & mala sustineamus. Fortitudine ille præcinxit se, propterea sancti Dei Martyres in magna constantia steterunt aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum, Sapien. cap. 5. in princ. Hinc Paulus fortitudinem indutus est post multa, quæ passus est; 2. Corinth. cap. 11. num. 29. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Hinc confortans nos ad certamen, ad Hebr. cap. 12. num. 1. cum sequen. Deponentes, inquit, omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta; & n. 11. Omnis enim disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ, &c. Decorem Dominus in patiendo pro nobis vocat, & fortitudinem in sustinendo. O pietas Domini immensa, passus, vt nos exultemus: mortuus, vt cum illo viuamus; vt notat hìc Alcuin. quem refert Magister Sententiarum hìc, & hoc etiam ex August. litera C. Non ait hìc Psalmista, cinxit, vel succinxit, vel accinxit, sed præcinxit. Cingimur enim operaturi; accinginur pugnaturi, succingimur ituri, præcingimur ministraturi. Cingimur ergo operando, tunc cingimur, cum adiungimus nobis aliquem per prædicationem, vel per bona opera; quando fratrem lucrati sumus, & is nobis adiungitur, vndè Psalm. 44. Accingere gladio tuo super fœmur tuum, potentissime: hoc enim fit, quando in carne viget gladius, quo Orbis terrarum debellatur, dum occulta nequitia occiditur, Et iterum fit, quando Spiritus Dei in veritate viget. Præcingeris autem, cum ante te aliquid ponis, sicut & Dominus se præcinxit, quando lauit pedes Discipulorum, omnem humilitatem ostendens, in qua est omnis fortitudo. Indutus est ergo Dominus fortitudinem, idest humilitatem, cum qua debellauit superbiam fragilem. Hac fortitudine humilitatis, & patientiæ præcinctus erat Dominus, opprobria, & iniurias præsentialiter audiendo, & humilitate, quia pro his rogauit, qui illum occiderunt. Nè statuas, dicebat, illis Domine hoc peccatum. Humilitas ergo, & patientia, fortitudo Christi, quibus indutus superbiam è mundo expulit, & se præcinxit, vt nos vestigia eius sequentes, aduersarium nostrum vincamus: ipse enim Deus nobiscum est vsquè ad consummationem sæculi, Matth. cap. 28. num. 20. Quocircà sequitur Psalm.

Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Instabilis erat orbis, & mobilis adhùc, nisi fuisset sua resurrectione firmatus. Hieronym. hìc. Vndè Paul. ad Ephes. c. 2. nu. 5. & per totum, Cum essemus mortui peccato, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu, &c. & n. 19. Ergo iàm non estis hospites, & aduenæ: sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei: superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio cóstructa crescit in templũ sanctum

in

in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Firmauit autem, quod mobile erat, quod mortuum iacebat. Sed quomodò firmauit? audi Apoſt. ad Coloſſ. cap. 2. num. 13. Et cum, inquit, vos eſſetis mortui in delictis, & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduerſus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tollens de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.

Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Quis orbis terræ, niſi anima fidelis, quæ per prædicationem Apoſtolorum in vniuerſo mundo inuenta eſt, quæ perſeueranter conſeruaret legem Excelſi? Talis enim anima permanens eſt, atque fidelis, neque motibus terrenis afficitur; ſed ſemper immobilis permanens, vincit mundi crimina: Quæ ideò ſedes Domini dicitur, ſuper quam humilem, & quietam quieſcit Spiritus Domini: Apocal. cap. 7. nu. 15. Auguſt. hìc lit. H. vbi ſedet Deus? in ſanctis ſuis. Vis eſſe ſedes Dei? para locum in corde tuo vbi ſedeat. Quæ eſt ſedes Dei, niſi vbi habitat Deus? Vbi habitat Deus niſi in templo ſuo? Quid eſt templum eius? nunquid parietibus inſtruitur? Abſit, mundus iſte eſt fortè templum ipſius, quia valdè magnus eſt, & digna res, quæ capiat Dominum? Nec capit eum, à quo factus eſt. Et vbi capit? In anima quieta, in anima iuſta, ipſa illum portat. Parata eſt ergo ſedes tua, quos ſcilicet tibi Dominus dedit, tu ſeruaſti, & quis de manu tua eripere eos poterit, Ioan. cap. 11. num. 29. Quomodò commouebuntur, cum & ipſi ſuperædificati ſint ſupra fundamentum Apoſtolorum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, qui eſt Via, Veritas, & Vita, Ioan. cap. 2. num. 4.

Parata ſedes tua, quia Pater illos, qui ſedes tua eſſe deberent, dedit tibi, nemo enim venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum, Ioan. cap. 6. num. 44. Venit Chriſtus in mundum, cui dedit Pater, quos ad ſe trahere debebat, qui crediturì ſunt in eum, Ioan. d. cap. 17. num. 20. Parata ergo ſedes tua ex tunc quando in die ſexta venturus erat Ieſus Chriſtus, vt fideles ab ipſo redempti ſedes Dei eſſent in ſeptima die. Hæc ſedes parata erat ante mundi conſtitutionem; vt eſſent genus electum. Ego vocabo eos, & ſtabunt ſimul, Iſai. cap. 48. num. 13. Vndè Prouerb. cap. 14. num. 23. In corde prudentis requieſcit Sapientia. Omnis enim, inquit Deus per Iſai. cap. 43. num. 4. qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, firmaui eum, & feci eum. Hìnc per eundem Iſai. c. 66. in princ. Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum. Quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi, & quis eſt iſte locus quietis meæ? omnia hæc manus mea fecit, &c. Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Cælum mihi ſedes eſt. Audite ergo cæli, quæ loquor, Deut. cap. 30. num. 1. audiat terra verba oris mei: Quid per cælos, niſi incolas illius intelligit, iuſtos ſcilicet fideles? vt teſtes ſitis eorum, quæ in terra loquutum eſt os meum. Vos, qui cælum meum aſcenſuri eſtis, audite, quia ego ſum qui loquor; quia ſeruantibus fidem, Chriſtum filium mecum confitentibus, paraui ſedem in cælo, quæ non commouebitur, vt cum Apoſtolis meis duodecim tribus Iſrael iudicetis. Audiat terra, audiant homines terrenis inclinati verba

Pro-

Prophetarum, & Apoſtolorum, & Eccleſiæ meæ; ſunt enim verba mea, ideſt quia ſunt verba Chriſti, quæ vobis per ſupradictos proferuntur, concreſcat, vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina. Iàm, dicit Dauid, eleuáuerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem ſuam. Sed quæ voces eorum? qui confidunt in Ieſu Chriſto intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquieſcent illi; quoniam donum, & pax eſt electis eius. Sed terrenis hominibus, & qui in illis ſpem poſuerunt, quid dicent flumina? Vſquequò voces ſuas extollunt? Sapientiam, & diſciplinam quia abijcitis, infelices eritis, & vacua erit ſpes veſtra, & labores ſine fructu, & inutilia opera veſtra, Sapien. capit. 3. num. 9. Prouerb. cap. 8. num. 36.

Eleuauerunt flumina vocem ſuam Domine. Apoſtoli, & Prophetæ, flumina Dei. Sed à quo flumine aquas ſuſceperunt? à flumine Dei, quod aquis repletum eſt; Pſal. 64. nu. 10. A quo flumine lætitia facta eſt in Eccleſia Dei, Pſalm. 45. num. 5. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, ſanctificauit tabernaculum ſum Altiſſimus. Deus in medio eius non commouebitur, &c. Concreuit vt pluuia eloquium meum; quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et ſi multi audierint, pauci tamen ſunt, qui verbum tuum Domine ſuſceperunt; concreſcat Domine Ieſu, vt pluuia doctrina tua, fluat vt ros eloquium tuum; fœcundet vt ros terram hanc, vt in corde omnes illud retinentes, reddát fructum bonorum operum centuplum. Fons vitæ Ieſu Chriſte emitte ſpiritum tuum in corda hominum, vt omnibus in te credentibus flumina aquæ vitæ de illorum ventre fluant; vt in omnes in te credentes Spiritus ſanctus deſcendat, Ioan. cap. 7. num. 38.

Auguſtin. hìc litera A. Ipſe Spiritus, inquit. magnum flumen; vndè impleta ſunt multa flumina, ergo facta ſunt flumina currentia de ventre diſcipulorum, cum acceperunt Spiritum ſanctum, vndè Pſalm. vt ſupra, Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, ipſa flumina accepto Spiritu ſancto, vndè eleuauerunt voces ſuas? Quare eleuauerunt? quia primò timuerunt, quando enim Petrus nondum erat flumen, ter Chriſtum negauit, Matth. cap. 36. hìc timens mentitur, nondum eleuat vocem, nondum eſt flumen. Vbi autem repleti ſunt Spiritu ſancto, accerſierunt eos Iudæi, & præceperunt eis, nè omnino loquerentur, neque docerent in nomine Ieſu. Petrus autem, & Ioannes dixerunt ad eos, Si iuſtum eſt coram Deo, vt vobis obediamus magis, quàm Deo, iudicate; Act. Apoſt. cap. 4. num. 19. Non enim poſſumus, quæ vidimus, & audiuimus non loqui. Eleuauerunt ergo flumina voces ſuas à vocibus aquarum multarum, &c. Et alij Diſcipuli, ad quos Petrus, & Ioannes venerunt, Act. vt ſuprà, leuauerunt voces vnanimes, omnes ad Dominum, & dixerunt. Domine tu es; qui feciſti cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, &c. Flumina eleuarunt vocem ſuam, hæc Auguſtin.

Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vndè exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant, Eccleſ. cap. 1. num. 7. Verbum caro factum eſt, & illius iuſſu cæli firmati ſunt, Pſalm. 32. nu. 6. mare tamen huius tenebroſæ terræ fluctus contrà verbum eleuabat. Mandat mari, & illius iuſſu ceſſat ventus, & fit tranquillitas in mari, Matth. cap. 14. num. 28. Et ſpiritu oris eius omnis

virtus

virtus eorum, dicit Psalm. supradictus; In terram venit, emittit verbum suum, eleuantur contrà eum fluctus eius, quid est hoc? cælum, & venti, & mare obediunt ei, Luc. cap. 8. num. 24. terra autem fragilis fluctuat contrà illum. Si hunc dimittimus sic, venient Romani, & tollent locum nostrum, Ioan. cap. 10. num. 48. Præcipiendo præcipimus vobis, ne doceretis in nomine isto, & ecce replestis Ierusalem doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinem istius, Act. d. cap. 5. & num. 40. & conuocantes Apostolos, cæsis denuntiauerunt, ne loquerentur in nomine Iesu.

Eleuauerunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum. Oportet enim, dicebant Apostoli, obedire magis Deo, quàm hominibus d. cap. 5. num. 29. Augustin. Nàm cum dimissi essent Apostoli de Concilio Iudæorum, venerunt ad suos, & indicauerunt, quanta eis Sacerdotes, & Seniores dixerunt, at illi audientes leuauerunt voces vnanimes omnes ad Dominum, &c. d. cap. 4. num. 24. Et cum orassent motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.

Mirabiles suspensuræ maris, elationes dicit vulgata, maris; cum enim discipuli illi eleuassent voces suas, crediderunt multi, & acceperunt multi Spiritum sanctum, & cœperunt multa flumina clamare de paucis, ideò sequitur. A vocibus aquarum multarum, mirabiles suspensuræ maris, idest huius sæculi; nàm cũ cœpisset prædicari Christus tantis vocibus, cœpit irasci mare, cœperunt crebescere persecutiones; irascitur mare ad Christi prædicationem, suspenduntur fluctus fluminis; mirabiles suspensuræ maris, mirabiles minæ, mirabiles persecutiones, sed mirabilis in excelsis Dominus. Ambulat suprà maris fluctus, & firmati sunt; spumabant Principes, & ecce verbo Dei firmati, crediderunt Christo, ambulat suprà mare Dominus, & cessant fluctus.

Et testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Non veni, inquit, Dominus, pacem mittere sed gladium; Matth. cap. 10. num. 34. Veni enim separare hominem aduersus Patrem suum, &c. Quid est hoc? Ambulabat Deus suprà mare; cessant fluctus, quia qui in illum credunt, relictis omnibus, sequuntur Dominum. Fit in mari tranquillitas; nàm spretis temporalibus, spretis terrenis, sequuntur Dominum, & recipiunt regnum æternum, Matth. cap. 19. num. 27. cum sequen. Marc. cap. 10. num. 28.

Insensibilia obediunt, rationabilium verò maior pars contrà Dominum fluctuat, vt maior sit eorum pœna, qui ratione, & intellectu non carent, & tamen nec exemplo insensatorum monentur: iustus est enim Dominus, & tales puniendo ostendere vult iustitiam suam. Iustus est Dominus, & rectum iudicium eius, Psalm. 118. & 137. Posuit Dominus ante hominem bonum, & malum, mortem, & vitam, Ierem. cap. 21. num. 8. Ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis; considera quòd proposuerim hodie in conspectu tuo vitam, & bonum, è contrario mortem, & malum, ad Rom. cap. 10. num. 8. Deuter. vt suprà 30. nu. 15. In omnem terram prædicatum est Euangelium, contrà illos qui noluerunt credere, iustitia Dei descendit. Hæc irrationabilibus minime sunt posita, factori tamen obediunt, tu verò qui ad imaginem Dei factus es, elegisti malum, & iustitia Dei descendit super te, vt afficiaris malo, nec cum iustis scribaris.

Sed liceat mihi Dauid sancte quærere à te; Habemus à Iesu Christo, Matth. vltimo,

vltimo; quia nobiſcum erit Dominus vſque ad conſummationem ſæculi; ſi ità eſt, provt veritas dicit, cur Eccleſia ſua ſancta tantas, & tot nunc patitur tribulationes, & anguſtias, vt & rectè nos cum diſcipulis dicere poſſimus, Ecce Domine perimus, in medio maris fluctuum ſtamus, adiuua nos? Cum illis in nauicula erat Dominus, mare tumeſcebat, vndis nauis iactabatur, itàvt penè mergeretur, Matth.cap.8.numer.25. Ante Domini aduentum, & in ipſo aduentu pax erat in vniuerſo mundo; Dominus nobiſcum eſt, & quaſi mergimur? Dormit Dominus in Eccleſia ſua, nec eſt quis ex nobis ferè, qui ſuſcitet eum: væ nobis negligentibus ea, quæ ſunt Dei. Accedamus ad eum, quia propè eſt, in nauicula dormit ſuæ Eccleſiæ, ſurgamus, qui cum illo in hac militanti Eccleſia militamus; Clamantes ſuſcitemus eum, dicentes, Domine adiuua nos, quia quaſi ſterilis facta eſt Eccleſia, nec parere videntur, qui credunt in te; immo diſcedunt multi ab illa, & pauci facti ſumus, quamuis multi vocati. Non timeamus ſerui Dei, qui talia patimur tormenta; non enim maior eſt ſeruus Domino ſuo, nec eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, Ioan.cap.15.num.16. Dominum ſunt perſecuti iniqui, cur & nos qui iuſta pro peccatis patimur, veſtigia Domini, ſicut & ille iuſſit, non ſequemur? Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur, Ioan.cap.15.num.20. Luc.cap.12.num.46. & 47. Seruus neſciens voluntatem Domini ſui, & faciens digna plagis, vapulabit pauci; Seruus autem ſciens voluntatem Domini, & faciens digna plagis, vapulabit multis.

Auguſtin. Tom.2. Epiſt.122. de Afflictione piorum ad Victorianum: Quid mirum ergo, inquit, ſi Chriſtianis temporibus, iſte mundus tamquam ſeruus iàm ſciens voluntatem Domini ſui, & faciens digna plagis, vapulabit multis? attendunt quanta celeritate Euangelium prædicatur, & non attendunt, quanta peruerſitate contemnitur. Serui autem Dei humiles, & Sancti dupliciter temporalia patiuntur, quia & ab ipſis impijs, & cum ipſis patiuntur; habent conſolationes ſuas, & ſpem futuri ſæculi: Vndè dicit Apoſtolus ad Roman.cap.8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Reſpondendum ergo, dixit, conquærentibus, quia iuſta patiantur; nàm quantamlibet iuſtitiam ſeruemus, quantamlibet Domino obedientiam exhibeamus, nunquid meliores eſſe poſſumus illis tribus viris, qui in caminum ignis ardentis pro conſeruanda lege Dei proiecti ſunt? Daniel.cap.3. & tamen vnus ex tribus Azarias in medio ignis, dixit. Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum, & laudabile, & glorioſum nomen tuum in ſæcula, quoniam iuſtus es in omnibus, quæ feciſti nobis, & omnia opera tua vera, & rectæ viæ tuæ, & omnia iudicia tua veritas. Et iudicia veritatis feciſti, per omnia, quæ intuliſti, & ciuitati ſanctæ Patrum noſtrorum Ieruſalem. Quoniam in veritate, & iudicio intuliſti nobis omnia hæc propter peccata noſtra, quoniam peccauimus, & legi tuæ non paruimus, & mandatis tuis non obediuimus, vt benè nobis eſſet. Et omnia, quæ intuliſti nobis, iudicio vero intuliſti; Et ſequitur Auguſtin. Vides per te frater, quales viri, quàm Sancti, quàm fortes in medio tribulationis. Vbi tamen eis parcebatur, & eos vrere ipſa flamma verebatur, peccata ſua confitebantur, pro quibus ſe dignè, & iuſtè humiliari nouerant, nec tacebant. Nunquid & meliores, & ſapientiores eſſe poſſumus ipſo Daniele? Ezech.cap.28. cum Daniele ſurgamus

nos in ieiunijs, & ſacco, Domino confitentes,dicamus. Præcepta non ſeruantes peccauimus tibi Domine, aduerſus legem tuam fecimus, impiè egimus, & receſſimus, & declinauimus à præceptis tuis, &c. Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei Principibus noſtris, & Patribus noſtris, quoniam peccauimus tibi Domine Deo noſtro miſerationis, & propitiationis; quoniam receſſimus, & non obediuimus mandatis tuis. Ideò ſuperuenit nobis maledictio. Creſcunt iniqui, boni fiunt pauci; non tamen ſuos deſerit Deus, ſi nouerit illos eſſe ſuos. Non ceſſent iuſti pro illis ingemiſcere ad Deum, ideò enim hæc mala permittit, vt iuſti magis exerceantur in bonis, atquè illorum exemplo recedant mali à vijs iniquis. Ad nos eſt ſermo Dauidis, ſermo Chriſti, ò Sacerdotes, ò Epiſcopi ſancti, ſi ſal veſtrum infatuatum fuerit, in quo condietur? Marc.cap.9.num.49. & Matth. cap.5. num.13. Quòd ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Luc.cap.14. num.34. Ideò foras mittitur, vt ab hominibus conculcetur. Dominum excitemus, quia etſi maris elationes fuerint, etiam mirabilis eſt in altis Dominus,ambulans ſupra illud, & pedibus conculcans Tartara; vt, reddita tranquillitate confiteantur Dominum Ieſum, vt quæ ſterilis videbatur, pariens multos de latere eius ſurgentes, fœcunda fiat. Mundus preſſura factus eſt Eccleſiæ, vt teſtimonia Domini credibilia fierent apud nos. In mundo præſſuram prædixit Dominus, in Deo verò pacem. Suſtinet Eccleſia preſſuras, & fortior fit in repellendo, vt pateat veritas. Domum tuam, inquit Dauid, decet ſanctitudo in longitudine dierum. Deficient impij, & perſecutores, Eccleſia, quæ domus Dei dicitur ſanctitate affluens, ſtat in perpetuum. Præmit mundus, ſed gaudeamus, quia iſtud ſæculum vicit Dominus; cum Domino ergo ambulemus, & pax illius nobiſcum erit in ſæcula.

SOLILOQVIVM.

ECCE in ianuis eſt dies ſeptima, ſurge, quæ iàm ante Sabbatum permanes anima mea, quæ in veſpere ſextæ diei verſaris, vt in ore tuo, Cantici ſit Chriſti laus, cuius ſanguine redempta es. Sed ſine te Domine, quid illa poterit? Exurge ergo Deus meus, & diſſipentur inimici mei, & fugiant, qui propter te oderunt me à facie mea. Dominus à ligno regnans, decorem indutus eſt, qui te creauit, & fortitudine indutus, redemit te. Præcinxit ſe, vt te ſecum perducat ad regna cæleſtia. Accingere gladio ſuper femur tuum, potentiſſime Ieſu mi. A ſæculo parata eſt ſedes tua, vt in æternum habites in illa, Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem ſuam. Emiſſo in Diſcipulos Spiritu ſancto, cum loquebantur varijs linguis, provt Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Crede in Dominum Ieſum Chriſtum anima mea, vt & flumina de ventre tuo fluant aquæ viuæ. Mirabiles elationes maris, ex quibus fluminum diuerſæ inſonant voces, & verbum non reuertitur vacuum. Ad locum enim vndè exeunt flumina, reuerruntur, vt iterum fluant: Flumen Dei repletum eſt aquis, vt Dei ciuitatem lætificet. Fluctus eius in te anima eleuantur, vt à vocibus aquarum multarum, & tu gratia Dei repleta Cantici laudem Domino cantes. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus, qui gratiam ſuam petentibus dat affluenter. Te-

ſtimo-

ſtimonia tua certa ſunt Domine, & credibilia facta ſunt nimis. Surge ergo anima mea, ſequere Dominum, vt & tibi dicatur, ſurge in requiem meam, quia te vidi iuſtum coram me ex omnibus Gentibus, nec te terreant tribulationes, nàm pro mercede dictum eſt Paulo, ſtatim ac vocatus fuit, vas electionis; oportet multa pati pro nomine meo. Dilige Dominum cum Magdalena, vt tibi remittantur peccata, quia & ipſa dilexit multum. Sancti Dei Petre, & Paule ſuccurrite animæ meæ, ne pereat in tremendo iudicio. Tibi, ò Petre, traditæ ſunt claues regni cælorum, vt ſoluens aperias: tibi Paule, fluminis Dei vberrimè exhibita eſt ſcientia, doctrina tua Eccleſiam Dei repleas; tibi verò Mariæ Magdalenæ aquarum multarum flumina lacrymarum. Aperite & mihi iuſtitiæ Dei portas, vt rimulos aquæ ex oculis, de flumine diuinæ miſericordiæ effundens, audire & ipſe merear; dimiſſa ſunt tibi peccata tua, quia dilexiſti multum. Ad te genua flectens ò Virgo Dei Genitrix Maria, Mater miſericordiarum humiliter peto, vt, deletis peccatis meis, ſub vmbra alarum tuarum protectus mundi crimina ſuperando, ſanctam Dei merear gratiam. Amen.

IN PSALMVM XCIII.

Deus vltionum Dominus: Deus vltionum liberè egit.

TITVLVS. Pſalmus ipſi Dauid quarta Sabbati.

Continuatur ad præcedentem, in quo de laude Cantici in die ante Sabbatum, quando fundata eſt terra, quando fundata eſt per mortem Chriſti Eccleſia; Verùm quia etſi in Eccleſia Dei fundatus ſis ò Chriſtiane, non tamen ſolum in die ante Sabbatum eſſe debet laus Dei in ore tuo, ſed ſemper & in omni tempore benedicas Dominum, neceſſe eſt, & in quarta Sabbati præcipuè, quæ eſt dies media hebdomadis, hoc eſt in medio ætatis tuæ tempore, quando magis Diaboli tentationes vigent, quando incurſus Dæmonij te apprehendunt, de quibus dicitur Pſalm.90.num.6. A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incurſu, & Dæmonio meridiano.

Porrò quia facilius peruenitur ad ſextam diem, ſi incipias pſallere quarta die, vt facilior ſit via perueniendi ad finem, propterea pſallendum in quarta die proponitur, in iuuentute, quando ob paſſionum vehementiam cogitantes apud ſe non rectè dixere; Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis. Venite, & fruamur bonis, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter, & non prætereat nos flos temporis, Sap.2. per totum, & num.23. Neſcierunt Sacramenta Dei. Similia inſipientes tempore Iob legimus in lib. Iob cap.22. Eliphaz Themanitem, nu.13. inſipienter dixiſſe; Quid nouit Deus, & quaſi per caliginem iudicat, nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circà cardines cæli perambulat. Sanctus verò Paulus, Cum eſſem paruulus, loquebar, ait, vt paruulus, ſapiebam, vt paruulus, 1.Corinth.cap.13. numer.11. & ideò Pſalmiſta quoque dicebat: Ne-

reuocet me in dimidio dierum meorum, quasi qui tunc mala perpetrasset, iram Dei timuisset, Psalm. 101. numer. 25. Ideòq. addebat aliàs, delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine, Psalm. 24. numer. 17. idcircò Titulum hunc 70. posuerunt huic Psalmo; Psalmus ipsi Dauid quarta Sabbati.

Ne putes Deum non vindicaturum, Deus enim vltionum Dominus, liberè egit, delicta iuuentutis punit: aliquando patiens est, dans tempus pœnitentiæ, Sapien. cap. 12. aliquando liberè egit; Præpara ergo, inquit, animam tuam etiam in quarta Sabbati; quia Dominus est, & liberè agit. Noli misericordiæ pontem subuertere, quem transisti. Accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Depreme cor tuum, & sustine, inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus; & ne festines in tempore obductionis, Eccles. cap. 2. in princ. Quia Deus vltionum est, & liberè agit. Non tamen timore pœnæ innocentiam amplectaris, sed amore iustitiæ. Tunc dicit Augustin. liberè est innocens, & verus innocens; qui autem timore innocens est, non est innocens, quamuis non noceat, cum vult nocere: non enim nocet alteri per affectum malum, sed sibi plurimum per cupiditatem malam. Quomodò sibi noceat, audi Scripturam Psalm. 10. Qui autem amat iniquitatem, odit animam suam, vndè Paulus ad Roman. cap. 1. num. 24. Tradidit, inquit, illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, & numer. 26. Propterea tradidit Deus in passiones ignominiæ. Facit Sapien. d. cap. 5. num. 13. In malignitate nostra sumus consumpti; ità dixerunt in inferno existentes, & num. 8. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Deus ergo vltionum, non solum in corpore, sed etiam in anima, Ierem. cap. 17. num. 18. Induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos; vltio enim Domini est, Ierem. cap. 30 num. 15.

Inexcusabiles ô Iudæi; nonnè hunc Psalmum, qualibet quarta die hebdomadæ Patres vestri iniunxerunt, vt à vobis cantaretur in Synagoga vestra? sed nunquid sine mysterio hæc mandata sunt vobis? considerate in eius titulo: Psalmus ipsi Dauid quarta Sabbati recitandum. Quid enim per quartam Sabbati, nisi principium iniquitatis vestræ contrà filium Dei; quem comprehendere statuistis in die quarta ante Sabbatum, vt morti eum traderetis: quando præmoniti ab ea iniquitate abstinere debuissetis. Captabunt enim, inquit Psalm. iste infrà vers. 12. Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt. Nonnè hæc condita erant in thesauris vestris? nonnè mandauit Deus Patribus vestris, vt hæc fierent nota vobis, & per vos filijs vestris, qui nascentur, & exurgent, vt & ipsi narrent filijs suis, vt cognatio altera cognosceret? Psalm. 77. n. 7. & 8. Non videbit Dominus, dicebant, nec intelliget Deus Iacob, nunquid adhæret Deo fedes iniquitatis, qui fingit laborem in præcepto, captabunt in animâ iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt: Nunquid Deus non est etiam Dominus vltionũ? & reddet vltionem superbis? effati estis, & locuti estis iniquitatem omnes, qui locuti estis iniustitiã; quarta die Psalmum cantastis, vt quinta die Redemptionis illũ negaretis. O stulti, & tardi corde ad credendum, & cognoscendum, quæ

à Pro-

à Prophetis ſanctis, à Patribus veſtris vobis oſtenſa ſunt, ne incederetis in illa. Quarta die animo, & voluntate veſtra Dominum vitæ occidiſtis. Mortuum voluiſtis, qui eſt vita, & reſurrectio omnium credentium, vt exaltatus in cruce redderet retributionem vobiſmet Iudæis ſuperbis, liberè enim Deus vltionum egit, cum liberè vt redimeret venit. Enimuerò quia ſui eum non receperunt, quamuis in propria venerit, meritò iuſtus iuſtitiam diligens liberè contrà ſuperbos vlciſcitur; nàm nec lapis ſuper lapidem relictus eis eſt, & ciuitas tota deſtructa, & cum habitatoribus Iudæa deſolata, iuxtà Domini noſtri vaticinium, de quo Ioel cap.1. num.5. Expergeſcimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam perijt ab ore veſtro: & num.7. Poſuit vineam meam in deſertum, &c. Perijt ſacrificium, & oblatio de domo Domini, &c. Ieſus verò, Marc.cap.13.num.2. Vides has omnes magnas ædificationes? non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur, Matth.cap.24.num.1. & Luc.cap.21.nu.6. & num.20. Cum videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem,tunc ſcitote, quia appropinquauit deſolatio. Et idem Luc.cap.19.num.41. cum ſeqnen. & vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens; Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem ſunt tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies, & circumdabunt te inimici tui vallo, &c. & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquetur in te lapis ſuper lapidem, eo quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ, &c.

In die ergo quarta Sabbati legebatur Pſalmus: Deus vltionum, vt ipſi ſcripturas ſcrutantes cognoſcerent, quia Ieſus erat filius Dei, non enim credidérunt, quia in ipſorum vanitatibus omnes ſepulti erant, vndè Ioan.c.5.nu.44. Quomodò poteſtis credere, qui gloriam adinuicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis? Pſalmum recitabant, ſed ab illius intelligentia longè erant, & ità obcæcati, quæ erant de Ieſu Chriſto, non intelligebant, quia neminem ſuperiorem deſiderabant. Scimus, quia ipſe Chriſtus homo eſt peccator, dicebant illi iniqui, Ioan.cap.6.num.42. Matth.cap.13.nu.52. Ioan. cap.9.num.25. Hæc enim dicebant, quia timebant, ne omnes abirent poſt illum, Ioan.cap.11.num.48. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & tollent noſtrum locum, & Gentem. Et non erit Deus vltionum? Luc.18. num.1. & ſequen. Et ſi Deum non timeo, dicebat ille iniquus Iudex, nec hominem reuereor, tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam; ne in nouiſſimo veniens ſugillet me. Audite, ait Dominus, quid Iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantiũ ad ſe die, ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum? Contrà ergo iſtos ſuperbos, exclamat ſanctus Propheta, dicens: Deus vltionum Dominus, liberè agit, Non quia delictorum pœnam aliquando differat, ideò vos liberat, nullum malum impunitum.

Auguſtin. hìc in princ. Tu putas, quia non vindicat? qui vindicat Deus vltionum eſt, Deus vindictarum. In eo certè murmuras, quia non vindicat in malos; noli murmurare, ne inter illos ſis, in quos vindicatur. Facit ille furtum, & viuit; tu murmuras aduerſus Deum, quia non moritur, qui tibi furtum fecit, ſi iàm non facis furtum, vide, ſi enim iàm non facis, ne aliquando feciſti; ſi iàm dies eſt recole noctem tuam, ſi verò in cælo fixus es, recole

terram tuam : inuenis, te furem aliquando fuiſſe, & aliquem alium fortè ſtomacatum, quia & tu furtum faciens vixiſti, & non es mortuus. Quomodò autem tu quando faciebas, ideò vixiſti, vt poſteà non faceres. Noli, quia tu tranſiſti, velle miſericordiæ Dei pontem ſubuertere. Expecta, quia retributio veniet; tarditatem enim pœnæ grauitate compenſat Dominus. Vidi, inquit Pſalm. impium exaltatum, quæſiui, & non eſt inuentus amplius locus eius. Putas ne, dicit Dominus per Ierem. cap. 23. num. 25. Deus à vicino ego ſum, & non Deus de longe? ſi occultabitur vir in abſcondito, & ego non videbo eum, dicit Dominus? nunquid non cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus?

Summa hæc eſſe videtur, Deo eſt cura de inferioribus, qui dat iuxtà ſuam prudentiam, & bonis bona, & malis mala; iuxtà tempora ſua; vel è contrà mala aliquando bonis, & bona malis, vt primis patientibus in fine ſit retributio bona; iniquos verò, vt in fine tranſmittat ad infera.

Vel dicamus, Deus bonos remunerat, malos verò punit, quarta ergo die cantabatur iſte Pſalmus, vt quia in eadem die quarta fecit Deus Solem, & Lunam, vt præeſſent diei, & Stellas, vt præeſſent nocti, Geneſ. cap. 1. nu. 16. diſcernerent etiam iuſti lucem à tenebris, diem à nocte, hoc eſt Chriſtum, qui vera lux eſt à terrenis, à tenebris; vt ſequentes lucem, peccata fugerent, quia Deus reddit retributionem ſuperbis. Patientiam quoque in aduerſis habendam oſtendit, quia Chriſtus, cui eſt cura de nobis, Dominus eſt, & dat vnicuique iuxtà opera ſua.

Incipit ergo Pſalm. Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit. Cogitabant terrena Sapientes, quòd Deo non eſſet cura de iſtis: ità etiam dicebant illi iniqui, de quibus in Sapien. d. c. 2. & latius ſupra diximus. Non ſic impij, non ſic; ſed vnicuique Deus retribuit ſecundum merita ſua, Matth. cap. 16. nu. 27. Intendit enim ad viſitandas Gentes, quæ ſcrutatæ ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, Pſalm. 63. numer. 6. nec miſerebor, ait, operantibus iniquitatem, Pſalm. 98. num. 6. & Dominus irridebit eos, ad nihilum deducet omnes Gentes, Pſalm. 58. num. 9.

Non ergo, quaſi dicat Pſalmiſta, ò Chriſtiane, tibi ſit cogitatio vindictæ de proximo, quaſi non ſit Deo cura de iſtis, ſed Deo vindictam cogita reſeruatam, quia Deus vindictarum eſt, Deus vltionum eſt, & liberè agit, quia non eſt illi reſpectus alicuius, Sapien. cap. 12. num. 14. Non eſt qui de manu ſua poſſit eruere, Iob cap. 10. numer. 7. Deuter. cap. 32. num. 39. & ibidem num. 35. Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum. Et ne ambigas, quia tardat Dominus in retribuendo: iuxtà enim eſt dies retributionis, & adeſſe feſtinant tempora, ibid. Hinc ad Roman. cap. 12. nu. 19. Non noſmetipſos defendentes, ſed date locum iræ, ſcriptum eſt enim, Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus. Non amplius, ſicut ſcriptum eſt, Exod. cap. 21. num. 14. Oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. ſed benefaciendum his, qui oderunt nos præcipit, Matth. cap. 8. num. 38, Luc. 6. nu. 20. cum ſequen. Eſurienti inimico cibum dare, & ſitienti ſimiliter potum, vt præcipit Apoſt. d. cap. 12. ad Roman. & ità faciendo, carbones ignis ſuper caput eius congerimus.

Non pietatis autem, ſed crudelitatis eſſe videtur, ſi benè illi facis, vt illi male-

malefaciat Deus; non venit hoc de pietate, sed de crudelitate mentis, vndè D. Hieronym. hìc litera F. Non crudelitatem docet Apostolus, qui misericordiam prædicat, atque præcipit, alio enim sensu accipiendum est, iuxtà Matth. 5. cap. 5. litera F. Si te percutit Inimicus, tu illi præbe & aliam maxillam: si tibi ille malefacit, tu illi fac benè, quia carbones ignis congregabis super caput eius. Hoc est mundabis eum à peccato. Vincitur enim crudelitas eius patientia tua. Dat exemplum de sagitta in lapidem missa, quæ non in lapidem infigitur, sed resilit; sic inimicus qui te percussit, & non est ille repercussus, patientia tua superatus, ad meliora conuertitur, hæc Hieron.

Sed pace tua D. Hieronym. versiculus sequens vindictam desiderare videtur, ideòq. intellectus allato ad illud Pauli ad Roman. haud tutus videtur, quia inimicus indulgentia tui placatior redditur. Subijcitur enim. Exaltare, qui iudicas terram, redde retributionem superbis. Vsquequò peccatores Domine, vsquequò peccatores gloriabuntur? effabuntur, & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur iniustitiam. Ecclesia loquitur, quæ non malorum vindictam, sed illorum conuersionem desiderat. Vsquequò, inquit, tu Domine ad gentes conuerteris, vt verbum tuum suscipientes, credant in te, quia tu solus Deus, tu solus Altissimus Iesu Christe, qui ideò venisti, vt illos saluares; propterea exaltare in cruce, qui iudicas terram, vt exaltatus in cælo superbis reddas retributionem, qui te negauerunt, & crucifixerunt. Hinc Daniel cap. 9. nu. 26. & post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est: sed vsquequò Domine Iesu? & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio. Exaltare igitur Domine, cui iudicium terram iudicandi datum est: redde retributionem superbis, quia magis quotidiè gloriantur in iniquitatibus suis.

Interim ò stulti, & insipientes intelligite, & aliquando sapite, antequam veniat dies illa magna, & amara valdè, nunquid non videbit Dominus iniquitates vestras? Nunquid qui finxit oculum non considerat? &c. Admonet Ecclesia iniquos, vt reuertantur, & docet illos, quia si audierint, & intellexerint, beati erunt, vt mitigetur illis pœna à diebus malis. Quando verò Hieronymus, vt benefaciamus exhortatur, quasi carbones, &c. loquitur cum particularibus ab inimicis obsessis, & tribulatis, quia patientia illorum lucraturi sunt fratrem suum, ideò dicitur, Patientia illorum non peribit in finem, Psal. 9. numer. 19. quia patientia tua superatus inimicus ad meliora conuertetur, facit Ieiem. cap. 29. num. 13. Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis, vt dem vobis finem, & patientiam, & inuocabitis me, & ibitis, & orabitis me, & ego exaudiam vos. Et hæc est intentio huius Psalmi, vocare scilicet iustos ad patientiam, iuxtà Augustin. hìc: Ad tempus enim laborat iustus, sicut & ad tempus floret iniquus; parcit Deus malis ad tempus, laborant verò boni ad tempus, vt iste fructus recipiat in tempore suo, ille verò, vt magis puniatur in altero sæculo. Dat enim Deus tempus & locum, per quæ possint iniqui, à malitia recedentes pœnitentiam agere, & cum dat bonis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellat, vt bonitatem eius iudicemus cogitantes; & cum de nobis iudicatur, speremus misericordiam suam; Sap. cap. 12. num. 22.

Cum ergò finem habeat hoc sæculum, malos tolerat Deus, donec transeat iniquitas, donec finiatur hoc sæculum, Augustinus hìc: Beatus ergò homo,

quem

quem tu erudieris de lege tua, & mitigaueris eum à diebus malignis, vt infrà num. 13. eodem hoc Psalm. donec fodiatur peccatori fouea. Hucusquè enim gloriabuntur peccatores, donec fodiatur peccatori fouea, dicit Dauid hìc. Talis ergo & tu eris anima mea beata, si legem Domini custodiens peccatores libenter patiaris, spem in cælo retinens, terrena despexeris, & oculos ad cælum extenderis. Propterea Psalmi titulus in quarta Sabbati inscribitur, in qua Luna, & Sol, & Stellæ creata sunt, vt & te, cui Sol est Christus, in lumine eius ambulantem tenebræ huius mundi non apprehendant, Mundus enim illum non cognouit, nec sui eum receperunt, Ioan. cap. 1. Et tamen iniquis Iudæis dat tempus, & locum pœnitentiæ, vt reuertentes ad Christum videant & ipsi. Cur ergo & tu iniquos non patieris, si is illos, qui ipsum crucifixerunt adhùc patiatur, vt vel conuertantur, vel eò magis puniantur? Ipse enim retribuit vnicuique iuxtà opera sua. Liberè egit, quia Deus, & Dominus vltionum est, Audi Paul. ad Philip. cap. 2. num. 14. Omnia facite sine murmurationibus, & hæsitatione, & disceptatione, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.

In die ergo quarta Sabbati, luceat opus vestrum bonum in mundo inter iniquos, vt confusi conuertantur, nec non inter iustos, & conuersos, vt iustificati in verbo Dei, luceant & ipsi coram hominibus, & illuminantes alios; & ipsi glorificent Patrem nostrum, qui in cælis est. Aduersus malorum felicitates floreat patientia, iustorumq. labores in bonis operibus perseuerantia, & patiéntia. Augustin. hìc litera D. inquit, Paulum quodammodò nos admonuisse, vt istum Psalmum ità intelligamus, & titulum illius prænoscamus. Tales enim Sancti, in quibus est verbum vitæ, de conuersatione, quam habent in cælo, despiciunt omnia iniqua, quæ fiunt in terra. Et quomodò luminaria in cælo per diem, & per noctem procedunt, peragunt itinera sua, cursus certos habent, & committuntur tanta mala, nec deuiant desuper stellæ fixæ in cælo, agentes per tractus cælestes, quæ illis præstitit, & constituit Creator ipsorum. Sic debent Sancti, sed si in cælo figantur corda eorum, si non frustra audiant, & respondeant se habere cor, si imitentur eum, qui ait, Nostra autem conuersatio in cælis est. Si ergo in cælis est conuersatio nostra, thesaurus noster, cur & ibi non erit cor nostrum? Matth. cap. 6. nu. 9. Fixum ergo habeas cor in illo, & terra tua laboret in terra, dicit Augustin.

Qui enim est in cælo, in firmamento eiusdem cæli est; cuius ergo cor in firmamento libri Dei est, quæ sunt de terra non curat, nàm cælum, idest firmamentum intelligitur per figuram libri legis, ideò Psalm. 103. num. 2. dicitur. Extendit cælum, sicut pellem; si extenditur, dicit Augustin. sicut pellis tamquam liber est extentus, vt legatur. Transacto autem tempore, quo legitur lex, nàm ideò legitur lex, quia nondum venimus ad illam sapientiam, quæ implet corda, & mentes intuentium, nec amplius opus nobis erit, vt aliquid ibi nobis legatur. Quia in eò quod nobis legitur, syllabæ sonant, & transeunt, illa autem lex veritatis non præterijt, sed fixa permanens inebriæ corda videntium. Inebriabuntur enim ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est Domine fons vitæ, Psal. 35. In lumine tuo videbimus lumen.

Modò

Modò ergo lectio neceſſaria eſt, quandiù ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, Paul. 1. Corinth. 13. nu. 10. cum ſequen. cum autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt, & numer. 13. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Tunc liber non erit neceſſarius, non enim in illa Ieruſalem ciuitate legemus, vbi Angeli viuunt, & à qua nos peregrinamur, vt legendo librum, ad illam peruenimus; nàm odit valdè patriam, qui putat ſibi benè eſſe cum peregrinatur. Non enim ibi Euangelium, nec Apoſtolus legitur: verbo enim Dei paſcuntur, quod verbum Dei, vt ſonaret nobis ad tempus: Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ipſa tamen lex, quæ ſcripta eſt, firmamentum nobis eſt; ibi ſi ſit cor noſtrum, non compellitur iniquitatibus hominum. Extendit ergo cælum ſicut pellem, cum autem tranſeunt tempora neceſſitatis librorum, ſit quod dictum eſt, cælum plicabitur vt liber.

Surſum ergo cor habeamus, vt cor noſtrum luminare ſit, in cælo fulgeat, nec vincitur tenebris: infrà enim ſunt tenebræ, tenebræ autem iniquitas, non incommutabiles tenebræ; ſi ergo tenebræ ſunt, ſi cras velis, lux eris. Qui tenebræ, dicit Auguſtin. hùc ingreſſi, ſi velint iàm lux eſſe poſſunt; non enim iniquitates naturales, putas, ideò dicit Apoſt. ad Epheſ. cap. 5. Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ſicut filij lucis ambulate. Lux in Domino, inquit, non in vobis, cor ergo in libro, ſi cor in libro, cor in firmamento cæli: ſi ibi eſt cor, indè lucet, & non mouebitur iniquitatibus ſuperpoſitis; non quia in cælo, ibi eſt per carnem, ſed quia ibi eſt per conuerſationem; noſtra enim, inquit, conuerſatio in cælis eſt, ad Philip. c. 3. nu. 20. Vis cogitare cælum? librum Dei cogita, Pſal. 1. & beatus eris ſi in lege Dei meditaberis die, ac nocte, & in lege Dei erit voluntas tua. Non ergo deſcendas de cælo, & omnia patienter ſuſtinebis.

Verùm quia iàm paſſus eſt Chriſtus, iàm redemptio noſtra facta eſt, omnibus in illum credentibus, vt cognoſcat generatio altera, hunc Pſalmum cantari iubet Eccleſia in ſexta Feria, qua paſſio Domini fuit, cantetur, vt cognoſcat generatio altera, quia Dominus ipſe eſt Deus, qui in hunc mundum venit, vt nos redimeret, in cruce poni paſſus eſt à Iudæis, vt filij, qui naſcentur exurgentes narrent filijs ſuis, vt ponant in paſſione Domini ſpē ſuam.

O infelices Hæreticos, atque improbos vos Iudæos, quid Feria quarta cantatis Pſalmum Dauid quarta Sabbati, ſed cur quarta Sabbati, & non potius quarta die hebdomadæ? Quia Dominus expectat vos vſque ad Sabbatum, patiens eſt vt vos reſipiſcentes redimat; dat tempus, vt conuertamini ad illum, vt vos recipiat, dat locum in peccatis pœnitentiæ, Sapient. cap. 12. nu. 13. Quis enim permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt? aut quis inuocauit eum, & deſpexit eum? quoniam pius, & miſericors eſt Deus, & remittet in die tribulationis peccata, Eccleſ. cap. 2. num. 13. Et protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate. Si populum vos electum creditis, quare derelicti eſtis ab illo? Iſai. cap. 1. Quia non creditis, vias rectas Domini derelinquendo, & in vias prauas diuerſi eſtis: & quid facietis, cum inſpicere cœperit Dominus? Eccleſ. d. cap. 2. num. 16. quod canitis an creditis; quia Deus vltionum Dominus, & liberè agit vindicaturus in vos? tamquam poteſtatem habens, docuit in Templo, Matth. cap. 7. numer. 29. Marc. cap. 1. numer. 22.

Luc.

igitized by Google

Luc. cap.4.nu.13. quia nec veritati eius, nec poteſtati poterat obuiari, quid in iudicio faciet? dicit Auguſtin. Vtiquè qui iudicandus non pepercit in verbo, iudicaturus non parcet in facto.

Neminem ergo timuit, nec parcebat in verbo, vt eſſent poſteà, quibus non parceret in iudicio. Quia dicit Aug. ſi nolent accipere verbi medicinam, incurſuri erunt vtiquè, & inuenturi Iudicis ſententiam. Quare? quia Deus vltionum Dominus liberè egit; alij habent fidenter egit, nulli pepercit in verbo. Qui in verbo non pepercit paſſurus, parcet in ſententia iudicaturus? Qui neminem timuit in humilitate, timebit quemquam in claritate? Ex eo quòd liberè egit, cogita quomodò ſit acturus in fine ſæculi, hæc Auguſtin. Tenuerunt impij Iudæi humilem, ſed volentem, tenebunt excelſum, & dominantem? Iudicauerunt mortalem, vt ab immortali iudicarentur, reprehendens illos verbo, viriliter egit, vt reuerſis ad Deum iudicaturus parcere eis poſſet. In humilitate non timuit quemquam, an in potentia verebitur aliquem? Si eiecit de templo, quid faciet in iudicio? Exaltare qui retributionem reddes ſuperbis, & in humilitate te ſequentibus mercedem reddas in cælis: Exaltare, ideſt à mortuis reſurge Domine, quia amplius iniqui non habebunt poteſtatem in te, Ioan. cap. 14. num. 3. Venit enim Princeps huius mundi, & in te non habet quidquam, ſed illis reddes retributionem ſuperbis, & impœnitentibus.

Exaltare, inquit, Domine, ſed nunquid mandat Propheta, vt Deus exurgat? Non eſt audacia iubentis, ſed prophetia prædicantis: non obtemperauit Propheræ Chriſtus, vt reſurgeret, & aſcenderet in cælum; Auguſtin. Non ideò fecit Chriſtus, quia Propheta prædixerat, ſed ideò Propheta prædixit, quia ille facturus erat.

Sed quomodò ò Propheta Dei promittis Chriſti exaltationem ante aduentum illius? nonne prius naſciturus erat, eique moriendum, & poſteà reſurgendum? exaltare, inquit, qui iudicaturus es terram. Iàm prius Domini aduentum prophetauerat, paſſionemq. & mortem prædixerat, & eius reſurrectionem Pſalm. 21. cum alijs. Surrexit caput Chriſtus, & in cælum ſedet ad dexteram Patris, corpus verò ſuum, membra ſua, Eccleſiam ſuam, quam ſanguine ſuo fundauerat in terris affligendam ab inimicis reliquit. Contrà quos Eccleſiæ perſecutores, contrà cuius corporis iniquos inſidiatores, iniuſtè inſurgentes, prophetizans Pſalmiſta admonendo, dicit, ò iniqui, ò iniuſti, nec vobis Chriſtum innocentem occidiſſe ſatis fuit, quia & corpus eius perſequimini? An ignoratis, quia Deus vltionum eſt, qui dat vnicuique iuxtà opera ſua? qui dat retributionem ſuperbis? Exurget, quando ipſi videbitur, & terram iudicabit, malos malè perdet, iuſtis verò dabit gloriam. Exaltare nunc Domine Ieſu, vt amplius nihil contrà te, contrà corpus tuum poſſint inimici Iudæi, & infideles Hæretici.

Vſquequò peccatores Domine, vſquequò peccatores gloriabuntur? Memor eſto congregationis tuæ, quã poſſediſti ab initio; vſquequò Deus improperabit inimicus? irritabit aduerſarius nomen tuum in finem? Pſalm. 23. num. 11. ſed quis es, qui talia loqueris? Nonne Dominus in Propheta? Quòd ſi Dominus in Propheta, an ignoras vſquequò peccatores gloriabuntur? quando reddet retributionem illis? Sanè vides malos triumphantes, & exultantes, teq. blaſphemantes,

Digitized by Google

mantes, & omnia mala facientes. Monet te, inquit Auguſtin. cum pietate quære, non cum ſuperbia reprehende; monet te Dei Spiritus, compatitur tibi & Pſalmus. Quærit tecum, non quia neſcit: ſed ideò tecum quærit quod ſcit, vt in illo inuenias, quod neſciebas. Dat Auguſtin. exemplum, quomodò qui vult aliquem conſolari, niſi condoleat cum illo, non illum erigit, prius cum illo condolet, & ſic eum reficit ſermone conſolatorio; ſi autem iret ad illum ridens luctum eius, non facit, quod modò lectum eſt, dicente Apoſtolo ad Roman. cap. 12. Gaudere cum gaudentibus flere cum flentibus. Ergo vt gaudeat tecum, prius fles cum illo; contriſtaris cum illo, vt reficias eum. Sic & Pſalmus, & Spiritus Dei, vtique omnia ſciens, quærit tecum, quaſi verba tua dicit, vſquequò peccatores Domine, vſquequò peccatores gloriabuntur? Reſpondent, & loquentur iniquitatem, loquentur omnes, qui operantur iniuſtitiam.

Sed qui ſunt, qui reſpondent? ſunt iniqua agentes quid dicunt? vos ô qui iuſti dicimini reprehenditis nos, quia iniqua operamur; nunquid Deo eſt cura de his terrenis? an non videtis, quia fruimur bonis, læti ſumus; vos verò ô iuſti, quæ eſt vita veſtra? tribulationes, anguſtiæ, perſecutiones, & ſimilia, & odio eſtis hominibus propter nomen iſtud Domini, & ideò afflicti. Et ità illi iniqui reſpondentes multiplici tenentur laqueo adſtricti, gloriantur enim in peccatis, quæ faciunt, & ſubuertere nituntur iuſtum à via iuſta, tamquam Diaboli miniſtri; & ità in malignitate ipſorum conſummuntur. Tranſeunt felicitates tales eorum tamquam vmbra; iuſti autem in perpetuum viuent, faciunt quæ in Sapien. d. cap. 5. num. 13. cum ſequen. In inferno iniqui deſcendunt, & eorum, quæ fecerunt, vana fuiſſe teſtantur. Quoniam ſpes impij tamquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & dicent, Nos nati continuò deſiuimus eſſe, & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere, in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus.

Vſquequò dicit iuſtus cum Propheta ad illos iniquos conuerſus, vſquequò Domine peccatores gloriabuntur? ideſt vſquequò Domine pauperes iſti conuertentur ad te, peccata, & iniquitates dimittentes? Vſquequò Domine: vſquequò, repetit, vt expectationis dolorem ſuum iuſtus demonſtret, donec illi conuertantur. Et non ſolum de perfectione illorum, vel de tarditate conuerſionis dolet iuſtus: verùm etiam aiunt. Quia populum tuum Domine humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt; creſcunt enim præmia patienti, & augentur pœnæ iniqua agenti. Si propter te ô iuſte, ô Eccleſia Dei, conuerſus fuerit ab iniquitate ſua iniuſtus, lucratus fratrem eris; ſin minus, id quod bonum feciſti, & oratio, quam pro illo fudiſti, reuertetur ad te. Auget Deus longanimitatem, & tu impie auges iniquitatem: Auguſtin. Illius erit theſaurus in ſempiternum, miſericordia in eos, qui non contempſerunt miſericordiam; tuus autem ô inique theſaurus in ira inuenietur, & quod ponis quotidie per modicum, poſteà maſſam inuenturus es; minutatim ponis, ſed cumulum inuenies. Noli attendere minuta peccata tua quotidiana, de minutiſſimis guttis flumina implentur; vndè 2. Petr. cap. 3. num. 8. Vnum hoc non lateat, quia vnus dies apud Dominum, ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus; non tardat Dominus, ſed patienter agit propter nos, nolens aliquos perdere, qui omnes vellet ad pœnitentiam reuerti.

Tacuit

Tacuit Dominus, quia non te adhùc deleuit? nunquid erit tibi similis Deus, quia tacuit, & tu iniquitatem feciſti? Pſalm. 59. Non vindicat, quia forſan illi placet? qui curauit, vt fieres, vt benè viuas non curat? Non videbit Dominus, quia non te ſtatim caſtigat, & corripit? ò infelix dat tibi locum & ſpatium pœnitentiæ, vt te curet: & ſi perſtiteris in iniquitate, vt te deleat.

Populum tuum humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt. Populus Domini, omnes iuſti, Iſai. cap. 60. num. 21. iuſtos ergo Domini humiliauerunt. Sed nec de hoc contenti Hæretici, & iniqui, quia etiam hæreditatem, idest Eccleſiam Domini in doctrina euangelica vexauerunt deturpantes legem, & præcepta eius negantes; populum ergo, idoſt iuſtos Domini ſingulariter humiliauerunt. Videntes quippè illorum iniuſtitias, & iniquitates, & Deum ea ſufferentem patienter, & quodammodò non curantem, tentationem concutiebantur, vt putarent ipſum talia negligere. Et hæreditatem Domini, ideſt Eccleſiam vexauerunt, falſa dogmata docentes, & contrà illius præcepta inſurgentes.

Viduam & aduenam, quam ſcilicet ſecum in viam peccatorum trahere conabantur, à qua Deus receſſiſſe videbatur, interfecerunt; & aduenam inuenientes, & in via ambulantem occiderunt, pupillos facilè occiderunt, quia ſine patre, vndè 2. Petr. cap. 2. in princ. Fuerunt verò & Pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui emit vos, Dominum negant, ſuperducentes ſibi celerem perditionem; & multi ſequentur eorum luxurias; per quos via veritatis blaſphemabitur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus iudicium iàm olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat, & num. 9. Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reſeruare cruciandos, &c. Magis autem qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemq. contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes, &c. derelinquentes viam rectam errauerunt, num. 15. Viduam ergo, & aduenam interfecerunt, Iſai. cap. 10. num. 1. Væ, inquit, qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei: vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.

Viduam interfecerunt, & aduenam, Ezech. cap. 22. num. 7. Aduenam calumniati ſunt in medio tui; pupillum, & viduam contriſtauerunt apud te, ideſt oppreſſerunt. Quid per aduenam, niſi illos intelligere vult, quia in hoc mundo tamquam aduenæ viuunt, vt placentes Deo in ciuitatem ſanctam perduci mereantur? Hos mundi contemptores interficiebant iniqui, qui in cordis ſimplicitate Deo ſeruiunt, & eos, qui patri, & matri, vt ſequerentur Ieſum Chriſtum, & renuntiant, vt tamquam pupilli, & aduenæ in via Domini incederent, iuxtà id Euangelij Luc. c. 14. nu. 33. Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus, & idem Luc. c. 14. nu. 26. Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, &c. adhùc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hos iuſtos interficiebant iniqui Iudæi. Pupilli etiam vocantur, & ſine patre, ac matre, quia Diabolum fugauerunt patrem iniquorum, & matrem concupiſcentiam negauerunt. Et hoc eſt negare patrem, & matrem, qui opera Diaboli negant;

vndè

vndè Ioan.cap.8.num.44. Vos ex patre Diábolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Qui facit ergo opera Diaboli, filij Diaboli ſunt, & dicuntur.

Non videbit, inquiunt ſimiles iniqui, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Florent mali, ergo Deus non videt? ò ſtulti aliquando ſapite, longanimis Deus, & patiens, vt vos reducat ad pœnitentiam, 2.Petr. cap.3. quia vult omnes ſaluos fieri; Qui finxit corda, & cogitationes videt, Luc.9. num.47. quæ malæ ſunt, non videbit opera veſtra mala? ſi hominibus nota, quomodò Deo erunt occulta? opera etiam tenebrarum nouit Dominus, noſcit etiam abſcondita cordis veſtri, 1.Corinth.cap.4.numer.5. & Auguſtin. hìc litera K. in fine; Infelix homo, vt eſſes curauit, vt benè viuas non curat? Dicit ergo vobis iniquis, ſi Deum veſtra opera neſcire præſumitis, intelligite, qui inſipientes eſtis in populo, & ſtulti aliquando ſapite, qui plantauit aurem non audiet? non habet vndè audiat, qui tibi fecit, vndè audias? qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non conſiderat? qui erudit Gentes non arguet? Quid per Prophetas, & Apoſtolos, quid per ipſum Verbum relictum eſt vobis? Relinquite iniquitates veſtras priores, conuertite vos ad itinera veſtra. Ideò parcit, vt corrigatis vos; non heri vindicauit, vt hodie benè viuatis. Qui erudit Gentes non audiet? ſi eruditurus, quomodò non audiet? non iudicaturus eſt, qui ſermonem præmiſit, & præſeminauit? hæc Auguſtin. Omnes aſtabimus ante tribunal Chriſti, vt illìc vnuſquiſque recipiat ſecundum ea, quæ per corpus geſſit, ſiuè bonum, ſiuè malum, ad Roman.cap.14. nûm.2. & 2.Corinth. cap.5. & 1.Corinth.cap.3. Si dabit vnicuique ſecundum opera, quomodò non intelliget Deus, quæ tu inique facis.

Tu verò fidelis Chriſtianus, qui in humilitate Deo ſeruis, quia vides iniquum florentem, & cui omnia benè, & proſperè eueniunt, forſan ſcandalizaberis, quaſi non ſit Deo cura, vt vnicuique tribuat ſuo tempore iuxtà opera ſua? Nunquid quia humilis es, ſeruiens Deo, ſpes tua erit in retributione terrenorum? Nunquid quia iniquorum felicitatem vides, illos æmulaberis, vt facta illorum imitari deſideres? Futuram ſpera mercedem, & veniet, cum iàm nondum tempus tuæ retributionis aduenerit, vt illam recipias, in vinea Domini operareris, fac opus tuum, & accipies mercedem tuam: Auguſtin. litera L. A Patrefamilias antequam operareris, non exigeres, & à Deo exigis antequam operaris? & iſta tolerantia ad opus pertinet tuam, & hoc ad mercedem. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem, Pſal.36. quoniam tamquam fœnum velociter areſcent: & quemadmodum olera herbarum citò decident, numer.1. & 2. Qui ergo corripit Gentes non arguet? qui docet hominem ſcientiam, ſcilicet non intelliget? Nunquid ipſe neſcit, qui te ſcire facit? qui fuit ſine peccato, non fuit ſine flagello.

Sed cur Domine malos relinquis in ſenſu eorum? & iuxtà illorum deſideria foues, quia bonis implentur temporalibus? & abundant diuitijs, & voluptatibus? niſi vt ijs repleti etiam experiantur, in illis non conſiſtere ſalutem hominis. Cogitationes hominum tu ſcis Domine, quia vanæ ſunt; ipſi verò adhùc inſcij ignorant quæ ad illorum faciant ſalutem. Differt ergo Deus retributionem, tametſi cogitationes illorum vanæ ſint, vt tempore opportuno perducat illos ad veram cognitionem, & ſalui fiant, cognoſcentes, quod hæc

igitized by Google

omnia vanitas ſunt vanitatum, & omnia vanitas, Eccleſ. cap. 1. numer. 2. & cap. 12. num. 8.

Humilis ergo, & iuſtus dicit in Pſalmo, Beatus, quem Dominus erudierit, & de lege ſua docuerit eum, quem cæleſti doctrina confirmat; patienter enim iniquos ſupradictos ſuſtinebit, donec peccatori fouea fodiatur. Eruditus namquè in lege ſcit, quia tempore ſuo retributio dabitur vnicuique ſecundum opera ſua. Quæ eruditio ſit à Domino, & per diſciplinam, & per legis documentum; hinc dicitur Prouerb. cap. 3. num. 11. Quem Deus diligit, corripit, flagellat autem omnem filium, quem recipit, ad Hebr. cap. 12. num. 6. & Ioan. in Apocal. cap. 3. num. 19. Quos amo, hos caſtigo. Diſciplina ergo tribulationum eſt eruditio Domini. Fit etiam per doctrinam legis, vt infra dicemus; propterea dicit, & de lege tua docueris eum. Ex correptione humilitas, & ex lege Dei patientia oritur, & tunc ſcies, quia non eſt tuum ſcire, quando fodiatur peccatori fouea, ſequitur Pſalm.

Vt mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea. Prodeſt ergo eruditio Domini, vt in lege eius eruditus mitiget Deus iuſto dolorem, & afflictionem ſuam, quomodocunque patiatur in malorum tribulationibus ſibi inflictis, donec fodiatur peccatori fouea. Doctus enim à Deo moderatius impiorum perſecutiones ferat, donec ipſi peccatores in foueam ruinæ cadant in æternum. Sed cur dicit, donec fodiatur peccatori fouea? nunquid non eſt ignis paratus peccatoribus? Matth. cap. 25. num. 41. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius, &, hi ibunt in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam, num. 46. Non eſt parata fouea peccatori iniquo, donec vitæ dilatio eſt ipſi conceſſa, vt pœnitens reſipiſcat, Attamen ſi in peccato moriatur, tunc fouea pro illo foſſa dicitur illi, quam Diabolus ipſi reſeruabat impœnitenti; cui ergo foditur fouea, eſt iniquus impœnitens, qui ideò incidit in eam; Pſalm. 7. num. 16. Incidit in foueam, quam fecit, & Prouerb. 26. num. 27. Qui fodit foueam incidit in eam; & in alio Pſalm. 56. num. 7. Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam, Eccleſ. cap. 10. num. 8. & cap. 27. num. 29.

Auguſtin. hìc litera B. Ecce, inquit, habes conſilium Dei, quare parcat malis, donec fodiatur fouea peccatori, tu iàm vis illum ſepelire adhùc fouea illi foditur, noli feſtinare ſepelire. Quid eſt donec fodiatur fouea peccatori, aut quem ponit peccatorem? vnum hominem? non; quid ergo; omne genus hominum peccatorum ſcilicet, & ſuperborum, iàm enim præmiſit; Redde retributionem ſuperbis. Nàm & ille peccator fuit Publicanus, qui oculos emiſerat in terram, & percutiebat pectus ſuum, dicēs, Deus propitius eſto mihi peccatori, ſed quia non ſuperbus erat, Deus autē reddit retributionem ſuperbis: nō illi, ſed talibus fodiatur fouea, donec reddat retributionem ſuperbis. Ergo quod ait, donec fodiatur peccatori fouea, ſuperbos intellige. Quis eſt ſuperbus? qui in confeſsione peccatorū non agit pœnitentiam, vt ſanari per humilitatem poſſit. Quis eſt ſuperbus? qui illa ipſa pauca, quæ videtur habere bona, ſibi vult arrogare, & derogat miſericordiæ Dei. Quis eſt ſuperbus? qui etiam ſi Deo tribuit bona, quæ facit, inſultat tamen his, qui illa non faciunt, & extollit ſe ſuper illos. Nàm & ille Phariſæus, gratias tibi ago, inquit, non dixit, ego facio; de his quæ faciebat gratias Deo agebat, ſentiebat ergo, & benè

ſe

Digitized by Google

ſe facere, & ab illo facere; Vndè ergo improbatus eſt? quia inſultabat Publicano. Præcedat ergo tibi homini, vel fœminæ confeſsio peccatorum, ſalubris pœnitentia, quæ valeat ad corrigendum hominem, non ad irridendum Deum: & cum poſt pœnitentiam benè viuere cœperis, non tibi tribuas, quod benè facis, ſed illi gratias agas, cuius gratia factum eſt, vt benè viueres. Quia ille illum vocauit, ille illum illuminauit; & tamen non hæc ſufficiunt, deeſt, vt non ſuperbias ſuper eos, qui nec dum ſic viuunt, quomodò ipſe vinis. Si talis fueris, ſecurus eris, quia non tibi reddetur retributio, de qua dictum eſt, redde retributionem ſuperbis, non foderis tibi foueam, nàm Dominus non repellet vt abiectum, & ſi exerceat te, vt tibi det hæreditatem ſuam.

Qui ergo in iniquitate, in peccato eſt, foueam ſibi fodit, vt ea completa cadat in illam. In foſſam ille cadit, de quo in Euangelio Luc.cap.14. numer.19. Anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requiſce, comede, bibe, & epulare. Dixit autem illi Deus, ſtulte hac nocte animam tuam repetunt à te, &c. Foueam fodit ſibi, qui terrena, vt altiora peteret, quæſiuit, & in foueam cecidit, à quo animam requiſierunt. Ergo ne diuitias quærere eſt ſibi foſſam fodere? Audi Auguſtin. hìc litera E. Magna res eſt, vt felicitas fouea dicatur, donec fodiatur peccatori fouea; parcit enim illi Deus, quem nouit peccatorem, & impium, occulta iuſtitia ſua, & hoc ipſum, quod ei parcit Deus, per impunitatem facit eum elatum, ille ſe altum putat, & cadit, in eo ipſo cadit, quò ſe altum putat; hoc ſe ille putat ſublimiter ire, & Deus hoc foueam vocat; foſſa ad ima tendit non ad cælum; peccatores autem ſuperbi quaſi in cælum eunt, & in terra merguntur. At contrà, humiles, quaſi in terra ſe deprimunt, & in cælum aſcendunt. Quæſiuit ergo temporalia, & amiſit æterna: illi ad tempus parcit, in æternum autem damnabit. Iuſtus autem gaudet ſub flagellis, quia ipſi ſeruatur hæreditas; non enim repellit Dominus plebem ſuam, ad tempus emendat, non in æternum damnat. Illi verò felici in terrenis ad tempus parcit, in æternum verò illum damnabit.

Quid ergo melius eſt tibi, dicit Auguſtin. temporalis labor, an ſempiterna pœna? temporalis felicitas, an ſempiterna vita? Deus promittit ſempiternam requiem; illius verò minæ ſunt de ſempiterna pœna, temporale ergo eſt, in quo Deus flagellat, in quo malis parcit temporale eſt, quia non repellet Dominus plebem ſuam, & hæreditatem ſuam non derelinquet, quoaduſquè iuſtitia conuertatur in iudicium, & qui habent eam, recto ſunt corde. Iuſtitiam habebis, ſi rectè vixeris, vt iudicium poſtea habeas; prius eſt tibi iuſtitia, vt illa poſtmodum conuertatur in iudicium, vt cum Apoſtolis, & tu Iudex ſias mortuorum. Malum ergo, ſi iuſtus fieri cupis, patienter ſuſtine, & tolera, paſſionem enim ſequitur iudicium. Voluit etiam Dominus Ieſus, & omnium Dominus iudicari, & ſic iudicare, quouſquè iuſtitia tua conuertatur in iudicium, Pſalm.77.nu.10. Sequere ergo tu Dominum in omnibus, & rectus corde efficieris, ità vt malos patienter ſuſtinendo iuſtitia tua ſequatur iudicium. Iſta eſt Dei voluntas, parcit ille, & tu parcas ſimiliter. Quoaduſquè vos patiar? dicebat Dominus, Matth.cap.17.num.16. quouſquè ero vobiſcum? quaſi diceret, donec iuſtitia patientiæ meæ conuertatur in iudicium;

Compatiaris ergo & tu infirmo, vt & te infirmum consoletur Dominus; dimittit tibi, vt & tu dimittas illi, Matth.cap.18.num.33. tuam ergo corrige, non Dei voluntatem ad tuam.

Sequitur tertia pars Psami: Quis consurget mihi aduersus malignantes? aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem? D. Hieronym. hìc dicit; Quod obscuri sunt Psalmi, & semper personas mutant, & propterea obscuri sunt, & nimiæ difficultatis est, scire in singulis vers. quis loquatur. Istum verò versiculum, de Christo loqui dicit, qui resurgens à mortuis excitat suos, vt resurgentes stent secum aduersus malignantes, & post aliqua subijcit. Quando dicit, quis, cæteros prouocat ad surgendum: Quomodò legimus in Isai. cap. 6. Quis ibit nobis? Ecce ego mitte me, dicit Isai. Cæteros ergo prouocat ad surgendum, qui sint ex populo suo Christiani. Domino resurget, quicumque resurrexerit, quia de suo exercitu aduersus malignantes rèsurget, & contrà Diaboli ministros. Qui vult ergo stare, prius resurgat, propterea dicit primò; Quis consurget mihi, deinde, quis stabit? hæc Hieron. Quis consurget mihi, vt quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram? ad Coloss.cap.3.num.1. & contrà negantes, Dominum Iesum esse filium Dei; maligni enim dicuntur, seù malignantes, qui inuidi, maligna loquuntur aduersus Dominum. Malignitas est peruersa, & deprauata voluntas, & ingratitudo versus Creatorem.

Quis ergo Christo consurget? Act. Apost.cap.2.num.37. His auditis compuncti sunt corde, &c. baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum. Omnibus etiam qui longè sunt, est repromissio, quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster. Baptizata fuerunt ergo in illa die animarum circiter tria millia, & erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & num.41. Saluamini, dicebat Petrus, à generatione ista praua. Isti consurgunt Christo aduersus malignantes, qui confitentes Iesum, recedunt ab illis iniquis, & stant cum Christo aduersus operantes iniquitatem, Act. Apost.cap.13.num.46. Tunc constanter Paulus, & Barnabas dixerunt; vide quomodò consurgentes Christo, constantes fiant; Quia repellitis verbum Dei, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem, Psalm.121. consurrexerunt Christo, & steterunt, Psalm.37.num.12. Quis stabit in domo Domini? Innocens manibus, & mundo corde, Psalm.13.num.3. In verbis Sancti stabunt ad iudicium, & non deficient in vigilijs suis, Eccles.cap.43.nu.11. Consurrectio ergo Christo necessaria est, sed nec sufficit, nisi sedens cum illo, aduersusq. operantes iniquitatem firmus sis in bonitate Christi, in vijs eius rectè ambulaueris, & mandata eius custodieris; vt illa rectè implere possis; fige cor tuum in Domino, Augustt. Quando in Domino figis cor, forma tibi sit, vt sit tibi cor rectum, fige ergo cor tuum in illo, & rectum cor erit.

Sed nec te extollas anima, quia rectum cor ad Dominum habeas, quasi illud ex tua virtute habeas. Nisi, inquit, quia Dominus adiuuit me paulominus habitasset in inferno anima mea; Palea plus est, quàm granum, circumdatus est iustus, & inter iniquos, ità vt vix euadere posse videatur è manibus illorum, à malis illorum persuasionibus, & instantijs. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam, Psalm.127. num.1.

num. 1. immo & inimici hominis domeſtici eius, Mich.cap.7.num.6. Matth. cap. 10.. num.36. Niſi quia Dominus adiuuit me, in foueam malignantium forſan & ego incidiſſem, mala & ego cogitando, & perſuaſionibus illorum quaſi conſentiens, & numerum iniquorum augendo, quaſi vnus ex illis factus eſſem. Iàm enim anima iuſti nutabat, cum malis penè conſentiebat, & in infernum, ideſt in foueam, ſeù foſſam, quæ peccatori præparatur incidiſſet, niſi Dominus illam liberaſſet, vndè Apoſt. 1.Corinth. cap. 10. numer. 13. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.

Si verò hæc verba de Chriſto intelligamus; Paulominus habitaſſet in inferno anima mea. Deſcenderat anima Chriſti in infernum, vndè dicebat Ioan. 10. num.17. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam, nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Inquit ergo anima Chriſti; Niſi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea: non quia anima Chriſti delicto iniquorum, vel perſuaſionibus impiorum aſſenſerit, neque quia aliquam etiam quantumcunque leuem pœnam meruerit, cum in ipſo, neque dolus, neque alia culpa fuerit, propterea quippè dicebat; Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan.8. num.46. Sed vt oſtenderet, quanta pro ſalute noſtra paſſus eſſet tormenta, & quia paratus erat etiam maiora ſuſtinere, quamuis dixerit, ſicut & in alio loco; Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem; Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat calix iſte à me: verumtamen non mea, ſed tua fiat voluntas, Matth.cap.26. num.38. & 39.

Si dicebam: motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine adiuuabat me. Triſtis enim, clamabat Ieſus, eſt anima mea, & præ dolore tamquam guttæ ſanguinis de eius corpore decurrebant in terram. Miſericordia tua Domine adiuuabat me. Apparuit enim ei Angelus de cælo, confortans eum, Matth. c.26. num.38. Marc.cap.14.num.36. Luc.cap.22.numer.43. & 45. & factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Et iterum in cruce poſitus, clamabat. Vt quid Domine dereliquiſti me? Et miſericordia Domini adiuuit me, quia ipſam animam ſuam in illo die euexit in expoliatione inferni, atque in glorioſiſſima ipſius reſurrectione.

Si dicebam: motus eſt pes meus, miſericordia tua adiuuabat me. Spiritus enim promptus, caro infirma, ſudor eius erat ſicut ſanguis decurrens. Domine, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; infirmitatem confitebatur, quem miſericordia Dei ſubſequebatur. Clamabat Petrus, Domine, ſi tu es, iube me venire ad te, Matth.14. ambulauit ſuper aquas maris, in tribulationibus huius mundi mergi dubitabat, confitebatur peccatum, ſuccurrit Dominus, poſuit manum, & adiuuit eum, dicens; Modicæ fidei quare dubitaſti? adeò fuit Deo accepta confeſſio peccati, vt confitenti ſuccurrerit ſtatim miſericordia ſua.

Si dicebam: motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine adiuuabat me. Auguſtin. Quomodò? Confeſſionem amat Deus; mouetur pes tuus, & non dicis, mouetur pes meus, ſed ſtare te dicis, cum iàm ruas; immo ſi iàm cœpiſti moueri, ſi iàm fluctuare cœpiſti, confitere motum, ne plangas ruinam, vt adiuuet te ille, ne in inferno ſit anima tua. Confeſſionem vult Deus, humili-

Digitized by Google

militatem vult: motus es vt homo, adiuuat te ille, vt Deus. Sed dic tamen motus est pes meus. Quare iàm moueris, & dicis sto? si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me.

Vt Christus sua potestate super mare ambulat, idest calcat capita superborum, & fluctus sæculi, ità eius iussu Petrus, idest Ecclesia; sed ex infirmitate titubat, & clamat, Domine pereo; & misericordiæ manum porrigit, sicut Dominus porrexit manum Petro, dicens, Modicæ fidei quare dubitasti? Quod ergo hìc dicitur, motus est pes meus, hoc ibi positum est, Domine pereo, & quod hìc positum est, misericordia tua Domine adiuuabat me, hoc positum est, porrexit manum Iesus, dicens, modicæ fidei vt quid dubitasti? Ipsa pericula nostra dulciorem nobis faciunt liberantem: vndè & contrà mala sæculi, consolatio subditur, quæ tunc est lætior: hæc Augustin.

Motus est pes tuus Petre sancte, quando ad vocem Ancillæ Iesum negasti? sed cum conuersus est ad te Iesus, flens confessus es, & misericordia Dei adiutus, non amplius ad vocem Ancillæ, sed nec ad Principum tenebrarum harum rectorum impulsus, motus est pes tuus. Vndè audacter aiebas, an licet potius obedire vobis, quàm Deo, Act. Apost. cap. 4. num. 19. cum sequen.

Pes tuus, caro tua mouetur aduersus spiritum; confiteor Domine Iesu, quia infirma est caro mea, misericordia tua adiuuit me. Ideò spiritus meus promptus est, & confiteor te Iesum Christum filium Dei, Redemptorem meum. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ lætificaueruut animam meam. Vritur corpus dolorum multitudine; multæ tamen consolationes, & suaues, quæ sunt in corde meo, æternas cogitantes retributiones; propterea mala temporalia despicio.

Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis qui fingis laborem in præcepto? Domine tu ex præcepto iussisti, vt qui vult venire post te, tollat crucem suam, & sequatur te, Matth. cap. 16. nu. 24. Adeòq. sequentes te, tormenta patiuntur, ab iniquis Iudicibus iniustè condemnantur; qui verò morte non afficiuntur, tribulantur, & varijs tentationibus cruciantur. Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, quòd vt ab iniquis iusti vexentur, quodammodò delectaris? Non adhæret ipsi sedes iniquitatis; quia iudicium incohat à domo Domini, idest modò est tempus, quo iudicentur, qui pertinent ad domum Domini, 1. Petr. cap. 4. num. 1. Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desijt à peccatis, vt non desiderijs hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne, viuat temporis; & num. 6. propter hoc enim, & mortuis euangelizatum est, vt iudicentur? quidem secundum homines in carne, viuant autem secundum Deum in spiritu. Et nu. 17. Glorificet Deum in illo nomine christianus, quoniam tempus est, vt incipiat iudicium à domo Domini. Si autem primum à vobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio, & si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt? Itàq. & hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

Fingit ergo Deus laborem in præcepto; idest Deus fecit præceptum, vt tribularentur electi, quia illorum animæ in manu Dei sunt, nec tangit illos tormentum mortis, sicut oculis insipientium videtur, nàm illi sunt in pace, Sapien. cap. 3. nu. 2. & si æstimata sit afflictio, exitus illorum, & quod à nobis

est

eſt iter, exterminium. Redditur etiam ibi ratio num. 5. Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos ſe, & tamquam aurum in fornace probauit illos, &c. Impij autem correptionem habebunt, qui iuſtum neglexerunt, & à Domino receſſerunt, & cap. 5. in ead. Sap. Nos inſenſati, inquient, vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & ecce quomodò computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt; iuſti autem in perpetuum viuent, ibidem numer. 16.

Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis? Quæ conuentio luci ad tenebras? quæ etiam ſedes Dei in hoc mundo, è qua præceperit, vt ſui fugiant mundana? Et ſi fingit laborem in præcepto, vt requiem percipiant in perpetuum in cælo, nunquid labor talis eſt vitandus, qui quietem, & pacem pro mercede perpetuadat in Paradiſo? Quanto labore, dicit Auguſtin. digna eſt requies, quæ non habet finem? ſi verum vis comparare, & verum iudicare, æterna requies æterno labore rectè emitur, verum hoc eſt; ſed noli timere, miſericors eſt Deus, ſi enim haberes æternum laborem, nunquid peruenires ad æternam quietem? ſemper laborans, quando peruenturus eras ad illud, quod dignè quidem poteſt emi ſempiterno labore? quia ſempiterna requies eſt, æqua pretium: æterno certè labore digna eſt æterna requies comparari. Sed ſi ſemper laborares, nunquam ad requiem peruenires; ergo vt aliquando peruenias ad illud, quod emis, non in æternum laborandum eſt, non quia non valet tanti, ſed vt poſſideatur quod emitur. Neceſſe eſt ergo, vt labori temporali ematur, quod dignum erat perpetuo labore comparari. In paucis ergo laborandum, vt ſine fine lætantes in Domino quieſcamus. Immo & ſi labores ſint in hoc ſæculo, conſolationes etiam ſunt Dei in anima iuſti talia patientis, quæ illum lætificant, & conſolantur, exhortationes enim Dei iucundant animam tribulati.

Timeas ergo ignem æternum, delinquentibus comminatum, & contemnes dolores temporales. Et pro eo, dicit Auguſtin. quod contemnis temporalem felicitatem, promiſit requiem: patere moleſtiam, minantur ignem æternum: contemne dolores temporales, & euigilante Chriſto, tranquilletur cor tuum, vt ad portum quoquè peruenias. Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis? de hominibus quidem malis exercet nos, & de illorum inſecutionibus nos erudit.

Captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt. Quid faciunt iniqui, vt animam innocentem condemnent? retia ponunt, vt iuſtum captare poſſint, capto enim frequentantium à capio, & idem eſt, quod blanditijs, & illecebris aliquem decipere, & decipiendo acquirere. Quanta contrà Ieſum falſa teſtimonia produxerunt; Negauit, dicebant iniqui, dari tributum Cæſari: Dæmonium habet, vt in Ioan. cap. 19. nu. 11. & Marc. c. 12. num. 14. Luc. cap. 23. num. 2. Dixit, poſſum deſtruere Templum Dei, Matth. cap. 26. num. 61. & reliqua, quæ per inuidiam improperabant Domino. Sciebat ille iniquus Iudex, quia contrà Ieſum non aderat malum vllum, & quia per inuidiam tradebant illum: Matth. cap. 7. num. 18. ſi per inuidiam traditum videbat, quomodò vocans Ieſum innocentem lauiſti manus, & tradidiſti iuſtum illorum voluntati? num. 24. Innocentem te declaraſti à ſanguine huius, ſed facto illum occidiſti; adiudicaſti enim fieri petitionem illorum clamantium, crucifigatur, Luc. d. cap. 28. num. 22. Ioan. cap. 19. num. 16.

Captauerunt animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnauerunt, ò Iudi-

igitized by Google

Iudicum infelicitatem, quomodò bonus Iudex, si non valuisti in instigantium tua virtute irrumpere iniquitates? ò persecutorum iniquorum malignitatem! nunquid Deo æquales vos esse præsumitis? ò ingratos, qui Redemptorem vestrum occidistis, vt vos interempti perpetuò in inferno concluderemini? Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt. Captauerunt, quia verum crimen, quod illi obijcerent, non inuenerunt, & non erant cõuenientia illorum testimonia, Marc. cap. 14.

Verùm quia Deus vltionum, reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos, disperget illos Dominus Deus noster. Iusto verò redditur præmium patientiæ: nàm factus est mihi, inquit Psalm. in refugium, & Deus meus in adiutorium spei meæ. Vsquequò iniusti gloriabuntur? donec pœnarum retributio illis dabitur; iusto verò factus est Dominus in refugium spei eius, quia fingit Dominus dolorem in præcepto, vt habens iustus spem in Domino, refugium quærat ab illo. Fingit Dominus laborem in præcepto, ne in felicitatem mundi immersus obliuiscatur auxilij, quod est à Domino. Recedat ergo spes sæculi, & accedat spes Dei, vt in tribulatione dicere possit, Dominus factus est mihi in refugium. Augustin. Ad hoc doleam, vt fiat mihi in refugium, & Deus meus in auxilium spei meæ. Modò enim Dominus spes; quandiù hìc sumus, in spe sumus, nondum in re; sed ne in spe deficiamus, adest promissor, qui non finit, nos tentari supra id, quod possumus ferre, 1. Corinth. cap. 10. Sed faciet cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere. Quousque Domine peccatores gloriabuntur? Audi, & factus est mihi Dominus in refugium, & Deus meus in auxilium spei meæ: Et redde illis iniquitatem ipsorum, retributionem. Quam retributionem? In malitia eorum disperdet eos Dominus Deus noster.

Iustus verò ab iniquis tribulatus, fruetur bonis æternis. Dicat sanctus Lucas olim corporum Medicus, & Pictor egregius, cuius diem festum hodie celebrat sancta Ecclesia, factus verò animarum medicus, Niceph. lib. 2. quæst. 43. qui tandem in Græciam reuersus, postquam cum Paulo Romæ fuisset à diuini verbi contemptoribus, ex fructiferæ oleæ arbore suspensus, quod aridi ligni, vndè crux fieret, copia non esset, Deo spiritum commendauit: cuius tanta fides, & in Domino spes fuit, & animarum salutis desiderium fragrans, vt etiam ex illius corporis membris vnguentum medicum scaturiret, quo sanabantur accedentes. De quo Michael Glicus lib. 3. Annal. quem refert Baron. in vol. 1. Annal. fol. 624. Iesu Christi anno 61. lit. E. Tui laus est apud Ecclesiam Dei, teq. & ego ex medico ortus, medicum animæ inuoco, vt pro eiusdem animæ meæ interuenias salute, quam Euangelio tuo instruere, & docere dignatus es, & tecum in corpore meo crucem Domini portans, saluus fiam in nomine illius, qui te ad cælestia Regna vocauit.

SOLILOQVIVM.

SERVA euangelica dicta anima mea, & tunc iustè psalles in quarta die Sabbati. Sed vbi in te proximi dilectio, si contrà iniqua agentes, & in suis infirmitatibus gloriantes, quasi illorum felicitatibus humanis inuideas conquærens hic ad Deum, ais: Vsquequò peccatores? vsquequò gloriabuntur pec-

cato-

Digitized by Google

catores ? quaſi Dominum à ſomno excitare velis ac ſi non ſit illi cura de inferioribus iſtis ? ſanè nec tu es ſine peccato, nemo enim mundus eſt ab illo, ità vt opus ſit & tibi parcat, ac tui miſereatur Deus ; cur ergo & tu conſerui tui miſerans non rogas Deum pro illo, vt & illius ad Deum conuerſi is miſereatur ? Si Deus peccatores deleret, nonnè miſericordia illius etiam in te ceſſaret ? Patiens eſt Dominus, vt & tu proximum tuum delinquentem ſuſtineas ; vt ſit in auxilium ſpei tuæ. Et ſi iniqui ab ipſorum via mala, & iniquitate non fuerint conuerſi, Deus vltionum Dominus liberè aget, quando iuſtitia conuertetur in iudicium. Sed Domine Ieſu, liceat mihi pro Eccleſia tua, pro hæreditate preces fundere apud te. Viduam, & aduenam interfecerunt iſti, & iàm infidelium eſt facta habitatio : pupillos, atque lactem Eccleſiæ tuæ ſanctæ fugentes occiderunt. Iàm exaltatus es Domine à terra, & in cruce poſitus, & mortuus, vt nos redimeres ; ingratos tamen Iudæos, & Hæreticos à te diſcedentes quouſquè patieris, quouſquè illos feres ? Non videbit Dominus hæc, dicunt infelices, nec intelliget. Nunquid qui plantauit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat ? ò infelices, ò ingratos vos omnes iniqua facientes. O te verò beatam animam meam, ſi Dominum te erudientem habueris, quod certè tibi erit, ſi veſtigia eius ſequens, ſpem tuam in illo figes ; propter te enim paſſus eſt Dominus in cruce, in medio latronum ab inimicis Iudæis traditus. Et tu anima mea, quæ in deſerto poſita es huius mundi, in medio iniuſtorum habitas, ſuſtineas illos neceſſe eſt, vt Domini, & Magiſtri tui Redemptoris facta ſequaris. Serua mandata Dei, donec peccatori fodiatur fouea. Non repellit Dominus plebem ſuam, pro qua ſe obtulit, & pollicitus eſt eſſe cum illa vſque ad conſummationem ſæculi, nec derelinquet hæreditatem ſuam, quam cohæredem in paſſione ſibi applicuit. Expecta iuſtitiam eius, quando conuertetur in iudicium, quia tu iuxtà illum eris, ſi recto ambulaueris corde. Motus eſt pes tuus ? confitere, quia miſericordia Dei adiuuabit te ; perſecutiones, & iuſtorum tribulationes, & dolores non ſuperant conſolationes Domini lætificantes. Perſecutiones, & innocentium occiſiones haud idcircò permittit Deus, vt adhæreat illorum ſedi iniquitatis, ſed ideò, vt corona iuſtitiæ te patientem lætificet, iniquos verò diſperſione diſpergat. Domine Ieſu in ſpei meæ adiutorium venias, in te enim Domine ſperans, non confundar in æternum, te adiuuante, te protegente. Audi me Domine, & per beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris tuæ merita exaudi me. Intercedat ſanctus Lucas tuus Euangeliſta, cuius feſtum hodie deuota mente recolo ; fiat Domine. Amen.

IN

Digitized by Google

IN PSALMVM XCIV.

Venite, exultemus Domino: iubilemus Deo ſalutari noſtro.

TITVLVS. Laus Cantici ipſi Dauid. Continuari poteſt cum præcedenti, in quo actum eſt de iuſto in medio iniquorum commorante, in medio tribulantium exiſtente. Cum enim eiuſdem perſeuerantia, & in tribulationibus patientia fuerit vſque in finem, gratia Dei eum præueniente; admodum conſequenter Eccleſia gratias Deo agens in huius Pſalmi titulo laudē cantici Chriſto canit, qui per paſſionem, & reſurrectionem ſuam iuſtum redemit à malo. Laus enim deuotionem, cantus hilaritatem ſignificat, vt cum lætitia laudemus Deum; hoc autem fit præcipuè tempore gratiæ, quando iuſtitia conuerſa eſt in iudicium, quando boni, & iuſti ad dexteram vocantur, iniqui ad ſiniſtram. Quocircà Titulus hìc ponitur, laus cantici ipſi Chriſto, qui iuſtum poſt tribulationes perduxit in cælum.

Summa, Ieſu Chriſto cantici laus cum hilaritate, quia liberauit plebem ſuam à Diaboli captiuitate.

Incipit autem Pſalmus: Venite exultemus Domino. Iubilemus Deo ſalutari noſtro; Inuitat Eccleſia Dei Chriſtianos, Iudæos, & Gentiles, vt relictis infidelitatibus, ſi ſaluari cupiunt, veniant ad ipſam, baptizentur, fidem Chriſti recipiant, quia iàm per paſſionem illius Cæli portæ credentibus, & fidelibus eius apertæ ſunt. Venite, exultemus ſimul, inquit Eccleſia, Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro. Talia ab Apoſtolis audientes ij, qui fidei Chriſti conſenſerant, dixere, Quid faciemus fratres? Pœnitentiam, inquit Petrus ad illos, facite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Saluamini à generatione iſta praua, &c. Qui verò receperunt ſermonem eius baptizati ſunt, & erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus, & cum exultatione collaudantes Deum, *Act.* Apoſtol. 2. num. 38. & 46.

Venite ergo fide, & mente, iubilate Deo Ieſu Chriſto: venite, exultate, iubilate: gaudium tale ſit in vobis, quod nec verbis exprimi, nec dici poſſit. Auguſtin. in princ. Laus Cantici, & hilaritatem ſignificat, quia cantus eſt, & deuotionem, quia laus eſt; quid enim magis homo debet laudare, quàm id, quod ſibi placet, vt non poſſit diſplicere? Securitas ergo laudis, in laude Dei: ibi laudator ſecurus eſt, vbi non timet, ne de laudato erubeſcat, hæc Auguſt. Sed nonnè & terreni homines in bonorum acquiſitione, vel honorum aſſumptione exultant? exultant certè, ſed ad modicum tempus, cum tranſeant hæ mundanæ exultationes cum ipſis. Cum enim interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius, Pſalm. 48. num. 18. Ergo non bona exultatio terrena, verum autem gaudium, & exultatio in Deo, quia merces iuſtorum ſcripta, & copioſa eſt in Cælo: propterea dicit, Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio.

Venite,

Venite, inquit, exultemus. Charitatem oſtendit hìc Pſalmiſta, quærit enim ſaluris ſocios, vt appropinquent, qui per peccatum longè facti ſunt à Deo, exultationi, & lætitiæ, quæ in cælis præparata eſt iuſtis, iuxtà id, quod in Euangelio dicitur, quia in cælo gaudium eſt ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſupra nonagintanouem iuſtis, qui non egent pœnitentia, Luc. cap. 15. num. 7. Venite, qui per morum diſſimilitudinem longè facti eſtis à Chriſto mala vita veſtra: ſed quomodò dicit, venite, ſi Dominus eſt vbiquè, cui Deus eſt propinquus, iàm illi adeſt; & non eſt, vndè quis ad eum veniat. Non loco quiſque longè eſt à Deo, dicit Auguſtin. hìc, ſed diſſimilitudine; mala ſcilicet vita, malis moribus, ſicut bonis moribus Deo appropinquamus, ſic & malis moribus à Deo recedimus, prout quiſque amorem habuerit, ità accedit, vel recedit à Deo.

Venite, exultemus Domino, ſed nonnè ſemper exultare debemus Domino? Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio, Pſalm. 32. num. 1. Semper in Domino exultatio; ſed hodie magis filio Dei Ieſu Chriſto, quia ipſe prius venit curare vulnera noſtra, Matth. cap. 8. num. 7. Ego veniam, & curabo eum; venit vt vocaret peccatores, Luc. cap. 5. num. 32. ad pœnitentiam; ad perditorum ſaluationem, Ioan. cap. 10. Ego veni, vt vitam habeant, Matth. cap. 18. filius hominis venit ſaluare, quod perierat. Venite, exultemus hodie; non ſicut Patres noſtri obduremus corda noſtra, quia propter illorum incredulitatem non intrauerunt terram promiſſionis, ſed in deſerto mortui ſunt; errauerunt enim, & non cognouerunt vias Domini. Hodie Deus factus eſt homo, vt vobis eſſet lux vera, quia ipſe eſt Via, & Veritas, vt ſecum introduceret nos in Paradiſum curando vulnera noſtra, ad Hebr. cap. 3. & 4. per totum, & numer. 8. nàm ſi eis Ieſus requiem præſtitiſſet, nunquam de alia loqueretur poſt hac die. Itaquè relinquitur Sabbatiſmus populo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, etiam ipſe requieuit ab operibus ſuis, ſicut à ſuis Deus, hæc Paul. Quieuit Deus die ſeptima, poſtquam operatus eſt, vt & nos operantes cum illo quieſcamus in pace. Venite ergo, ò vos omnes, qui longè facti eſtis ab eo: accedite, & illuminabimini, & facies veſtræ non confundentur, Pſalm. 33. numer. 6. & nobiſcum exultabitis Domino; ſimul iubilemus Deo ſalutari noſtro. Iubilare eſt gaudium verbis non poſſe explicari, & tamen voce teſtari, quod corde conceptum eſt; & verbis explicari non poteſt; hoc eſt iubilare, dicit Auguſtin. hìc. Salutari noſtro, dicit, ab illo enim animæ, & corporis ſalutem habemus, quia ipſe mortuos nos paſſione ſua redemit. Exultemus ergo Domino ſalutari noſtro, qui eſt Chriſtus, Luc. cap. 2. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, hoc eſt gaudium noſtrum, ſit in mente, & exterioribus actibus oſtenſum, ità vt etiam in aduerſis gaudentes exemplo Chriſti lætemur, quia omnia, quæ habemus, ab illo procedunt. Exultauerunt Angeli, Luc. cap. 1. & cum propter nos venerit, cur non & nos magis cum ipſis inenarrabili exultabimus lætitia?

Præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei. Quid eſt præoccupare faciem Domini in confeſſione, niſi peccata confitentes, quarta Sabbati pſalmum quoque Deo dicere? Nàm poſt mortem non eſt confeſſio, Eccleſ. cap. 17. num. 26. Ante mortem confitere; à mortuo quaſi nihil, perit confeſſio: Confiteberis viuens, viuus, & ſanus confiteberis, & laudabis Deum, & glo-

igitized by Google

gloriaberis in miſerationibus illius, nón enim reuertitur oculus ampliùs, vt videat bona, Iob cap. 7.numer.7. Gregor. ibidem litera C. Ad videnda bona extinctus oculus non redit, quia ad exhibenda eorum opera exuta carne anima non recurrit. Præoccupemus faciem eius in confeſſione; nàm miſericordia, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius, Eccleſ.5. num.4. & in cap.9.num.10. Quodcumque poteſt manus tua facere, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt apud inferos, quo tu properas.

Præoccúpemus faciem eius, ideſt, confeſſione præueniamus, ne iraſcatur nobis Dominus, nec de die in diem differamus; ſubitò enim venit ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet peccatores, Eccleſ.cap.4.num.8. Præoccupemus ergo, dicit, in confeſſione, confitendo, quia peccauimus Deo, & proximo, & tunc, ideſt poſt peccatorum confeſsionem in pſalmis iubilemus illi: D.Greg. Moral. lib.8.cap.10. Præoccupemus faciem eius in confeſsione, quia ſcilicet oculi eius in me, & non ſubſiſtam, dicit Iob ibi, ac ſi apertè diceret. Diſtrictus ad iudicium veniens, & ad ſaluandum non vides, & ad feriendum vides, quia quem in præſenti vita diſpenſationis tuæ miſeratione non reſpicis, reſpiciendo poſteà per iuſtitiam extinguis. Nunc enim peccator quiſque Deum non metuit, & viuit, blaſphemat, & proficit, quia ſcilicet miſericors creator, quem expectando vult corrigere, aſpiciendo non vult punire, ſicut ſcriptum eſt Sapien.cap.11. Diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Rurſum ſuper illud Iob cap.7.numer.8. Oculi tui ad me, & non ſubſiſtam, ac ſi apertè, dicit Gregor. Iuſti voce diceretur, ſi ſubtili examinatione diſcutior, ad perferendum iudicium non aſſurgo, quia ad pœnam vita non ſufficit, ſi hanc immunitas veſtræ retributionis premit. Diluculo ergo ad Deum conſurgendum, vt ad nos vigilet, & pacatum reddat habitaculum iuſtitiæ veſtræ, Iob cap.8.num.5. Tu tamen, inquit, ſi diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus: ſi mundus, & rectus inceſſeris, ſtatim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iuſtitiæ tuæ.

Præueniamus ergo, ſiuè præoccupemus faciem eius in confeſſione, non parcendo ori noſtro; vndè Iob cap.7.numer.11. Ego non parcam ori meo; loquar in tribulatione ſpiritus mei, contribulabor cum amaritudine animæ meæ; ori enim ſuo non parcit, qui confiteri malum, quod fecit, non erubeſcit, Gregor. dicto cap.10. propè finem. In laborem quippè os mittere, eſt ad hoc confeſſionem perpetratæ iniquitatis occupare; ſed iuſtus ori ſuo non parcit, quia iram Iudicis diſtricti præueniens, verbis contrà ſe propriæ confeſſionis ſæuit, hæc Gregor. Hinc Prouerb. cap.28.num.13. Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit, & dereliquerit ea, miſericordiam conſequetur, Prouerb. cap.18.num.17. Iuſtus prior eſt accuſator ſui. Præoccupemus ergo prius, ò vos etiam qui vocati eſtis, in confeſsione, & in pſalmis iuſtè iubilabimus ei; confiteamur laudando Deum, & memores etiam confiteamur, quia peccauerimus ei. Et hæc, dicit Auguſtin. hìc. Sunt vota, de quibus Pſalm.65.num.4. Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea; Vt illum laudes, te accuſa; quia illius eſt miſericordia, quòd noſtra dimittat peccata. Gemina enim confeſsio eſt, laudis, & peccati, confeſsio peccati pertinet ad laudem ignoſcentis; Auguſtin. Tantò enim maior eſt

laus

laus ignoſcentis, quantò maior exaggeratio eſt peccata confitentis. Dei enim gloriam commendamus, cum peccata noſtra cognoſcimus; perditi enim eramus, quia peccauimus, & morte perpetua digni. Nonnè magna eſt Domini miſericordia Ieſu Chriſti, qui vt tu vitam haberes, mori ipſe voluit? vt te redimeret, ipſe captiuus factus eſt, vt pro te Patri ſatisfaceret, peccatum tuum ipſe portauit, Iſai. cap. 53. vt peccata tua deleret.

Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos, ſuper omnes, qui confitentur illum, qui ſequuntur veſtigia eius vſque ad finem, quos non derelinquet, vt in æternum conſeruentur, Pſalm. 36. numer. 28. Iuſti enim, omnes Dij vocantur. D. Hieronym. lib. 3. Comment. in Matth. cap. 16. Pulchrè enim dicit, interrogat, Quem dicunt homines eſſe filium hominis? quia qui de filijs hominum loquuntur, homines ſunt; qui verò diuinitatem eius intelligunt, non homines, ſed Dij appellantur.

Rex magnus ſuper omnes Deos. Nàm ſuper ſanctos Martyres, Apoſtolos, & Confeſſores fundauit Eccleſiam ſuam, ſic quod peculiari ratione dixit Petro, vt Eccleſiæ capiti, dictum ſumere eſt & Sanctis alijs. Et ego dico tibi, ò Petre, ò vos omnes Sancti, & iuſti Dei, quia ſuper hanc petram fidei veſtræ ædificabo Eccleſiam meam; vndè Paul. ad Coloſſ. 1. num. 24. Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionũ Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia, hinc Pſal. 86. n. 1. Fundamenta eius in montibus ſanctis. Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob, Pſalm. 86. num. 1. & Pſal. 81. Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Ergo ipſi Deo laus Cantici, quoniam Deus magnus Dominus, quia filius Dei eſt, Ioan cap. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Magnus Dominus, quia omnia ſeruiunt illi, Pſalm. 118. num. 91. omnia enim ipſi obediunt: latum enim mandatum eius nimis, ibidem numer. 96. Quis eſt iſte, cui venti, & maria obediunt? Matth. cap. 8. num. 27.

Iubilemus ergo, quoniam Deus magnus eſt Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos. Auguſtin. Sunt ergo Dij, ſuper quos magnus eſt Deus noſter, cui iubilamus, cui exultamus, cui laudes Cantici dicimus. Magnus Dominus, qui fecit cælum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt, Pſal. 8. nu. 4. & Pſal. 101. n. 24. Deus magnus ſuper omnes Deos. Magnus, qui facit Deos. Quales verò Dij ſunt, quos facit homo? quàm iſte magnus Deos faciendo, tàm iſti nihil, qui ab homine facti ſunt; Deus verus facit Deos credentes in ſe, quibus dedit poteſtatem filios Dei fieri; participatione tamen; non natura, ſed gratia, qua voluit facere Deos, Auguſt. Et ideò ipſe verus Deus, quia Deus non factus eſt, nos autẽ facti, non veri Dij; meliores tamen illis, quos homo facit; ſimulacra enim gentiũ argentũ, & aurum, Pſal. 113. Os habẽt, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt; nobis autem Deus noſter oculos videntes fecit. Neque in eo tamen Deos nos fecit, quia videntes oculos nobis fecit, nàm fecit & hoc pecoribus, ſed ideò nos Deus fecit, quia interiores oculos noſtros illuminauit. Ergo confeſſio illi, laus illi, iubilatio illi, quia magnus eſt Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos.

Quia non repellet plebẽ ſuam. Plebs Dei, quæ ex arbore oliuæ, cuius, quãuis

aliqui rami fracti, quia per ſuperbiam nimium elati erant; non tamẽ & alij,qui in humilitate remanſerunt,& qui ex oleaſtro inſerti ſunt, ceſſauerunt inter plebem Dei cõnumerari; alioqui ſi omnes rami frangerentur,dicit Apoſtolus hìc; vndè Petrus? vndè Ioannes? vndè illi omnes Apoſtoli? vndè ipſe Paulus Apoſtolus? ad Roman.11.nu.16. Plebs ergo Domini omnes iuſti, Iſai.60.n.21. ex arbore oliuæ ramis, ſeù ex oleaſtro illi inſertis, reliquiæ etiam Iſrael ſaluæ fient, Iſai.10.n.22. Magnus ergo Dominus,& laudabilis nimis,quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit. Cur dicit, In manu eius ſunt omnes fines terræ, ipſe eſt, qui fecit Cælum, & terram,& omnia,quæ in eis ſunt, quid mirũ ſi etiam in manu eius ſint omnes fines terræ? niſi quia & ſi plebem ſuam elegerit ſibi, funiculum hæreditatis ſuæ, Pſalm.104.num.11. cui etiam terram Chanaan in funiculo diſtributionis ſorte diuiſit, eijciens à facie eorum gentes, Pſal.77.nu.54. clemens tamen Dominus non ità eiecit gentes à facie eorum,quin etiam in manu eius ſint omnes fines terræ,omnes gentes ſcilicet, quas potuit in oliuæ arbore ramis fractis inſerere, & oleaſtro, & ex vtraque facere vnum. Venit enim Dominus,vt eos,qui perditi erant,ſaluaret; venit vocare peccatores. Iubila ergo, quæ ſterilis eras, quia paries, Iſai. 54. in princ. Lauda ſterilis, quæ non paris,decanta laudẽ,& hinni,quæ non pariebas; quoniã multi filij deſertæ magis, quàm eius, quæ habet virum; dixit Dominus, Dilata locũ tentorij tui,& pelles tabernaculorum tuorum extende,longos fac funiculos tuos; ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis, & ſemen tuum gentes hæreditabit; lapis enim angularis, & alios in ſe coniungit, ideſt gentes.

Et altitudines montium, ideſt terrenas poteſtates, quæ prius erant aduerſæ. Auguſt. Lapis angularis Chriſtus, non poteſt eſſe angulus,niſi duos in ſe copulauerit parietes, ad angulum de diuerſo veniunt, ſed in angulo ſibi non aduerſantur. Venit ex vna parte circumciſio,venit ex alia parte præputium,in Chriſto ambo populi concordauerunt, quia ille factus eſt lapis, de quo Matth.12. Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes,hic factus eſt in caput anguli. Vna ergo eſt plebs Domini facta,vna in Chriſto fides,vna Eccleſia Dei,vna hæreditas,quã non repellet Dominus. Et nos populus eius, & oues paſcuæ eius,quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit. Miſerando cõſpicit illos Dominus,non puniendo; & miſerando altitudines montium,ideſt terræ Principes illuminauit, & ex inimicis, qui prius nominis Chriſti erant, facti ſunt defenſores in capite ſuo Crucem Chriſti portantes. Conſpicit ergo illos, quos miſeratus eſt; vndè in Pſal.85.nu.16. dicitur, Reſpice in me,& miſerere mei, & Pſalm.32. L. H. Quia finxit ſingillatim corda eorum. Auguſtin. Manu gratiæ ſuæ, manu miſericordiæ ſuæ finxit corda, plaſmauit corda noſtra, & ſicut ſingillatim membra corporis noſtri habent opera ſua,& tamen in vnitate corporis viuunt,ſic & in Chriſti corpore ſinguli homines,tamquam membra ſingula dono ſibi gaudent; quia ille,qui elegit populum ſibi in hæreditatẽ, finxit ſingillatim corda eorum. Omnes Chriſtiani principes inſeruiunt Chriſto, & Eccleſiæ eius, alij docendo ſicut Papa, Epiſcopi, & Doctores; alij verò armis, & exemplo Eccleſiam defendendo, ſicut dicit Apoſtol. 1.Corinth.10. Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? alij quidẽ per ſpiritũ datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alij fides ſecundum eundẽ ſpiritum, Quare? quia finxit ſingillatim corda eorum,quomodò in membris noſtris diuerſa sũt opera,

ſed

ſed ſanitas vna, ſic in omnibus membris diuerſa munera, ſed charitas vna. In manu ergo eius ſunt omnes fines terræ, quia in omnem partem terræ exiuit ſonus Apoſtolorum, & prædicantium, & in fines orbis terræ verba eorum.

Et non ſolum gentes cœperunt verbum Dei, ſed altitudines etiam montium, Imperatores, Reges, & Principes, & ex his multi ad vindictam malorum. O beata gens, cuius eſt Dominus hæreditas illorum: ò beata gens, quam Dominus elegit in hæreditatem ſibi, Pſalm. 32. num. 12. O beata gens, quam ex gente elegit Deus in hæreditatem ſibi, quorum animæ ſuſtinent Dominum: iſti enim iuſti, & recti, quos decet exultatio, & collaudatio, & in Domino iubilatio, ecce gens poſsidet Deum, & eadem poſsidetur ab eo. Auguſtin. in d. Pſalm. 37. Et ità Deus eſt poſſeſſor, & poſſeſsio; poſſeſsio, quia ex eo viuimus, tamquam de pane noſtro; poſſeſſor, quia excolit nos, vt terram ſuam, & praua extirpat, & in vtroque non Deus, ſed homo proficit. Beata ergo gens de Deo poſſeſsione, beatus eſt populus de Deo poſſeſſore. Quia non eſt homo beatus, niſi per illud, quod eo melius eſt; ſi ergo melior te vis eſſe, quære, quod te melius eſt, & efficieris melior te, & beatus: illud autem non quæras extrà te, quia in te eſt, quod quæris, ſi beatus eſſe cupis. Non illud quæras in corpore tuo, ſed in ipſo animo tuo quære, quid ſit melius, quia beatitudo hominis in animo tuo eſt: quia animus naturaliter eſt capax beatitudinis, valens ea frui, & per illuminationem gratiæ, quæ ſit vera beatitudo intelligit, eamquè meretur; per cuius illuminationem, meretur etiam corpus ei ſubiectum incorruptionem, vt fiat inferioris reparatio, ideſt corporis per meliorem, ideſt per animum.

Vt ergo anima beatitudine fruatur, & rectè exultet in Domino, & in Deo ſit illius iubilatio: præueniat faciem eius in confeſſione; & pſallat tunc in iubilo eius, quia facta de plebe Domini nunquam deſtituetur ab illo; Non enim permittet Deus nos tentari ſuprà id, quod poſſumus; ipſe enim omnium Dominus eſt.

Quoniam ipſius eſt mare, ideſt mundus, qui totus in fluctibus, & tribulatione poſitus eſt; & ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius. Mare fecit; terminum tamen illi ſtatuit, ne tranſiret fines ſuos: in fluctibus enim mundus eſt, vt iſti tentati, magis reſiſtendo ſibijpſis proficiant; ipſe Deus ità facit, quòd nec ſcandala nobis nocent, menſuram enim habent à Deo, nec illam præterire poſſunt. Tu ergo vbi poſitus ſis, non ignores; quia in mundo es, ſed Deus illius eſt Dominus. Turbaris, quia tuus pes mouetur? confitearis peccatum cum Petro, dicens, Domine ſuper aquas maris ecce venio ad te, incipiebat enim mergi, & dixit, Adiuua me Domine, ſaluum me fac. Quare dubitaſti, dicit Ieſus, ò modicæ fidei? & extendens manum apprehendit eum, & in nauicula poſitus ceſſauit ventus, Matth. 14. Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, cuius fluctus non ſæuiunt, quando in nauicula poſitus eſt, quãdo peruenit ad litus, vt peruenias ad Deum, & ipſe porriget manũ, & ceſſabit ventus, 1. Corinth. 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſuprà id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cũ tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Et ideò.

Et aridam fundauerunt manus eius, vt tu arida terra facta, iacto in ipſam fundamento fidei, à vento maris valido mutari non poſsis, non proſterni, non deuaſtari. Auguſtin. eſto tu arida terra, ſiti gratiam Dei, vt veniat ſuper te imber

Digitized by Google

imber dulcis, inueniat in te fructum, non permittit fluctus operire quod seruit. Et aridam terram manus eius finxerunt. Ergo & hinc iubilemus ei, redeamus ergo ad illud, vndè cœperat; Venite, adoremus, & procidamus, ploremus ante Dominum, qui fecit nos. Ardes fortè conscientia delicti, lacrymis extingue flammam peccati: plora ante Dominum, securus plora ante Deum, qui te fecit, non enim opus manuum suarum contemnit in te. Noli putare, inquit Augustin. quia potes à te refici; à te deficere potes, tu teipsum reficere non potes; ille reficit, qui te fecit. Ploremus ante Dominum, qui nos fecit; lacrymare ante illum; confitere illi, præueni faciem eius in confessione. Quis enim es tu, qui illi ploras,& illi confiteris,nisi quem fecit? Non paruæ fiduciæ est ad factorem res facta,& non quomodocunquè facta, sed ad imaginem,& similitudinem ipsius; hæc August. Ploremus ergo ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster,nos autē populus eius,& oues pascuæ eius.

Sed quomodò dicis, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro, si in medio huius Psalmi, & in fine, ad procidendum, & coram eo plorandum, inuitas? Quomodò lætitia cum cantu? Reddit rationem; quia nempè fecit nos. Nonnè & alios quoque fecit? exultemus, & iubilemus, quia suam gentem fecit nos, nos autem populus eius, inquit, & oues pascuæ eius, & Deus non repellet plebem suam. Ploremus, quia in medio vmbræ sumus, quia in mari fluctuante, & à vento valido agitati sumus, nostrum periculum, & aliorum peccantium perditionem ploremus. Venite, adoremus, & procidamus; Confitentes eum in cithara, in ieiunijs scilicet, & maceratione corporis, tribulationes, & afflictiones patienter sustinentes, castigati, & non mortificati, 2.Corinth.cap.6nu.9. quasi morientes, & ecce viuimus, quasi tristes semper autem gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tamquam nihil habentes, & omnia possidentes, &c.

Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus, quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhùc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus, Psalm.42.num.5. Venite, inquit, quia etsi laudes, iubilationes Domini enarrauerim vobis lactentibus, rudibus, durius tamen aliquid vobis faciendum remanet,vt in lætitia,& exultatione permaneatis. Nolite confidere in verbis laudis tantùm, sed in operibus bonis, in ieiunio, & fletu, & planctu scindite corda vestra,& non vestimenta vestra, Ioel 2.nu 12. & 13. Propius Domino accedite procidentes, & adorantes, & plorantes coram Domino, vt peccatorum flamma extinguatur, quæ nos vrit in conscientia.

Augustin. litera D. Ardes fortè conscientia delicti, lacrymis extingue flammá peccati. Venite, adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quoniam ipse est Dominus Deus noster,nos verò populus pascuæ eius, & oues manuum eius. Populus ergo Dei, quia de pascuo sunt oues, oues verò opus manuum suarū, non ab homine fieri oues possunt, vel enim emuntur, vel furantur,non fiunt tamen; populus verò nos Dei,oues illius sumus,opus manuū suarum sumus. Non ergo ex nobis est vita nostra, sed ex Deo, ab ipso facti, & redempti. Idem Augustin. litera E. Non dixit oues pascuæ eius,& populus manuum eius, quod magis posset congruere, quia oues ad pascua pertinent; sed ait, populus pascuæ; ergo populus oues sunt, quia dicit, populus pascuæ eius, ipse populus oues sunt, & ideò dixerat suprà, procidamus ante eum,

quia

quia ipſe fecit nos. Rectè igitur dicit, populus manuum eius; nullus enim homo facit oues, at verò Deus noſter fecit nos homines, oues paſcuæ eius; hæc Auguſtin. Et ideò fecit nos oues, quia ſicut ouis populus eius debet incedere. Ipſe etiam Dominus tamquam ouis ad occiſionem ductus eſt, qui nec os ſuum aperuit, Iſai. cap. 53. gratia ſua nos ſibi oues facere voluit. Ouis manuum Dei fieri cupis? obſerua, quæ in Cantic. cap. 4. num. 2. dicuntur, & tunc perfectus eris. Dentes tui, inquit ſponſus, ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas. Dentes tui, per quos loquitur Eccleſia, non ſint extrà illam, ſit locutio tua eo conſona, & de eo, quod ſuadet Eccleſia. Sequere Chriſtum, dicentem, Matth. cap. 19. num. 21. Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurũ in Cælo, & veni, & ſequere me. Ecce hìc quomodò commendantur illa duo præcepta, amor ſcilicet Dei, & proximi; iſti duo gemellis tonſarum aſcendentium de lauacro; tonſæ erant, quia omnia terrena reliquerant; de lauacro aſcenderant, quia per aquam Baptiſmi mundæ factæ erant, & binis incedebant fœtibus cum dilectione ſcilicet Dei, & proximi.

Hodie vocem non amplius per Prophetas, & alios Dei nuncios, ſed per os Domini Dei audis. Qui non intrat per oſtium, fur eſt, & latro, vndè prius lauacro Baptiſmi crimina tua laua; inſuper audi quid loquatur Dominus. Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Omnis, inquit, non in numero plurali, quia multi ſunt vocati, pauci verò electi, Matth. cap. 20. num. 16. Luc. cap. 13. nu. 30. cum ſequen.

Hodie ergo dicit Spiritus ſanctus, ſi vocem eius audieritis, ad Hebr. cap. 3. num. 15. Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati; participes enim Chriſti effecti ſumus; ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus. Et prius numer. 9. dixerat, Videte fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo, ſed adhortamini voſmetipſos, per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Quia, vt ratio ſuadet, poſt hodie, poſt hanc vitam noſtram, poſt mortem noſtram non eſt pœnitentia: Nos verò dicamus, hodie, quia iàm vocem eius audiuimus. Et quidem, dicit Apoſtolus, non audierunt? in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Pſalm. 18. num. 5. ad Roman. cap. 10. num. 18. Inexcuſabilis es ergo, ò Chriſtiane, ò Iudæe, ò Gentilis, ad Roman. 1. num. 20. & cap. 2. in princ. qui Deum cognouiſtis, & non ſicut Deum glorificaſtis. Stat ad oſtium Dominus, & pulſans dicit, Apocalyp. cap. 4. numer. 20. Ego ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Qui vicerit dabo ei ſedere mecum, in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.

Venite iuſti, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro: nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis. Hodie clamat, vocat, inſtat, vt ad illum veniamus, vocem eius audiamus, & audiendo, Dominum ſequamur; laudando eum, & opere implentes, quæ præcepta ille ſeruanda mandauit.

Nolite obdurare corda veſtra. Quid eſt obdurare cor, niſi voces euangelicas in cor non intromittere? obdurat enim qui non admittit bonum, quod ſibi proponitur, ſic ex operibus à Deo per Moyſen, & Aaron factis in Ægypto, coram Pharaone, induratum eſt cor illius; peccator namque cum venerit in profundum malorum contemnit, Prouerb.cap.18.num.3. Vndè Auguſtin. in Serm. de Tempor.88. Tom.10. litera B. Fratres chariſſimi ex multitudine peccatorum deſperatio naſcitur, & ex deſperatione obduratio generatur. Nolite ergo obdurare corda veſtra, ſi enim peccata ſurrepſerint vobis, ſine vlla mora medicamentum eleemoſynæ, vel pœnitentiæ feſtinemus animarum noſtrarum vulneribus prouidere. Vtiliter enim malagma, vel fibula calidis adhùc vulneribus apponitur, & citò ad ſanitatem vulnus reducitur, quod putreſcere longa abuſione non ſinitur. Tu ergo ne cor tuum obdures, agnoſce peccatum, & Deus ignoſcit: agnoſce ergo, vt ignoſcat, & non obdurabitur cor tuum; agnoſce diſciplinam, ne iraſcens Dominus pereas de via iuſta.

Nolite ergo obdurare corda veſtra: obduratio non eſt à Deo, ſed ab ipſomet peccatore in peccato permanente, Ezech.cap.2.numer.4. cum ſequen. Tunc enim gratia Dei ab eo abeſt, quem obdurat nequitia; Ceſſent Paganorum, & aliorum falſæ opiniones, qui ex Text. Exod.cap.4. & 9. numer.12. de Pharaonis corde indurato dicunt, Cur iniquitas illa Pharaoni imputatur, cum Dominus cor illius obduraſſe referatur. Benignitas ſanè Domini illum corrigendo ad pœnitentiam adducere intendebat, vndè Apoſtol. ad Roman.cap.2. numer.5. An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum autem duritiam, & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei; & Eccleſ.cap.30.num.8. Equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadit præceps, & ibidem num.12. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans eſt; ne fortè induret, & non credat tibi, vndè Auguſtin. in Tom.10. Sermon. 88. litera L. Iſta teſtimonia Scripturarum, ideò inſinuantur, vt intelligamus, quia & obduratio, non Dei potentia compellente perficitur, ſed Dei remiſſione, vel indulgentia generatur, ac ſic Pharaonem non diuina potentia, ſed diuina patientia credenda eſt obduraſſe. Denique quoties, eum Dei plaga percuſsit, afflictus pœnituit; at vbi ei remiſsio diuina indulgentiam dedit, iterum ſe in ſuperbiam elatus erexit. Hoc ergo, inquit, diffinitiſsimè credite fratres, & hoc intelligite, quia quoties Dominus dixit, ego indurabo cor Pharaonis, non aliud intelligere voluit, niſi ego amouebo plagas meas, & flagella. Vndè eum per indulgentiam contrà me obdurari permitto. Sed fortè aliquis dicat, quare illum Deus parcendo indurari fecerit, & quare flagella remouerit; Hoc loco dicit Auguſtin. Securus reſpondeo, ideò Deus toties flagella remouit, quia Pharao pro ingenti cumulo peccatorum ſuorum, non tamquam filius ad emendationem meruit corripi, ſed tamquam hoſtis permiſſus eſt indurari. Tantæ enim illius iniquitates præceſſerunt, & Deum toties ſacrilego auſu contempſerunt, vt in illo impleretur, quod de talibus Spiritus ſanctus dixit, Pſalm.72. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideò tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua; prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum.

Nolite ergo obdurare corda veſtra. Qui iàm longè per peccata à Deo facti eſtis,

eſtis, accedite ad verbum Dei, & ſentite quæ ab Eccleſia proferuntur pro veſtra ſalute, & illuminabimini, reuertentes ad cor. Patrum veſtigia non ſequamini, qui in deſerto toties Deum tentauerunt, & pœnas obdurati ſuſtinuerunt; nàm omnes præter Ioſue, & Caleb in deſerto mortui ſunt, filij enim eorum, adeòq. & Diaboli eritis, ſi in peccatis veſtris ad eorum imitationem permanſeritis, Ioan.cap.8. num.41. & 44. Vos facitis opera patris veſtri diaboli, quia non poteſtis audire loquelam meam; vos ex patre diabolo eſtis, culpa enim parentum repetitur, vt vindicta timeatur.

Auguſtin. Hodie ergo, quia vocem auditis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in irritatione ſecundum diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me Patres veſtri. Chriſti verba ſunt hæc, ſecundum diem tentationis, ideſt in die tentationis, quia tunc ſimiles illis eritis. In quo tentauerunt? quia potentiam Dei negabant, & videbant mirabilia. Generatio praua, & exaſperans, generatio, quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius; obliti ſunt benefactorum eius, & mirabilium eius, quæ oſtendit eis, Pſalm.77. num.16. Coram Patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, interrupit mare, & perduxit eos, & quaſi in vtre ſtatuit aquas. Et eduxit eos in nube diei, & nocte in illuminatione ignis; aquam de petra, & tamquam flumina eduxit, nunquid poterit, dicebant, parare menſam in deſerto? vt latius in Exod. per totum, & præcipuè cap. 14. vſque ad finem, & in Numer. Multo melius, dicebant, erat ſeruire Ægyptijs, & cap. 15. in Cantico Moyſis; Equum, & Aſcenſorem proiecit Dominus in mare; Murmurauerunt nihilominus contrà Dominum, cap. 16 num.4. Et pluuit illis panem de cælo; Nonnè opera Domini manifeſta? Mare exſiccatum: Pharao cum toto Exercitu ſuo quaſi plumbum in aquas ſubmerſus: Amalec à Moyſe ſuperatus; adhùc immemores, & durioris ceruicis. Propterea Moyſi dicebat Dominus; Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contrà ipſos, & deleam eos, Exod. cap. 32. nu. 10.

Sequitur Pſalm. Secundum diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me Patres veſtri, probauerunt, & viderunt opera mea. Secundum, inquit, diem tentationis, ideſt toto tempore, quo illos de deſerto eduxi. Vnica enim dies dici poteſt, quia ſemper dum illud pertranſierunt contrà Dominum murmurauerunt, & tentauerunt; plures remiſſiones, quia pluries peccauerunt, vnica tamen in fine pœna, qua omnes exterminati ſunt, vna ergo dies, quia in fine vnum illorũ qui ex Ægypto egreſſi erant, fuit exterminium. Num. per totum, & in cap. 14. Decies enim tentauerunt Dominum in deſerto, ibid.num.14. immo & pluries, vndè in d.cap.14.num.27. Vſquequò multitudo hæc peſſima murmurat contrà me. Propterea dicerem ego, quòd diem intelligit hìe Dauid, totum tempus quadraginta annorum, à ſimili enim habemus, in Ezech. cap.4.num.26. & in d.cap.14. Num. num. 34. quia Dominus annum, vnum diem computat; Annus enim, inquit, pro die imputabitur, & in 2. Petr. c.3. num.8. Vna ſcilicet dies apud Deum, ſicut mille anni, & mille anni tamquam vnus dies. Infenſus fuit populus ille iniquus Domino Deo per quadraginta annos, tempus, quo eos deduxit de deſerto; Vna tamen dies tentationis à Deo reputabatur, quia illi ſemper parcens populo, expectatio tanti temporis breuis tamen Deo videbatur, vt ille pœnitens ad Dominum reuerteretur. Dux illius de die erat in nube, & tota nocte in illuminatione ignis, & miſericordia

præ-

prævaluit iuſtitiæ Dei, quia illum populum in tantis iniquitatibus, & infidelitate nõ deleuit. Vna ergo dies apud Dominum, quia quãuis per quadraginta annos eſſent murmurantium, & delinquentium in Deum cor impœnitens, & aſsiduitas in delictis, iudicium tamen contrà illos vnicum, quo omnes de terra illa excluſi ſunt; Per quadraginta annos illos Dominus ſuſtinuit, quia misericors, & miſerator Dominus iudicans, dat locum in peccatis pœnitentiæ; Sapien. cap. 12. num. 19. dans tempus, & locum, vt poſsint mutari à malitia. Verùm quia in infidelitate perſtiterunt, in requiem Domini non intrauerunt.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi ſemper, hi errant corde, ipſi verò non cognouerunt vias meas, vt iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Quæ enim alia natio, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis? Deut. cap. 4. nu. 7. & cunctis obſecrantibus noſtris, nec fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis, Pſalm. 147. num. 20. Hymnus omnibus Sanctis eius, filijs Iſrael populo appropinquanti ſibi, Pſalm. 148. num. 14.

Mirabilis Deus, misericors, & miſerator, multum patiens, & verax clamat, audiat quiſque populus ab Ægyptijs anguſtiatus. Moyſen, & Aaron, vt liberaret eos, miſit ad Pharaonem Regem. Non vult dimittere Rex populum, niſi in manu forti, & potenti, quæ præceſſerint minæ, & mirabilia contrà Ægyptios quilibet ſcire poterit, qui in lib. Exod. & Numer. legere illa voluerit; hæc miracula viderunt Iudæorum populi, & probauerunt. Dimittitur populus, cui Ægyptij argentum, & aurum, & comeſtibilia miniſtrant. O ingrata Gens Iudaica: poſt primum exitus illorum diem, ſecunda die contrà Dominum murmurant, & reuerti deſiderant, diffidentes de potentia Dei, nec illi credentes, & ità in ſecunda die Dominum in deſerto exacerbantes, tentauerunt misericordiam eius.

Hodie ſi vocem eius audieritis, memores eſtote, quid patribus veſtris acciderit, in ſecunda die, quando cor eorum prauum coram Deo, quia dixi ſemper hi errant corde, & non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, quia iuſtitia conuerſa eſt in iudicium, quia non introibunt in requiem meam, ſed cum maledictis eijcientur in tenebras exteriores. Nunquid quis poterit de petra eijcere aquas? & populum tàm grandem in deſerto ſaturare panibus? errant corde, & non cognouerunt vias Domini; neque Dominus cognoſcere voluit illos, quia longè ab ipſo per peccatum incredulitatis facti erant, quibus iurauit in ira ſua. Per ſemetipſum iurauit Dominus, & iuramentum non fecit irritum, quia in deſerto proſtrati ſunt. Nos verò ò chriſtiani illùc introire quæramus per credulitatem, vbi illi patres iniqui ceciderunt per illorum incredulitatem.

SOLILOQVIVM.

COnfiteor tibi Domine Ieſu Chriſte, Dei viui filio vnigenito, quia tu es Deus magnus, & Rex magnus ſuper omnes Deos, qui vt & me redimeres, in mundum veniſti. Faciem tuam à me non auertas, quia audio verba tua, cor meum mollifica, vt laudem Cantici cum iubilo pſallam nomini tuo.

Ne

Digitized by

Ne declines à me, qui ſum ouis paſcuæ tuæ cum populo tuo, Patres noſtri, quia peccauerunt,& à via tua declinauerunt, longè à te facti in deſerto mortui ſunt. Corde enim errauerunt ſemper, & à via veritatis declinauerunt, & iuſtitiæ lumen non luxit illis, ideò tu Domine iuraſti, quòd non intrarent in requiem tuam. Non ſic mihi Domine non ſic, qui opera illorum mala reprobaui, vt ſequerer te. Ex nihilo me feciſti: tuus ſum ego, & quocunque iuſſeris, ſequar te. Propitius eſto mihi peccatori, quia pœnitens confiteor te Redemptorem meum, & Deum meum. Reſpice in me, & miſerere, vt in requiem tuam merear tecum ingredi, ſicut promiſiſti. Amen. Beatiſſima Dei Genitrix, Virgo Maria ſuccurre mihi, adiuua me, & cum omnibus Sanctis Dei, quorum feſtiuitatis diem octauum colimus, intercede, vt Dominus mea delear peccata, & ignorantiarum mearum obliuiſcens, ſaluum me faciat in nomine Ieſu dilecti filij ſui. Amen.

IN PSALMVM XCV.

Cantate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra.

TITVLVS Canticum ipſi Dauid, quando domus ædificabatur poſt captiuitatem.

Continuari poſſe videtur ad præcedentem, in quo ab Eccleſia inuitati ſumus ad exultandum,& iubilandũ Domino confeſſione pręuia peccatorum noſtrorum,vt faciem Domini præoccupemus; ad pulchritudinem enim animæ acquirendam oportet,vt cõfeſſio præcedat peccatorum, vndè benè, & conſequenter hoc Pſalm. 95. ſubijcitur confeſſio, & pulchritudo in conſpectu Dei, ſic etiam cum ad magnificentiam conſequendam vitæ ſanctitas præcedere debeat, additur ſanctitas, & magnificentia in conſpectu eius. Tunc Pſalmus ipſi Dauid, quando domus ædificabatur poſt captiuitatem, vt in eius eſt titulo. Quocircà nouum Canticum cantandum hìc proponitur, quia poſt peccatorum confeſſionem, nouus homo ædificatur, domus poſt captiuitatem peccatorum conſtruitur.

Vndè ponitur hìc ſucceſſiuè Pſalm. 95. Cantate Domino canticum nouum; cantate Domino omnis terra. Induit enim Dominus per lauacri baptiſmum, & peccatorum confeſſionem Chriſtianum nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt in ſanctitate veritatis, & iuſtitia, ad Epheſ. cap.4. num. 4. Et omnes filij Dei ſumus per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu,quicumque enim, dicit Apoſt. baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, ad Galat. cap. 3. num. 27. Venite ergo exultemus Domino,iubilemus Deo ſalutari noſtro, canticum nouum cantantes, quia venit ſalutare noſtrum.

Summa huius Pſalmi. Nouum canticum Domino Ieſu Chriſto, quia per aduentum eius vitam æternam dedit credenti: Cantate Domino canticum nouum. Auguſtin. de verbis Apoſtoli,Serm.20. Quando omnis terra cantat canticum nouum, domus Dei eſt; cantando ædificatur, credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur. Modò ergo ædificatur, ſed in fine ſæculi dedicatur. Concutrant ergo lapides viui, ad canticum nouum; concurrant,

Digitized by Google

currant, & coaptentur in ſtructura Templi Dei, agnoſcant Saluatorem, recipiant habitatorem.

Cantate Domino, & benedicite ei; annunciate de die in diem ſalutare eius. Nouum canticum, quia Chriſtus ſalutaris eſt Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero; lumen, inquit, de lumine. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, qui fecit cælum, & terram, terribilis ſuper omnes Deos. Nouum dixit, quandoquidem talia nunquam audiuimus, nec Prophetis, nec alijs quibusque hominibus beneficia à Deo collata, ſicut nobis. Quòd per fontem Baptiſmatis renouetur homo, & Deo fiat dilectus, & Ianuæ cæli, quæ ſemper clauſæ fuerunt, aperiantur nobis: & quòd per pœnitentiam, quamuis propter peccatum ceciderimus, noua Dei domus dicamur, Paul. ad Hebr. cap. 3. num. 6. Chriſtus vero tamquam filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos: ſi fiduciam, & gloriam ſpei vſque ad finem, firmam retineamus: nouum certè, ſed magis mirabile canticum cantemus; ſimulq. omnis terra, nobiſcum annunciet gloriam eius. Laudantes Dominum, exclamemus, dicentes, ò felix culpa primi hominis, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem, ò felix aqua, quæ lauat crimina noſtra, ſed & felix pœnitentia, quæ, quantumuis peccantem, & pœnitentem domum Dei facit, amicum, & cohæredem Iudæum etiam, & Gentilem. Cantate Domino omnis terra, cantet quiſquis cuiuſuis, grauiſſimi ſceleris conſcius, & pœnitens, canticum nouum Domino, quia tunc illi ſalus facta eſt à Deo.

Cantate Domino, non illud tantùm veteris teſtamenti, quod in terra aliena canere vetitum erat, Pſalm. 136. numer. 4. Sed noui ſimul teſtamenti canticum nouum: Cum ſalus omni credenti facta ſit. Cantemus non in Iudæa ſolum, ſed in omni terra, & benedicamus nomini Domini, Ieſu Saluatori, atque Redemptori noſtro. Sic nos excitat Dauid, vt annunciemus de die in diem ſalutare eius. Cantate Domino canticum nouum, quia Deus vocauit filium ſuum in iniuſtitia noſtra, & dedit illum in lucem gentium, in fœdus Populi ſui, vt aperiret oculos cæcorum, vt educeret de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentem in tenebris, Iſai. cap. 42. num. 6. & 7. & 16.

Sed, ò Dauid quomodò de die in diem; nonnè tu dicebas, Media nocte ſurgebam ad laudandum nomen Domini, ad confitendum nomini tuo? Pſal. 118. num. 62. & admonebas, vt in noctibus extolleremus manus noſtras in ſancta; Pſalm. 133. num. 2. Nox enim nocti indicat ſcientiam, Pſalm. 18. nu. 3. & In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius? Pſalm. 41. num. 9. Tu tibi ergo ipſi contrarius, cum dicis, vt de die in diem annunciemus ſalutare eius? Ergo de nocte ceſſare debemus? Non, dicit Dauid, abſit hoc. Non in tenebris peccatorum laudandum Saluatorem intellexi; ſed de die in diem, ideſt ſemper in luce virtutum: ſemper in anima tua ſol Chriſti oriatur, ſemper in te lumen nouum naſcatur, ad Theſſalon. cap. 5. num. 5. inquit Apoſtolus, Omnes filij lucis eſtis, & filij diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum, qui enim dormit, nocte dormit, & qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt, nos verò, qui diei ſumus, ſobrij ſumus.

Annunciate ergo de die in diem ſalutare eius, quia ſi quæ in veteri teſtamento ſcripta ſunt, ruminabitis, & in nouo verificata intelligetis, dicente Domino. Scrutamini ſcripturas, quia ipſæ teſtimonium perhibent de me. Ideòq.

pia

pia illa anima aiebat, teſtimonia tua meditatio mea eſt, Pſalm. 118. num. 99. & Declaratio ſermonum tuorum intellectum dat paruulis, ibidem num. 130. Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt ea, Pſal. 118. n. 2.

De die ergo in diem verba vtriusq. teſtamenti annunciate, nàm illa ſunt, quæ teſtimonium perhibent veritati de Ieſu, Ioan. cap. 5. num. 39. Non ſicut Iudæi, qui ſolum in teſtamento veteri, vitam habere putabant æternam, Ioan. vt ſupra; ſed ſicut nos, & omnes credentes veteri, & nouo teſtamento, ex quibus lux clara elucet, & educitur, per quæ ſalus, & vita docentur, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis, Pſalm. 118. num. 128.

Surgamus igitur omnes, vt annunciemus inter gentes gloriam Chriſti Ieſu, & in omnibus populis mirabilia eius, annunciemus ex die in diem, ſic legitur Paralip. cap. 16. num. 23. Qui ex die, ex teſtamento ſcilicet veteri, audiuimus de aduentu Domini Ieſu, & illa in diem teſtamenti noui Euangelij lucis noſtræ tranſportemus, coniungamus, & applicemus; nàm clarè conſtabit, & videbimus ex die illa, in diem lucis nouæ, omnia in Ieſu completa, & Ieſum eſſe verum filium Dei, qui ſanguinem ſuum ad redemptionem noſtram fudit in cruce, & eodem ſanguine ſuo peccata noſtra lauit. Figuram in ſacrificio legis veteris inuenietis huius ſacratiſſimi Sanguinis corporis Ieſu, figurati. Annunciate ex die illa, in diem iſtam maioris lucis nouæ: figuras cum figurato Ieſu inuenietis Ieſum filium Dei viui, verum Meſſiam Redemptorem noſtrum. Cantate ergo canticum nouum, quia iàm domus noua per baptiſmum, & pœnitentiam eſt ædificata ex vno lapide Chriſto Ieſu.

Sed ad quam gloriam annunciandam inuitamur à Dauide, ad gloriam templi Ieruſalem, vt volunt Iudæi? nequaquam, dicit Dauid, cum omnes ad annunciandum inuitentur. Afferte, inquit, Domino patriæ gentium: afferte Domino gloriam, & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius. Patriæ gentium, inquit, ecce vocatio gentium, & Eccleſiæ congregatio, quæ ad Dominum honorandum inuitatur, tunc enim Dominus in nobis gloriatur, quando in eius corpore illum honoramus; & gloriam nomini eius afferimus, quando ſeruos eius in nomine eius recipimus; Quod enim vni ex meis minimis feciſtis, mihi feciſtis, & in alio loco, Qui vos recipit, me recipit. Afferte igitur non Iudæi tantùm, ſed omnes patriæ gentium gloriam nomini Domini.

De cauſa cur laudandus Deus, non eſſet quærendum; nàm quia Deus eſt Dominus, ac Redemptor noſter hæc ſufficere videtur; declarat illam tamen Dauid, dicens, quia Dominus magnus, & laudabilis nimis: Magnus nempè, quia potens, primus, & nouiſſimus, & abſque illo non eſt Deus, & nullus illi ſimilis, Iſai. cap. 44. num. 6. & 9. Plaſtæ Idoli omnes nihil ſunt, & nu. 24. ipſe Dominus faciens omnia, extendens cælos, ſolus ſtabiliens terram, & nullus cum illo, irrita faciens ſigna diuinorum, &c. conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens, & num. 27. Qui dicit profundo, deſolare, & flumina ſua areſaciant. Magnus, cui ſedes cælum eſt, & terra ſcabellum pedum eius, Iſai cap. 66. num. 1. Pſalm. 10. num. 5. Et laudabilis nimis. Et quid tibi laudabilius videtur reperiri cælo, & terra? nàm ipſe Dominus ex nihilo nos fecit ſimulq. cælum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt. Quin & nos, qui cinis, & vmbra ſumus, ciues ſanctorum, & domeſticos ſuos eſſe voluit, immo Reges & Deos, Venite, inquiens, benedicti Patris mei; percipite

Regnum,

Regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi, Matth. c. 27. nu. 34. & in alio loco, Vos autem quem me eſſe dicitis, vos qui Dij eſtis, & Eccleſia cantat, Per quem maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates; & in alio loco, Ego dixi Dij eſtis; & filij excelſi omnes, Pſalm. 81. num. 6. & Sapien. cap. 5. num. 17. Accipient iuſti Regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini. Magnus, quia Deus Deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus, potens, & terribilis, Deut. cap. 10. num. 17. & num. 21. Ipſe eſt laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia, & terribilia, quæ viderunt oculi tui. Magnus, quem totus non capit orbis, & pro nobis nihilominus in clauſtro Virginis ſe clauſit factus homo, vt morte ſua te redimeret. Terribilis, quia Deus vltionum liberè egit, Pſalm. 93. num. 4. & Quis ſimilis illi in fortibus, quis ſimilis illi, magnifico in ſanctitate, terribili, atque laudabili, facienti mirabilia? Exod. cap. 15. num. 11. Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia eius, Eccleſ. c. 43. nu. 31. Terribilis, & horribilis ſuper Deos, 1. Paralip. cap. 16. num. 25. Omnes enim illi Dij gentium dæmonia, d. Pſalm. 95. numer. 5. Dominus autem cælos fecit d. Pſalm. 95. Terribilis contrà obſtinatos peccatores, & dæmones: Ite maledicti in ignem æternum, quod paratum eſt Diabolo, & Angelis eius. Terribilis illis videtur, & crudelis, ſed non eſt crudelis, & terribilis, qui crudeles iugulat; nam etiam latro crudelem Iudicem appellat. Rex magnus, ego ſum, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus, Malach. cap. 1. num. 34.

Annunciate ergo inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius, num. 37. Sed quis gloriam eius annunciare poterit? nàm ſcriptum habemus, & eſt verum, Eccleſ. cap. 43. num. 32. Glorificate Dominum quantumcunque poteritis, ſuperualebit enim adhùc, etiam admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum exaltate eum, quantum poteſtis, maior eſt enim omni laude. Exaltantes eum replemini omni virtute, nè laboretis, non enim comprehendetis, quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificauit eum, ſicut eſt ab initio? Multa abſcondita ſunt maiora his, pauca enim vidimus operum eius. Sed quid dicis Sapiens, nè laboremus? Nonnè Deus factus eſt homo, nonnè Virgo ſine viro illum concepit, & ipſa permanente Virgine, natus ille eſt. Et habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis? Ioan. cap. 1. Hæc certè omnia nobis, & toti mundo nota ſunt; quia cum hominibus ipſe Ieſus Deus, & Dominus conuerſatus eſt, ipſe à ſuis tradi voluit, conſputus, ſpinis coronatus, & crucifixus, mortuus, lancea perforatus. Paruulus factus eſt Dominus Ieſus, vt paruulos nos doceret, & redimeret. Magnum tamen intelligimus, ac propterea magnum, & laudabilem nimis illum prædicamus. Cum ipſe ſit Deus, formam tamen ſerui accipere voluit, & in ſimilitudinem noſtram fieri, vt nos ſibi Deo coniungeret, vt diuinitatis ſuæ faceret nos eſſe participes. Si vidimus gloriam eius, quare in ipſum laudando non laboremus? Annunciate omnes inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.

Non altiora nobis quærimus, non magnitudinem Dei & illius potentiam, prout eſt, ſcire inueſtigamus, hæc enim impoſſibilia nobis ſunt, & incomprehenſibilia; Altiora te ne quæſieris, clamabat Eccleſ. cap. 33. numer. 22. & fortiora

Digitized by Google

fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus: Non eſt enim tibi neceſſarium ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. Et hæc ſunt, quæ dicere intelligit Salomon, Gloria Dei eſt celare verbum, Prouerbior. cap. 25. numer. 1. & gloria Regum inueſtigare ſermonem. Cantate verò canticum nouum; cum iàm domus noſtra ex lapide Chriſto Ieſu ſit ædificata, neceſſarium duxit Dauid.

Cantate canticum nouum, quod Dominus Ieſus nobis dedit, Ioan.cap.13. numer.34. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Deponamus veterem hominem, vt renouemur ſpiritu mentis noſtræ, & induamur nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis, ad Epheſ. cap.4.numer.24. & ad Coloſſenſ. cap.3.numer.8. Cantate Domino canticum nouum, quia fœdus nouum, quod promiſerat, adimpleuit nobiſcum. Dedit enim legem ſuam in viſceribus noſtris, & in cordibus noſtris ſcripſit eam; & eſt nobis in Deum, & nos ipſi in populum illi: omnes enim nunc cognoſcimus cum à minimo, vſque ad maximum: & ipſe Dominus propitiatur iniquitatibus noſtris, & peccatorum noſtrorum non memorabitur amplius, Ierem. cap.31. numer.31. & 34. Cantate Domino canticum nouum, quia margaritam illam, quam inuenit pretioſam emit, vendens omnia bona ſua; vitam ſcilicet, & ſanguinem ſuum effundens pro nobis. Cantate Domino omnis terra, quia præparauit Dominus hoſtiam, ſanctificauit vocatos ſuos, Sophon.cap.1.numer.7. quaſi Ieſus certans cum Deo Patre iudicialiter, vt opus pro redemptione mundi perficeret, atque compleret, dicebat; Iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo, Iſai.cap.49.num.4. opus ſuum cum Deo Patre, vt nos redimeret, & à morte liberaret.

Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra, annunciate inter gentes ſalutare eius; de die in diem, omni ſcilicet tempore. Reges terræ, & omnes populi, principes, & omnes iudices terræ, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius.

Et vos Apoſtoli Dei, electi, Sacerdotes, & Epiſcopi, & Doctores, annunciate de die in diem, quæ in veteri legitis, & in nouo verificata, cognoſcitis, Saluatorem mundi; hoc eſt proprium vobis; iſtud enim diſpoſuit vobis electis, hinc Pſalm.88.numer.4. Tollite hoſtias, & introite in atria eius, in lectione ſcilicet Prophetarum, & adorate Dominum in atrio ſancto eius, in Euangelio firmabitis pedem, ex illo Dominum Ieſum veniſſe prædicantes, vt adoretur ab omnibus, Hieronym. in d.Pſalm.95.

Peccatori autem dixit Deus, quare aſſumis teſtamẽtum meum per os tuum? Pſalm.49.numer.16. Quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, Eccleſ.c.15. numer.19. propterea dixit Dauid in dicto Pſalm.87.num.12. Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? & Pſalm.95.numer.5. Omnes Dij gentium Dæmonia, à quibus non vult Deus laudem, Pſalm.113. numer.17. Non mortui, nec qui deſcendunt in infernum laudabunt te; mortui ſcilicet peccato, & Baruch cap.2.numer.17. Non mortui, qui ſunt in inferno, quorum ſpiritus acceptus eſt à viſceribus ſuis, dabunt honorem, & iuſtificationem Deo: Peccatores enim, qui in peccato permanent, ſunt in inferno; donec tamen non ſint ſepulti, donec ſpiritus

non sit ab eis acceptus, est eis locus pœnitentiæ. Pœniteat peccatorem, si vult annunciare Dei laudem, tunc enim confessione præcedente, apparet in conspectu Domini eius pulchritudo; confessio, inquit, & pulchritudo in conspectu Domini. Fleuit Ezechias planctu magno, & Deus exaudiuit orationem eius, & vidit lacrymas eius, & adiecit quindecim annos super dies eius, eruens eum de manibus Assyriorum, de manibus Dæmonum, ideòq. ille dicebat, Viuens, viuens confitebitur tibi; sicut & ego hodie Pater filijs notam faciet veritatem tuam: idemquè ante confessionem, Recogitabat omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, Isai. cap. 38. numer. 4. & 15. Petrus negans, fleuit amarè, & fuit electus Dei, & dilectus; pulchritudo pœnitentiæ, & confessionis eius in conspectu Domini. Magdalena fleuit, & dimissa sunt ei peccata sua, post fluxæ carnis scandala, fit ex hebete fiala, in vas translata gloriæ, de vase contumeliæ, canit Ecclesia. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius, Psalm. 115. num. 15.

Confiteamur ergo peccata, & pulchri erimus apud Deum. Conuenit multitudo Iudæorum, quæ Ierosolymis erat religiosorum, ex omni natione, quæ sub Cælo est, coram Petro, & alijs Discipulis, ad cuius veritatis prædicationem de Iesu Christi passione, & resurrectione pœnitentiam agentes, & baptizati in nomine Iesu, acceperunt omnes Spiritum sanctum, Act. Apostol. cap. 2. numer. 37. Sanctitas, & magnificentia in sanctificatione eius, quia confessio, & pulchritudo in conspectu eius. Et iterum Act. Apostol. cap. 4. numer. 31. Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Et multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis. Mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: Reges, & Regna subijciuntur, & prostrati pedes osculantur Vicarij Christi filij Dei.

Cantate Domino canticum nouum, quia sanctitas, & magnificentia in sanctificatione eius, mirabilis Deus in Sanctis suis, Psalm. 67. numer. 36. Cantate Dominò, quia mirabilia fecit, Psalm. 97. numer. 4. qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus. Cæli enarrant gloriam Dei, Psalm. 18. Quoniam magnus Dominus, & terribilis super Deos gentium, qui sunt Dæmones.

Afferte ergo Domino patriæ gentium gloriam, & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius. Non induretis corda vestra, quando annunciabitur vobis gloria Domini, & redemptio vestra, sed afferte Domino gloriam, & honorem. Tollite hostias: Hostias non vitulorum, neque taurorum, sed hostiam sanctam, viuam, Deo placentem, quæ sunt in nobismetipsis, vel iuxtà doctrinam Christi iubentur esse, virginitatem scilicet, & castitatem, & continentiam; hæc enim sunt hostiæ Christi spirituales, 1. Petr. cap. 2. num. 5. Et ipsi tamquam lapides viui superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo, per Iesum Christum. Sic enim afferimus Domino gloriam, & honorem, quando honoramus Dominum in corpore nostro, & ipse gloriatur in nobis: in corpore honoramus, quando sumus mundi corde sine macula, & isti sunt, qui in corde bono,

bono, & optimo audientes verbum, retinent, & fructum afferunt in patientia, Luc. cap. 8. numer. 15. Hostiæ impiorum sunt abominabiles, Prouerb. cap. 21. num. 27. & immolantis ex iniquo oblatio est maculata, Eccles. cap. 24. numer. 21. & 23. Dominus solus sustinentibus se in via veritatis, & iustitiæ, vndè dicitur, Beati mundo corde, Matth. cap. 5. num. 8. quoniam ipsi Deum videbunt.

Afferte gloriam nomini eius Iesu Christo Domino nostro, in cuius nomine omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confitetur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris, ad Philipp. cap. 2. num. 10. Afferte gloriam, & imperium, 1. Paralip. 16. num. 28.

Commoueatur à facie eius omnis terra. Quid facimus, quia totus mundus vadit post ipsum, Ioan. cap. 12. num. 19. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, Ioan. cap. 11. num. 48. Commoueatur terra, quia ecce qui tollit peccata mundi, Ioan. cap. 1. numer. 29. Reges terræ, & omnes populi Principes, & omnes iudices terræ, iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus, Psalmus 148. per totum. Commoueantur à facie eius omnes fines terræ, quia gladij ancipites in manibus iustorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus Sanctis eius.

Commoueatur à facie eius omnis terra; Nàm veniunt Magi ab Oriente, vt adorent eum, offerentes munera, & turbata est Ierosolyma, & Herodes, Matth. cap. 2. num. 3. Date gloriam nomini eius: leuate sacrificium, & venite in conspectu eius, & adorate Dominum in decore sancto. Commoueatur à facie eius vniuersa terra; ipse enim fundauit orbem immobilem, 1. Paralipom. d. cap. 16. num. 29. & 30. Et petræ scissæ sunt, & monumenta aperta, & velum Templi scissum est in duas partes, multaq. corpora Sanctorum resurrexerunt, Matth. cap. 27. num. 51.

Dicite in gentibus, quòd cum commota erit terra, tunc Dominus regnauit, quia gentes illum audierunt, & in illum crediderunt, Idola subuersa sunt, & quia Dominus regnauit, orbem terræ correxit, amplius non commouebitur. Ipse est, cui data est omnis potestas in Cælo, & in terra, Matth. cap. 28. numer. 18.

Dominus regnauit, nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras, Ioan. 12. num. 31. & 32. & Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, quia Dominus regnauit à ligno Crucis, per quod lignum in vniuerso mundo Idola deleta sunt, & inimici fugantur.

Lætentur Cæli, & terra, Angeli scilicet Dei, & homines, qui in terra sunt. Commoueatur mare, & plenitudo eius, Gentilitas scilicet, & omnes Imperatores, & Principes eius simul: Commoueantur, quia Dominus conuersus est ad illos, vt saluarentur, & renouarentur. Exijt edictum, vt Christo credentes occiderentur; commotum est mare, & plenitudo eius, & omnis illius potestas aduersus Christianos, quos Martyres effecerunt; Ideò lætantur Cæli, sed etiam terra, quia sanguine illorum fideles multiplicati sunt ex Gentibus quasi omnes, vix vllus iam reperitur, qui non recognoscat omnium Dominum Deum.

Gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt. Ego arbitror, in eo quod supra dictum est, exultet terra, terræ appellatione significatos etiam campos, & quæ in eis sunt; vt Propheta intellexerit de his, qui spem solam habent in campis, hoc est in diuitijs, & futuram gloriam, & animam negabant, sicut Sadducæi. Gaudebunt isti, quia resurrectionem mortuorum viderunt, Lazarum scilicet, & filium Viduæ, denique & Iesu Christi à mortuis resurrectionem. Gaudeant isti, & omnes eorum sequaces; Vel, vt dicit Augustin. Gaudebunt campi, &c. Omnes lenes, omnes mites, & iusti, qui campi sunt Dei, gaudeant primi, si crediderint, & confessi fuerint, gaudeant mites, quia & ipsi consolabuntur.

Tunc exultabunt omnia ligna siluarum. Nàm, vt dicit Paul. ad Roman. cap. 11. numer. 17. Sicut delibatio sancta, & massa, & si radix sancta, & rami, quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es. Exultent ligna siluarum, omnis Gentilitas scilicet, quoniam inserta est in arbore oliuæ, & ex oleastris facta est oliua. Nàm Iudæorum rami multi fracti sunt propter incredulitatem; tu Gentilitas oleaster inserta es, & facta es socia radicis ex fide susceptæ; & si etiam illi Iudæi non permanerent in infidelitate, & incredulitate, & ipsi inseretentur. Nàm si tu ex naturali excisus es oleastro, & contrà naturam insertus es in bonam oliuam, quantò magis ij, qui secundum naturam inserentur suæ oliuæ? excitas enim ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret.

Tunc exultabunt omnia ligna siluarum à facie Domini, quia venit; quoniam venit iudicare terram. Iàm enim primò aduenit, quando descendit in vterum Virginis, & nobiscum conuersando viam cælestem nos docuit, vt iustis præmia largiretur, peccatoribus verò, & obstinatis ignem æternum. Propterea secundò dicit, Quoniam venit, quia in secundo aduentu in die iudicij iudicabit orbem terræ in æquitate, quia misericordiam promisit pœnitentibus, & populos non credentes in veritate: quam dixit in Euangelio: Ite maledicti in ignem æternum. Deus propitius sit nobis, dimittat peccata nostra, cor nostrum contritum, & humiliatum non despiciat, liberetq. nos à tremendo iudicio, vt in illo audiamus cum electis suis illius misericordiæ vocem, Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis sanguine meo parauí, & emi. Amen.

SOLILOQVIVM.

EXITERE anima mea, vt ædificata per Dei gratiam in illius domum post diabolicam peccati captiuitatem, eo feruore ipsum laudes, quo vniuersos, qui nouum hominem induti sunt, ad idipsum excites, ad cantandum canticum Domino, non solum iuxtà cantica veteris testamenti, verùm etiam iuxtà testamentum nouum, & nouo pariter cantico Deum, Iesumq. Christum filium eius laudibus celebrent, illius nouum & opere implere satagẽtes dilectionis præceptũ. Exaltent te Deus meus quotquot terrã incolunt, benedicãt nomini sancto tuo, in quo flectitur omne genu. Vtinã dignus sim & ipse, qui annunciẽ inter omnes

gentes gloriam tuam, & in omni populo, quæ fecisti magnalia. Quis enim tuas exprimere queat laudes, qui innumeras ob rationes magnus dicẽdus es, & supra rationem laudabilis nimis, quique es terribilis, & super cunctos falsos Deos, & Dæmones. Tu Domine fecisti & materiales, & spiritales Cælos.

Contende anima mea, vt in istius celsissimi omnipotentisq. Dei conspectu pulchram te exhibeas, præuia peccantum confessione, & sanctam in eximiorum bonorum operum magnificentia. Id cum primis Domine meum est desiderium, vt omnes, tàm Gentiles, quàm Iudæi, ac Infideles quique conuertantur, tibiq. gloriam afferant, & honorem: & intrantes in tuæ Ecclesiæ atria, in illa sese hostiam tibi offerant viuam, ac acceptabilem, tequè adorent. Sicut in passione tua vniuersa commota sunt creata, ità pariter præsta, vt quicquid in me est terra per veram componcatur contritionem, tuo penitus me subijciens dominatui, qui à ligno regnasti, in quo declaratus es Rex vniuersorum. Imperio siquidem tuo correxisti orbem terræ, quo haud ab illo minime recedet, cum tibi data sit omnis potestas in Cælo, & in terra, omneq; iudicium, quo iudicaturus es populos in æquitate. Lætentur propterea Cæli ipsi, ipsaq. terra, & quicquid in illis est exultet. Amen.

IN PSALMVM XCVI.

Dominus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ.

CONTINVARI potest ad præcedentem, in quo de cantico nouo propter aduentum Domini. Verùm cum post passionem Iesu Christi, eidem data fuerit omnis potestas in Cælo, & in terra, Matth. cap. 28. num. 18. Ideò consequenter, de hac præstita illi potestate agens Dauid, ait, Dominus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ.

Titulus huic Dauid, quando terra eius restituta est: Deperdita erat terra, humanum nempè genus per peccatum Adæ, nunc per satisfactionem filij Dei, qui passus est pro hominibus, huic Dauid, ideſt ipsi Iesu Christo, quæ prius perdita erat, restituta est à Patre, vt scilicet homines baptizati, & credentes in illum saluari possent, si opere compleuerint, quod eis præceptum est in Euangelio, vndè Ioan. cap. 17. numer. 2. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam, & cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum, & numer. 6. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt, &c. & pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate, & ne tentatio aliquem apprehenderet existimando Christum locutum solum de ipsis, qui tempore Apostolorum fuerunt, Ideò addidit num. 20. Non pro eis rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint.

Dominus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ. Nubes, & caligo in circuitu eius, iustitia, & iudicium correctio sedis eius. Nonnè Dominus semper regnauit, cum sit Dominus omnium, & quomodò nunc Dominus regnare dici-

dicitur? Quia iàm satisfactum est culpæ primi hominis. Iàm Princeps huius mundi ciectus est foras, Ioan. cap. 12. numer. 31. & 32. ibi. Nunc iudicium est mundi: nunc Princeps huius mundi eiicietur foras, cum iàm Dominus exaltatus sit, hoc est in ligno Crucis positus, Ioan. cap. 16. numer. 11. Iàm Princeps huius mundi iudicatus est; confidite, ego vici mundum, Zachar. in cap. 13. numer. 2. Disperdam in die illa, dicit Dominus, nomina Idolorum, & spiritum immundum auferam de terra, & num. 1. In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus in Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ, ideſt gentilitatis.

Dominus ergo regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ; Quia fortis manu vicit diabolum, vicit omnes gentes, Dauid enim interpretatur fortis manu, fortis, filius Dei, Ioel. cap. 2. nu. 11. Fortis, & quis sustinebit eum? Sophon. cap. 3. num. 17. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit, Matth. cap. 8. num. 29. Quid nobis, & tibi, clamabant dæmones, Iesu fili Dei? veniſti ante tempus torquere nos. Exultent gentes, quia regnauit à ligno Deus.

Exultet terra, lætentur insulæ multæ. Multæ dicit, quia non pro omnibus, sed pro illis, quos dediſti mihi, & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum, scilicet discipulorum in me, non pro mundo rogo, Ioan. dicto cap. 17. num. 9. & 20. Propterea dixit, Lætentur insulæ multæ, quia non omnes obediunt Euangelio, Paul. ad Roman. cap. 10. numer. 16. Exultet terra, quia iàm non sub diaboli potestate, & dominio; sed sub vexillo Crucis Christi, & Saluatoris nostri, in cuius lumine, & signo, ac luce securi ambulant credentes in illum. Iàm non amplius Sol ad lucendum, sed Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam, Isai. dicto cap. 60. num. 19. & numer. 20.

Sed quomodò nubes, & caligo in circuitu eius? Quia veniens ipsa lux inuenit totum nubilosum, totum caliginosum illum inuenit, exortum est in tenebris lumen rectis, Psalm. 111. numer. 4. ideò, Nubes, & caligo in circuitu eius, in circuitu lucis, vt qui in tenebris sunt, videntes lucem, & accedentes ad illam, salui fiant. Nubes, & caligo in circuitu lucis; vt omnes, qui circumstant in tenebris agnoscant lucem, videant lucem, nec excusationem habeant, quia cum sit lux in medio, ab omnibus facilè videri potest. Vultis videre, quia erunt inexcusabiles? In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Psalm. 18. numer. 3. In medio, dixi, esse lucem; nàm scriptum reperimus, In medio Ecclesiæ, aperuit os eius, Prouerb. cap. 5. numer. 14. Et spiritus meus erit in medio vestri, dicit Dominus, Aggæ. cap. 2. numer. 6. Et impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus: In medio maris erat nauicula Discipulorum, Matth. cap. 14. num. 24. operatusq. est Deus salutem in medio terræ, Psalm. 73. nu. 12. Propterea psallebam, & intelligebam in via immaculata, & perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ, Psalm. 100. numer. 2. quia Dominum scient in medio terræ, Exod. cap. 8. numer. 22.

Nubes iterum, & caligo, in circuitu eius, vt qui in tenebris sunt videntes lucem in medio fulgentem accedentes ad illam, non amplius sub nube ex caligine, non amplius maneant in tenebris, qui ad lucem accesserint, qui fidem Christi susceperint, qui in illum crediderint. Ego enim, inquit, sum lux mun-

mundi, qui tenebris aliàs opertus eram. Ego lux in medium terræ veni, nubesq; & caligo in circuitu se retraxerunt, ne à luce in totum destruerentur: Iustitia namque, & iudicium correctio sedis eius. Sed vsque ad tempus præfinitum; donec veniat dies iræ, dies illa, de qua Sophon. cap. 1. num. 15. & 16. & cap. 3. nu. 7. Veruntamen diluculo surgentes, corruperunt omnes cogitationes suas, quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum, vt congregem gentes, & colligam regna, & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei; in igne enim furoris mei deuorabitur omnis terra: Vide hìc iudicium, & correctionem, donec scilicet veniat dies Domini: qui ponit visitationem tuam, pacem, & præpositos tuos iustitiam, Isai. 60. cap. num. 17.

Nubes, & caligo in circuitu eius: & quis eius? Domini scilicet? Dominus illuminatio nostra, & salus nostra, Psalm. 26. num. 1. Qui lux in tenebris huius mundi lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, Ioan. 1. Quoniam tu illuminas lucernam Deus meus: illumina etiam tenebras meas, Psalm. 17. num. 29. accedent tenebræ ad eum, & illuminabuntur, Psalm. 33. num. 6. quia nox, sicut dies, illuminabitur: sicut tenebræ eius, ità, & lumen eius, Psalm. 138. num. 12. Tenebræ, seù caligo, & nubes ijs, qui pereunt, & quibus Euangelium est opertum; in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei, 2. Corinth. cap. 4. num. 4.

Vel dicamus aliter; non enim nocet, si eandem rem duobus, vel tribus modis intelligamus, scriptum est enim in Salomone cap. 22. num. 20. Ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus, & scientia, & D. Hieron. in hunc Psalm. 96. Non nocet diuersum aliquid dicere, cum vno spiritu dicitur.

Nubes in circuitu eius, & caligo, exponamus iuxtà dicta in 2. Paralip. c. 5. num. 14. Impleta est domus Dei nube. Nec poterant Sacerdotes stare, & ministrare propter caliginem, impleuerat enim gloria Domini domum Dei. Nubes ergo, & caligo, idest gloria Domini in circuitu eius. Istæ sunt nubes, de quibus Iob cap. 37. num. 11. Et nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernatoris duxerit, ad omne, quod præceperit illis super faciem orbis terrarum; & de quibus Isai. cap. 19. num. 1. Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, idest in angustias, & tribulationes huius mundi, (sic enim interpretatur Ægyptus) & commouebuntur simulacra Ægypti à facie eius. Nubes ergo, & caligo in circuitu Iesus filij Dei; nàm in tribulationes huius miseriæ venit, nè nos tribularemur amplius. Propterea in aduentu eius simulacra commota sunt, quia nubes, & caligo in circuitu eius, quia gloria, & splendor in circuitu eius, qui simulacra disrumpit. Nubes illa leuis Virgo Maria, quæ genuit Creatorem mundi. Nubes illa pluuit iustum, cum aperta est terra, & germinauit Saluatorem, Isai cap. 45. num. 8. Vndè Ioan. Apocalyp. cap. 14. num. 14. Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Ecce iustitia, & iudicium correctio sedis eius: potestas enim sedis filij, est correctio, gladius acutus pro iniustis, & iniquis peccatoribus. Tollite ista hinc; domum Patris mei, fecistis speluncam latronum, & cum funiculis eiecit eos, Isai. cap. 2. num. 15.

num. 15. & Ioan. cap. 8. num. 44. Vos ex patre diabolo estis: & in alio loco; Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est vobis; ecce gladius acutus, ecce potestas sedis filij Dei, in damnando, corrigendo. Iustitia, & iudicium in benefaciendo; Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, &c. Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos, Ioan. cap. 8. num. 31.

Aliam expositionem dat Hieron. in d. Psalm. 96. ad cuius maiorem intelligentiam præmitto, quæ dixit Iob cap. 21. & ibidem num. 27. inquit enim: Quare impij viuunt? subleuati sunt, confortati, diuitijs, semen eorum turba propinquorum, & nepotum; domus eorum securæ, & pacatæ: & non est virga Dei super illos; ducunt in bonis dies suos: Nonnè videtur Deus quasi iniquus? non, inquit Iob, sed in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur. Ecce quomodò correctio sedis, tibi videtur iustitia eius, & iudicium; quia tibi, & alijs hominibus profunditatem iudiciorum suorum considerare nescientibus, videtur correctio sedis. Non est correctio sedis, sed semper iustus est Deus; tibi tamen videtur correctio, quia nunc non videmus impium punitum ob iniquitatem; quæris tamen, & non est amplius locus eius: Ierem. cap. 12. num. 1. ità etiam Habac. cap. 1. numer. 19. Mundi sunt oculi, ille dicebat, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris, & tacebis, deuorante impio iustiorem se? Propter hoc lacerata est lex, & non peruenit vsquè ad finem iudicium, numer. 4. Non est lacerata lex, videbatur tibi correctio sedis, quia dicebas laceratam legem: nunc verò iudicium, & iustitia in punitione iniqui impleta. Non est correctio, sed iustum, & occultum iudicium Dei. Cui consonat quod idem Iesus dixit, Ioan. d. cap. 12. num. 47. Si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico eum; non enim veni, vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum, & num. 48. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die: quia non veni vocare iustos, sed peccatores, Ioan. 9. num. 12. Dominus enim expectat ad pœnitentiam peccatores, vt dimittat illis, Matth. 12. num. 22. Ioan. 12. num. 3.

Ad istam ergo lucem impœnitentes, & nubilosi non accedunt, quamuis sint in circuitu eius, nec sedes eius cum impijs, nec cum concilio vanitatis, Psalm. 25. num. 5. Sed pœnitentes, & correpti; ideò correctio sedis eius, Matth. cap. 9. num. 11. Multi publicani, & peccatores discumbebant cum Iesu. Correctio sedis eius, cum ipse sit iustissimus, & sine macula; quia non est opus medicus, nisi malè habentibus, & non valentibus: quia Deus vult misericordiam, & non sacrificium: quia non venit vocare iustos, sed peccatores, Ioan. d. c. 9. num. 12. 13. & 14. Ecce quomodò iudicium, & iustitia correctio sedis eius! Augustin. super d. Psalm. 96. Nubes, & caligo impijs, qui eum non intellexerunt: iustitia, & iudicium fidelibus, qui in eum crediderunt. Sedem vocat eos, qui in eum crediderunt, anima iusti sedes sapientiæ. Propterea ipsis iustis iustitia, & iudicium, quia dirigit mites in iudicio, docebit mansuetos vias suas, Psalm. 24.

Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius; Omnis sermo Dei ignitus, Prouerb. cap. 30. num. 5. Nàm audiens Herodes, quòd natus esset Rex Iudæorum, & Magos, dicētes, Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare Dominum, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo,

Matth.

Matth. cap. 21. nu. 3. ideò inflammati inimici eius in circuitu. Et quoniam Iudæi, & alij etiam stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo illius, Luc. cap. 4. num. 32. redarguendo Iudæos in Synagoga, repleti sunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes; & surrexerunt, & eiecerunt eum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum, ibidem num. 29. Inflammabit in circuitu inimicos eius, quia ignis verbi sui præcesserat illum, ex doctrina Isai. cap. 61. numer. 1. Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, &c. Ignem enim, idem aiebat, veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? Luc. cap. 12. num. 49. Ignis etiam ante ipsum præcessit: nam Ioannes venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, Luc. cap. 3. nu. 3. & num. 7. & videbit omnis caro salutare Dei, increpans illos, dicebat, Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Iam securis est ad radicem, nu. 9. Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ignis ante ipsum præcessit, qui malam arborem combussit. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, Luc. cap. 13. num. 35.

Emisit verbum suum, & liquefecit ea, Psalm. 147. num. 18. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit, & commota est terra. Cæci receperunt visum, mortui resurrexerunt, leprosi mundati sunt. Illuxerunt fulgura eius Orbi terræ; strauerat plurima turba vestimenta in via, alij verò cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via, in qua Iesus sedens super asinam transibat; & turbæ, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Osanna filio Dauid: Benedictus, qui venit in nomine Domini; Osanna in Altissimis. Et commota est vniuersa ciuitas, Quis est hic? Populi autem dicebant, Hic est Iesus Propheta, Matth. cap. 21. num. 8. & 9. Illuxerunt fulgura eius. Eijciebat ementes, & vendentes de templo: Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi, & sanabat omnes; quapropter Principes Sacerdotum, & Scribæ indignati sunt. Vidit & commota est terra. Viderunt enim mirabilia, quæ faciebat Iesus, & indignati sunt, Matth. 21. num. 13. & 14. dicentes: In qua potestate hæc facis? quis dedit tibi talem potestatem, & nu. 23. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: Quia prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, Matth. cap. 24. num. 14. Vidit, & commota est omnis terra; dicebant enim: Quid nam hoc est? quæ nam doctrina hæc noua? Marc. cap. 6. nu. 2. & procedit statim rumor eius in omnem gentem Galilææ. Vidit, & commota est terra, Marc. cap. 1. numer. 27. quia omnes quærebant eum, num. 37. & conueniebant ad eum vndique, numer. 45. & Marc. cap. 2. num. 5.

Altera eiusdem Psalmi 96. Enarratio.

DOminus regnauit, quia de mundo expulsus, & eiectus Dæmon, exultat terra, quia gentilitas, quæ perdita erat tamquam oleaster inserta in ramis oliuæ fractis, facta est oliua, per Christi fidem susceptam, discipula, immaculata legis veritatis. Lætentur insulæ multæ, quæ legem Christi ex[illegible]

cap.42. num. 4. non Iudæorum Regio, quæ & insula vocata est, Isai. cap. 20. nu.5. Et dicet habitator insulæ huius, idest Iudææ; sed multæ insulæ lętentur, quia illa vnica iam dimissa est, Hieron. Psalm. 98. Sed multæ insulæ: quæ scilicet fidem Christi susceperunt, Principes, & Reges scilicet terræ, & Magnates qui propter illorum firmitatem; seù fortitudinem insulæ vocantur. Iudæorum verò infidelium perfidia, & iniquitas, permaneat in circuitu Domini, tamquam nubes, & caligo, vt per splendorem lucis destruantur, & in profundum inferni mittantur. Vel pœnitentes, & correcti recipiant fidei, & salutis lumen indeficiens. Inexcusabiles illi, quia mortem Christo dederunt, quando ipse venit, signa dedit, & miracula coram eis fecit, quæ nunquàm ab alio facta prius fuerant in potestate sua, eijciebat à corporibus obsessis Dæmones, mortuos suscitabat, &c. leprosos sanabat, venti, & mare obediebant illi.

Quocircà Dauid meritò, quæ sedi Dei conueniunt effatus, dixit, Iustitia, & iudicium correctio sedis eius: iudicium, quod subsequitur iustitiam; pro iustis, & fidelibus, qui in Iesum crediderunt, quia in veritate educet iudicium, Isai. num. 13. Correctio, & pœna infidelibus, & obstinatis Iudæis, & Paganis, qui in illum nec adhùc credere volunt, Psalm. 88. num. 15. Iustitia, & iudicium præparatio sedis tuæ, non enim quis sedes Dei effici potest, nisi prius iustitiam, & iudicium fecerit, Hieron. ibi.

Pœnam subijcit Dauid, dicens: Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Quomodò ante ipsum præcedet? nonnè post Christi mortem, ignis consumpsit illos, Ierusalem scilicet, & Templum destruxit? Vos testes estis ò Iudæi, quid de Templo, quid de Ierusalem, & illius habitatoribus, quorum infinitus erat numerus interfectorum, & igne combustorum, à Romanis hæc vobis, sed Dei iussu. Quomodò ergo præcessit ignis? Dominus non longè est ab vnoquoque nostrum; in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus, Act. Apost. cap. 17. num. 27. & num. 28. & Dauid inquit, Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum tu illic es: si descendero in infernum, ades. Et si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illùc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, Psalm. 138. num. 8. & sequen. Amos cap. 9. num. 2. & 4. Et si abierint in captiuitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos, &c. Ecce quomodò ignis ante ipsum præcedit, & inflammabit in circuitu inimicos eius: Propterea illa dies destructionis templi, & ciuitatis, & habitatorum, dies Domini vocatur, Ioel 2. in princ. Canite turba in Sion, vlulate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ; quia venit dies Domini, quæ propè est. Propè est, inquit. Non ergo de iudicio vniuersali, sed de Templi, & aliorum destructione, desolatione à Romanis, atque perditione vobis, & operibus facta vestris, iussu Dei; nàm dies Domini illa, dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis; Ecce quomodò caligo, & nubes in circuitu eius; quia dies Domini, est tenebrarum, & caliginis, respectu peccatorum; sequitur Ioel. Quasi mane expansum super montes. Populus multus, & fortis, similis ei non fuit à principio, & post eum non erit in annos generationis, & generationis: Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma, & post eam solitudo deserti; neque est qui effugiat eam, & num. 10. Dominus enim dedit vocem suam ante faciem exercitus sui; dedit

vocem

vocem suam, idest signum, ità 1.Reg. cap.12.num.17. & Psalm.96.numer.5. A facie Domini,montes sicut cera fluxerunt.

Vide quomodò ignis ante faciem Domini præcedat, ipse enim Dominus mandat gladio; exercitum suum vocat; ante illum, dat vocem suam, quia correctio sedis eius, quia est pœna peccati Iudæorum, qui Dominum crucifixerunt. Dominus calicem indignationis suæ posuit in manu eorum, ideò exercitus eius vocatus dicitur, Isai.cap.51.num.22. & 23. Dies Domini est, nimirum si ignis ante faciem eius præcedit,& inflammet inimicos suos. Cum inimicis enim castigat inimicos suos Deus, & ideò gladio mandat, Isai. cap.1. numer.24. Consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum, Psalm.10. num.7. Quia ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo, Psalm.17. num.9. Nec mirum; nàm vt dicit Isai. cap. 50. nu.11. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis: post hæc. Et etiam ante excidium, quia Iudæi videbant turbas deuenire, vt audirent verbum Dei, repleti sunt zelo, & contradicebant Apostolis prædicantibus, & Paulo, blasphemantes. Tunc constanter Paulus, & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam illud repellitis, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus, Act. Apost. cap.13. num.45. & sequen. & num.48. Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant prædestinati ad vitam æternam.

Annunciauerunt cæli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius, d. Psalm.96.num.6. Propterea exultet terra, lætentur insulæ multæ, quia Dominus regnauit, & Dæmones à gentibus; quas ipse prædestinauit, eiecit. Confiteantur tibi omnes Reges terræ, quia audierunt omnia verba oris sui. Psalm.137.num.4. Hæc autem facta, quia fluxerunt fulgura eius orbi terræ; sic in Psalm.76. numer.19. Illuxerunt corruscationes tuæ orbi terræ: Apostoli enim Euangelium prædicauerunt in toto orbe terrarum. Ponent Domino gloriam, & laudem eius in insulis nunciabunt, Isai. 42.numer.12. Nec mirum, si voces eorum fulgura appellet Dauid; nàm ministros suos Deus facit ignem vrentem, Psalm.103.num.4. Paul. verò ad Hebr. cap.1.num.7. Qui facit ministros suos flammam ignis. Quid mirum si verba Apostolorum tamquã ignea illuxerint orbi terræ, quæ illa audiens, & videns, commota sit? vndè per Ierem.cap.23.num.29. Verba mea quasi ignis, & quasi malleus conterens petram: ità etiam de Elia, Eccles. cap.38.nu.1. Et surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat; vndè idem Dauid Psalm. 118. num. 140. Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud; & Prouerb. cap.30.num.5. Omnis sermo Dei ignitus. Quid mirum si illuxerunt fulgura eius orbi terræ: Et Iesus quid dixit: Veni ignem mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? Luc.cap.13.num.49. propterea apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tamquam ignis, sederitq. supra singulos eorum, Act. Apost. c.2.num.23. vt illucescerent fulgura orbi terræ, videnscq. commoueretur terra.

Nàm

Nàm etiam montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra. A facie Domini, hoc eſt à ſignis, & ab operibus, & miraculis, quæ in nomine Ieſu faciebant Apoſtoli, commota eſt terra, Ioan. capit. 14. num. 8. Dicit ei Philippus, Domine oſtende nobis Patrem, & hoc ſufficit nobis; Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? alioquin propter opera ipſa credite; A facie ergo prædicationis montes ſicut cera fluxerunt, à facie Euangelij, & verbi illius, hoc eſt Domini, à facie miraculorum, quæ in nomine Ieſu crucifixi faciebant Apoſtoli, & illius Diſcipuli, fluxerunt inquam, ſicut cera à facie ignis, qui ſuperbiam deponentes, humiles facti ſunt, Baruch cap. 5. numer. 7. Conſtituit enim Dominus humiliare omnem montem excelſum, & rupes perennes, & conualles replere in æqualitatem terræ; vt det illis gloriam ſempiternam; gloriam enim præcedit humilitas, Prouerb. cap. 15. num. 33. quia humilia reſpicit, & alta de longè cognoſcit, & oculos ſuperborum humiliat, Pſalm. 17. numer. 28. & Hunc humiliat, & hunc exaltat, Pſalm. 74. num. 8. quia calix in manu Domini vini meri plenus mixtò.

Prædixerat Iſai. in aduentu Domini fluxionem montium, tamquam ceram, in cap. 64. in princ. Vtinam, inquit ille, dirumperes cælos, & deſcenderes, &c. à facie tua montes defluerent, ſicut exuſtio ignis tabeſcerent. Hoc declarat, dicens; cum feceris mirabilia non ſuſtinebimus: deſcendiſti, quando ſcilicet Moyſi in monte Sinai legem dediſti, Exod. cap. 20. num. 18. nàm tunc populus videbat voces, & lampades, & ſonitus buccinæ, montemq. fumantem, Non loquatur nobis Dominus, dicebat, defluxerunt montes; Nunc verò in aduentu eiuſdem filij Dei, & montes defluxerunt, & terra mota eſt, cæli annunciauerunt iuſtitiam eius, vt viderent omnes populi gloriam eius; cæli inquam omnes, ideſt animæ iuſtæ, omnes ſerui Domini, & annunciauerunt iuſtitiam Domini. Videte iuſtitiam Dei, ciuitas ſancti tui facta eſt deſerta, Iſai. vt ſupra, Sion deſerta facta eſt; Domus, vbi laudauerunt te Patres noſtri, facta eſt in exuſtionem ignis, omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas, & non habitabunt in terra vſque in ſempiternum, nec extruetur vſque ad generationem, & generationem; ſicut ſubuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham, Ierem. c. 50. n. 39. & 40. Eſdr. 2. nu. 2. Diſpergantur inter gentes nomina eorum, deleantur à terra. Cæli annunciauerunt iuſtitiam Dei. Erubeſcite pauperculi Iudæi, & infideles, omnes populi gloriam eius, quia & quibus non eſt annunciatum de eo, intellexerunt, Deum in carne veniſſe, Hieron. ibid. in d. Pſal. 96. Interrogate Turcas, perquirite ab alijs nationibus etiam Barbaris, & Ieſum veniſſe, & carnem aſſumpſiſſe ex beata Virgine non negabunt, immo palam, & audacter confitentur.

Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, ſequitur tex. & qui gloriantur in ſimulachris ſuis. Nàm ſi quæ in Iſai. legimus ex ore Dei prolata conſideremus, hæc Iudæis aptantur, Iſai. enim in cap. 1. num. 12. cum ſequen. poſt enarrationem ſacrificiorum inquit. Quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atrijs meis? Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra. Incenſum abominatio eſt mihi; Neomeniam, & Sabbatum, & feſtiuitates alias vltra non feram. Iniqui ſunt cætus veſtri: Kalendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea, facta ſunt mihi moleſta, &c. & num. 18. Manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine, & num. 22. Quomodò facta eſt meretrix ciuitas fidelis

plena

plena iudicij ? iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Confundantur qui gloriantur in ſimulachris ſuis; hæc enim cum abominabilia apud Deum ſint, Idola erunt; ſimulachra iudicabuntur.

Adorate eum omnes Angeli eius. Omnes Pontifices, & Confeſſores, omnes ſancti Doctores, omnes electi Dei, & Virgines; tunc lætabitur Sion, ideſt Eccleſia. Audiuit, & lætata eſt Sion. Et exultauerunt filiæ Iudæ, animæ ſcilicet Confeſſorum, vel ſecundum aliquos Maria Virgo, & cæteræ mulieres audientes verbum Domini in omnem terram exijſſe, & gloriam Domini omnes populos annunciare, qui propterea cuſtodiunt iudicia Dei, & cognoſcunt Dominum altiſſimum ſuper omnem terram, & exaltatũ ſuper omnes Deos, & ſuper cælos cælorum, ſuper Angelos ſcilicet, nàm ſedet ad dexteram Dei Patris.

Diligentes ergo Dominum, odite malum; Altiſſimus enim odio habet peccatorem, & impijs reddet vindictam, Eccleſ. 12. nu. 7. Timor Domini odit malum, Prouerb. 8. num. 13. Malus eſt Diabolus, & qui eſt amator illius, dignus eſt, qui habeat ſpem in illo, Sap. cap. 15. num. 6. Qui verò iuſti ſunt, cuſtodit Dominus animas illorum; & de peccatoribus liberat eos. Vndè dicit Dauid, Cuſtodit Dominus animas Sanctorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos, Ioan. cap. 17. num. 12. Quos dediſti mihi cuſtodiui. Quia lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia; quia, quem expectabant, videre meruerunt.

Lætamini ergo iuſti in Domino, & confitemini memoriæ ſanctificationis eius. Nàm omne bonum veſtrum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Quod bonum cum vobis dederit, Deum eum in cordibus veſtris contemplamini; nàm etiam oculi Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbet fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum, 2. Paralip. cap. 16. nu. 9. Ille nos fecit: aqua baptiſmatis voluit lauare noſtra crimina, & per pœnitentiam, quatenus iterum incideremus in peccatum, ità & voluit id deteri, vt illius non memoraretur amplius. Confitemini memoriæ ſanctificationis eius, qui dignatus eſt nos in numerum dilectorum ſuorum vocare. Maneamus in vocatione ſua ſine dolo, rogemus Ieſum Redemptorem noſtrum, vt illuminet lumine claritatis ſuæ corda noſtra, & cuſtodiat animas noſtras, vt eius lumine in cordibus noſtris oriente, mereamur bonis operibus abundare, quod ipſe nobis concedere dignetur, qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, ſederquè ad dexteram Patris in vnitate Spiritus ſancti. Amen.

SOLILOQVIVM.

REGE te Ieſu mi declarato, æquum eſt exultet totus terrarum Orbis, ablata nube, & caligine, qua circumdatus mihi eras. Refulgeat Rex vniuerſorum, gratiæ tuæ lumen in cordibus noſtris, vt tibi puro, & ſincero corde ſeruiamus cum vniuerſa Eccleſia lætantes, quia noſtri memor fuiſti, vt à morte liberares, & ad vitam æternam tecum nos perduceres.

Sed & timeas par eſt anima mea, cum tanti Regis iudicium, & iuſtitia ſit correctio: ità vt præmiſſo vltionis igne eos inflammet, qui per peccatum ipſius ſint inimici; Denunciauerunt hæc Apoſtoli, qui & fulgura, & cæli dicti ſunt. Enitere tu vt videntibus populis omnibus illius gloriam, non confundaris cũ impijs, at potius cum iuſtis exultans reuerenter eum adores cuſtodientem animas

Sanctorum, liberatis illis de manu peccatoris. Lux, quæ orta es iusto Sanctifica Domine Iesu domum tuam, Ecclesiam tuam, vt te solum amantes, fugiamus malũ, & in nomine tuo exultemus in sæcula. Succurre nobis beata, & immaculata Virgo Maria, vt à vinculis peccatorũ absoluti, filij tui Domini Iesu Christi, Patris, & Spiritus sancti gratiam mereamur accipere ad vitã æternam. Amen.

IN PSALMVM XCVII.

Cantate Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit.

CONTINVATVR ad præcedentem, in quo visum est, quia Dominus regnauit; & quòd propterea terra exultet, & insulæ multæ lætentur, Verùm quia quomodò Dominus regnauerit, non erat dictum; seù potius, quomodò adeptus fuerit Regnum, non satis erat demonstratum; propterea Dauid, cui in spiritu futura præsentia erant, cum iàm quod passurus esset Dominus mortem, satis declarasset; nunc explicans quomodò à mortuis resurrexerit, & virtute, ac potentia mortem, morte sua superauerit, inuitat Ecclesiam ad nouum canticum decantandum, incipiens, Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Quæ verò fuerint mirabilia, dicit, quia saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius; vndè Ioan. cap. 10. numer. 17. Propterea me diligit Pater, quia pono animam meam, vt iterum sumam eam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi, & brachium meum saluauit me.

Cantate ergo, ait, canticum nouum, quia regnans mirabilia fecit. Nonnè mirabilia sunt in vtroquè eius aduentu? Deus factus est homo; sed propter quid? nisi quia diligit hominem? Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret pro eo. Sed in quo demonstratur dilectio eius? primò quia à morte, mortuum hominem redemit; secundò quia mortalem ad immortalitatem reduxit, 1. Corinth. cap. 15. numer. 53. Fecit enim se Iesus Christus mortalem, vt immortalem faceret hominem; mors, ero tua mors. Fecit iterum mirabilia, quia Iesus Deus se fecit hominem, vt hominem faceret Deum: Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes, Psalm. 81. numer. 6. & 2. Corinth. cap. 6. numer. 18. Ego recipiam vos; & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus. Mirabilia respectu nostri, quia in conspectu eius nihil est mirabile, Eccles. cap. 39. num. 25. Nihil mirabile in conspectu eius.

Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Qui videbant facti sunt cæci, & cæci Gentiles, facti sunt videntes, Deumq. sequentes, videntes non viderunt, Isai. 6. num. 8. & 49. num. 6. Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem, vsque ad extremum terræ, Act. cap. 13. nu. 4. Quoniam repellitis illud, idest verbum Christi, ecce conuertimur ad gentes. Mirabilia fecit, quia cum dives esset, & Dominus omnium egenus factus est, 2. Corinth. c. 8. pauper in corpore, sed dives interius remansit cum esset Deus, vt illum imitantes interius illius diuinitatis participes essemus; Augustin. Vetus homo, non

nouit,

nouit, homo nouus nouit; vetus homo est vita vetus, nouus homo est noua vita; vetus ex Adam trahitur, noua vita in Christo formatur.

Summa hæc est: Cantat canticum nouum is, quem Dominus sibi sanauit.

Supra Dauid in Psalm. 95. ad cantandum nouum canticum omnem terram excitauerat; nunc eadem repetere videtur in hoc Psalmo 97. nisi forte dicamus, illum in Psalmo 95. præparandos nos admonuisse ad canticum nouum, quia propè erat, vel videbatur sibi aduentus Domini, de die enim in diem dicebat venturum salutare nostrum, hoc est, Propè est: citò veniet, qui venturus est; sic etiám in Isai. cap. 43. numer. 14. & in cap. 14. ità etiam vulgò dici solet, de die in diem expectamus talem, & subsequentia illius Psalmi ad hunc intellectum facilè adaptari possunt: nunc verò prænidens in spiritu Dauid iàm adueniisse Iesum, & miracula eius tamquam in suo tempore, & coram eo facta essent, iterum excitat, dicens.

Cantate Domino canticum nouum, quia iàm venit, quia mirabilia fecit: narransquè mirabilia, inquit; Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. Dextera Domini fecit virtutem, non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini, quia brachio suo saluauit sibi Iesus mundum. Sibi dixit ad differentiam eorum, qui in virtute Dei sanantur, sed sibijpsis falsò id tribuunt. Nonnè decem leprosi mundati sunt, & vnus tantùm dedit gloriam Deo? nouem illi sibijpsis, suis meritis sanatos se censuerunt. Cantate igitur canticum nouum, quia hæc mirabilia sunt, & notoria. Notum enim fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam, non Iudæorum tantùm salutare, sed omnium gentium. Misericordia Domini plena est omnis terra, Psalm. 32. numer. 5. Luc. cap. 2. numer. 12. dicit Angelus pastoribus, Nolite timere: ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus: Simeon quoque cantabat, Nunc dimittis me Domine, quia viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel; Veniente ergo Iesu in mundum cantate eius mirabile factum.

Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius, sibi saluauit, Ioan. cap. 17. Ego manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, numer. 6. & cum essem cum eis seruabam eos in nomine tuo; quos dedisti mihi custodiui eos, & nemo ex ijs perijt, nisi filius perditionis, numer. 12. Vel saluauit sibi dextera eius, seipsum propria virtute resuscitando. Dextera enim, & brachium, Christus dicitur, Psalm. 117. numer. 16. Dextera Domini fecit virtutem, & Exod. cap. 6. numer. 6. Redimam vos in brachio excelso, & cap. 15. numer. 16. Irruat super eos formido, & pauor, in magnitudine brachij tui, & Psalm. 70. numer. 18. Donec annunciem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est, & Sapien. dicto cap. 5. numer. 16. & 17. Iusti autem in perpetuum viuent, accipient Regnum decoris de manu Domini, quoniam dextera sua teget eos: & brachio sancto suo defendet eos.

Cantate ergo canticum nouum, quia mirabilia fecit; Nonnè mirabile, filium Dei crucifixum, vt nos peccatores humunculos leuaret ad Cælum? vt idem Iesus sicuti homo moriatur, vt nos viueremus? vt ligno Crucis, non ferro Orbem domaret, ac vinceret, mirabile etiam Ierem. capit. 50. nu-

mor. 23. Quia confractus est, & contritus malleus vniuersæ terræ, Diabolus scilicet, Ioan. cap. 12. numer. 31. Nunc iudicium est mundi: nunc Princeps huius mundi eijcietur foras, & cap. 16. n. 11. iàm Princeps huius mundi iudicatus est, destructa sunt enim Idola sua, neque aliquem vincit nisi volentem. Mirabile, dico, quià infirma huius mundi elegit, per quæ fortia quæque confusa sunt: piscatores Petrus, & Andreas; & alij Discipuli pauperes, & debiles erant; Suscitauit Deus de terra inopes, & de stercore erexit pauperes; vt collocaret eos cum Principibus; immo vt totum vincerent mundum, & Principes deponerent omnes de sede. Confringam illos nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos, Psalm. 17. numer. 39. Illi verò humiles exaltati, & in pace quiescunt. Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt illum, & viuent corda eorum in sæculum sæculi, Psalm. 21. num. 27. in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram, ibidem num. 30.

Notum fecit Dominus salutare suum. Non Iudæis tantùm, qui in aduentu illius conturbati, vnà cum ipsorum Rege Herode, & commoti, sed vniuerso Orbi; In conspectu enim gentium reuelauit iustitiam suam. Notum fecit salutare suum, non Iudæis, qui in passione illum negarunt, dicentes; Hunc nescimus, blasphemantes; instantes vt crucifigeretur inter duos latrones, & in morte eundem seductorem appellantes, illiusquè resurrectionem negantes. Dabimus vobis pecuniam, dicebant sepulchri Domini custodibus, & dicite, quia vobis dormientibus venerunt Discipuli, & furati sunt illum; testes dormientes adhibere tentabant; sed Gentilitas dicebat, Verè filius Dei erat iste. Cæteri percutientes pectora reuertebantur.

Notum fecit Dominus salutare suum, & inter gentes mirabilia fecit. Nàm omnes post ipsum abibant, & sanabantur à quibuslibet infirmitatibus, & resurgebant mortui. Notum fecit salutare suum in passione, quia tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vndè magnus ille Dionysius dixit, Aut Deus naturæ patitur, aut huius mundi machina dissoluetur. Latro quoque, Memento, inquit, mei, dum veneris in Regnum tuum: Notus in morte, quia multa corpora resurrexerunt, & descendens Iesus ad inferos Patres liberauit, mirabile dictu, notus in Ascensione ad Cælum, quia videntibus Apostolis, eleuatus est. Cantate Domino, quia mirabilia fecit. Post Ascensionem misit Spiritum sanctum in omnes, qui baptizati erant in nomine eius, & Discipulos suos misit in omnem terram, & in fines orbis terrarum. Notum facit Dominus quotidie salutare suum, quia quotidie domus ædificatur nomini sancto eius: domus spiritualis, inquam, cum quotidie ad fidem veniant Gentes, & Pagani, atque Barbari. Mirabilia facit Dominus. In conspectu gentium reuelauit iustitiam suam, in filio enim suo, qui pro nobis satisfecit, & pro peccato primi hominis reuelauit iustitiam; nàm si proprio filio non pepercit, quid faciet tibi Iudæo, & peccatori obstinato, pro quibus sanguinem suum effudit, & renuistis?

Reuelauit in conspectu gentium iustitiam suam, Quia cum culpa Adam primi hominis esset infinita, sic etiam pœna debuit esse infinita, & per ipsum mors intrauerat in omnes descendentes, ex iustitia illi satisfieri non poterat, nisi per hominem infiniti meriti, nec ad hoc totus mundus simul erat sufficiens:

Digitized by

ciens: quocircà obtulit ſe ipſe filius Dei Patri æqualis. Reuelauit iuſtitiam gentibus, quia ob tàm graue delictum, talem pœnam impoſuit proprio filio, qui ſumpſit carnem noſtram, & pati voluit, & mori pro nobis, vt tolleret peccata mundi, qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit.

Cantate Domino, quia mirabilia fecit; quia recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſrael. Concluſit omnia ſub peccato, vt omnibus miſereatur. Hieronym. ibi. Prius miſertus eſt Deus, deindè promiſit domui Iſrael; recordatus eſt miſericordiæ etiam in populo Gentium, & veritatis ſuæ Iſrael. Miſericordia ergo præceſſit promiſſionem, promiſſio reddidit veritatem, hæc Auguſtin. Sed nunquid promiſſio de Meſſia mittendo tantùm facta eſt Iſraeli, quia dixit Dauid, recordatus miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ Iſrael? Iſraeli facta eſt promiſſio; propterea dixit veritatem Iſraeli factam adimpletam; Sed miſericordia Dei, in conſpectu omnium gentium. Quod clarius oſtendunt verba ſubſequentia. Viderunt omnes fines terræ: ſalutare Dei noſtri. Ergo miſericordia ad omnes gentes; quocircà inuitat omnem terram ad iubilandum, dicens; Iubilate Deo omnis terra: cantate, & exultate, & pſallite.

Sed quomodò Iſraeli tantùm facta eſt promiſſio? Iſrael, videns Deum, interpretatur, nemo tamen videt Deum, niſi mundus corde: Vis videre Deum? cor tuum munda confitens peccata tua, ac dolens. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, Matth. cap. 5. in princ. omnes ergo mundi corde Deum videbunt; quinimo & omnes baptizati in nomine Ieſu vident Deum: omnibus igitur Chriſtianis facta eſt promiſſio, quorum oculi viderunt præceptorem ſuum Ieſum, & aures eorum audierunt Verbum poſt tergum monentis, ideſt per Diſcipulos, & Apoſtolos poſt Aſcenſionem in Cælum, iuxtà Iſai. cap. 30. numer. 21. arguentes nos, increpantes, obſecrantes in omni patientia, & doctrina. Ite in vniuerſum mundum, prædicate omni creaturæ: Sed ſi Iſraeli facta eſt promiſſio, Et ecce accola venit, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi, Iſai. cap. 54. num. 15. Hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini, numer. 17. ibidem Iſai. & in alio loco, populus autem tuus omnes iuſti, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum; minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam; Ecce Dominus, in tempore eius ſubitò faciam illud, Iſai. cap. 60. numer. 21. Germen plantationis creuit: oleaſter facta eſt oliua; Gentilitas accola fuit, aduena quondam tuus, nunc adiuncta eſt tibi, & facta eſt hæreditas Domini.

Sed quod canticum nouum cantabimus, ò Dauid? Audi Iſai. cap. 26. In die illa cantabitur canticum iſtud in terra Iuda, Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator, &c. aperite portas, & ingrediatur gens iuſta, cuſtodiens veritatem. Vetus error abijt, ſeruabis pacem, pacem, quia in te ſperauimus. Incuruabit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit, vſque ad terram detrahet eam, vſque ad puluerem. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum, & num. 9. cum feceris iudicia in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis. Indulſiſti genti Domine, elongaſti omnes terminos terræ, & num. 19. viuent mortui tui; interfecti mei reſurgent.

Digitized by Google

Iustitiam didicerunt habitatores, quia ante conspectum gentium tu Deus reuelasti iustitiam tuam; apertæ sunt portæ, & ingressu est gens iusta, gens ex omnibus partibus mundi. Propterea aperite portas, vt ingrediatur gens iusta, quia iàm viderunt omnes fines terræ salutare Dei, Saluatorem mundi. Vrbs fortitudinis nostræ Saluator est, qui dat pacem suam iustis. Pacem do vobis, pacem meam relinquo vobis, non quomodò mundus dat, Ioan. cap. 14. numer. 17. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, Luc. cap. 2. numer. 14. Pes pauperis sublimem Ciuitatem: Romam, & ibi Imperatores habitantes conculcauit. Cantate canticum nouum, quia iàm vetus error abijt; Nondum apparuit quid erimus; sed filij Dei sumus; & cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, 1. Ioan. cap. 3. num. 5. Videte qualem charitatem nobis dedit Deus Pater; vt filij Dei nominemur, & simus.

Cantate canticum nouum. Cantate Domino, quia mirabilia fecit, Iubilate Deo omnis terra: cantate, & exultate, & psallite. Iàm quid sit iubilare, docet Psalm. 46. numer. 2. Iubilate Deo in voce exultationis. Igitur iubilare est gaudere, & loqui, Augustin. Si quod gaudetis loqui non potestis, iubilate: gaudium vestrum exprimat iubilatio; si non potest locutio, non sit tamen gaudium mutum: Cor non taceat Deum suum, non taceat munera eius. Tò enim sibi sanauit dextera eius, ei loquere, cui sanatus es. Iubilate extremæ terræ, resonate montes laudationem, saltus, & omne lignum eius, quoniam redemit Dominus Iacob, & Israel, Isai. 44. num. 23.

Cantate, & exultate, & psallite, quia qui creat Cælos, & firmat terram, & dat flatum populo, misit filium suum Iesum in terram cum iustitia, idest iustum, & iustificantem, & dedit illum in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperiret oculos cæcorum, vt educeret de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris, Isai. cap. 41. num. 6. & 7. & 16. & duxit cæcos in viam, quam nesciebant, & in semitis, quas ignorauerunt, ambulare nos fecit. Posuit tenebras coram nobis in lucem, & praua in recta; hæc fecit nobis Iesus, nec dereliquit nos. Cantemus canticum nouum, ibidem Isai. nu. 10. Modulamini illi Psalmum nouum, exaltemus, & inuocemus nomen eius exemplo Iudith cap. 16. numer. 2. Regna terræ cantate Domino, psallite Domino, psallite Deo, Psalm. 67. numer. 3. Impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, Paul. ad Ephes. cap. 5. num. 19. Laudate Cæli, & exulta terra, iubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum, leuauit manum suam ad gentem, & ad populos signum suum exaltauit, signum Crucis suæ sanctæ, Isai. cap. 49. numer. 13. & 22. Exultate, & psallite: Psallite in psalterio decem chordarum, benè psallite ei in vociferatione, diligenter scilicet, & cum alacritate, Psalm. 32. numer. 3. Cantate ei canticum nouum, nouam vitam, quia vetus error abijt, quia nouus homo venit in mundum, nouam legem instituit, & nouam Ecclesiam per baptismum.

Benè psallite, benè operãtes, benè implentes quod cantatis, & prædicatis, Hieron. in d. Psal. 32. Cantate Domino omnis terra, quia mirabilia fecit Dominus. Psallite Domino in cithara, in cithara, & voce Psalmi: Sed quid psallendo cantabimus? Laudes Dei cantemus, dicentes, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, Psal. 33. In Domino laudabitur anima

mea,

mea; audiant mansueti, & lætentur: non in chordis citharæ discordantibus, sed sint vocales omnes. Quid enim proderit tibi, si omnia bona feceris, auarus tamen sis? nàm qui in vno peccauerit, factus est omnium reus. Non sit rupta citharæ chorda, non deficiat vna chorda, quia sonus non erit bonus vbi inæqualis sonitus. Resistendũ est tentationibus diabolicis fortiter; propterea dicit, In voce tubæ corneæ: In tẽ inimicos nostros ventilabimus cornu, idest potentia, Psalm. 43. num. 6. & Luc. cap. 1. num. 96. Erexit cornu salutis nobis. Conforta lumbos: contemplare viam; robora virtutem valdè, Nahum cap. 2. num. 1. Non enim in sermone tantùm est virtus Dei, sed in virtute, 1. Corinth. cap. 4. num. 20. & sermone; propterea dixit in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ, & Psalm. 67. num. 12. Et Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute magna; & multa. In tubis ductilibus dixit, hoc est in operibus; & voce tubæ corneæ, confessione scilicet peccatorum præmissa: efficaciter, & sine timore prædicare, & laudando Deum, euangelizare verbum eius omni creaturæ cum fiducia, sicut Apostoli in Act. cap. 4. num. 19. & 31. Prohibebantur enim à Principibus, nè verbum Dei prædicarent, resistebant, dicentes; si iustum est in conspectu Dei, vos potius audite, quàm Deum, iudicate: non enim possumus, quæ vidimus, & audiuimus non loqui, & num. 24. Qui cum audiuissent, vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, dicentes, da seruis tuis, cum omni fiducia loqui verbum tuum, ibid. num. 29. sed qui sunt psallentes, & in tubis ductilibus voce tubæ corneæ? Ecce nempè illi, qui viderunt præceptorem, & aures eorum audierunt verbum; post tergum monentis, hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram, Isai. cap. 30. num. 21.

Et hæc cum annunciarent Principibus, & alijs, motum est mare, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & qui habitant in eo, In persecutionibus Sanctorum, impetum facientes vnanimes in eos: & afflixerunt prædicantes, tuba canentes, & voces Euangelium annunciantes. Commoueatur mare, & plenitudo eius, quia nihilominus flumina plaudent manu, iubilabunt Sancti, canent Sancti laudes Deo. Crescant mari tempestates, surgant fluctus persecutorum; & flumina plaudent manu, idest gaudebunt in operibus sanctis; opera enim Sanctorum, laus Dei sunt, quem in omni terra prædicauerunt. Commoueatur mare, cum plenitudine eius, Reges, & omnis terra, quia Sancti manibus plaudentes vicerunt Regna: tunc enim simul montes exultabunt à conspectu Domini.

Iàm maria, & illorum tempestates, montes effecti sunt in fide Christi stabiles, & firmi. Quoniam Dominus Iesus venit iudicare terram. Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium, Psalm. 21. num. 28. Reges terræ, & omnes populi, principes, & omnes Iudices terræ. Moueatur mare, quia fons aquæ dulcis intrauit in illud, & obdulcatum est ad bibendum illis, Iudith cap. 5. num. 15. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, Sapien. cap. 5. nu. 4. Paruus fons creuit in fluuium, immo & in flumina multa, & in lucem, Solemq. conuersus est, & in aquas plurimas redundauit, Esther c. 10. num. 6. & c. 11. num. 10. Nàm in toto orbe terrarum, baptizantur in nomine

Iesu

Iesu Christi in aquis. Quia clamauerunt ad Dominum, & illis vociferantibus fons paruus creuit in fluuium maximũ, & in aquas plurimas redundauit.

Flumina igitur plaudant manu, quæ ex fonte paruo facta sunt multa flumina; Sanctis ipsis vociferantibus apud Deum. Fons paruus Iesus Christus, Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo: cum sit Dominus omnium, ad Galat. cap. 4. num. 1. apud quem est fons vitæ, Psalm. 35. num. 10. Bibamus ex hac aqua, quam dat nobis Dominus, ex qua fiet in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam, Ioan. cap. 4. num. 14. Timor enim Domini est fons vitæ, vt declinemus à ruina mortis, Prouerb. cap. 14. num. 27. Fons ergo Christus est; flumina sunt Sancti qui cum tot sint flumina, habent tamen inter se concordiam, Hieron. in d. Psalm. 97. Baptizentur omnes in fonte isto, qui creuit in flumina multa, vt multi baptizentur ab illis. Exultent montes in conspectu Domini, quoniam venit iudicare terram, vt malos tollat de medio iustorum, vt zizania separet à tritico. Venit iudicare Orbem terrarum, in iustitia; non perdere, sed saluare. Promisit tibi peccatori vitam, si te pœnituerit; pœniteat te, & iudicabit te in iustitia, prauum rectum faciendo. Corrigamus ergo nos, vt gaudeamus, ideò differt aduentum suum secundum, vt cum venerit, non nos damnet; ille differt aduentum, tu noli differre consilium, hæc Augustin. quia aduentus eius durus erit duris, & mitis pijs, credo quod ores, quia Christianus es: & dicis, veniat Regnum tuum; optas vt veniat, quem times nè veniat? Corrige te, vt non ores contrà te, &c.

SOLILOQVIVM.

CONTEMPLARE, & admirare anima mea Dei tui mirabilia, quæ & in primo fecit, & in secundo suo facturum legis aduentu. Indèq. nouo eiusdem Dei spiritu acta, quotquot potes excita ad illius nouas semper decantandas laudes, ea ipsa, quæ meditata fueris enarrans mirabilia. Illudq. in primis, quòd ob suam benignitatem, atque humanitatem saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius, ad diuinam gloriam, propriaquè voluntate filium sanctum suum dexteram, brachiumq. suum saluare faciens deperditum in Adam genus humanum. Ecquis debitis, Deus meus, te celebret canticis, vel ob hoc ipsum, quod notum fecisti salutare tuum ipsum Christum Iesum, gentibus vniuersis manifestam faciens iustitiam tuam recordatus misericordiæ tuæ, iuxtà promissionum item tuarum veritatem. O quàm tibi vel externis signis vnà cum vniuersa terra, vbi deficit lingua, iubilandum Anima mea ob tantum diuinæ Incarnationis mysterium. Iubilent quotquot illius sunt compotes, & quibus possunt vocibus cantent, exultent, & psallant, idq. nedum voce psalmi, sed & cithara, ac operibus bonis: Iubilent autem attentione, qua decet, in conspectu celsissimi regis Domini. Ne timeas cor meum ob commotionem maris mundi huius contrà te, Deo tuo inseruientem. Irruentibus in te quantumuis multis, potentibus persecutoribus, exulta vnà cum Sanctis illis, è quorum ventre flumina exeunt propter aquarum Spiritus sancti potum: Plaude cum illis manu sanctarum operationum, simulq. cum ijsdem, instar montium ad cælum mente eleuatis exulta in conspectu pariter Domini, pro certo habens, quòd

Digitized by Google

quòd ijs ipſe, qui ſaluare venit, venit quoque, vt iudicet, & caſtiget terrenos, qui contrà omne Ius te fuerint perſecuti. Quid autem ipſe propter id iudicij deficiam timore, cum exploratum mihi ſit, tunc te quidem impios iudicaturum in iuſtitia ad damnationem, ſed iuſtos in æquitate ad gloriam, quam per interceſsionem Beatiſsimæ Virginis Mariæ ſpem habeo à me adeundam. Amen.

IN PSALMVM XCVIII.

Dominus regnauit, iraſcantur populi: qui ſedes ſuper Cherubin, moueatur terra.

TITVLVS, Pſalmus Dauid. Continuari poteſt ad præcedentem, in quo de laudibus Deo exhibendis, & de gratiarum actione, quia nos redemit, verùm quia per multas tribulationes oportet in regnum ingredi cælorum, nè puſillis detur locus admirationis, quod dictum eſt à Domino, vt qui illum ſequi voluerit, tollat crucem ſuam, & ſequatur illum, Matth. cap. 16. num. 24. Dauid pſallendo, & fideles ad perſecutiones ſuſtinendas exhortando, primò ait, quòd illi, cui ſeruiendum dixit, eſt Dominus, qui moriens omnia traxit ad ſeipſum, & cum Dominus ſit, infideles, & Diaboli miniſtros ſpolianit captiuitate hominum, Idolaq. & Dæmoniorum ſimulachra deleuit.

Iraſcantur, inquit, populi, moueaturq. terra, ideſt terrena ſapientes, quia Dominus eſt, qui regnauit, qui morte ſua mortem omnium ſuperauit, qui hominem Adam, quem prius in puritate, & ſimplicitate ipſe creauerat, per cuius peccatum mors in vniuerſum mundũ intrauit, nunc redemit, omniumq. peccata moriendo deſtruxit, quæ ſuper ſe tulerat, ſicq. reſtituit hominem credentem in ipſum, & baptizatum in priſtimum ſuæ creationis ſtatum, in gratiam ſcilicet Dei omnipotentis.

Moueatur terra, iraſcantur populi, quid tum? Dominus eſt qui regnat, qui ſuper Cherubin ſedet; non eſt contrà Dominum ſapientia. Sapientiam Dei omnia præcedentem, quis inueſtigabit? Eccleſ. cap. 1. num. 3. Populi pro Idolo ſuo iraſcebantur Domino ſuo; qui ſi pro Idolo ſuo iraſcerentur ſeruo ſuo, damnandi erãt, Auguſt. Melior enim ſeruus eorum, quàm Idolum eorũ, ſeruum enim eorum Dominus fecit, Idolum eorum faber fecit, ſic iraſcebantur pro Idolo ſuo, vt iraſci non timerent Domino ſuo. Iraſcantur illi, & Martyres coronentur in ira ipſorum, quid illis fecerunt, qui iraſcebantur, niſi vt inter manus eorum caro affligeretur, & in manibus Chriſti Spiritus coronaretur? Nec ipſa caro, quam perſecutores occidere potuerunt, ità mortua eſt, vt in æternum interiret; habet enim tempus ſuum, quo reſurgat & ipſa. Nàm reſurrectionem carnis iàm oſtendit Dominus in ſeipſo, vndè illam voluit à nobis accipere, vt de noſtra non poſſemus deſperare. Non reſurgent, quæ iàm fracta ſunt à Domino Idola, Ierem. cap. 10. num. 11. Dij, qui cælos, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his, quæ ſub cælo ſunt. Auguſtin. Non dixit, Dij, qui cælum, & terram non fecerunt, pereant de cælo, & de terra, quia numquam fuerunt in cælo, ſed dixit, Dij, qui cælum, & terram non

fecerunt

fecerunt pereant de terra; quasi respondit ad terram, & defuit, quid responderet de cælo, quia illi non fuerunt in cælo, ipsam terram bis dixit, quia ipsa est sub cælo, pereant de terra, & de sub cælo, de templis suis; Iâm Idola euanuerunt, sed vtinam in cordibus infidelium adhùc non sint permanentia; Putas enim, dicebat, quando venerit filius hóminis, inueniet fidem?

Irascantur populi, moueatur terra. Sedet enim super Cherubin, in cuius protectione posita est Ecclesia, cuius caput ipse est, semper duratura. Noli ergo timere tu fidelis, quia contrà te irascatur iniquus, contrà te moueatur terra, irascantur populi: time, nè irascatur Dominus, & pereas de via iusta, Psalm.2.num.12. Propterea clamat Propheta, dicens; Venite filij audite me. Quid vis, ò Propheta sancte? Timorem Domini docebo vos, Psalm.33.nu. 12. Stà in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, sustine, sustentationes Dei coniungere Deo, & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua, Eccles. cap.2.num.2. cum sequen. quid enim populorum furor, nisi terrenarum rerum fluctuationes?

Mouetur terra, sed non recedit de loco suo; quia terra est: non ascendit sursum, cuius pondus tendit deorsum. Transeunt tonitrua, & sustinentium animæ fulgent in cælo, quia inuenit illos Dominus dignos se, Sap.3. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, num.5. In paucis, ideò dicitur, vexati, quia hæc citò transeunt mortalia, in multis verò benè disponentur. Dominus est qui regnat, quid facient irascentes populi? irascuntur illi, purgantur iusti, quia exercentur, coronantur.

Irascantur populi, quantum velint, & possint; Dominus est qui sedet super Cherubin, & regnat; Quid Cherubin, nisi sapientia Dei? fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna, Eccles. cap.1.num.5. Sedes Sapientiæ, qui custodiunt mandata Dei, ergo iusti sunt sedes sapientiæ filij Dei, Psalm.79.num.2. Qui sedet super Cherubin, Isai. cap. 37. numer.16. Daniel. cap.3.num.55. Augustin. Verbum Dei nouit illam sedem, nouit tamquam sedem suam, & ipsum verbum Dei, & spiritus Dei, dixit seruis Dei, vbi sedeat Deus, non quia sic sedeat Deus, quomodò homo, sed si vis vt sedeat in te Deus, si bonus eris, sedes Dei eris; ità enim scriptum est, Sedes sapientiæ anima iusti. Cherubin autem plenitudinem scientiæ significari asserunt, superat enim Deus omnem sapientiam, & propterea super plenitudinem scientiæ sedere dicitur. Tu sedes sapientiæ, si in te scientiæ plenitudo erit, idest si legis Dei scientiam habueris, Plenitudo legis, dicit Apostolus, ad Roman. c.13.n.10. est dilectio; si ergo in te est charitas, ibi etiam erit plenitudo legis, & quia tunc in te habitat Deus, sedes Dei factus es. Si ergo, qui in te habitat attendis, quid multum facis, si sæuiant in te, quos tu paruipendere debes?

Irascantur populi, non iræ illorum ad sedem Dei, qui in te inhabitat contrà te valent peruenire: terrena sapiunt, cælestia non credunt, dicunt iniqui illi in corde suo, non est Deus, Psalm.13. num.1. Et dixerunt, Quomodò scit Deus, & si est scientia in excelso? Psalm.72.num.11. Vndè August. hìc, qui contrà te sæuiant attendis, qui in te sedeat non attendis: Cælum factus es, & terram times? Isai. cap.66. num.1. Cælum mihi sedes est. Si ergo & tu plenitudinem scientiæ, & charitatem habeas, vtiq. sedes Dei factus es; cælum

factus

factus es, non enim hoc cælum, quod oculis his noſtris ſuſpicimus, valdè pretioſum eſt Deo. Cælum Dei animæ ſanctæ ſunt, cælum Dei mentes Angelorum ſunt, & omnium mentes ſeruorum eius. Ergo iraſcantur populi, quia qui habitabat in cælis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos, Pſal. 2. numer. 4. Animæ enim iuſtorum in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, Eccleſ. d. cap. 3.

Iraſcantur ergo populi, moueatur terra, contrà ſtimulum calcitrare nitantur, Act. 9. num. 5. Ipſe enim, qui Deus eſt in Sion, qui natus eſt in Sion inter Iudæos, qui humilis viſus eſt, quia inter homines natus eſt, quamuis ab illis de domo ſua, de Iudæorum agnatione non receptus, Ioan. cap. 1. & qui eum non receperunt, immo morti illum tradiderunt, reſurrexit, ſedet ad dexteram Patris, filius Dei, Deus magnus in Sion, & excelſus ſuper omnes populos. Ipſe eſt, qui fecit Orbem, & mare, & per quem omnia facta ſunt. O te felicem, Chriſtum ſequentem, is enim, quem totus non capit Orbis, in te eſt, & tu in illo, ſi legem eius impleueris, cuius plenitudo eſt charitas in Deum, & proximum. Iraſcantur quantumuis iniqui, infideles contrà te, ò chriſtiane, quantò magis moueantur, iraſcantur, perſequantur, tantò magis te purgatum, & dignum ſe inueniet Dominus, ſeruusq. illius efficieris. Sedet ſuper Cherubin, qui magnus eſt, & ſuper omnes Deos, ſuper te erit, ſi charitatem habueris, ſi ille pro nobis, quis contrà nos? ad Roman. cap. 8. num. 3. Qui vos ſpernit, me ſpernit, dicit Dominus, Luc. cap. 10. nu. 16. Et ſi vſque ad conſummationem nobiſcum eſt Dominus, quid poterunt facere aduerſarij? & quis poterit vultui eius reſiſtere? Iob cap. 41. nu. 1. Moueatur terra, ideſt qui in terra ſunt perſequentes, quia in terram conuertentur, ceſſabitq. motus illorum, & ſicut terra fient immobiles.

Iraſcantur qui ſunt in illa, quia Deus magnus in Eccleſia ſua, & quid terra poteſt contrà cælum? quid impius contrà Deum, & ſeruum eius? ſit tibi charitas, ò fidelis, & in te erit plenitudo legis, & ſedes Dei facta eris, Iſai. d. c. 66. in princ. & videbis Deum Deorum in Sion, Pſalm. 83. num. 8. Vnde dicebat Paul. Omnia, vt ſtercora exiſtimaui, vt Chriſtum lucrifaciam, ad Philip. c. 3. num. 8. Nam, vt ſuprà dixi, ſi vis ſcire, quomodò Deum viſurus es, dicit Auguſtin. Habe charitatem in Deum, & proximum, & pertinebis ad Cherubin, & ſi adhuc non intelligis, audi quid ſequatur.

Dominus in Sion magnus. Quem tibi dixit ſuper Cherubin, in Sion is magnus eſt, Sion ſpeculatio dicitur, viſio, & contemplatio; ſpeculari enim proſpicere eſt, vel conſpicere, vel intendere vt videas; Sion autem eſt omnis anima, quæ lucem intendit videre, quæ videnda eſt; tenebraretur enim ſi ad ſuam intenderet, ad lucem autem illius attendens illuminatur. Sion ciuitas Dei, Eccleſia ſancta, homines ſe inuicem amantes, & amantes Deum ſuum, qui in illis habitat, faciunt ciuitatem Dei, quia lege quadam ciuitas continetur, Luc. cap. 18. num. 21. Ecce regnum Dei intrà nos eſt, ſicq. regnum Dei iuſti ſunt ciuitas eius, lex ipſa eorum charitas eſt, & ipſa charitas Deus eſt, apertè enim ſcriptum eſt 1. Ioan. c. 4. Deus charitas eſt; qui ergo plenus eſt charitate, Deo plenus eſt, & multi pleni charitate, Ciuitatem Deo faciunt, in qua eſt Deus magnus. In illa eſto, & non erit præter te Deus, erit autem in ea Deus, quia ciuis es de Sion, de ciuitate Dei, membrum de Sion, Ciuis

de

de Sion, pertinens ad societatem populi Dei; excelsus in te erit Deus super omnes populos. Hucusquè Augustin. Et excelsus super omnes populos, nàm ille eleuatus, omnes suæ potestati subijecit, propterea.

Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile, & sanctum est, & honor Regis iudicium diligit. Irascentes populi & ipsi confiteantur, quia nomen Iesus terribile est, propterea, quia In nomine Iesus omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, ad Philip. cap. 2. num. 10. Terribile: credunt Dæmones, & contremiscunt, Iacob. cap. 2. numer. 19. In alio Psalmo prius ponitur sanctum, & posteà terribile est nomen eius, Psalm. 110. nu. 19. ibi enim cœptum à iustorum confessione, quia Dominus redemit illos, ideò sanctum prius dictum nomen eius, quia prius iustos, vt ad dexteram suam veniant, vocauit; hìc verò prius terribile nomen eius, quia iudicium eius est contrà populos irascentes. Irascantur populi, moueatur terra, quia ad sonitum tubæ mortui resurgent, in die illa amara valdè. Et quia non crediderunt, terribile erit contrà illos nomen Iesus, quia in ignem æternum eijciet illos, dicens, Discedite à me maledicti in ignem æternum; qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, Matth. cap. 25. num. 41. Terribile in hoc Psalmo primò ponit, quia cum fidelibus populis loquitur, ostendens illis, quia nisi conuertantur, conterentur; excelsus est enim Dominus super omnes populos; sanctum verò posteà ponitur, quia iustus est Dominus, & iustitiam diligit, quia reddit vnicuique secundum opera sua; Audi quæ dicant, qui in inferno positi sunt, Sapien. cap. 5. num. 6. Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis, & num. 14. In malignitate nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt. Confiteantur irascentes populi, quia terribile nomen eius; sed & sanctum, quia iustus Dominus. Terribile num. 21. Acuet enim duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo Orbis terrarum contrà insensatos; ibunt directæ emissiones fulgurum, &c. Terribilis est, & quis resistet illi? ex tunc ira tua, Psalm. 75. numer. 8. quia post mortem non est pœnitentia; Terribile nomen eius. Quoniam ignem succendisti in furore meo, vsque in æternum ardebit, Ierem. cap. 17. num. 4.

Vel aliter dicamus, Quare in hoc Psalmo prius dicitur, Irascantur populi, moueatur terra, & terribile, & sanctum est nomen tuum; nàm vt dicit hìc Sanctus Hieronym. in hoc Psalm. diuersus est finis ab alijs duobus Psalmis, nu. 91. & 96. in primo Dominus regnauit, & indutus est decorem, ideò indutus est Patriarchis, & Prophetis, & populo credente, Ezech. d. cap. 27. num. 4. Perfecti decoris ego sum, & nu. 7. Decorem indutus est, quia Patriarchæ, & Prophetæ, quasi Christi vestimenta fuerunt; Sancti enim Dei quasi perizoma, vestimentum Dei sunt, Ierem. cap. 13. in princ. Sicut tu posuisti lumbare istud ad lumbos tuos, ità & ego applicaui populum istum ad me. Quin etiam sicut vestimentum circà hominem, sic Populus Iudaicus circà Deum. Hoc vestimentum in petræ foramine, dicit Dominus, fuit positum, vt ibi per Ierem. num. 7. post enim multi temporis lapsum, cum reuersus esset Propheta, vt de petra iussu Domini tolleret vestimentum, inuenit illud computrefactum, computruerat, inquit lumbare, ità vt nulli vsui aptum esset.

Terribile est nomen Domini, sequitur enim, Sic dicit Dominus, putrescere faciam

faciam superbiam Iuda, & superbiam Ierusalem multam; populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, & ambulant in prauitate cordis sui, &c. erunt sicut lumbare istud, quod nulli vsui aptum est; sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda, dicit Dominus, vt essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam, & non audierunt.

Terribile nomen tuum Domine, nàm populo isti iàm electo tuo quid acciderit, clarum est, vt in Isai. legitur cap. 1. & in Ezech. 27. nu. 34. cum sequen. Ad nihilum deducta es, & non eris vsque in sempiternum; simile habemus Ierem. 17. nu. 26. sicut factum est in diebus Noe, bibebant filij hominis, & edebant, & venit diluuium, & perdidit omnes. Populi ergo istius decor electus in foramine positus cõputruit, quia factus Deo rebellis; nàm omnes à Deo missos Prophetas occidit, & cum voluisset Dominus sæpius cõgregare sibi illos, noluerunt, Matth. 23. nu. 37. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, tunc ergo in primo Psalmo prædictorum trium cantauit Dauid, dicẽs, Dominus regnauit; Amisit populus ille decorem; lumbare, seù aliud vestimentum volebat Dominus, propterea excelsus super omnes populos. Quia Dominum, ille iniquus populus repulit, ideò, relicta ipsius populi domo deserta, ad alium populũ verbum Dei prædicandum erat, provt Isai. prædixit cap. 49. nu. 6. id spiritu Prophetico præuidens Dauid, cecinit dicens, Dominus regnauit, exultet terra, lætẽtur insulæ multæ, non illa Iudæorum, quæ vna erat insula; lætentur insulæ multæ, exultet terra, quia verbum Dei recepit, idest Gentiles, vndè Act. 13. num. 46. cum seq. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus. Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem, vsque ad extremum terræ. Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ, Ezech. cap. 39. numer. 21. Et ponam gloriam meam in gentibus. Quòd verò insula vna esset Iudæorum, probat Hieronym. per Ezech. in dicto cap. 27.

Venit ergo Rex, qui mnas dedit vni decem, & alteri quinque, alij vnam, Luc. 19. n. 27. oderant enim illi homines Regem, qui longè abierat, & nolebant illum regnare super illos; de longè enim abierat ille Paterfamilias, & quid lõgius, quàm cælum à terra? de cælo venit ad terram, vt regnum suum visitaret, oderunt ciues, nec volebant illum regnare super illos, & contumelijs affectum vulnerauerunt, deriserunt, occiderunt; Illi tamen, quibus decem, & quinque talenta dederat, seruierũt ei, qui fuerunt Apostoli, & alij Discipuli: reuersus Dominus de longinquo, de cælo ad terram, longũ certè iter; populus, qui illum negauerat, occidi iussit, quia inania meditati erant frementes, & verbum Domini, illum esse Regem negantes, ne prædicarẽtur Discipulis, ne amplius in nomine illo prædicarent, prohibentes: ò stulti, ò iniqui, dicit illis negantibus Regem, & Redemptorẽ, Dauid, Dominus regnauit, irascantur populi, sedet super Cherubin, moueatur terra. Terra nostra inanis, & vacua, nunquid cælum digito attingere poterit? nunquid & illum ad dexteram Dei Patris sedentem iterum crucifigere poteritis? Ecce ergo causa propter quam Propheta prius posuit terribile nomen Domini, postea sanctum. Contrà enim peccatores iniquos minas iacit, vt expergefacti, & à somno iniquitatũ excitati ad Dominum reuertantur, quia

etsi contrà iniquos terribile illius erit iudiciũ; sanctum tamen est nomen eius, quia si ab iniquitate recesserint, & conuersi ad Dominum pœnitentiã egerint, non recordabitur Dominus iniquitatum eorum, Ezech. cap. 18. & 33. Terribile contrà obstinatos, sanctum, & pium in pœnitentes; Sequitur ergo Psalm. dicens.

Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile contrà iniquos, & sanctum in iustos, & pœnitentes. Et honor regis iudicium diligit, Malach. 1. nu. 11. Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnũ est nomen meũ in gentibus, &c. & nomen meum horribile in gentibus. Discretè scilicet confiteantur, & honorificè, glorioſa enim Dei prædicatio diligit iudiciũ discretionis. Vel dicamus, Et honor Regis iudiciũ diligit, honor enim Regis est, vt vnicuique iuxtà opera sua tribuat, & ità iustum sit iudicium suum; Deus enim Iudex iustus est, Psal. 7. Annunciabũt cæli iustitiam eius, quoniam Deus Iudex est, Psal. 49. Terribile, & sanctum est nomen eius. Tu parasti directiones, iudicium, & iustitiam in Iacob tu fecisti. Non ergo de misericordia præsumendũ, quia honor Regis iudicium diligit; nàm si benè operaris, benè tibi erit; si verò malè, iudicium Regis contrà te; Augustin. Iudicium, & iustitiam habere debemus, hoc est, si malum à bono discernis, iudicium habes; & si bonum feceris, & à malo declinas, iustitiam habes; discernendo iudicium habes; faciendo, iustitiam habes, Psalm. 36. Declina à malo, & fac bonum, quære pacem, & persequere eam.

Quoniam tu parasti directiones. Quas directiones parauit? Præcepta, quæ in Euangelio dedit, & in lege veteri, vt obseruantes illa honorem darent Deo, cuius iudicium rectum est, cuius populus talis iustus est, & iustitiam diligit, vt honor debitus Deo nostro detur.

Ideò iudicium, & iustitiam in Iacob, in populo Christiano tu fecisti, omnes enim ad iudicium vocabuntur, & in omnes iustitia administrabitur, ità vt qui bona fecerunt, ituri sint in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum; Vndè Malach. 2. nu. 9. cum sequen. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Leui; propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis. Sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege, iustificantes nempe impium pro munere, Facit Isai. 1. num. 16. cum sequen. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarũ ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite benefacere, quærite iudiciũ, subuenite oppresso, iudicare pupillo, defendite viduam, &c. Istæ sunt directiones, quas Dominus præparauit; & obseruantibus dicit Dominus, Venite, & arguite me, dicit Dominus, si fuerint peccata vestra, vt coccinũ, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt; & inobseruantes gladium illos deuoraturum asserit Isai. vt supra num. 20. quia os Domini locutum est. Iudicium ergo, & iustitiam in Iacob tu fecisti, idest in populum tuum; Vndè hoc? Malach. 2. nu. 12. Disperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, magistrum, & discipulum de tabernaculis Iacob, &c.

Cur ergo, quia regnauit Dominus, irascimini populi? cur terra mouetur, cum qui carnem assumpsit, vt caro nostra cum ipso regnaret in æternũ? Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedũ eius. Adorate carnẽ eius, quam ipse nobis præbuit ad manducandum. Edant pauperes, & saturabuntur; adorent in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium, quoniam Domini est regnũ, & ipse dominabitur gentium; & si Reges, & alij terræ pingues proci-

den-

dentes in terram, & adorantes manducant, cur & vos de populo irascentes in conspectu eius non comedetis, qui in terram decidistis? Psalm.21.nu.27. cum sequen. vide quæ ibi scripsimus. Durus videbitur forsan & vobis sermo, sicut & cæteris, qui Dominum sequentes retrò abierunt, quia dixit illis, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, & qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo, & num.62. in Ioan.cap.6. Verba, quæ loquebatur Iesus, spiritus, & vita sunt, & ipsi non intelligebant, ibidem Ioan. numer.65. Augustin. hìc. Quid habemus adorare? Scabellum pedum eius, Isai.cap.66. in princ. Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, ergo terram nos iubet adorare, cum alio loco dicat Deuter.c.6. Deum tuum adorabis? Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cælum, & terram; rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalm. mihi dicit, Adorate scabellũ pedum eius. Quæro quid sit scabellum pedũ eius? Et dicit mihi Scriptura, terra scabellum pedum meorum. Fluctuans conuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hìc, & inuenio, quomodò sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipsa carne hìc ambulauit, & ipsam carnẽ nobis manducandã ad salutem dedit, nemo enim illam carnem mãducat, nisi prius adorauerit. Inuentum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solũ non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Nunquid autẽ caro viuificat? ipse Dominus dixit, Spiritus est, qui viuificat, caro autẽ nihil prodest.

Ideò & ad terram quamlibet cum te inclinas, atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illud sanctum eius pedum scabellum, quod adoras, propter ipsum enim adoras; quis enim sanctus est? in cuius amore adoras scabellũ pedum eius; & cum adoras eum, ne cogitatione remaneas in carne, & spiritu nõ viuificeris: spiritus enim, inquit, viuificat, caro autem nihil prodest. Tunc autẽ, quando hoc Dominus commendauit, de carne sua locutus erat, & dixerat, Nisi quis manducauerit carnem meam, non habebit in se vitam æternam; Retrorsũ abierunt illi Discipuli, acceperunt illud stultè, carnaliter illud cogitauerũt. Ipsi erant duri, nõ sermo; etenim si duri non essent, sed mites essent, dicerent sibi, nõ sine causa dicit hoc; nisi quia & ibi aliquod Sacramentum latens; manerent cum eo lenes, non duri, & discerent ab illo, quòd illis discedentibus, qui remanserunt, didicerunt, instruxit enim illos duodecim remanentes, dicens, spiritus est enim & vita, verba quæ locutus sũ vobis, spiritualiter intelligite, quæ locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent; Sacramentum aliquod vobis commendaui, spiritualiter intellectum viuificabit vos, & si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi: hæc Augustin.

Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius. Inuocabant eum, & ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos. Cur irascimini populi incredduli? cur cõmouetur terra? an Dominum Iesum Christum verũ Deum, & Regem non creditis? Interrogate Moysen, qui vobis dedit legẽ, & Aaron, qui Sacerdotiũ tenuit inter vos, & Samuelem

Leuitam, qui Deo pro populo preces fundebat; Viri sunt isti glorioſi, amici Dei, Exod. cap. 11. nu. 3. & cap. 6. num. 7. & 8. Excelſum verò fratrem Moyſis Aaron fecit Deus, & ſtatuit illi teſtamentum æternum, & dedit illi Sacerdotium gẽtis, Num. 12. nu. 3. & 7. & beatificauit illum in gloria, &c. & Exod. 28. & dedit illi in præceptis ſuis poteſtatẽ, in teſtamentis iudiciorũ docere Iacob teſtimonia, & in lege ſua lucẽ dare Iſrael, &c. & Eccleſ. 45. per totũ, & de Samuele, Eccleſ. 46. Dilectus à Domino Deo ſuo Samuel Propheta Domini, vidit enim Deum lucis, ibid. nu. 18. & inuocauit Dominum omnipotentem, &c. in oblatione Agni inuiolati, &c. Omnes iſti, ſicut & cæteri Prophetæ, & in Pſalmis Dauid teſtimoniũ perhibuerunt, quia Dominus Ieſus regnauit, quia ipſe eſt, qui pro redemptione mundi expectabatur, Iſai. 48. n. 16. Non à principio in abſcondito locutus ſum, ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius; & quis ſit iſte, ſequitur. Hæc dicit Dominus Redemptor tuus ſanctus Iſrael. Et quis eſt iſte Redemptor? ſequitur, Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, &c. & num. 21. Si ſitierunt in deſerto, cum educeret eos, aquam de petra produxit eis, & ſcidit petram, & fluxerunt aquæ, &c.

Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius. Inuocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos; Quocirca Paul. 1. Corinth. 10. Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt; bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus: Vndè idem Dominus Ieſus Chriſtus, Ioan. 5. nu. 46. dixit, Si enim crederetis Moyſi, crederetis & mihi, de me enim ille ſcripſit, & Luc. 24. n. 44. Quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſis, & Prophetis, & Pſalmis de me.

In columna nubis loquebatur ad eos; per Figuras enim loquebatur eis in nube obſcura, ſed illa dicta quendam manifeſtum præſignabant, ſcilicet Chriſtum. Ad eos in nube loquebatur, qui iàm loquitur in ſcabello, ideſt in carne aſſumpta apertè, tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas, & dixit eis, quoniam ſic ſcriptum eſt, & Sic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, Luc. dicto cap. 24. num. 54.

Moyſes autem, & Aaron, & Samuel quare hìc ſint nominati, dicit Auguſt. Quia illi ex antiquioribus Sacerdotibus, volens nobis oſtendere, & antiquos ipſum Chriſtum prædicaſſe, quia ipſe eſt verus Sacerdos Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Commemorauit iſtos, quia in columna nubis loquebatur ad eos, ideſt per figuras, ſi enim in quadam nubecula loquebatur, obſcura illa dicta, aliquem manifeſtum præſignabant, qui manifeſtus nobis in carne factus eſt Ieſus Chriſtus. Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius; ſi ergo Sacerdotes illius erant, ergo ipſe, cuius illi Sacerdotes erant, magnus, & primus Sacerdos erat, in æternum, de quo in Pſalmo 109. Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, Locutus eſt ergo in ſcabello pedum ſuorum, qui ſunt Moyſes, & Aaron ipſo inferiores, & illius ſerui; ſed in nube locutus eſt eis; nunc verò quæ illis in nube annunciata ſunt nobis, publicè, & clarè per Ieſum Chriſtum declarata ſunt item nobis, & aperta.

Ideò autem relata nobis per Prophetas ſupradictos, quia cuſtodiebant teſti-

monia

monia eius, & præceptum, quod dedit illis; nisi enim custodiuissent, nec nobis præcepta Dei reliquissent. Testes tres adhibuit omni exceptione maiores, Dei amicos, & Prophetas, quos apertè exaudiebat, quia custodiebant testimonia eius, & præcepta eius, quæ dedit eis. Custodiamus nos & illa, & quidquid ab eo petemus, habebimus, Matth. cap. 7. num. 7. Marc. cap. 11. num. 24. & Matth. cap. 21. num. 22. Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes accipietis, & Marc. vt supra dicto cap. 11. num. 23. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei: tales erant Moyses, Aaron, & Samuel, propterea sequitur vers.

Domine Deus noster tu exaudiebas eos, Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum. Exaudiebat eos, quia iusta, & digna petebant, vndè Iacob in Epistola sua Canonic. Ideò, inquit, Non accipitis, quia malè petatis, Iacob. cap. 4. num. 3. Tu etiam anima mea serua mandata Dei, & testimonia eius custodi, & Dominus erit propitius tibi, in condonando peccata tua, sicut & illis. Deus, inquit, propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum; dedit enim veniam peccatis, & ideò dicitur propitius; propitius ergo fuit ignoscendo, propitius etiam vlciscendo. Vndè Augustin. Ignoscendo propitius fuerat, propitius erat donando peccata, propitius fuerat & vindicando. Tu enim, inquit Psalm. propitius fuisti illis, & vindicans in omnes affectiones eorum. Illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat; nàm cui verè propitius est, non solum donat peccata, ne noceant ad futurum seculum; sed etiam castigat, ne semper peccare delectet: Sustine ergo fidelis, quando tibi eueniunt tribulationes, Deus enim vlciscens ideò; vt tibi propitius sit; quos enim corrigit Dominus, & flagellat, hos diligit.

Tres illi Prophetæ amici Dei, & quantas sustinuerunt passiones, & tribulationes? vindicabat autem non irascens, sed propitius, ad hoc vindicabat, vt perficeret cœptum, non vt damnaret electum: & tamen vlciscens Deus in omnes adinuentiones eorum, in omnes affectiones eorum, contradicebat populus; sustinebat Moyses; Parce illis, aiebat, vel dele me de libro tuo, Exod. cap. 32. num. 31. & vt dicit Augustin. hìc litera C. Fortè vindictas quotidie patiebantur, populos contradicentes, quotidie patiebantur iniquè viuentes, & inter illos viuere cogebantur, quorum vitam quotidie reprehendebant; hæc erat vindicta; tantùm te torquet iniustitia aliena, quantùm recesseris à tua: Pro illius populi peccatis dolebant per charitatem. Vt enim dicit Augustin. Abundat in te charitas, & plus dolebit peccantem; quantò maior in te charitas est, tantò amplius te torquebit, quem toleras; non torquebit tamquam irascentem illi, sed tamquam dolentem pro illo; dat exemplum de Pauli passionibus, 2. Corinth. cap. 11. Rogabat Dominum ipse Paulus, qui extrinsecè, & intrinsecè tanta patiebatur mala: & vt stimulum carnis auferret ab eo; forsan dolorem corporis, dicit Augustin. Virtus in infirmitate perficitur, dicit ei Dominus, sufficit tibi gratia mea, ego noui, quem curo; non mihi det, qui ægrotat consilium; Quicumque in Christo fratres proficimus, non nos putemus sine flagello profecturos, quia quantumlibet proficimus, nouit ille peccata nostra: qui nouit omnia, & vindicat in omnes affectiones, quamuis ab

hominibus videamur ſine culpa, & reprehendit, vt ſaluet, & ſit propitius nobis; nàm ſi non vindicet, & deſerat, perimus; Deus tu propitius fuiſti illis, & vindicans in omnes adinuentiones, & affectiones eorum.

Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate in monte ſancto eius, quoniam ſanctus Dominus Deus noſter. Sed vbi adorandus Dominus? & in quo exaltemus illum? Exaltemus Deum, quia etſi corrigat, & blanditur nobis, & ſi vlciſcens, propitius eſt nobis. Sed in quo adorabimus? in monte ſancto eius; in Ieſu Chriſto filio eius, ex Maria Virgine nobis dato; de iſto monte lapis Chriſtus ſine manibus præciſus eſt; Daniel. cap. 2. Creuit lapis iſte, qui præciſus eſt de monte ſine manibus, & factus eſt mons magnus, itàvt impleret vniuerſam faciem terræ; in iſto monte magno adoremus, ſi exaudiri voluimus, Auguſtin. Quis eſt mons, vnde præciſus eſt lapis ſine manibus, Regnum Iudæorum, qui colebant vnum Deum, inde præciſus eſt lapis ille, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ipſe dictus eſt lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, quo lapide omnia regna terræ confracta ſunt. Præciſus iſte lapis de monte ſine manibus, natus ſcilicet de gente Iudæorum, ſine opere hominum; de Virgine enim natus eſt. Præter iſtum montem, qui factus eſt magnus non eſt exauditio, non eſt accepta oratio Deo. Neque aliud ſacrificium, niſi illud, quod dedit Eccleſiæ ſuæ. Cætera autem Iudæorum, & Paganorum inania, & inutilia. Adoremus in monte ſancto eius, quoniam ſanctus eſt Dominus noſter; Sanctos nos exhibeamus, dicit Hieronym. in Eccleſia eius, ſicut ipſe eam exhibuit ſanctam, non habentem maculam, aut rugam, qui nobis præſtare dignetur, vt modum Sacerdotalis ordinis cum ſanctitate perfecta tenentes, quæ ſtudemus agere bona, ipſe perducere dignetur ad effectum, ſicut in Clemente ſancto Pontifice, cuius feſtum hodie celebramus. Verus Petri ſucceſſor, qui omnium Eccleſiarum ſolicitudinem habens, meruit etiam à ſaxo aquæ fontem educere oratione ſua, & propter Chriſti fidem Traiani Imperatoris iuſſu, anchora ad collum alligata in mare proiectus, animam Deo reddidit. Quod cum factum eſſet, Chriſtianis ad litus orantibus, mare ad tria milliaria receſſit, eòq. illi accedentes ædiculam marmoream in Templi formam, & intus aream lapideam, vbi Martyris corpus conditum erat, & iuxtà illud anchoram, quæ merſus fuerat, inuenerunt; quo miraculo incolæ permoti Chriſti fidem ſuſceperunt. Martyr Dei, & Pontifex intercede pro nobis, vt & nos tuo exemplo edocti, mereamur in viam ſalutis ambulare.

SOLILOQVIVM.

SVRGE anima de terra, nè contrà te amplius iraſcatur Dominus, & pereas de via iuſta; ſurge à ſomno. An ignoras, quòd, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, ipſe eſt Dominus Ieſus, qui peccata tua tulit, vt tu ſanguine ſuo redempta, à poteſtate Diaboli libereris? Confitearis nomini ſancto eius, quia magnum eſt, & terribile, aufert enim ſpiritum Principum; quia honor Regis iudicium diligit. Et quid de te erit, ſi in infirmitate moraberis? Nonnè dedit tibi præcepta legis, propterea iudicium, & iuſtitiam fecit in Iacob,

Deob, in Ecclesia sua, vt qui ab illa discesserit, extrà illam proijciatur. Exalta Dominum Deum tuum, vt omnes eius laudationes annuncies in portis filiæ Sion, in qua scabellum pedum eius adoratur, quoniam sanctum est. Nunquid tu es maior Patribus nostris Moyse, Aaron, & Samuele, Dominum inuocantibus à Domino exaudiris, quibus etiam in nube loquebatur. Cur & tu non exaudieris, si in præceptis eius ambulaueris? Et si in adinuentionibus tuis iratscatur aliquando Dominus propitius tamen tibi erit, si conuersus ad Dominum, patiens tribulationes sustinueris. Exalta anima mea Dominum Iesum tuum, & in monte sancto eius adorato illum, quoniam sanctus Dominus Deus tuus. Virgo Dei genitrix succurre mihi famulo tuo, vt dignè in vijs, & præceptis filij tui ambulans, merear exaudiri. Sancte Clemens, cui Angelus Domini habitaculum dedit in mari, iter præbe & mihi, in terra moranti, vt & Ego Sacerdos, & Episcopus populis Dei illius mirabilia enarrare valeam. Fiat Domine per merita dulcissimæ matris tuæ Virginis Mariæ, & per beati Clementis Martyris tui intercessionem, educ de cordis mei duritia lacrymarum fontem; vt per illas lauentur crimina mea. Amen.

IN PSALMVM XCIX.

Iubilate Deo omnis terra: seruite Domino in lætitia.

TITVLVS, Psalmus in confessione. Qui propterea ad præcedentem continuari potest, in quo visum est de peccatoribus irascentibus, verùm quia illorum salutem desiderat Ecclesia, his sequitur Titulus, & Psalmus confessionis, vt pœnitentes, & peccata confitentes, sciant Ecclesiam illos amplexuros, à qua si peccata illorum dimissa erunt in terris, & absoluti etiam erunt in cælis.

Summa. Peccatores monet Ecclesia ad confitendum peccata, & ad Deum glorificandum.

Introeamus ergo in Ecclesia cum Dauide in confessione, & in psalmis iubilemus Domino Deo nostro. Ad quod inuitatur omnis terra, idest omnes cuiusuis generis gentes in qualibet mundi parte existentes, ad confitendum Dominum Iesum Christum, verum Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; quas etiam inuitat, vt antequam in eius Ecclesia, & in portas eius introeant, prius peccata sua confiteantur, & tunc in hymnis simul cum Dauide confiteantur illi.

Iubilate, ergo incipit, omnis terra, omnes, qui in qualibet mundi parte existitis. Sed cur omnem terram inuitat ad iubilandum, si tantùm hæreditas Domini, Israel erat? Isai. cap. 19. numer. 25. in fine, nisi quia Dominus Iesus Christus prophetabatur venturus ad saluandas omnes gentes? Genes. cap. 28. num. 14. cum seqnen. Dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem, & benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ Tribus terræ; propterea cum propè esset aduentus Domini, Isai. cap. 14. numer. 1. & cap. 51. num. 5. & in cap. 49. nu. 6. Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas Tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas, Ecce dedi te in lucem gentium, vt

sis

sis salus mea vsque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus Redemptor Israel sanctus eius ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem. Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt, &c. Iubilate ergo omnis terra, & idem Isai. cap.66.num.18. Venio, vt congregem eum ex omnibus gentibus, & linguis, & venient, & videbunt gloriam meam, &c. & mittam ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam, in Italiam, & Græciam, ad Insulas longè, ad eos, qui non audierunt de me, & annunciabunt gloriam meam gentibus. Iubilate ergo omnis terra, seruite Domino in lætitia; nàm audientes gentes ab Apostolis susceperunt gaudentes, & lætantes verbum Domini, Act. cap.16.num.48. audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt, &c.

Omnis terra, non eius pars, iubilate; quia vbiq. benedictio Dei seminata est, nàm In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Psalm.18.num.5. Ipse enim tamquam sponsus exiuit de tabernaculo suo, vt credentes in illum saluet omnes populos. Exultauit vt Gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio eius. Non enim inuitus suscepit laborem; ideò & ipse exultauit, vt tu redemptus ab illo iubilares in toto corde tuo, ad currendam enim viam fortis, vt in cælum reuertens præpararet nobis locum, Ioan. cap.14.num.2. vt vbi ego sum, inquit, quandò reuertar, accipiam vos ad meipsum, num.3. ibid. ad currendam viam, quia à Patre exiui, & iterum vado ad Patrem, vt & etiam reuertar ad vos, Ioan. cap.16. nu.16. Modicum & iàm non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Iubilate omnis terra, quia etsi hìc fletus nunc sit vobis, & tribulatio, tunc erit gaudium, & lætitia, quam nemo tollet à vobis, iubilatio sit in corde, quæ præuenta sit ab opere, ideò sequitur.

Seruite Domino in lætitia; Ideò Ibant gaudentes Apostoli à conspectu concilij, quia digni reputati sunt, pro nomine Iesu contumelias pati, Act.cap.5. num.41. confitebantur Iesum Christum iubilatione cordiali, non vt terrena acquisiuissent, sed quia saluti animarum intendebant: vera hæc confessio; alia propter terrena, ad modicum confusio: transeunt terrena cum terrenis hominibus, & cum illis non transit gloria hominis terreni, neque cum ipso sumet illa, Psalm.18.num.18. Seruite Domino in lætitia. Hilarem enim datorem diligit Deus, libera seruitus est apud Dominum, vbi non necessitas, sed charitas seruit, Augustin. litera G. Seruum te charitas facit, quia liberum te veritas fecit, Ioan. cap.8. Si manseritis, inquit, in verbo meo, verè discipuli mei estis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Simul es & seruus, & liber; seruus, quia factus es; liber, quia amaris à Deo, à quo factus; immo etiam inde liber, quia amas eum, à quo factus es.

Sed si in terra non est gaudium, quomodò iubilate omnis terra. Gaudium, inquit Augustin. est hìc planè de spe futuræ vitæ; gustatur hìc, vndè ibi satiemur; cum ergo corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc erit perfecta iucunditas, tunc illa perfecta iubilatio, tunc laus sine defectu, tunc amor sine scandalo, tunc fructus sine timore, tunc vita sine morte.

Introite in conspectu eius in exultatione. Sed quomodò dicit in conspectu

eius?

eius? si iàm introeunt, nonnè in domum Dei, in qua habitat Deus? & ero, inquit, in loco isto vobiscum; decipiuntur enim qui orantes intrant, & malè petunt, qui Deum adorant, & factis negant, Ierem.7. Nolite, inquit Dominus, confidere in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est, quoniam si benè direxeritis vias vestras, & studia vestra; si feceritis iudicium inter virum, & proximum eius, habitabo vobiscum in loco isto, & ecce confiditis vobis in sermonibus mendacij, qui non proderunt vobis, furari, adulterari, &c. Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum, in oculis vestris? Ego, ego sum, ego vidi, dicit Dominus, & num. 15. Et proijciam vos à facie mea. Facit Ioan. cap.5.numer.42. Sed cognoui, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.

Introite in conspectu eius, idest in omni bonitate, iustitia, & charitate; tunc exultate, quia hæc sunt opera in conspectu Dei. Si ergo in conspectu Domini exultare volueris, fac & tu, vt conscientia mundus sis, sicut Deus, Matth. cap.5.numer.18. Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est, Quomodò hæc fieri possint, docet nos Dominus in Ioan. d. c.14. nu.21. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me; qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum; & manifestabo ei meipsum: & in alio loco Ioan. cap.8. numer.31. Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos, Facit 3.Reg.cap.8.num.33.& num.38. Si quis cognouerit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cælo, in loco habitationis repropitiaberis.

Introite in conspectu eius in exultatione. Sed quomodò introibis, si cor tuum maculatum fuerit? ipse Dominus cor nostrum videt, ipse solus cor omnium filiorum hominum cognoscit, in cap.8. 3.Reg. num.39. Si cor tuum simplex fuerit in conspectu Domini, tunc erit & in exultatione, quia mundus erit; non enim in te est Domini conspectus, nisi tui ipsius in illum simul sit aspectus, & tunc dicitur conspectus, simul enim se mutuo aspiciunt, tunc enim oculi Domini in hanc domum, in hoc tabernaculum tuum; in conscientia ergo exultate, vbi Deus videt.

Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos. Quem Patres vestri ò Iudæi, scire noluerunt, negantes illum, ac dicentes, hunc autem vndè sit nescimus, Ioan. c.9.nu.29. Luc. cap.20.num.7. Vndè Petrus in Act. Apost. cap.2. num.36. Certissimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus. Hic Iesus, quem vos crucifixistis, Dominus est, quem vos ò Iudæi crucifixistis, qui resurrexit, et si custodes sepulchro adhibuissent Iudæi; ipse est Deus, ipse Dominus, qui fecit nos, & non ipsi nos, omne bonum nostrum ex ipso est, non ex nobis. Ex eo est vndè coronamur, ex nobis vndè damnamur; Augustin. hìc.

Scitote, quem vos negastis ò Iudæi, quem morti tradidistis, ipse est Dominus, ipse est Deus, ipse est Via, Veritas, & Vita; propterea resurrexit, quia animam suam ponendi habet potestatem, & potestatem habet iterum sumendi eam, Ioan. cap.10.num.10. qui mori voluit, Isai. cap.53. & resurgere, vt in illo resurrecturos esse credatis, & si in illum credideritis, vitam æternam habitu-

finire.

habituros ſperetis, ibid. Ioan. d. cap. 10. num. 10. Ego, inquit, veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant; quia, vt in Ioan. cap. 14. numer. 6. Ipſe eſt Vita, Veritas, & Via, & ſi ad Patrem ire deſideratis, hunc, quem crucifixiſtis Ieſum Chriſtum eſſe verum Deum, & hominem credendum vobis eſt, quia nemo venit ad Patrem niſi per illum, ibid. d. cap. 14. num. 6. & 7. Ipſe fecit nos, cum omne bonum noſtrum ab ipſo ſit, non ex nobis; vt dicit D. Hieron. Ab eo enim ſumus non ſolum corporaliter facti, ſed etiam in nouum hominem recreati, & hoc non noſtro merito, ſed ſuo dono.

Scitote ideò dixit, & in ſcriptis reliquit Dauid, vt nos perpetuò obligatos oſtenderet, eſſe debere Chriſto Ieſu, qui nos ſuo ſanguine prius perditos redemit, vt ingratitudinem fugeremus. Hinc Exod. cap. 17. num. 14. Scribe, dixit Moyſi Dominus, hoc in monimentum in libro, & trade auribus Ioſue: Aquam enim de petra eduxerat Dominus per manus Moyſis, vt biberet populus in deſerto, & quia Ioſue Amalech, & populum eius in ore gladij fugauerat, dum Aaron, & Vr manus Moyſis ſuſtentauerunt, vt vſque ad occaſum Solis ipſæ non laſſarentur manus Moyſis; dixit ergo Dominus, vt in monimentum in libro ſcriberetur, & auribus Ioſue traderetur, quia manus filij Domini fuit contrà Amalech à generatione in generationem. Scitote, quoniam ipſe Dominus eſt Deus, ſcribantur hæc in generatione altera, vt populi laudent nomen Domini, Deuter. cap. 25. num. 19. Iudith cap. 4. nu. 13. Pſal. 101. num. 19. Iubilate ergo, quia eſt illi nomen Dominus, Iudith cap. 16. num. 3.

Hucuſquè locutus eſt Dauid cum infidelibus Iudæis, & Hæreticis extrà gremium Eccleſiæ commorantibus, quos vt nobiſcum in Domino iubilarent, inuitauit, & Domino noſtro Redemptori Ieſu Chriſto credentes ſeruirent. Nunc ad populum Dei chriſtianum conuerſus, qui ex grege ſumus, vt confiteamur in ingreſſu Eccleſiæ peccata noſtra, in atrijs domus Dei noſtri, exhortans, dicit. Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. Introite portas eius in confeſſione atria eius, in Hymnis confitemini illi. Ad duo principalia inuitat eos, qui credunt in Ieſum Chriſtum, vt ſcilicet ſint ſine peccato, antequam domum Dei ingrediantur, hoc autem fit, peccata Sacerdoti confitendo: ſecundò vt abſoluti à peccatis in Hymnis confiteantur illi, iubilantes in corde, quia gratia ſua nos Deus vocauit in electionem ſibi, & ideò laudantes nomen Domini, ideſt Ieſum, qui Saluator dicitur, quia dignatus eſt nos in ſortem ſuam ſanctam vocare, & Patri ſuo credituros commendare, Ioan. cap. 17. prope finem num. 20. exhortando nos, dicit.

Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. Populus Dei omnes iuſti, Iſai. cap. 60. num. 21. & oues paſcuæ eius, quia in Eccleſia ſua verbo Dei paſcimur, Iſai. cap. 43. num. 7. & Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum, nos autem oues paſcuæ eius, Auguſtin. hìc litera H. Oues, & ouis, ipſæ oues, vna ouis eſt, quàm amantiſſimum noſtri paſtorem habemus. Dimiſit nonagintanouem, deſcendit quærere vnam, reportat in humeris ſuis redemptam ſanguine ſuo, ſecurus mortuus eſt paſtor pro oue, qui reſurgens, poſſidet ouem.

Intrate portas eius in confeſſione; non foris ſteteris, vbi ſunt hoſtes, extrà, vos lupus inuenit, introite in confeſſione portas eius miſericordiæ, quæ eſt principium exauditionis noſtræ, poſtquam peccata fuerimus confeſſi, tunc

enim

enim misericordiæ portas intrare incipiemus, Psalm. 146. num. 7. Præcinite Domino in confessione, nostra enim accusatio ad ignoscentis laudem pertinet; incipiendum est ergo à peccatorum confessione, vt intrantes postea in atria eius, ideſt in amplitudinem cælestis Beatitudinis, gratiæ plenitudine percepta, in Hymnis confiteamur illi, in Hymnis, ideſt in laudibus. In ingressu ergo reprehensio, & ingressi laudatio, vndè Psalm. 117. numero 19. Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino, non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini, num. 18. Confiteamur etiam nos non factos à nobis, laudemus eum, à quo facti sumus; ab illo sit bonum nostrum, à quo recedentes fecimus malum nostrum, Auguſt. Et postquam ingressi fuerimus, Deo Patri in atrijs Domini confiteamur laudantes Dominum in omnibus operibus suis, & hæc nunquam cessabit laudatio, quia ibi semper erit iubilatio.

Laudate ergo nomen eius, quoniam suauis est Dominus, in æternum misericordia eius, & vsque in generatione, & generationem veritas eius. Laudemus vt dulcescat Dominus, dulcis est enim Dominus, propter hoc legem dedit delinquentibus in via, Psalm. 24. nu. 8. Quoniam, inquit, suauis est Dominus, in æternum misericordia eius, quia & hic liberat, & in futuro coronat; hìc autem misericordia, vsque in generationem, & generationem durat, ideſt in omnes ætates; hæc est enim veritas eius, quæ semper erit nobiscum vsque ad consummationem sæculi, Matth. cap. 28. num. 28. Nolite putare, dicit Auguſtin. quia deficitis in laudando, laudatio vestra quasi manducatio erit, tantum laudatis, tantum vires acquiritis, tantum dulcescit, quem laudabitis.

In æternum misericordia eius. O ineffabilis misericordia Dei; homo peccat, tu illum quasi patiens expectas, vt si illum pœniteat, ad illum proprius accedas; si peccat, non deserit, si pœniteas, te recipit. Salus ergo à te ò Christiane videtur; sed an vsque septies, si peccauerit? etiam inquit Petro, si vsque septuagies septies, Matth. 18. num. 22. Et quid amplius dulcissime Iesu? & vsque in generatione, & generationē veritas eius; ideſt & in hac generatione terrestri tibi placidus est, & in generatione cælesti; nàm etsi in prima generatione te mortalem fecerit, nunquam tamen te deserit, quousquè ad immortalem te reducat generationem? & hæc est veritas eius, quæ de terra orta est, Psalm. 84. nu. 2. vt semper vsque ad consummationem sæculi permaneat nobiscum, & hæc est veritas eius implens promissa, vt maneat nobiscum in vita æterna; Fiat Domine secundum verbum tuum.

SOLILOQVIVM.

CREATOR meus, atque Redemptor Domine Iesu Christe, qui me ouem vnam perditam, relictis nonagintanouem in deserto, inuentam super humeros tuos portasti, sanguineq. tuo pretioso redemisti, iam in ouili posita, confiteor te filium Dei viui, & Deum Redemptorem meum, laudesq. tibi in portæ ingressu debitas offero, & peccatorum meorum præmissa confessione, ante conspectum tuum exultans fateor, quia tu me fecisti, non ego ipse me; perfice Domine me, qui fecisti me, non enim in operibus meis confido, quæ feci, quia indè damnor. Sed tu Domine perfice in me, quod tu fecisti, vt indè co-

ronam

ronam accipiam. Ouis pascuæ tuæ sum, & intra populum, quem tu tibi elegisti. Intret Domine ouis tua in portam, non foris remaneat ad lupos; vt ingressa in atria tua in hymnis confiteatur tibi cum Sanctis tuis. Barbara Virgo, & Martyr tua, cuius memoriam celebrat hodie sancta Mater Ecclesia, cuius vita, & mors cunctas illustrauit Ecclesias, & quæ nunc in gloria tua manet Domine, apud te pro me misero peccatore sic intercedat, vt & ego famulus tuus in atrijs tuis ingrediens, hymnos laudis perpetuò tibi decantare valeam. Beatissima Virgo Dei Genitrix Maria, Aduocata mea, intercessione tua succurre mihi famulo tuo, sub cuius præsidium in hac miseriarum valle confugio. Amen.

IN PSALMVM C.

Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.

TITVLVS, Psalmus ipsi Dauid. Supra visum est, quod ex aduentu Domini nostri Iesu Christi omnis terra misericordia eius plena foret, & omnes de terra inuitabantur, vt iubilarent Deo, qui talia concessurus populo in ipsum crediturο, vt credentibus, & confitentibus vitam æternam esset daturus. Verùm vt nemo sibi ad impunitatem blandiatur de Dei misericordia, atque vt sciat quisque, quòd Dominus iustus sit, & vnicuique secundum opera sua tribuit. Ideò in hoc Psalmo, monemur, quòd quamuis Christi fidem susceperimus haud id sufficiat, nisi illa operibus bonis vestiatur; & sit quidem iubilandum, quia christiani simus, & misericordia Dei sit nobis aperta via ad salutem, sed tamen sit etiam timendum, quia iudicium subsequitur in alia vita. Misericordia ergo ipsi Christo, qui via fuit, & est nobis in hoc mundo; iudicium verò eidem in altero sæculo, in quo cuique daturus est secundum opera sua. Aug. hìc; Deus nec in bonitate misericordiæ perdit iudicij seueritatem, nec in iudicando cum seueritate amittit misericordiæ bonitatem; Iubilate ergo Deo omnis terra, quia via ad salutem nobis aperta est; timete tamen iudicium Dei, quòd superuenturum est vniuerso Orbi. Misericordiam Dei cantate, sed futurum iudicium timete; tempus est hìc acceptabile ad confitendum, tunc verò non est confessio post mortem ad salutem.

Iubilate ergo omnes, sed ex toto corde; vt in atria Domini intrantes Hymnos cantare possitis sine pœna, sine timore. Nunc est misericordiæ tempus, dum patientia Dei ad pœnitentiam adducit peccantes. Dum ergo hìc Domini misericordia offertur omnibus multipliciter, sic misericordiam amplectamur, vt nobis sit bonum iudicium in futuro, fugiamus malum, & non timebimus iudicium: quod verò bonum sit, quod facere debeamus, & euitare malum, declarat idem Dauid in sequentibus versiculis.

Psallam, & intelligam in via immaculata, quando venies ad me. Quis est ille, de quo dicitur, qui veniet ad me, nisi ille, cui Psalmus inscribitur? Dauid nempe, ideſt Christus, qui bonæ intentioni, & benè operanti succurrit, & dat intelligentiam vt recto corde psallat Deo Domino, Quando autem psallam, & intelligam? nisi quando tu Domine Iesu, qui es via immaculata,

venies

venies ad me; ſuſcipiens carnem noſtram, ex Maria Virgine naſcendo? Tunc, quia tu es Via, Veritas, & Vita, pſallam, & intelligam, quia tu es, qui à Patre promiſſus es; tu es, qui genus humanum redempturus venies: quando ego confeſſus, & à peccatis abſolutus fuero; quia tunc venies ad me, Hieron. hìc. Pſallam, & intelligam in via immaculata, vt intelligat quis quod pſallit, & ſenſus ipſius contempletur Pſalmum, & mens eius non vagetur foras, & corpore quidem videatur pſallere: mens autem ſine fructu ſit. In via immaculata, vt ambulans in hoc mundo, iuſtè agam, & maculam non habeam. Quando venies ad me. Quando autem intellectum recepero, & iuſtè egero: tunc cum fiducia dico ad Dominum, Quando venies ad me? Venies autem, de ſecundo aduentu accipiendum eſt, Hæc Hieronym.

Auguſtin. hìc. Pſallere eſt in hilaritate operari, & intelligere non poteſt niſi in via immaculata, ſed in ea intelligitur, quando ad nos veniat Deus; pſallit ergo, qui benè operatur, tunc iuncta mens cum operibus dicitur intelligere. Sed quid benè operando intelligam? quòd ſcilicet operando miſericordiam conſequar à Domino, & intelligam, quia etiam veniet iterum Dominus, & tunc iudicium erit illi in omnes gentes, vt ſcilicet, qui benè operati ſunt, quietem æternam debere habere iudicentur; qui verò malè, ignem æternum. Veritas enim de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit, Pſalm. 84. nu. 12. & 16. Etenim Dominus dabit benignitatem, ideò miſericordiam Dei cantabo, & terra noſtra dabit fructum ſuum, vt ſcilicet iuxtà cuiuſuis merita, in terra, & in Cælo detur merces debita, Pſal. 66. nu. 7. Vt is, cui quinque talenta data ſunt, ſi alia quinque ſuperlucratus fuerit, ſuper decem Ciuitates conſtituatur, Matth. cap. 25. numer. 15. cui verò vnum datum eſt, & illud abſcondit, is eijciatur in tenebras exteriores, &c. inutilis enim ſeruus fuit; natus enim erat Chriſtianus, neque aliud bonum fecit in vita ſua, qui vnum acceperat; erat enim ex illis, de quibus Sap. c. 2. qui edebant, & bibebant, &c. Vndè num. 22. Neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum; inuidia autem Diaboli, mors introiuit in Orbem terrarum, imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.

Surge ergo anima fidelis, pannis huius mundi inuoluta, tempus eſt miſericordiæ, vt conuerſa ad Dominum miſereatur tui; eſt enim miſericordiæ tempus, quando patientia Dei ad pœnitentiam adducit peccantes; vndè ad Roman. cap. 2. in princ. & per totum, & num. 3. Exiſtimas autem hoc ò homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea; quia tu effugies iudicium Dei? an diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum autem duritiam tuam, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius; ijs quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio; tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, &c. gloria autem, honor, & pax omni operanti bonum, &c. hæc Sanctus Paulus.

Digitized by Google

Nunc verò Dauid ſuperiora declarando, quid ipſe faciebat, pſallendo vt intelligeret: perambulabam, inquit, in innocentia cordis mei, in medio domus meæ, hæc eſt enim via immaculata; cordis ſcilicet innocentia. Quæ verò eſt innocentia cordis? dilectio Dei, & proximi. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & proximum tuum, ſicut te ipſum, in quibus duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ, Matth. cap. 22. numer. 37. Perambulabam, inquit, in innocentia cordis mei, in medio domus meæ, innocens ergo ſis, & perfeciſti laudem; perambula in hac valle lacrymarum, nemini dans offenſionem; in medio domus, in medio cordis ſcilicet.

Auguſtin. Medium domus ſuæ, aut ipſam Eccleſiam dicit, Chriſtus enim in ea ambulabat, in qua eſt ſalus, Pſal. 73. n. 13. Deus autẽ Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutẽ in medio terræ; aut cor ſuum; domus enim noſtra interior, cor noſtrum eſt; vt hæc expoſuerit, qui ſuperius dixit, in innocentia cordis mei: quæ eſt innocentia cordis ſui? Medium domus ſuæ; hanc domũ quiſquis habet, malam, pellitur ab illa foris. Quiſquis enim in corde premitur mala conſcientia, quomodò quiſquis ab ſtillicidio exit de domo ſua, aut à fumo, non ibi ſe patitur, habitare in corde ſuo libenter non poteſt: hæc Auguſtin. Perambulabat ergo in medio domus, qui cæteros homines ab illo reijciebat, vt ſeruiret Deo: Paralytico dixerat Ieſus, vt tolleret grabatum ſuum, & iret in domum ſuam; portabatur extrà domum, Factus eſt Paralyticus, reuerſus in ſe clamat ad Ieſum; remittuntur ei peccata, & vt in domum ſuam vadat, iubet illi, vt in innocentia cordis ſui reuertatur, ne iterum fiat Paralyticus, ſi extrà domum reuertatur. Confiteatur peccata, reuertatur ad Eccleſiam, vt adimplens præcepta, fiat innocens in huius vitæ deambulatione, Marc. cap. 2. num. 11. cum ſequen.

In innocentia cordis mei; hanc, qualis ſit, declarat in ſequenti ipſe Dauid, dicens.

Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam, facientes præuaricationes odiui: ecce quomodò innocentiæ primam partem exponit; iniuſtitiam neque ante oculos proponebat, ex qua præuaricationes legis oriuntur; diligebat iuſtitiam, propterea oderat malum, Pſalm. 44. numer. 8. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, & Pſalm. 96. numer. 10. Qui diligitis Dominum, odite malum; diligebat ergo Deum, propterea ante oculos ſuos rem iniuſtam non proponebat, & idcircò legis præuaricatores odio habebat, non enim homines odio habebat, ſed præuaricatores legis, etiamſi fideles eſſent; nàm in eo, quod iniuſtitiam faciunt, contrà legem faciunt primi, & ſecundi præcepti, non diligentes Deum ex toto corde, &c. & proximum ſicut ſe ipſos. Præuaricatores enim, vt dicitur in 2. Regum capit. 23. numer. 6. quaſi ſpinæ euellentur vniuerſi, quæ non tolluntur manibus, & ſi quis tangere voluerit eas armabitur ferro, & ligno lanceato, ignequè ſuccenſæ comburentur vſque ad nihilum: ferro enim lanceato vt procul ab illis, facilius igni tradere poſſit ad comburendum. Quid enim eſt per ferrum lanceatum armatus, niſi quia ligno Crucis fortiter armatus, præuaricatores legis tradat iuſtus illos ad comburendum igni. Auguſtin. Qui ſunt præuaricatores, Pſalm. 118. numer. 119. Præuaricatores reputaui omnes peccatores terræ. Qui ſunt præ-

prævaricatores ? qui oderunt legem Dei ; qui audiunt illam, & non faciunt, facientes prævaricationes odio habe, repelle illos à te. Sed odire debes prævaricatores, non homines, videte, quia homo duo nomina habet, homo, & prævaricator ; hominem Deus fecit, prævaricatorem ipse homo se fecit ; ama in illo, quod Deus fecit, persequere in illo, quod ipse sibi fecit ; cum enim persecutus fueris prævaricatorem eius, occidis, quod homo fecit, & liberatur, quod Deus fecit : hæc Augustin.

Non proponebam ante oculos corporis, nec mentis rem iniustam, ideò quasi ferro lanceato, procul à mente mea, & oculis, illam à me faciebam.

Non adhæsit mihi cor prauum, declinantem à me malignum non cognoscebam. Hìc ponamus necesse est, omnia Augustini verba, in huius versiculi expositione scripta, quæ super mel, & fauum dulciora sunt, inquit enim, Quid est cor prauum ? cor tortum ; quid est cor tortum ? cor non rectum ; quid est cor non rectum ? Vide quod est cor rectum, & ibi inuenies, quod est cor non rectum. Rectum cor hominis dicitur, quia omnia, quæ vult Deus, ipse vult. Orat aliquis, vt nescio quid non eueniat, orat, & non prohibetur ; petat quantum potest ; sed contrà voluntatem ipsius euenit aliquid ; subiungat se voluntati Dei, non resistat voluntati magnæ, quia & ipse Dominus sic illud exponit ; ostendens infirmitatem nostram in se, quando passurus erat, ait Matth. cap. 26. numer. 7. Tristis est anima mea vsque ad mortem ; non enim verè ille timebat mortem, qui in potestate habebat ponendi animam suam, & in potestate habebat iterum sumendi eam, Ioan. cap. 10. numer. 18. & Paulus Apostolus miles ipsius, seruus ipsius clamat, 2. Timoth. cap. 4. num. 7. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex. Exultat quia moriturus est, & Dominus eius, & Imperator eius, tristis est, quia moriturus est ? ergo melior seruus, quàm Dominus ? Et vbi est, quod ait ipse Dominus, Matth. cap. 10. Sufficit seruo, vt sit sicut Dominus eius, & sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius ? Ecce fortior est Paulus ventura morte, & Dominus tristis est ; optabam, inquit, dissolui, & esse cum Christo, ad Philippens. 1. gaudet, quia dissoluitur, vt sit cum Christo ; & ipse Christus tristis est, cum quo iste futurum se esse lætatur ? Sed quid erat illa vox, nisi sonus infirmitatis nostræ ? multi adhùc infirmi contristantur futura morte, sed habeant rectum cor, vitent mortem quantum possunt, sed si non possunt, dicant, quod ipse Dominus non propter se, sed propter nos dixit ; quid enim dixit Matth. cap. 26. Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Ecce habes voluntatem humanam expressam ; vide iàm rectum cor, Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis Pater. Si ergo cor rectum sequitur Deum, prauum cor resistit Deo ; aliquid illi contingat aduersum, clamat ; Deus, quid feci tibi ? quid commisi ? quid peccaui ? se iustum vult videri, Deum iniustum ; quid tàm prauum ? Prauum est, quia tortus est, & tortam regulam portat : corrige te, & inuenies rectum, à quo te deprauasti. Ille iustus, tu iniustus, & ideò peruersus es, quia hominem iustum dicis, & Deum iniustum. Quem hominem iustum dicis ? Teipsum. Quando enim dicis, quid tibi feci ? iustum te putas. Sed respondeat tibi Deus. Verum dicis, mihi nihil fecisti, omnia enim tibi fecisti. Si enim mihi aliquid fecisses,

Digitized by Google

bonum feciſſes. Quidquid enim benè fit, mihi fit, quia ex præcepto meo fit: quidquid autem mali fit, tibi fit, non mihi fit; quia non facit malus aliquid, niſi ſibi, quia hoc non ego iubeo. Tales quando videritis fratres, corripite, arguite, corrigite, & ſi non poteſtis corripere, aut corrigere, nolite conſentire, vt poſſitis dicere, non adhæſit mihi cor prauum.

Cum declinaret à me malignus, non cognoſcebam. Quid eſt non cognoſcebam? Non approbabam, non laudabam, non mihi placebat. Cognoſcere enim inuenimus in Scripturis aliquando dici pro eo, quod eſt placere nobis. Quid enim latet Deum fratres? Nunquid nouit iuſtos, & non nouit iniuſtos? Quid cogitas, quod ille neſciat? non dico quid facis, ſed quid cogitas, quod ille neſciat? Non dico quid cogitas, ſed quid cogitaturus es, quod ille ante non viderit? Omnia ergo nouit Deus: & tamen in fine, ideſt in iudicio poſt miſericordiam, de quibuſdam dicit Matth. cap. 7. num. 22. In illa die multi venturi ſunt, & dicent, Domine, Domine in nomine tuo Dæmonia eiecimus, in nomine tuo virtutes multas fecimus, in nomine tuo manducauimus, & bibimus; & dicam illis, diſcedite à me operarij iniquitatis, non noui vos. Ille non nouit aliquem? ſed quid eſt non noui vos? In regula mea non vos agnoſco. Noui enim regulam iuſtitiæ meæ, non illi congruitis, declinaſtis ab illa, diſtorti eſtis, ideò & ſic dixit, non cognoſcebam: cum declinaret à me malignus non cognoſcebam; Quid eſt non cognoſcebam? nunquid fortè quia malignus, quando obuiam fit iuſto in vico anguſto, dicit ſibi, quod eſt ſcriptum in Sapientia Salomonis; Grauis eſt etiam nobis ad videndum, & mutat viam, ne videat, quem non vult? ſed quàm multi ſunt maligni, quos videmus, & qui nos vident, & non ſolum à nobis non declinant, ſed currunt ad nos, & aliquando iniquitates ſuas per nos implere cupiunt; plerunquè ſe nobis coniungunt; plerunquè nobis contingit. Quomodò ergo declinant? Declinat à te, qui diſſimilis eſt tibi. Quid eſt declinat à te? Non te ſequitur. Quid eſt non te ſequitur? non te imitatur. Ergo cum declinaret à me malignus, ideſt cum mihi diſſimilis eſſet malignus, & vias meas nollet imitari; nollet ſic viuere malignus, quomodò me illi propoſui ad imitationem; non cognoſcebam; quid eſt non cognoſcebam? non quia neſciebam, ſed quia non approbabam. Hæc Auguſtin.

Detrahentem proximo ſuo, hunc perſequebar; Non, vt ſupra dixi, tamquam à Deo creatum, ſed peccatum, quod ipſe homo faciebat. Secretò detrahebat proximo ſuo; non enim qui falſa tenet, palam detrahere audet. Hoc enim ad Principes, & ſuperiores, qui falſis delatoribus ſic præbent aures, vt illos non ſolum non admittant, ſed puniant, iuxtà ſceleris oppoſiti grauitatem; ideò dicit perſequebar. Perſequebatur detrahentem proximo, vt vtrunquè liberaret: hoc eſt detrahentem, vt ſaluaret animam illius; & ſimiliter illum, cui detrahebatur, ne falsò accuſatus damnaretur. Hinc dicebat D. Hieronym. hìc, quòd magis peccat detractor famæ alterius, quàm fornicator, hic quippè ſeipſum occidit tantùm, alius verò & proximum, & ſeipſum interficit.

Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam; cum ſuperbo oculo, nunquid cum oculo comeditur, & non cum toto homine? Et iterum

cum

Digitized by Google

cum insatiabili, inquit, corde, venter satiatur, quod contingit, quando repletur; Non de his intelligit Dauid, quia etiam Dominus cum peccatoribus, & superbis comedebat, Luc.7.num.34. & 36. cum sequen. Spiritualiter hæc intelligenda videntur; esurimus enim iustitiam, & sitimus, vt in Matth.cap.5. num.6. Inuidia cibus est superbi: cibus verò cordis insatiabilis est auaritia, superbus proximi bono inuidet, auarus verò nunquam satiatur diuitijs; quò enim plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ: his cibis superbiæ, & inuidiæ, iniquitatis non pascitur iustus; sed iustitiæ cibo pascitur, Augustin. hìc. Habet epulas suas cor pium, habet epulas suas cor superbum: nàm propter cibos ipsos cordis superbi, ideò dixit insatiabili corde. Cor superbum vndè pascitur? si superbus est, inuidus est, aliter esse non potest: superbia mater inuidentiæ est; non potest nisi generare hanc, & cum illa semper esse. Omnis ergo superbus, inuidus est, & si inuidus est, malis alienis pascitur; vndè ad Galat. cap.5. Si mordetis, & comeditis inuicem, videte ne ab inuicem consummamini. Videtis ergo comedentes, nolite his conuescì, fugite conuiuium: neque enim se satiant gaudendo de malis alienis, quia insatiabili corde sunt; caue ne capiaris in epulis eorum laqueo Diaboli. Cibis talibus pascebantur Iudæi, quando crucifixerunt Dominum, sed quia pascebantur tamquam de pœna Domini; nàm & nos de Cruce Domini pascimur, quia corpus ipsius manducamus. Dicebant enim, cum viderent pendentem in Cruce, quia insatiabiles corde erant, Matth. cap.26. Si filius Dei est, descendat de Cruce. Pascebantur cibo crudelitatis suæ, & ille pascebatur cibo misericordiæ suæ, rogans pro illis Patrem, vt ignoscerat illis. Facta est mensa illorum coram illis in retributionem, & in scandalum, Psalm.68.numer.23. & in laqueum. Habent ergo impij epulas suas, habent & pij suas; Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Impius ergo qui pascitur cibo superbiæ, non mirum, si insatiabilis corde pascitur cibo iniquitatis, hæc Augustin. hucusquè.

Non ergo cum superbo, vel auaro erat iusti commestio, obscurati enim erant oculi eorum, Psalm. 18. numer. 24. Oculi autem Domini ad fideles terræ, vt sedeant secum, ambulans in via immaculata, hìc iustè Domino ministrabat.

Innocens ergo noster cum supradictis impijs non edebat, quia cibi illorum non erant nisi Diaboli, cuius ministri ipsi erant, Ioan.cap.6. & 8.nu.44. Quis verò Deo nostro ministrat? qui ambulat in via immaculata. Super quem sunt oculi Domini? Ad fideles terræ, vt secum sedeant in iudicio, Matth.cap.19.numer.28. Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos, &c. iudicantes duodecim Tribus Israel.

Oculi mei ad fideles terram inhabitantes, vt sedeant mecum, qui mihi ministrant, in via immaculata. Discant Episcopi iusti, vt in ordinationibus eis ordines conferant, qui non sint sibi seruientes, sed qui sint fideles, & in via immaculata ambulantes. Hic mihi ministrabat, qui in via immaculata ambulabat. Hic mihi, non sibi, vt hypocritæ tristes, ipsi sibijpsis ministrant, vt aliena rapiant, & ab hominibus iusti videantur, cæteros spernentes, Matth. cap.6.num.16. & cap.23. per totum.

Digitized by Google

Oculi Domini ad fideles terræ, quia non permittet Dominus, illos ab iniquorum manibus sibi eripi. Quos enim illi dedit Pater, nemo rapiet de manibus Domini Iesu Christi, Ioan. 10. num. 29. Oculi enim Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum, Psalm. 33. nu. 16. Oculi etiam nostri sint semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes nostros, Psalm. 24. nu. 15. Non enim superbus, neque iniqua faciens erit in conspectu Domini, ideò dicit, Qui facit superbiam, non habitabit in medio domus meæ, qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum, vndè scriptum est, Vultus Domini super facientes mala, vt disperdat de terra memoriam eorum, Psalm. 33. num. 17.

Non habitabit in medio domus meæ superbus, quia delebitur de libro viuentium, & cum iustis non scribetur, Psalm. 68. numer. 29. In medio domus meæ, quia deficient, qui pugnant pro eo; relinquetur enim in libertate sensus sui, Eccles. cap. 11. num. 14. & 15. & cap. 15. num. 13. Elegit malum, & tenebræ ipsis peccatoribus concreatæ sunt, dicto cap. 11. numer. 16. Reddidit enim mala pro bonis, ideò non habitabit in medio domus, sed non recedet malum de domo eius, Prouerb. cap. 17. num. 13. Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum, maledicentes enim disperibunt, Psal. 36. nu. 22. Non enim in conspectu oculorum Domini dirigit opera sua mala lingua magniloqua, & maligna loquens. Si ergo ab iniquitatibus abstineamus, & lingua nostra dolosa non loquatur, Dominus erit nobiscum, quia sedes illius erimus, anima enim iusti sedes Domini est.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. In matutino quando fiet vnus pastor, & vnum ouile, quando fidem Christi omnes complectentur, tunc quando Antichristus omnia ad se trahere conatus, cum suis sequacibus, & peccatoribus interficietur, & de ciuitate Domini, de Ecclesia sua sancta omnes operantes iniquitatem disperibunt.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. In tenebris enim ambulauerunt illi, qui etsi in Ecclesia lux in tenebris luceret, tenebrosi tamen eam non comprehenderunt. In matutino, quando iàm iudicium venerit, vt omnes iudicet, non opus erit amplius Dei misericordia, sed iudicium, vt de ciuitate disperdat iniquitatem operantes; quia vestem in ingressu illius nuptialem non habebunt, in tenebras exteriores eijciet: quia nihil inquinatum in ciuitate sancta permansurum est. Augustin. Sunt in ciuitate Domini operantes iniquitatem, quasi parcitur eis modò. Quare? Quia misericordiæ Domini tempus est; sed veniet & iudicij, quia sic cœpit Psalmus, Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Tanto enim tempore iniquos supranominatos tolerauit Dominus, quia nunc etiam misericordiæ tempus durat, nox adhùc est, nondum reuelatum est iudicium, apparebit dies, iudicium apparebit; Vndè Apostol. 1. Corinth. c. 4. Nolite, inquit, ante tempus iudicare; quid est ante tempus? ante diem, donec scilicet veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo.

Nox ergo adhùc, veniet dies, vt qui bona egerunt, recipiant Christum, qui est vita æterna, qui verò mala, in ignem æternum, & tunc manifestabuntur

ab-

Digitized by Google

abſcondita tenebrarum, vt vnicuique tribuatur ſecundum quòd operatus fuerit, operantibus enim iniquitatem diſperſio de ciuitate Dei; ijs verò, qui bonum operati ſunt, lumen in ciuitate Dei, in qua lux eſt Chriſtus, ità vt ea ciuitas non egeat Sole, & Luna; claritas enim Dei illuminat eam, & lucerna eius eſt Agnus, Apocal. cap. 21. num. 23.

SOLILOQVIVM.

HVMILIARE Domino Deo tuo anima mea, quia tempus venit, ſi te pœniteat, vt tui miſereatur Deus & in iudicio. Ambula in via immaculata cum illo, & Dominus veniet ad te. In medio domus tuæ, in innocentia cordis tui os aperi tuum, & laudem Domini decanta. Longè à te ſit oculorum tuorum concupiſcentia malorum, vt exemplo tui ad Dominum conuertantur iniqui. Cor prauum ſuperborum, & inuidorum, auarorum, ac detractorum vitia haud tibi adhæreant. Cum iuſtis, & innocentibus fidelibus ſit tibi ſocietas, & comeſtio, non autem cum impijs. Nè, quando in matutino Dominus ad iudicandum venerit, cum iniquis & tu extrà ciuitatem proijciaris; ſed cum iuſtis cum Domino introducaris in regnum cælorum. Sed ſi tu Domine propter peccatum meum longè factus ſis à me, quando venies, quomodò accedam ad te, niſi tu Domine miſerando acceſſeris ad me? Parce mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea. Miſericordia tua Domine præueniat me, vt cum illam decantauero, iudicium vltionis in matutino euadam. Fiat Domine Ieſu, veni ad liberandum me ò radix Ieſſe, quem gentes deprecantur, noli tardare. Et tu Virgo Maria Dei Genitrix precibus tuis ſuccurre mihi miſero peccatori, vt dignè, & laudabiliter tibi gratias agendo, merear & ego ſub tuum præſidium confugiens ab omni peccato in die mala liberari. Amen.

Opus ſerò cœpimus, centeſimum expleuimus, Laus Deo, quia & in ſenili ætate, quatenus proſequi nobis amplius locus non detur, numerum perfectum ſaltem perfecimus, pro cuius explicationis opere ſolum Deum præ oculis habuimus, & illius gloriam, & honorem. Doleo tamen, quòd non maiores fuerint vires, vt cunctis oſtenderem, quantum Deo debeam. Mei imbecillitas maiora canere minimè permiſit, & dilucidiora. Si quid boni in illis, hoc ex Dei eſt dono; ſi verò quid mali, id ex mea ignorantia factum: caro infirma, ſpiritus promptus fuit. Laus Deo.

IN

Digitized by Google

IN PSALMVM CI.

Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

IAM Psalmi centesimi enarrationi fine impositio, sequitur Psalmus primus post dictum centesimum, qui ab aliquibus non Dauidis, sed alterius deuoti Scriptoris incerti, dicitur esse: adeòq. eum non dici Psalmum, sed orationem, vtpotè à quouis fideli in afflictione constituto faciendam Deo.

Titulus est. Oratio pauperis, cum anxius fuerit, & in conspectu Domini effuderit precem suam.

Iste ergo Psalmus orationis quartus, & pœnitentiæ quintus. Continuari sic posse videtur ad præcedentem, in quo de misericordia Dei, necnon de iudicio cantando per illum, qui in via immaculata incederit; Verùm quia sub capite spinoso non debet esse membrum delicatum, inquit enim ipsa veritas. Si me persecuti sunt, & vos persequentur, Ioan. c. 15. ipsemet Iesus Christus, de quo Psalmus est compositus, qui ideò factus est pauper, vt nos diuites essemus; Paul. 2. Corinth. 8. docet in Psalmo, & oratione ista, vt quando propter ipsum, ac propter iustitiam tribulantur iusti, ad Domini auxilium recurrentes, non elati, quòd pro Christo, & iustitia patiantur, sed vt pauperis Christi pauperes, & humiles gratias Deo agant, atque in conspectu Domini suas effundant preces. In conspectu Domini inquit, quia Dominus prope est tribulatis, Psalm. 45. nu. 2. Cum ipso, enim dicit, sum in tribulatione, Psal. 90. num. 15. Cum ergo qui piè viuunt, tribulationes, & persecutiones patiantur, 2. Corinth. cap. 3. nu. 12. non confundantur, immo patienter illas sustineant, ideò præallatus positus est Titulus, docent nos exemplo Christi Iesu, vt cum ipso pauperes effecti, & anxiati, ante Dei conspectum orationes effundamus, qui vires dabit nobis, vt sustineamus; & quamuis pauperes effecti, diuites tamen efficiamur in æternũ: hæc enim de Christo dicta sunt, vt omnes dicunt hìc.

Ecquis autem Christo ditior, cum per quem facta sunt omnia? Ioan. c. 1. & quis pauperior, cum in omnibus, & quæ per ipsum condita fuere, egenus factus sit, vt tu in omnibus abundans esses? Lunam, & Solem fecit, & in morte eius lumen non dederunt ei; nàm in illius morte tenebræ factæ sunt, Sol, & Luna obscurati, Matth. cap. 27. numer. 45. Ioan. cap. 22. num. 44. cum sequen. Terra, quam fecit, commota est, & contremuit, Nahum cap. 1. num. 5. cum sequen. Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt, & contremuit terra à facie eius, & Orbis, & omnes habitantes in eo, Psalm. 17. nu. 8. Fecit Dominus vineam, vt daret fructum suum, & ecce fecit labruscas, Isai. cap. 53. dederunt enim ipsi in cruce sitienti myrrhatum vinum, Matth. vt suprà, Auibus fecit nidum, nec ille vbi recumberet caput suum habebat, Matth. cap. 8. num. 20. Luc. cap. 9. num. 58. nudus in cruce, cum & nobis, quibus operiemur, vestimenta fecerit in abundantia.

August. hìc in princ. Vndè enim homines sunt diuites: Puto auro, argento, familia, terra; sed omnia per ipsum facta sunt. Deindè subiungit, Quis enim

magis

magis diues, qui habet quod vult, alio faciente, an qui facit quod vult, & alio habente? Puto quod ille ditior est, qui fecit quod habes, quia quod ille habet, tu non habes, & tamen in his omnibus, quæ fecit, ipse pauper factus est, & egenus. Quis dat sapientiam, nisi ille, qui est summa sapientia? & tamen ab insipientibus deturpatus est. Quis dat vitam, nisi ipsemet, qui est Via, Veritas, & Vita? & tamen ab ingratis Iudæis crucifixus, & mortuus est; & à nescientibus viam Domini, in quorum os, nec veritas est inuenta, falsi testes contrà illum inducti fuerunt. Et quomodò non pauper, cui nec species, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, &c. & quasi absconditus vultus eius, & despectus; vndè nec reputauimus eum, Isai. cap. 53. nu. 3. At ad quid hoc tàm magnum Iudæorum scelus? propter quid Domine Iesu tàm pauper effectus, nudus, laceratus, plagis affectus? nisi quia languores nostros ipse tulisti, & dolores nostros ipse portasti? ipse enim vulneratus es propter iniquitates nostras, attritus es propter scelera nostra, &c. disciplina pacis nostræ super te, & liuore tuo sanati sumus.

Quid miraris Augustine Sancte, quia diues in omnibus pauper factus sit super omnia? quomodò ima summis congeres? Vndè paupertas illius? Domine respice, inquit Augustin. vocem illam, de qua Psalm. 115. num. 16. Ecce seruus tuus, & filius ancillæ tuæ, attende ancillam istam castam, & Virginem, & Matrem, ibi enim accepit paupertatem nostram, vbi serui formam indutus est, semetipsum exinaniens, nè diuitias eius expaueſceres, & ad eum accedere cum tua mendicitate non auderes. Ibi inquam serui formam accepit, ibi nostram indutus est paupertatem, ibi se pauperauit, ibi nos ditauit. Vndè illi labor? vndè illi gemitus verbo, per quod facta sunt omnia? Dignatus est habere mortem nostram, non nobis dabit vitam suam? Gemamus & nos cum illo, vt lætantes vitam habeamus in illo.

O stupendum, ò mirabile factum, ò in genus humanum indicibilis amor Iesu Christi, nonnè verbo suo sanare nos poterat? Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret pro eo, Ioan. cap. 3. numer. 16. 1. Ioan. cap. 4. num. 9. & ad Galat. cap. 1. num. 4.

Cur ò Iudæi, ò ingrati, vitæ Dominum occidistis? Nonnè illum, vt nos redimeret, venturum sciebatis? pauperem illum videbatis, filium fabri illum esse dicebatis; & hunc scimus vndè sit, Christus autem cum venerit, nemo scit vndè sit, Ioan. cap. 7. num. 27. Et me scitis, aiebat ille, & vndè sim scitis, Ioan. cap. 7. num. 28. Nonnè vos ministri diaboli, & filij eius estis? Audiuistis quid dixerunt Dæmonia, Luc. cap. 4. num. 41. exeuntia à multis clamantia, quia tu es filius Dei, sciebant enim illum esse Christum, idem Marc. c. 1. num. 34. & cur illis non credidistis, si ministri illorum estis? In te, dicebat Baruch cap. 3. numer. 36. in te est Deus, & nesciebamus, & non est alius Deus præter te, & num. 38. post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.

Hunc misit Deus, quia vos institistis, vt Deus mitteret eum, Exod. c. 4. num. 13. & in Psalm. 105. num. 5. Visita nos in salutari tuo, vt liberentur dilecti tui; Isai. verò cap. 7. num. 14. Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, idest nobiscum Deus. Et vide quæ latius in nostro

Tra-

Digitized by

Tractat. contrà Iudæos ſcripſimus, & præſertim in capit. 1. & ſequen.

Auguſtine Sancte quid dicis? Vim tibi facit huius Pſalmi verſiculus. Tàmquam panem cinerem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam? Non hoc legimus de Chriſto, quòd cinerem manducaſſet. Adhùc, inquis, timeo dicere, Ipſe eſt, & tamen volo; ſunt enim hìc, quæ me cogant velle, & rurſum quædam, quæ me cogant timere. Ipſe, inquis, eſt, & non eſt, ipſe iàm in forma ſerui eſt, iàm mortalem, fragilemq. carnem portat, iàm moriturus aduenit, & tamen nondum intelligitur in hac egeſtate, cinerem tamquam panem manducabam, &c.

Chriſtus eſt pauper, de quo in titulo, qui cum eſſet diues, pauper fieri voluit, pauperior tamen in membris, quorum egeſtati ſuam addidit paupertatem, vt eis ſuas communicaret diuitias. In perſona ergo pœnitentium, dicit, Cinerem tamquam panem manducabam: vndè!, dicit Auguſtin. Addit paupertatem paupertati, vt transfiguraret in ſe corpus humilitatis noſtræ. Sit corpus noſtrum, ſimus membra, ſint duo in carne vna; iàm enim primitus, vt pauper eſſet, formam ſerui accipiens, dimiſit Patrem (verba ſunt Auguſtini) qui autem de Virgine naſci dignatus eſt, dimittat & matrem, & adhæreat vxori ſuæ, & ſint duo in carne vna, ad Epheſ. cap. 5. num. 30. Ità enim erunt duo, & in voce, & in illa vna voce, iàm non mirabimur noſtram vocem: cinerem tamquam panem, &c. dignatus eſt enim habere nos membra; ſunt & pœnitentes in membris eius, nec omninò ſibi adiungeret coniugem, niſi illa voce, Agite pœnitentiam, Matth. capit. 4. appropinquauit enim Regnum Cælorum. Caput ergo, & Corpus; Sponſus, & Sponſa; Chriſtus, & Eccleſia vtrunque vnus orat: ſed Verbum, & Caro, non vtrunque vnum: Pater, & Verbum vtrunque vnum. Chriſtus, & Eccleſia vtrunque vnus. Vnus quidem vir perfectus in forma plenitudinis ſuæ, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, in agnitionem filij Dei, ad Epheſ. cap. 4. in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Sed donec occurramus, agitur hìc paupertas noſtra, agitur hìc adhùc labor, & gemitus; gratias miſericordiæ ipſius; Vndè illi labor, vndè illi gemitus verbo, per quod facta ſunt omnia? ſi dignatus eſt habere mortem noſtram, non nobis dabit vitam ſuam? in magnam ſpem erexit, cum magna ſpe gemimus, gemitus habet triſtitiam, ſed eſt gemitus, qui habet etiam & gaudium. Ego puto Saram ſterilem cum pareret, lætam genuiſſe. Et nos dicamus cum Iſai. 26. A timore tuo concepimus, & parturiuimus ſpiritum ſalutis. Hæc Auguſtin. Chriſtus ergo pauper in nobis, & nobiſcum, & propter nos.

Titulus indicat pauperem; Orationem audiamus, & perſonam agnoſcamus, necubi erres, quando audieris aliquid, quod coaptari capiti illius non poſſit; Dicendum ergo hunc Pſalmum agere de Chriſto paupere orante, & de membris eius in anguſtijs poſitis, qui ità afflicti, vt neque illis cibus, neque potus ſaperet: Vinumq. flentes, lacrymis mixtum biberent, qui de ſemet, Thren. cap. 3. nu. 16. Et fregit ad numerum dentes meos; cibauit me cinere, & repulſa eſt à pace anima mea, oblitus ſum bonorum. Cum anxiatus ergo pauper eſſet, orabat, & in conſpectu Domini effudit precem ſuam, dicens.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Orabat corde, clamabat voce, quia in anguſtijs poſitus erat, vocem ſuam ad Dominum

Digitized by Google

minum emittens ; quæ in corde erant angustiæ manifestas fecit , clamando ad Deum pro exauditione . Sed quare clamor , vbi est oratio ? Nonnè Deus est cum tribulato ? nonnè corda nostra respicit , & est illorum scrutator ? Ierem. 17. num. 10. & qui scrutatur corda, nonnè scit quid desiderat Spiritus ? ad Rom. 8. num. 27. Vide Ierem. in Thren. cap. 3. num. 44. Opposuisti nubem tibi Domine, ne transeat oratio . Erant enim sicut nebulæ, populorum peccata, nec fines eorum transeuntia. Orat , quia sperat ; clamat , quia credit ; vtrunque nobis necessarium est , ne nubes posita impediat , ne audiamur à Domino , audi Cananæam, Matth. cap. 15. nu. 22. post Dominum clamabat Cananæa, nec illi vllum dabatur responsum ; rogabant Apostoli , vt illam clamantem dimitteret ; Non est bonum , dicebat Iesus , sumere panem filiorum , & dare canibus , vlterius clamans illa, dicebat ; etiam Domine , nàm & Catelli edunt , quæ de mensa dominorum cadunt . Quæ fides supplicantis ? audi , Adiuua me Domine ; tunc respondens Iesus, ait, O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis . Sit tibi fides , iuncta sit oratio , & exaudita erit petitio tua .

In tribulationibus videris derelictus , non est ità . Ad modicum dereliqui eum , dicit Dominus , Isai. cap. 54. num. 7. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te . In momento indignationis abscondi faciem meã parumper à te, & in misericodia sempiterna misertus sum tui , &c. Tunc spes illorum immortalitate plena est , In paucis vexati , in multis benè disponentur : quoniam Deus tentauit eos , & inuenit illos dignos se , tamquam aurum in fornace pro bauit illos .

Exaudi ergo me orantem , afflictum , & anxiatum , quia spero in te Domine . Clamor meus ad te veniat , quia credo in te , qui es Dominus , & in misericordia tua liberabis me . Orabat Dominus in horto anxiatus , nàm tristis , erat anima eius vsque ad mortem , Matth. cap. 26. num. 39. Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans , & dicens . Ecce orat, & clamat, Pater , si possibile est , transeat à me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu, & Luc. cap. 22. num. 44. Apparuit Angelus de cælo confortans eum . Ecce quia audita est oratio eius . Et factus in agonia proxilius orabat, & factus est sudor eius , sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram . Enixè ergo orat , qui ad Dominum etiam clamat ; orat iustus , clamat anxius , audiunt Angeli , & interpellant Dominum, tollitur nubes , confortant Angeli ; Dominus caput misereturmembrorum ; & ecce quia ibant Apostoli , & Sancti Dei lætantes , & gaudentes à conspectu concilij, quia habiti sunt digni pro nomine Iesu contumeliam pati , & ideò .

Non auertas faciem tuam ab illo , à membris suis , pro quibus ad Patris dexteram stans interpellat ; In quacumque die tribulamur , inclina ad nos aurem tuam . In quacumque die, cum qualibet die iusto non deficiant tribulationes , & persecutiones , qui enim vos persecuti fuerint , & me persequentur , Matth. cap. 5. num. 10. propterea quotidie in quacumque die, nàm semper membra Christi patiuntur , dicente ipsa veritate , Si me persecuti sunt , & vos persequentur , Ioan. cap. 15. nu. 20. Nè auertas faciem tuam à me . August. propter membrorum paupertatem : tamquam enim vnius corporis , si patitur vnum membrum , compatiuntur omnia membra ; vsque ergo in finem sæculi tribulatur Dominus , quia in omni generatione tribulantur & eius membra .

Non

Non ergo auertas faciem tuam à me, in quacumque die tribulor, Ierem. cap.18.num.7. Repente loquar aduerſus gentem, & aduerſus Regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei, &c. Egit hic pœnitentiam pro membris. Non auertas faciem tuam, quia pro illis rogo, quos dediſti mihi, vt liberes eos à malo, Ioan.17.num.15. & pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. In quacumque die inuocauero te; ideſt pro eis, qui crediturí ſunt per verbum eorum in me.

Non auertas faciem tuam à me filio tuo, quis enim alius hoc poteſt dicere, niſi filius Dei, in quo non eſt dolus, nec peccatum aliquod, per quod conſcientia ſua redargueretur? Non auertas faciem à me, ideſt reſpice me Domine, qui nunquam me repuliſti à te. Tribulatur pœnitens, reſpice in me, quia pro illo ego paſſus ſum, peccata ſua ego tuli. Reſpice in me, non auertas faciem tuam à me; & ab illo pœnitente faciem tuam à peccatis eius auerte, quia iàm pœnitens eſt; recede Domine à peccatorum illius vindicta, quia ipſe receſſit pœnitens à nequitia ſua, Ierem. d. cap.18.num.7. Ezech.c.18.num.18. & cap.33. num.12. cum ſequen.

In quacumque die inuocauero te, velociter exaudi me. O nos felices chriſtianos peccatores pœnitentes, quia ſemper apud Patrem habemus filium pro nobis intercedentem, & illum inuocantem; in quacumque die, & hora te pœnituit peccaſſe, ſcis te habere filium apud Patrem inſtantem, vt dimittat peccata tua, Auguſtin. adhùc te loquente, dicam, ecce adſum, vndè inuocas? de qua tribulatione, & egeſtate? ò pauper ante ianuam diuitis Dei, quo deſiderio mendicas? qua inopia requiris? qua egeſtate pulſas, vt aperiatur tibi? Dicam, audiamus iſtam ipſam egeſtatem, in illa & nos ipſos inueniamus, & tecum rogemus. Audi, & agnoſce ſi potes. Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, velociter exaudi me. Quia ſine te non poſſum à me: ecce te inuoco pœnitens, quia tu exaudiſti me, clamo ad te, & tu dicis, ecce adſum: Iſai. cap.58.num.9. Sed cur tàm velociter exaudiri petit.

Qua defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt. Quare ſicut fumus? quia dies ſunt mei, vndè ſcriptum eſt, paucitas dierum meorum finietur breui, Iob c.10.nu.20. Homo enim breui viuens tempore, repletur multis miſerijs, idem Iob cap.14.num.1. Hinc Luc. cap.19.num.41. Fleuit Dominus ſuper illam ciuitatem, dicens, Si cognouiſſes & tu, & quidem in hanc die tua, quæ ad pacem tibi, in hac die tua breui, ideſt modico tempore, in quo facis voluntatem tuam, ibi Lyran. nu.42. & in eodem loco, Pſalm.101.num.12. Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui, & Iob cap.8.num.9. Sicut vmbra dies noſtri ſuper terram, Pſalm.143. num.4. Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt. Velociter ergo exaudi me, quia ablatus ſum ſicut vmbra cum declinat, Pſal.108. num.23. Auguſtin. hìc, Videte fumum ſuperbiæ ſimilem, aſcendentem, tumeſcentem, vaneſcentem, meritò ergo deficientem, non vtiq. permanentem; defecerunt ergo dies mei, non hæc lux viſibilis, ſcilicet aëris illuminatio à Sole, ſed tempora vitæ meæ.

Et oſſa mea ſicut cremium aruerunt. Dum recordor, quia peccaui nimis

in

Digitized by Google

in vita mea: dum recogito omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Isai. capit. 38. numer. 16. Et ossa mea sicut cremium aruerunt, seù, vt alia habet lectio, sicut in frixorio confrixa sunt. Quomodò ossa in frixorio? sola caro in frixorio, arida ex se sunt ossa, aridiora posita in frixorio sine carne, ideò aruerunt, inquit, sicut cremium. In recordatione enim peccatorum ossa quasi frixa, contrahitur fortitudo animi mei. Vel dicamus, Quia virtus animæ iusti huius, & fortitudo grauitate insidiarum, & pœnarum à Iudæis inflictarum ità contracta est; ità pauper est factus Dominus, vt etiam omnes Discipuli eius fugientes, in pœnis relictus solus, magis afflictus redderetur; dolores enim nostros ipse portauit, & attritus propter scelera nostra, Isai. d.c. 53. & pauper factus, ità vt nudus, nec vbi reclinaret caput suum haberet. Hinc idem Dominus, factus in agonia prolixius orabat, dicens, Pater mi, si possibile est, transeat calix iste à me, veruntamen fiat voluntas tua, Matth. cap. 26. numer. 39. Luc. 22. num. 43.

Dies mei sicut vmbra defecerunt. Sed si in tenebris erat, quomodò dies dicit? Lucescit enim dies, vndè Ioan. 1. Et tenebræ eum non comprehenderunt, quia ipse erat lux vera, propterea dies mei dicit, quia dum hìc stetit, cum in tenebris permanserit peccatorum, etsi ipse lux, non tamen lux orta est eis.

Dies ergo mei, quia venerat hora, vt ille de somno huius mundi surgeret; vt filius hominis traderetur in manus peccatorum, Matth. 26. num. 46. Defecerunt dies, quia iàm venerat hora, vt crucifigeretur; ideòq. hora venit, quia ipse voluit eo tempore mundum redimere sanguine suo: Augustin. Sicut fumus defecerunt dies mei; liberauit profectò, & à diebus fumi, qui dignatus est habere vocem dierum fumi.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei, Psalm. 89. numer. 6. Mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat, vespere decidat, induret, & arescat. Nàm mane, idest infantulus fui sicut herba: mane floreat, dum veni in iuuenilem ætatem: vespere decidat, & arescat, dum nesciens senui, semper me duraturum credebam, sed quia defeci in ira tua, in furore tuo turbatus, ossa mea quasi in frixorio confrixa sunt præ timore vultus tui.

Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Sed quando percussus? Quando de immortali factus est mortalis. Sed cur percussus? Quia oblitus est comedere panem, quem dederat illi Dominus ad vescendum; & de ligno, quod in medio erat Paradisi pulchro ad videndum, & suaui ad vescendum, comedit, Genes. capit. 3. numer. 6. Sed quomodò oblitus? quia verbum Dei custodire non est recordatus; omisit enim præceptum Dei, & serpentis venenum bibit. Sed cur oblitus? Quia appetiuit peccatum, & contemplationem Dei omisit. Verbo ergo percussus, qui in verbo peccauerat. Percussus sum vt fœnum, quia caro nostra immortalis, facta mortalis, vt fœnum aruit, vndè omnis caro fœnum, dixit Isai. 40. numer. 6. & ideò dixit, percussus sum vt fœnum; fœnum quippè viret, sed percussum facilè sentit iniuriam, & ideò, inquit, & aruit cor meum. Vita mea in medio Solis æstuata postquam se nudum cognouit, postquam aperti sunt ex commestione ligni illorum oculi, Adæ scilicet, & Euæ; sed eò magis aruit, qui à verbo Dei correptus in sudore suo coactus est comedere panem doloris; qui de immortali cognouit se factum mortalem; qui eiectus

de Paradiſo ductus eſt intrà terræ tribulos, & illius anguſtias.

Dies mei ſicut fumus defecerunt. Auguſtin. ò dies, ſi dies. Vbi dies auditur, lux intelligitur; dies mei tempora mea. Vndè ſicut fumus, niſi propter elationem ſuperbiæ? tales dies dignus fuit accipere ſuperbus; vndè carnem Chriſtus accepit; ergo in Adam Chriſtus, & Adam in Chriſto; liberauit profectò, & à diebus fumi, qui dignatus eſt habere vocem dierum fumi.

Et oſſa mea ſicut cremium aruerunt, Auguſtin. Oſſa mea ſicut in frixorio confrixa ſunt, & ipſa oſſa mea, & ipſa fortitudo mea non ſine tribulatione, non ſine vſtione. Vel dicamus, Dies mei tempora mea, caro mea per ſuperbiam ſicut fumus tranſiuit; oſſa tantùm vbi fortitudo mea, remanſerunt, ſed ità exſiccata, & debilia facta, ac ſi in frixorio confrixa eſſent. In me enim Dei gratia reuerſus dixi pœnitens; Fortitudo mea non amplius in carne, quia caro aduerſus ſpiritum; ſed fortitudo mea Dominus in ſalutem, qui & laus mea, Pſalm.42.numer.2. & Pſalm.117.numer.14. quia ſolus Dominus fortitudo mea, Pſalm.30.numer.4. & refugium es tu Domine; & propter nomen tuum deduces me, & enutries me. Ego ergo reuerſus fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus, & Deus meus miſericordia tua præueniet me, Vinctum ergo educas in fortitudine tua, Pſal. 67. numer. 7. Hæc de Adam, vndè genus humanum; ab illo enim miſeria propagata eſt. Vndè hæreditaria paupertas iſta niſi ab illo? Ipſe ergo in corpore Chriſti poſitus dicat cum ſpe. Percuſſum eſt corpus meum ſicut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum ſeruare verbi præceptum. Nunc ergo iuſtus noſter, non pro terrenis gemit, ſed pro æternis, & pro alijs, qui de terrenis gemunt; ideò ſequitur.

A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ. Mei gemitus, inquit, quia contrà me Domini ſententiam audiui, quia è Paradiſo eiectus, in terramq. proiectus gratiam Domini mei amiſiſſe cognoui; & ità gemens factus ſum, vt pelli meæ conſumptis carnibus os meum adhæſerit, caro enim pro pelle accipitur, Iob capit.19.numer.20. & Derelicta ſunt tantummodò labia circa dentes meos. Si Iob miſerendum, quia temporalia amiſit, quia vulneratus, & percuſſus in ſterquilinio iacebat, quantò magis Adamo, qui creatus in Paradiſo voluptatis, eiectus ab illo, vultu Domini ſuper eum, in terram ſic proiectus, vt nunquam ibi manens, viſionem Dei haberet, vt illius ſocietate frueretur. Iob ad tempus in ſterquilinio; Adam & omnes ex ſemine illius, nec à morte liberatus, plagatus Iob, Adam, verò in cinerem verſus, Geneſ.3.num.20. A voce gemitus mei adhæſit os meum pelli mei, Gemuerunt, qui Iob conſolabantur, vt morereturr; gemuit iſte iuſtus, vt illi ad Dominum conuertantur; gemunt illi, illum tentantes; gemit iſte, vt perditos ſaluaret; per gemitum iſtius iuſti os carni adhæret, ideſt fortis infirmis, illorum infirmitatem portando; illi Iob vt morereturr confortantes, ipſe iuſtus infirmorum ſuper ſe peccata tulit, Iſai. dicto cap.53.

A voce gemitus mei. Non illorum, qui de terrenis, haud de ſpiritualibus gemunt, quos iſte gemit. Gemunt illi, gemit iſte; aliter illi; aliter iſte; per gemitum iſtius oſſa carni adhærent, ideſt fortes infirmis, illorum infirmitatem portantes, Vndè ad Roman.15.num.1. Nos firmi debemus infirmitatem infirmorum portare. Adhæſit ergo os meum carni meæ, ex prædicatione enim

Ieſu

Iesu Christi pars ex Iudæis adhæsit Domino; & Apostolorum prædicatione, & ex Iudæis multi, & ex gentilitate plures adhæserunt fortes inualidis, adhæserunt firmi infirmis, à voce gemitus mei, non illorum.

Similis, inquit, factus sum Pellicano solitudinis, factus sum sicut Nictycorax in domicilio, Augustin. Tres aues, & tria loca; aues, Pellicanus, Nictycorax, & Passer; loca, solitudo, parietina, & tectum. Pellicanus in solitudine, Nictycorax in parietinis, Passer in tecto: Audiamus Augustin. Quid sibi velint, quid tales tres aues demonstrant, inquit ille, Pellicanus in solitudine habitans est, Nictycorax auis est amans noctem: parietinæ dicuntur, quas vulgò dicimus ruinas, vbi sine habitantibus stant parietes, ibi habitat Nictycorax; Passer verò, & tectum quid sit nostis. Pellicanus in solitudine, vbi Prædicatores verbum Dei prædicant, in locis vbi non sunt Christi fideles; Pellicanus est in solitudine. Si verò ad eos, qui Christiani fuerunt, & ceciderunt; tunc Nictycorax in parietinis: habitant enim illi in nocte, & Prædicator illos lucrari vult. Quando verò ad habitantes in domo, idest quando in regione Christianorum prædicant, eò quia tepidè forsitan ambulant, clamat ad eos Passer, non in solitudine, quia Christiani sunt, nec in parietinis, quia non ceciderunt, sed tamen in tecto sunt, sub tecto potius, quia sub carne sunt, illis super carnem clamat Passer, quia præcepta Dei non tacet, nec fit carnalis, vt subijciatur tecto. Qui enim in tecto est non descendat tollere aliquid de domo, Matth. cap. 24. numer. 17. & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Istæ tres aues, & tria loca; & vnus homo potest habere personam trium auium, & tres homines possunt habere personam trium auium, & tria genera locorum, tria genera sunt hominum. Hæc Sanctus Augustin.

Dicamus nos cum eodem Augustino, quòd & de paupere Christo dicta hæc sunt, vt scilicet dictus sit Pellicanus nascens in solitudine, quia solus de Virgine natus est. Nictycorax moriendo, quia ignorantes Iudæi in nocte tenebrosa permanentes, crucifixerunt illum, ex qua morte destructio Ierusalem facta est. Nictycorax in parietinis; Passer verò dictus Dominus noster resurgens; ascendit enim in Cælum, factus est sicut Passer volando, ascendendo singularis in tectum, idest in Cælum, Psalm. 3. num. 6. Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, &c. Passus est ergo in tenebris Iudæorum, tamquam in præuaricatione, tamquam in ruinis, Vigilauit, qui prius dormierat, in parietinis dormiuit, quia voluit. Noctem amando dormiui, surrexi, quia hìc vigilaui; in solitudine velut solus, hìc in parietinis, velut ab eis occisus, qui stare non potuerunt in ædificio; hìc iàm vigilans, & volans singularis in tecto, ibi interpellat pro nobis. Caput nostrum passer est, corpus illius turtur, etenim passer inuenit sibi domum in Cælo, vt interpellet pro nobis, Psalm. 83. & turtur nidum sibi, nidum de ligno Crucis, quem habet Ecclesia, vbi ponat pullos suos, paruulos suos.

Similis Pellicano solitudinis Christus Deus noster, nàm omnes eo relicto fugerunt, & solus remansit, Nictycorax in domicilio; in Cruce enim positus tenebræ factæ sunt super vniuersam terram ab hora Sexta, vsque ad horam Nonam, Matth. c. 26. nu. 56. & cap. 27. nu. 45. & ecce velum Templi scissum est in duas partes, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, Matth. cap. 27. num. 51

vigilauit, quia à ſomno ſurrexit, viſus eſt præordinatis ab illo, & in tectum in Cælum aſcendit, vbi orat pro nobis, Luc.24.num.51. Marc.16.num.19. Paul. 1.Corinth.15.num.19.

Tota die exprobrabant me inimici mei, & qui laudabant me aduerſum me iurabant. Venerat Dominus vocare peccatores, non erat enim opus ſanis medicus, Matth.9.num.13. Marc.2.num.17. exprobrabant me tota die inimici; dicebant enim illi iniqui, Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter? Matth.d.cap.9.num.11. ſed & amici Domine exprobrant te, Luc.7.num.39. Accubuerat Dominus in domo Phariſæi, acceſſit mulier peccatrix. Quid dicis ò Phariſæe? Simon erat ille,num.39. Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique quæ,& qualis eſt mulier,quæ tangit eum,quia peccatrix eſt; idem Matth.cap.26.num.7. Marc.cap.14.num.3. Vt quid perditio hæc, indignati Diſcipuli, dicebant, quia vnguento pretioſo mulier vnxit pedes eius.

Tota die exprobrabant inimici mei, & qui laudabant me aduerſum me iurabant. Ore laudabant, corde inſidias præparabant. Scimus, dicebant, quia Magiſter à Deo veniſti, & viam Dei in veritate doces, & perſonam non accipis, Matth. cap.22.numer.16. Licet ne tributum dare Cæſari? Marc.cap.12. numer.13. Vt caperent eum in ſermone. Et qui laudabant me, aduerſum me iurabant, Ecce homo vorax, & potator vini, Matth.11.num.19. Dæmonium habet, dicebant iniqui, Ioan.8.num.48. Ego Dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Et qui laudabant me, aduerſum me iurabant,ideſt conſpirabant. Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit, ſi dimittimus eum ſic, &c. vt vnus moriatur pro populo, expedit, dicebat ille, cum eſſet Pontifex anni illius, Ioan.cap.11.num.49.

Tota die exprobrabant, quia cinerem tamquam panem manducabat, cinerem nunquã Chriſtum comediſſe legitur; ſi tamen altiora quæramus, & ipſum cinerem manducaſſe videbimus, & potum cum fletu miſcuiſſe. Caro mea, dicebat, verè eſt cibus: & ſanguis meus, verè eſt potus; & qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo, Ioan. cap.6. num.55. manet in illo Dominus, qui manducat ipſum, & qui ſunt, qui ipſum manducant? qui credunt in illum; Et qui credunt in illum? Diſcipuli eius, omnes Chriſti fideles, pauperes ſpiritu; ergo omnes iſti ſunt membra Chriſti, quia in capite Chriſto manent, ſed omnes iſti in primitiua Eccleſia, & nunc etiam in cinere, & ſacco, in ieiunio, & fletu Dominum quæſierunt; ergo in cinere, & fletu, idem Ieſus Chriſtus: panem Chriſtum comedebant, & ipſe Chriſtus erat cum illis, ad Coloſſenſ.2.num.11. & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis Principatus, & Poteſtatis.

Quòd verò ipſe in nobis ſit, & nos in illo, 1.Corinth. cap.10.numer.16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonnè communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonnè participatio corporis Domini eſt? quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus, &c. Quanta verò paſſi ſint Sancti Dei,& adhùc patiantur tormenta, tribulationes, & væ, vt ſecuri peruenirent ad palmam martyrij, ſatis manifeſta apparent in ſcripturis, Stephanus lapidatus, Petrus crucifixus; audiamus Paul. 2.Corinth. cap.11.numer.25. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, à Iudæis quinquies,

qua-

Digitized by Google

quadragenas, vna minus accepi; ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundo maris fui, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in Ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & siti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate, &c. tandem capite truncatus obdormiuit in Domino. Quid verò de cæteris dicat, audite ad Hebr.cap.11.nu.36. Alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, egentes angustiati, afflicti, &c.

Carnem Christi comederunt Sancti, & fideles Dei, & sanguinem biberunt, & bibunt, vt fiant corpus Christi: Dominus verò cineres Sanctorum comedit, & potum cum fletu bibit, vt corpus illius effecti viuant in sæculum sæculi. Ecce enim, inquit, quia visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, Sap.cap.3. Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est, in paucis vexati, in multis benè disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se, fulgebunt iusti, &c. & cap.5.num.5. ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Cinis corpora Sanctorum, sed nec capillus de capite illorum peribit, & ideò omnes numerati sunt, Matth. cap.10.nu.30. Cinerem tamquam panem manducabat Dominus, vt mercedem copiosam det illis in Cælis, Matth.cap.5.num.10. Vndè Paul. 1.Corinth.cap.15.nu.51. Mysterium dico vobis, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, scilicet ad gloriam: mysterium, inquit, idest rem diuinam, & occultam, non immutabuntur ad gloriam infideles, & iniqui: sed tantùm qui Christum in vita fuerint secuti. Sed quomodò fidelium Deus cineres comedit, & potum cum fletu miscet? quia cineres, & lacrymæ iustorum sunt tribulationes, ac contumeliæ, deniquè & martyria, atque mortes, quas subierunt, ac toleratunt, passiquè fuere pro nomine Iesu; beati qui nunc lugent, quia ridebunt, Matth.cap.5.num.10. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum mentientes propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis.

Vide quomodò cineres, & potum cum lacrymis bibendo gaudeat Dominus, Saule, Saule, quid me persequeris? in Cælo erat Dominus, & à Saulo se persecutionem asserebat pati, quia ille membra corporis sui, Ecclesiam suam persequebatur, Act.cap.9.num.4. erat autem ibi, in Damasco scilicet, qui non videns fuit introductus à suis, & tribus diebus neque manducauit, neque bibit. Vade Ananias, impone illi manus, vt videat. Audiui Domine quanta mala fecerit vir iste Sanctis tuis in Ierusalem: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel. Sed Domine Iesu, si vas electionis erit tibi iste, quam illi mercedem dabis? audi mercedem, quam Dominus fidelibus suis dat existentibus in hoc mundo. Ego, inquit Dominus, ostendam illi, quanta oporteat pro nomine meo pati, &c. Quanta verò passus sit tormenta, superius enarraui; hæc enim genera hominum Dominus in membris habere vult; pœnitentes scilicet, qui significantur per cinerem, & fletum. Facit quod Ieremias dixit per os Do-

Digitiz by Google

mini, dicto cap.18.nu.8. Pœnitet enim Dominum cum peccatore pœnitente, quod fecerit malum.

Auguſtin. hìc litera I. Si ſola fuit peccandi licentia, & nulla peccatorum eſt indulgentia, vbi eris, quò ibis? certè & pro te factum eſt, vt pauper iſte cinerem, ſicut panem manducaret, & potum ſuum cum fletu miſceret. Augent homines peccata ſpe veniæ, immo augerent peccata deſperatione veniæ; nonnè attendis quàm licentioſa crudelitate viuant gladiatores? vndè hoc, niſi iàm ad ferrum, & victimam deſtinati explere volunt libidinem, antequam fundant ſanguinem? ità & tu diceres? iàm peccator ſum, iàm iniquus, & damnandus, nulla veniæ ſpes eſt, cur iàm non faciam quidquid libet, & ſi non licet? cur non impleam quantum poſſum, quæcumque deſidero, ſi poſt hæc non reſtant niſi ſola tormenta? Potius ergo te corrigit, qui indulgentiam promittit, & dicit Iſai. cap.46.numer.8. Redite prævaricatores ad cor. Nolo mortem impij, tantùm vt conuertatur, & viuat, Ezech.cap.18. & 33. Hoc proculdubio portu propoſito, deponis vela iniquitatis, conuertis proram, veliſicas ad iuſtitiam, & ſperas vitam; non negligis medicinam, nec in hoc tibi diſpliceat Deus, tamquam per iſtam indulgentiæ promiſſionem ſecuros fecerit peccatores. Etenim ne deſperatione homines peius viuerent, promiſit indulgentiæ portum. Rurſus ne de ſpe veniæ peius viuerent, fecit diem mortis incertum; prouidentiſſimè vtrunque conſtituens, & reuertentes, quò recipiantur, & differentes, vndè terreantur. Manduca cinerem, & potum tuum cum fletu miſce; per hoc conuiuium peruenies ad menſam Dei, hæc Auguſtin. Dum ergo viuis, age pœnitentiam, noli tardare; noli dicere in craſtinum, quis enim ſcit, ſi anima tua hac nocte eripiatur, & ſi malè vixiſti, & ſine pœnitentia deceſſeris, vbi erit anima tua? & ſi malè congregaueris, cuius erunt, quæ tu malè congregaſti? neſcis enim, cui congregaueris illa, Pſalm. 38. numer. 7.

In cinere ergo, & planctu, hæc ſint ſigna coram Domino, quod te pœnituerit peccaſſe, vt quæ in ſequenti verſic. leguntur, non veniant ſuper te, A facie enim, inquit, iræ tuæ. In cinere, & lacrymis ſit vita tua, quia & ſi eleuatus, à Domino amicus eius factus ſis, ſi te non pœnituerit poſt iterata peccata, elidet te; te pœniteat peccaſſe; & te à Domino eleuatum non allidet. Agam, inquit Dominus, pœnitentiam ſuper malo, quod locutus ſum, vt facerem tibi, Ierem. d.cap.18.num.10.

Cinerem ergo tamquam panem manducabam, quia propter Adæ peccatum in omnes gentes transfuſum, tu me Domine miſiſti, vt ſuper me illorum peccata ferens tibi Domino Deo meo ſatisfacerem pro illis, Ecce Domine, quos tu mihi dediſti, tui ſunt, & Verbum ſuſceperunt, Ioan. cap.17. per totum, rogo pro illis, quia à facie iræ, & indignationis tuæ, quia eleuans hoc corpus meum, hæc membra de corpore, vt te confiterentur, eleuans illos, alliſiſti tamen, vt & ipſi à facie iræ indignationis tuæ liberarentur, quatenus tamen in cinere, in cilicio, in paſſionibus pro te firmi, & conſtantes eſſent digni effecti, vt pro nomine tuo contumelias ferrent, ad Coloſſenſ.1.nu.24. Et adimpleam ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius quod eſt Eccleſia; deſunt ſcilicet quæ patiantur Chriſtiani, qui corporis Chriſti membra ſunt. Eleuans alliſiſti me, vir ait, pœnitens, vt ſcilicet in me

reuer-

Digitized by Google

reuerſus, vt verbum tuum agnoſcerem, allideres etiam, vt per pœnitentiam, & paſſionum ſufferentiam propter te, gloriam Regni accipere merear ex paſſione filij tui.

Auguſt. Quoniam leuaſti,& alliſiſti,ideò inquit, quoniam leuaſti,alliſiſti me, ideò alliſiſti, quia eleuaſti, &c. quoniam ergo dicimus nos eleuaſti, vt fidem Chriſti haberemus, ideò alliſiſti; vt qui ſe propter fidem humiliat, exaltetur, ergo per fidem,quam ſuſcepi, eleuaſti me, & per peccatum, quod commiſi alliſiſti me, quia tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Iterum quare elatus alliſiſti? quia dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui. Sed cur ſicut vmbra declinauerunt? quia poterant eſſe dies mei non declinantes, ſi ego à vero die non declinaſſem. Auguſtin. Declinaſti, & accepiſti dies declinantes; quid mirum ſi alliſiſti? nàm dies tui facti ſunt ſimiles tui: peccando declinaſti, & licet elatus alliſiſti; & cinerem tamquam panem manducando, hoc eſt pœnitendo iram fugiſti. Dies mei tamquam vmbra, tamquam fumus declinauerunt; ſed quare fumo comparantur? quia ſuperbiendo tumuiſti, quia declinando cecidiſti; ſurge ergo, quid dormis? à facie indignationis, & iræ Dei fuge; quia etſi Chriſtianus, cum à vero lumine receſſeris, dies tui vmbra ſunt, fumus ſunt, & in terra alliſiſti; ecce tibi lux eſt in tenebris, vt luceat, Ioan. 1. Recede ab vmbra, fuge tenebras, quia lux Domini apprehendet te, vt & tu filius Dei dicaris. In hac vmbra, agnoſce diem, & tibi lucebit lux in tenebris, vt ambules in viam Chriſti, quæ ducit ad vitam. Quamuis alliſus, iterum eleuatus, cum ipſo aſcendas & tu in cælum. Aruiſti ſicut fœnum, Chriſti ſanguine illud irriga, & vireſcet; vt in æternum cum Domino permaneas; ſi memoriali Domini, quod in generatione permanet, & tu abſtinendo à peccatis, ſeruaueris.

Tu autem Domine, inquit Pauper noſter, in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione, & generationem, Cognoſcens ergo Ieſu Chriſti diuinitatem, qui pœnitens recognouit ſuum errorem, dicit, Domine dies mei ſicut vmbra prætereunt; tibi tamen remanet de Tyranno triumphus, qui mortem morte tua viciſti, & vitam reſurgendo reparaſti. Tu in æternum permanes,& reliquiſti præcepta, quæ ad ſalutem noſtram neceſſaria ſunt,vt obſeruarentur in generatione, & generationem, & ideò Auguſtin. hìc, Non enim quia occidi, & tu ſenuiſti; viges ad me liberandum, qui viguiſti ad me humiliandum; memoriale ideò in generationem reliquiſti, vt in omni generatione eum, qui ſecundum præcepta tua humiliaretur, à morte liberares; memoriale tuum, cum ſit ſemper in te charitas, & memoria ad ſaluandum, ideò ſequitur verſiculus.

Tu exurgens miſereberis Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus. Veni, veni Domine, & noli tardare, relata facinora plebi tuæ, dicebat Propheta, Pſalm. 139. num. 18. Iam pauper noſter, Eccleſia Dei inſtans rationem reddit; nàm ſi tu exurgens, qui tanto tempore quaſi dormiens non veniſti: ſi exurgens de ſomno veneris, Sion tuæ Eccleſiæ miſereberis. Veniens veniet, & non tardabit, dicebat Propheta Habac. cap. 2. num. 3. Venit tempus, dicit hìc, miſerendi eius, quia venit tempus. Tempus enim afflictionis eſt, Domine, ſurge, & libera nos, Ierem. cap. 2. numer. 27. Iſai. cap. 54. numer. 12. Et ponam lapidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides

ſcul-

sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, vniuersos filios tuos doctos à Domino.

Quoniam complacuerunt seruis tuis lapides eius, & terræ eius miserebuntur. Quos lapides? nisi Patriarchas, & Prophetas, qui fundamenta fidei præiecerant, quos illi occiderunt; Sic dicebat Dominus Iudæis, Matth. cap. 23. num. 37. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat sub alas pullos suos, & noluisti? Placuerunt seruis tuis Apostolis, & Discipulis, quæ prophetabantur ab ipsis.

Augustin. de tempore, Serm. 105. litera D. ex Iosue cap. 4. num. 9. Tulit autem Iesus duodecim lapides, & posuit in Iordane, ex ipso Iordane tulit alios duodecim, & fixit in loco castrorum; illi duodecim, qui missi sunt in Iordane, videntur mihi typum habuisse Patriarcharum, illi verò, qui leuati sunt de Iordane, figuram habuisse Apostolorum; post mortem enim Moysis sepultis Patriarchis, Apostoli surrexerunt, hinc Psalm. 44. num. 17. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram, Sepultis Patriarchis, Apostoli nascuntur, quomodò sepulto seniore populo, iunior populus Iosue Duce in terram promissionis introducitur, ille populus senior typum habuit Iudæorum, iuniqr verò figuram habuit gentium; ille populus senior transacto mari rubro, sepelitur in Eremo, iunior vero populus ad hoc transit Iordanem fluuium; vt acciperet Regnum. Lapides eius, idest Sion, Patriarchæ scilicet, & Prophetæ placuerint seruis tuis Apostolis; Cæterorum verò, qui in infidelitate permanere voluerunt, in Iordane confusionis permanserunt, miserti sunt, & miserentur serui Dei, Ecclesia Sancta. Ad ipsos enim incredulos prius missi erant, vt conuerterentur: Verùm quia verbum recipere recusarunt, iuxtà Isaiæ dictum cap. 49. num. 6. ad gentes conuersi sunt, quæ verbum Dei receperunt, Act. cap. 13. num. 47. tunc constanter Paulus, & Barnabas dixerunt, vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.

August. hìc lit. C. Lapides Sion, sed sunt ibi & non lapides, cuius non lapides? Ergo & pulueris eius miserebũtur, agnoscimus lapides in Sion, agnoscamus puluerem in Sion, non enim dicit lapidum eius miserebuntur, sed quid ait? quoniam beneplacitum habuerunt serui tui in lapides eius, & pulueris eius miserebuntur. Intelligo lapides Sion omnes Prophetas, ibi præmissa est vox prædicationis, indè assumptum est Euangelicum officium, vndè Luc. cap. 24. num. 24. Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysis, & Prophetis, & Psalmis de me, Ioan. cap. 12. num. 38. 1. Petr. cap. 2. num. 5. Et ipsi tamquam lapides viui superædificamini domus spirituales, & Zach. c. 9. nu. 17. & lapides Sancti eleuabuntur super terram eius; per illud præconium cognitus est Christus. Illi vero præuaricatores recedentes à Domino, malisq. factis suis offendentes Creatorem, in terram, vndè sumpti sunt redierunt, puluis facti sunt, impij facti sunt, de quibus Psalm. 1. Non sic impij, non sic, sed tamqam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. Sed expecta Dominum, sustine Dominum, patiens esto ad Dominum, non irruat ventus, & auferat hunc puluerem à facie terræ. Veniant, veniant serui tui, agnoscant in lapidibus eloquia tua, misereantur pulueris, Sion formetur homo ad imaginem tuam;

dicat

Digitized by Google

dicat puluis, ne pereat, memento quia puluis sum, Genes. cap. 1. dum enim Sacerdotes, & Prophetæ, peccatores adhortantur, pulueris eius miserebuntur. Hæc de Sion : nunquid non erat puluis, qui Dominum crucifixit? quod peius est, puluis de parietinis ruinarum, puluis erat prorsus : veruntamen non frustra de puluere dictum erat, Luc. cap. 23. num. 34. Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. De illo puluere venit paries, tot millia credentium, & pretia rerum suarum ad pedes Apostolorum ponentium, Act. cap. 1. & 4. ergo extitit de illo puluere humanitas, & formata, & formosa. Quis enim de gentibus sic? quàm paucos miramur hoc fecisse ad illorum tot millia? subitò primo tria millia, posteà quinque millia, omnes in vnitate viuentes, omnes venditarum rerum suarum pretia ad pedes Apostolorum ponentes, vt distribueretur vnicuique pro vt cuique opus erat, quibus erat anima vna, & cor vnum in Deum; quis hoc fecit etiam de isto puluere, nisi qui & ipsum Adam fecit ex puluere? Hoc ergo de Sion, sed non tantùm in Sion, quid igitur sequitur. Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam : Hæc Augustin.

Vel aliter : cum Paulo dicamus, Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius, & terræ eius miserebuntur; nàm quomodò Iudæorum multorum, & gentilium ad Dominum conuersio placuerit, declarat Paul. 2. Corinth. cap. 3. num. 3. Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur, & legitur ab omnibus hominibus manifestati quòd Epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Et paulò inferius. Sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non littera, sed spiritu. Et terræ eius miserebuntur, nàm idem Paulus miserando terræ eius, existentibus scilicet in littera Moysis, quæ occidit; Si enim, ait, quod euacuatur per gloriam est, multò magis quod manet in gloria est. Habentes igitur talem spem, multa fiducia vtimur; & non sicut Moyses ponebat velamen super faciem, Exod. cap. 34. num. 33. vt non intenderent filij Israel in faciem eius, quod euacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum, vsque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum, quoniam in Christo euacuatur, sed vsque in hodiernum cum legitur Moyses velamen positum est super cor eorum, cum autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen; nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tamquam à Domini Spiritu.

Timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam. Ad prædicationem enim Apostolorum, & ad illorum miracula gentes audientes, timuerunt Deum, & ad fidem sunt conuersæ, vndè Act. cap. 2. num. 43. Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Factus est autem omni animæ timor. Et ad Paralytici sanationem, quando dixit illi Dominus, tolle lectum tuum, & vade, &c. stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum, & repleti sunt timore, &c. Luc. cap. 5. num. 25. cum sequen. idem Luc. cap. 7. num. 16. in resuscitatione filij viduæ accepit omnes timor; sed quid de timore Domini exempla quærimus, & de gloria eius? cum Reges terræ, & Imperatores ad Petri

pedes

pedes proſtrati adorauerint eum; & ad ſucceſſores illius Vicarios Pontifices hæc Principum humilitas nonnè tranſijt, de ſtercore enim erigit pauperem, vt cum Principibus ſedeat, & ſolium gloriæ teneat; Pſalm. 112. num. 6. & 1. Reg. c. 2. nu. 18. ſed quid cum Principibus dices? cum Domino Deo fideles ſui ſedent, Pſalm. 100. numer. 6. Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum; miniſtri enim Dei ſunt, vndè ſequitur, ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. Fundata ergo Eccleſia Domini, timent gentes nomen Domini timore filiali, & omnes Reges terræ gloriâ eius, omnis enim poteſtas in cælo, & in terra data eſt Ieſu Domino; iàm per paſſionem ſuam Princeps huius mundi foras eiectus eſt, Matth. cap. 28. num. 18. Ioan. cap. 14. num. 31. Ioan. cap. 12. num. 31.

Timebunt gentes nomen tuum, timore ſancto, & amore filiali, & omnes Reges terræ fidem tuam profitentes, quia credunt te Dominum veniſſe de cælis in terram, vt nos redimeres, gloriam tuam cum Ioanne, & cæteris fidelibus videbunt. Quia te Triumphatorem, Redemptorem eſſe verum Deum de Deo, qui nobiſcum habitaſti, confitebuntur; & ideò vidimus, inquit Ioan. cap. 1. num. 14. gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.

Sed quomodò dicis, vident Reges terræ gloriam Vnigeniti? Quia credunt firma fide, quæ ab Apoſtolis nobis prædicata ſunt: quæ Eccleſia nos docet, neque falli poteſt: experientia etiam illos, nosq. docet, per tot millia millium mirabilia, quæ fecit Dominus, quæ fecerunt, & faciunt Sancti, & fideles Dei, quæ enarrantur, nec totus mundus, in quo facta ſunt capere poſſet. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera eius annunciat firmamentum, Pſal. 18. numer. 1.

Et omnes Reges terræ gloriam tuam, omnes Reges Dominum quærentes, & in illum credentes. Tunc videmus Deum, ſi mente illum intelligamus, Origen. de princip. cap. 1. lib. 1. fol. 754. & Auguſtin. in lib. Soliloq. Quandiù eſt tibi oculus carnalis non videbis, ſed quando fueris talis, vt nihil prorſus terrenorum delectet, mihi crede, eodem puncto, eodem momento temporis videbis quod cupis. Sed ſi vis videre Deum, ambula per Chriſtum hominem, quia Verbum Caro factum eſt via. Idem Auguſtin. de verb. Domini, Serm. 55. circà finem, Tom. 10. Et vos, qui longè facti eſtis ab Eccleſia, Reges ſcilicet pagani, & infideles, attollite portas veſtras ò Principes terræ; corda ſcilicet veſtra aperite, vt audito Domini eloquio, portæ veſtræ æternales in malitia, aperiantur in bonitate. Locum date, vt in cordibus veſtris introeat Rex gloriæ Chriſtus, Malach. c. 3. num. 18. Conuertimini, & videbitis quid ſit inter iuſtum, & impium, & inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem ei. Scire vultis, quis ſit iſte Rex gloriæ? Dominus eſt fortis, & potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ, Pſalm. 23. Dæmones contremiſcunt, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, & vos ò terræ Reges, nunquid poteſtati Dei reſiſtere poteritis? Nunquid & cum Diabolo partem habere vultis? O quàm bonus, & ſuauis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus, nàm eos, qui errant, paulatim corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, vt relicta malitia, in te Domine credant, Sapien. cap. 12. in princ. Corripe Domine, qui nolunt accedere ad te, etſi non audierint, quia ſemen illorum ab initio ſit maledictum, dele Domine memorias eorum, vt

illorum

Digitized by Google

illorum exemplo cæteri discant, te Deum verum, & Dominum; vt nomen tuum timentes honorificent gloriam tuam. Et si illos deleas de terra, quos tu fecisti, quis imputabit tibi, si perierint nationes, quas tu fecisti? d. c. 12. num. 12. Ædificasti enim Sion, quia respexisti in orationem humilium. Respice Domine nos de sanctuario tuo, & vide seruorum tuorum afflictiones, nè polluant iniqui Ecclesiam tuam sanctam Sion. Misericordiam desiderat Ecclesia, vt salui fiant errantes; sed si non te audiunt, nec ab iniquitatibus recedere volunt; exurge in iudicium, & saluos facias mansuetos terræ, Psalm. 75. num. 9. Tu enim terribilis es, & quis resistet tibi? Psalm. supradicto num. 8.

Quoniam ædificabitur Sion, Augustin. hìc. Hoc agitur nunc, eia lapides viui in structuram currite, non in ruinam; ædificatur Sion, cauete parietinas; ædificatur turris, cauete diluuium; ædificatur arca, obseruate diluuium; hoc agitur nunc, quoniam ædificauit Dominus Sion, tunc ædificata Sion, videbitur in gloria sua. Vt ædificaret Sion, & vt esset fundamentum in Sion, visus est à Sion, sed non in gloria sua, nàm Isai. cap. 53. Vidimus eum, & non habebat decorem; at verò cum venerit iudicare cum Angelis; quando congregabuntur ante eum omnes gentes; quando oues ad dexteram, hædi ad sinistram separabuntur, nonnè tunc videbunt in quem pupugerunt, Zach. c. 12. num. 10. Ioan. cap. 19. num. 37.

Quia ædificabit Dominus Sion, inuitis, & contradicentibus omnibus Principibus, & Romanis. Et videbitur in gloria sua, quia nec portæ inferi præualuerunt aduersus eam: nec Principes cum illorum omnimoda sanctorum persecutione, & martyrio tantorum hominum, Virginum, & Viduarum. Et videbitur in gloria sua, quia potentiam illorum humilitate iustorum destruxit Dominus, & in sanguine Sanctorum fundauit Ecclesiam, quod infidelibus iter exterminij videbatur. Fundauit ergo Ecclesiam Sion, suprà fundamentum Apostolorum, petra autem erat Christus, Sap. cap. 5. Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Videbitur in gloria sua, quia ipsis iniquis, & insensatis videbatur vita Sanctorum insania, & ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Malitia illorum consumpsit eos, & gloria Domini defendit super iustos.

Ædificauit Sion, quia respexit in orationem humilium clamantium: Veni Domine, noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ. Ad Galat. cap. 4. numer. 4. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret; vt adoptionem filiorum reciperemus. Augustin. Respexit in orationem humilium, qui Spiritu pleni orabat, vt veniret, hoc agitur in ædificatione Sion; orant, gemunt ædificantes, qui sunt vnus pauper, & pauperes multi; Vndè in titulo singulariter, hìc pluraliter dicit; sed vnus dicitur propter vnitatem pacis Ecclesiæ, multi propter latitudinem.

Scribantur hæc, quia Dominus venit, sanguine suo fundauit Ecclesiam suam. Ite Apostoli Domini, prædicate Euangelium omni creaturæ, vt populus, qui per vos creabitur, laudes Domino reddat; & qui vocati sunt, & ipsi sciant, quia Dominus in orationem respiciet, si humiles facti ipsum deprecabuntur; Nunc ergo orandum, nunc currendum, nunc si quis aliquid alter

erat,

erat, & aliter se habebat; manducet cinerem sicut panem, & potum suum cum fletu misceat; nunc tempus est, cum ædificat Sion, nunc intrant lapides in structuram; perfecto ædificio, & dedicata domo. Quid curris, inquit Augustin. serò quæsiturus, inaniter petiturus, frustrà pulsaturus, foris remansurus.

Scribantur hæc in generatione altera. Quasi dicat, quæ hùcusq. scripta sunt huic generationi, non satis credita sunt ab illa; sed alteri generationi, quæ ex verbo Dei creabitur, scribantur quæ supradicta sunt, quia nempe filius Dei pauper, & humilis veniet, & credentes in illum, Gentiles scilicet, & ex Iudæis, qui prædestinati fuerint, saluentur per baptismi lauacrum regenerentur. Et qui in Adam mortui fuerant, sanguine Christi redempti viuant cum electis Dei in sæcula, 1. Petr. cap. 1. num. 10. De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi. Prænuncians eas, quæ in Christo sunt, passiones, & posteriores glorias, quibus reuelatum est, quia non sibimetipsis; vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nunciata sunt vobis propter eos, qui euangelizauerunt vobis; & ibidem num. 23. Renati, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum, quia omnis caro fœnum; & omnis gloria eius tamquam flos fœni, exaruit fœnum, & flos eius decidit, verbum autem Domini manet in æternum, hoc est autem verbum, quod euangelizatum est in vos.

Scribantur hæc in generatione altera, quia per Adam mors in mundum; & per Christum resurrectio mortuorum. Sed cur non in illa illius temporis generatione scribenda mandauit Propheta? Quia frustra; nàm in capiendis illis scripturis durioris extitissent ceruicis, & magis incredùli. Scribantur in generatione altera, quia nondum venerat plenitudo temporis, quando superabundauit malitia Iudæorum, & iniquitas. Tunc enim audiet Dominus gemitus compeditorum, vt solueret filios interemptorum. Vndè Matth. cap. 23. postquam Dominus Phariseorum & Scribarum iniustitias, & iniquitates fusius narrasset, nu. 33. Serpentes gemina, inquit viperarum, quomodò fugietis à iudicio gehennæ? Mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis, &c. Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum, & altare, & num. 36. ò Ierusalem, quæ Prophetas occidis, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Venit ergo plenitudo temporis, quia terra plena erat iniquitate, & superabundauerat malitia. Scribantur ideò quæ de filio Dei venturo, & de gentium vocatione, in generationem alteram, quia populus, qui creabitur, ille laudabit Dominum.

Augustin. Quando hæc scribebantur, hæc non ità proderant eis, inter quos scribantur; scribebantur enim ad prophetandũ nouum testamentum, inter homines, qui viuebant in veteri testamento. Sed & illis vetus testamentum Deus dederat, & in illa terra promissionis populum suum collocauerat. Sed quando memoriale tuum in generatione, & generationem? non iniquorum est, sed iustorum, in vna generatione pertinet ad vetus testamentum, in alia autem

gene-

generatione pertinet ad nouum teſtamentum. Et quia hoc, quod propheta-tum eſt, nouum teſtamentum pronunciat hæc, Scribantur hæc, inquit, in generationem alteram, & populus, qui creabitur laudabit Dominum. Non populus, qui creatus eſt, ſed populus, qui creabitur, euidenter ergo hìc prædicta eſt illa creatura, de qua Apoſtolus 2.Corinth. cap.5.num.17. Si qua igitur in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua, omnia autem ex Deo, & vetera ſcilicet, & noua, quia memoriale tuum in generatione, & generationem.

Scribantur hæc in generatione altera, vt magis ingratitudo, & cordis duritia illius generationis appareat, & cæcitas, & Domini longanimitas, iuxtà Iſai. cap.44.nu.18. Neſcierunt, neque intellexerunt, obliti ſunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde ſuo. Et quare in progenie altera? Audite Dominum per Ierem.2.nu.30. dicentem, Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non recepiſtis. In memoriam redeat iniquitas patrum veſtrorum.

Scribantur hæc in generatione altera, quia adhùc remanet velamen in iſta, vbi enim non eſt auditus, non effundas ſermonem, Eccleſ. c.32.num.6. Furor illis ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, Pſalm.57.num.5.

Scribantur hæc in generatione altera, quia in hac generatione prima ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam, & omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, Iſai. c.56.num.11. Et populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de Cælo in terram aſpexit. Scribendum ergo de excelſo ſancto ſuo, vt ad humiles veniret humilis; in humilitate ergo ædificauit Sion. Ex alto ergo, dicit Auguſtin. vt veniret ad humiles: ex alto factus eſt humilis, vt exaltaret humiles; Vndè Eccleſ.cap.3. num. 20. Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram omnipotenti Deo inuenies gratiam; quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.

Vt audiret gemitus compeditorum, vt ſolueret filios interemptorum. Suprà dictum eſt, Pſalm.78. Intret in conſpectu tuo gemitus compeditorum, qui ſunt Martyrum compediti? niſi qui timorem Domini habent; initium enim ſapientiæ eſt timor Domini, Eccleſ.cap.1. Matth.cap.10.numer.18. Nolite, inquit, timere eos, qui occidunt corpus, ſed potius timete eum, qui poteſt, & corpus, & animam perdere in gehennam. Niſi enim compedibus timoris huius ligati eſſent Martyres, quomodò illa omnia dura ſuſtinerent à perſecutoribus ſuis, cum eis liberum fuerit facere, quod cogebantur, & euadere, quod patiebantur? Alligauerat enim Dominus illos iſtis compedibus duris, & ad tempus moleſtis, ſed tolerandis propter promiſſa eius in Pſal.16. num.4. Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.

Auguſtin. Ad impetrandam miſericordiam Dei gemendum eſt in his compedibus, non tamen euitandæ ſunt tales compedes, vt appetatur pernitioſa libertas, & temporalis vitæ, breuisq. dulcedo, quam ſequatur amaritudo perpetua. Proindè Scriptura Eccleſ.6.nu.24. ſic nos alloquitur, Audi fili, & excipe ſententiam meam, & ne abijcias conſilium meum, & infer pedem tuum in compedes illius, & in torquem eius collum tuum, ſubijce humerum tuum, & porta illam, & ne oderis vincula eius. In omni anima tua accede ad illam,

Digitized by Google

& in omni virtute tua ſerua vias eius, inueſtiga, & inquire, & innoteſcet tibi, & continens factus ne derelinquas eam, in nouiſſimis enim inuenies requiem eius, & conuertetur tibi in lætitiam, & erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & torques illius in ſtolam gloriæ: decus enim aureum eſt in illa, & vincula eius fila hiacynthina: ſtolam gloriæ indues eam, & coronam exultationis ſuperpones tibi, hæc in Eccleſ.

Sancti ergo timore Dei compediti dicuntur; nàm ad impetrandam Dei miſericordiam ſunt ſemper præcincti, atque non diſcedentes ab oratione, ieiunio, & lacrymis, quaſi ligati, & compediti permanent.

In terram enim Dominus tunc aſpicit, vt orantibus, & fidelibus in anguſtijs illorum ſuccurrat. Et quid orant compediti, ac fideles? Domine Ieſu fili Dei viui veni, relaxa facinora plebi tuæ, vt ſolueret ergo proſpicit filios Adam; filios mortificatorum, ſcilicet, qui de præcedentibus, & deſcendentibus ab Adam, à peccatis abſolueret, à pœna mortis liberaret; vt ſolueret nempè à mortis vinculo, quo tenebantur: vt ante eos vitam, & mortem, bonum, & malum antepoſitis, accederent ad bonum, ſi vellent; ſin minus in morte remanerent, Eccleſ. capit. 11. numer. 14. Et qui in Eccleſia iuſti, bonumquè recipientes verbum Dei in Sion, & nomen Domini annunciarent, ideſt vt prædicantes, quia venit Ieſus, & crederent in illum, & laudes eius proferrent in Ieruſalem, viſionem perfectam; quòd ſcilicet in terra, vbi pax venit, ſit gloria in excelſis Deo, à quo bona cuncta procedunt, & pax in cordibus fidelium; in Sion autem in Ieruſalem, ideſt in Eccleſia, extrà enim illam non eſt pax, non eſt bonum.

Vt ſolueret filios mortificatorum, Auguſtin. Filij qui ſunt mortificatorum, niſi nos? ſoluimur autem nos, quando ei dicimus, Dirupiſti Domine vincula mea, Pſalm. 115. tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, numer. 17. ergo ſolutio eſt peccatorum remiſſio. Quid enim prodeſſet Lazaro, qui de monumento proceſſit, niſi diceretur, ſoluite illum, & ſinite abire, Vox Domini illum de ſepulchro ſuſcitauit, clamando animam reddidit, molem ſepulchro impoſitam vicit, & ſtatim proceſſit, qui vinctus erat. Non ergo, inquit, pedibus proprijs, ſed virtute producentis fit hoc in corde pœnitentis. Reuixit ergo, quem pœnitet confitendo peccata: de ſepulchro educitur; ſoluitur verò à Sacerdote authoritate iubentis, Matth. 16. nu. 19. Quæ ſolueritis, inquit, in terra, erunt ſoluta & in cælis.

Tria hæc neceſſaria ſunt, præcedens contritio, oris confeſſio, & Sacerdotis abſolutio cum ſatisfactione, vt ſolutio fiat interemptis. Quod ergo intus habes contritionis, ab eo procedit, qui prius te proſpexit; non enim à nobis, ſed ab illo agitur, quod eſt intus nobis; & tunc benè laus Domini annunciatur in Sion; in Ieruſalem; nàm aliàs dictum eſt peccatori, Pſalm. 49. numer. 6. Quare aſſumis teſtamentum meum per os tuum? & iuſtitias meas tu enarras? Annunciatur ergo laus Domini. In conueniendo populos in vnum, & Reges, vt ſeruiant Domino. Ecce gemitus compeditorum, ecce ſanguis mortificatorum, qui plantauerunt Eccleſiam, vt in vnum Chriſtiani, & Reges ſimul Domino ſeruirent, & illorum eſſet cor vnum; in preſſura exauditi reliquerunt Eccleſiam in pace, & tranquillitate, vt liberè poſſint vnanimiter ſeruire Domino.

Re-

Digitized by Google

Reſpondit ei. Quis reſpondit? Auguſtin. hìc, Ipſa lans, & Ieruſalem. Ego verò dicerem, quòd ipſe Dauid, cui primò dictum erat, ſcribantur hæc in generatione altera; Reſpondit ei, Chriſto ſcilicet, qui eſt via, dicens, Virtutem tuam narrabo. Sed recordare quia pauci ſunt dies mei; virtus verò tua inenarrabilis; Paucitatem dierum meorum nuncia mihi, neque in dimidio dierum meorum reuoces poſteà me: Quia ars longa eſt, neque quid minimum de laudibus tuis ſcribere poſſem, ſi in dimidio ætatis meæ me reuocares. Reſpondit ergo Dauid. Domino in via virtutis ſuæ, ideſt in Chriſto, qui eſt via, virtutem ſuam narrans: Et vltrà ſuperius dicta, incipit Dauid, dicens, Qui venturus es Chriſte, ipſe es, cuius anni in generatione, & generationem ſunt, qui & in initio: ipſe Dominus Ieſus terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt Cæli. Ipſi peribunt, tu autem permanebis, tu autem idem es, & anni tui non deficient, vt infra latius dicemus in verſiculorum expoſitione.

Scribantur ergo hæc, ò Dauid, quæ tibi manifeſtata ſunt, nempè quis ſim ego, quia ſum via: quæ ſit virtus mea, quia in principio Verbum, per quod omnia facta ſunt, quod miſit Pater, vt carnem ſuſciperem, & Dux, & Præceptor eſſem gentibus. Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum. Gentem dicit Deus Pater per Iſai. cap. 55. numer. 4. Ecce gentem, quam neſciebas vocabis, & gentes, quæ te non cognouerunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſrael, quia glorificauit te, &c. num. 5.

Vel dicamus, Reſpondit ei Dauid in via virtutis ſuæ, ideſt quando magis florebat in ætate, quando iuuenis erat, & robuſtus; cogitans tamen quia vita illius breuis erat, & vt magnalia Dei ſcriberet, tempus longum requirebat, dixit, paucitatem dierum meorum nuncia mihi; magnum documentum iuuenibus, & potentioribus relinquens, vt finem illorum conſiderantes, non peccent. Vel, paucitatem dierum nuncia mihi; vt qui dignus factus ſum, vt ſcribam mirabilia tua, faciam etiam dignos fructus pœnitentiæ, vt ſalua fiat in fine anima mea. Et ideò ne reuoces me in dimidio dierum meorum, vt ſcilicet proficere poſſim in bonis faciendis, & in pœnitentiam agendo, ne aliquid coinquinatum remaneat in anima mea: poſt mortem enim non eſt pœnitentia.

Vel aliter. Reſpondit ei in via virtutis ſuæ, in via, ideſt in Deo ſuo, faciens virtutem, virtuosè enim, & humiliter reſpondit. Simile habemus Pſal. 59. in fine, In Deo faciemus virtutem, &c. & erit ſenſus, reſpondit, ſecundum virtutem Dei, quæ data eſt illi, Domine non ſum dignus narrare mirabilia tua, quæ facturus es in gente, quæ creditura eſt tibi, quia pauci ſunt dies pœnitentiæ meæ, quos demonſtraſti mihi.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum, vt plenè ſatisfaciam malignantibus mihi. Quoniam, inquit Auguſtin. (& loquitur nomine Eccleſiæ, & nomine etiam Dauid, qui repræſentat Eccleſiam,) contradicturi erant, dicentes, Fuit, & non eſt; quid eſt quod neſcio, qui recedentes à me murmurant contrà me? quid eſt quod perditi me perijſſe contendunt? certè enim hoc dicunt, quia fui, & non ſum; annuncia mihi exiguitatem dierum meorum. Non à te quæro illos dies æternos, illi ſine fine ſunt, vbi ero, non

Digitized by Google

ipſos quæro : temporales quæro, temporales dies mihi annuncia : exiguitatem dierum meorum, non æternitatem dierum meorum annuncia mihi ; quandiù ero in iſto ſæculo : annuncia mihi propter illos qui dicunt, Fuit, & non eſt ; propter illos qui dicunt, impletæ ſunt Scripturæ, crediderunt omnes gentes, ſed apoſtatauit, & perijt Eccleſia de omnibus gentibus.

Quid eſt hoc exiguitatem dierum meorum annuncia mihi ? & annunciauit, nec vacua fuit vox iſta, dicens, Ecce vobiſcum ſum vſque in conſummationem ſæculi, Matth.cap.28. in fine : Sed ſi duratura vſque in ſæculum ſæculi, quomodò dicit Eccleſia, Paucitatem dierum meorum nuncia mihi ? nunquid deficiet, vel deficit Eccleſia ? ſed nota, quòd reſpectu æternitatis ab Adam vſque in finem breues ſunt dies huius ſæculi. Deficiunt, atque deficient, qui extrà Eccleſiam poſiti ſunt, hæretici, & increduli ; non deficit verò Eccleſia in dimidio annorum, ſed in generatione, & generationem erunt anni illius. Ipſi peribunt, qui ſunt extrà te, tu verò permanebis, & anni tui nunquam deficient ; filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſæculum dirigetur, Paucitatem ergo dierum, inquit Eccleſia, quia ante oculos Domini mille anni tamquam dies externa, quæ præterijt, Pſalm.89. numer.4. tempus enim velut vmbra præterit, Eccleſ. capit.7.numer.1. In via ergo virtutis ſuæ reſpondit Eccleſia Domino, breue hoc tempus vſque in finem ſæculi ; fac me attendere.

Ne reuoces, inquit, in dimidio dierum meorum, donec impleatur numerus fratrum meorum, in generatione enim, & generationem ad tui verbi prædicationem conuertentur & alij peccatores ad te.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum in generatione, & generationem anni tui, reſpondit ei in via virtutis ſuæ. Quæ eſt virtus tua Dauid ſancte, Eccleſia ſancta, quam tu repræſentas. In Eccleſia ſunt boni, ſunt & mali, in malis non eſt virtus, ergo de bonis loquitur ; quorum virtutes ſunt, quæ in Euangelio narrantur, Matth.cap.5.numer.3. Luc.cap.6.numer.20. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, Beati mites, &c. Reſpondit in via virtutis ſuæ, qui talia propter Chriſtum patiuntur. Et quid dicunt ? Paucitatem dierum meorum, quibus ego patior, nuncia mihi, quia cum hæc omnia fecero, quæ ſeruis tuis poſt te venientibus facere iuſſiſti, adhùc inutilis ſeruus tuus ſum Domine, Luc. cap.17.num.10. Nàm & ſi mille annis viuerem in tormentis propter te Domine, quia tibi peccaui, adhùc modicum tempus pœnitentiæ meæ eſſet, vt gloriam in æternum tuam merear adipiſci, Paucitatem dierum meorum nuncia mihi, neque in dimidio pœnitentiæ dierum meorum reuoces me. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui ? dimitte ergo me, vt plangam paululum dolorem, antequam vadam ad terram tenebroſam, &c. Iob cap.10.num.20. Non dimittas me in dimidio dierum meorum ; Cum Paulo enim audet iuſtus dicere ad Philipponſ.3. num.8. Verumtamen exiſtimaui omnia detrimentum eſſe propter eminentē ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei : propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam ; & inueniar in illo non habēs meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu ; quæ ex Deo eſt, iuſtitia in fide ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionum illius, configuratus morti eius. In dimidio dierum meo-

meorum ne reuoces, vt in disciplina perseuerans, dicit Paul. ad Hebr. cap. 12. num. 7. & ego filium Dei esse merear, præsens namque disciplina, quamuis videatur esse mœroris, postea fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ, ibidem num. 11.

Ne reuoces ergo in dimidio dierum meorum. Quocirca idem Paul. post enumeratas tribulationes multas, quas passus erat, 2. Corinth. cap. 11. num. 23. & 29. Quis, ait, infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? exhibeamus nos in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, &c. & 2. Corinth. cap. 6. num. 4. Ne reuoces me in dimidio dierum, vt opus faciam pœnitentiæ perfectum. Breues enim dies hominis, dies, inquit, hominis, quia tenebræ sunt, & tribulationes; anni verò tui in generationem, & generationem; quis ergo separabit nos à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est Psalm. 43. num. 23. Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, sicut oues occisionis; Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos, & ad Roman. cap. 8. num. 36. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, &c. neque creatura aliqua poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Ne ergo reuoces tu Domine in dimidio dierum meorum, in dimidio tribulationum mearum, quæ te Domine adiuuante, nunquam separare me poterunt à charitate Domini Iesu Christi. Perfice mihi dies exiguos, vt dones mihi postea dies æternos, Augustin. Ideò de diebus exiguis quæsiuit, quia licet vsque in finem sæculi durent nobiscum isti dies, exigui sunt in comparatione dierum tuorum. Anni enim tui in generatione generationum. Quare non ait, anni tui sæcula sæculorum: sic enim magis solet æternitas significari in sanctis Scripturis, sed ait, in generatione generationum anni tui? sed qui anni tui? Qui? nisi qui non veniunt, vt transeant? qui nisi, qui non ideò veniunt, vt non sint? omnis enim dies in hoc tempore, ideò venit vt non sit, omnis hora, omnis mensis, omnis annus, nihil horum stat; antequam veniat, erit, cum venerit, non erit.

In generatione, & generationem anni Domini, Et, si benè agnoscamus, etiam in nobis erunt anni Dei; in nobis, dixi, erunt, quomodò ipse Deus in nobis erit, vndè dictum est, vt sit Deus omnia in omnibus, 1. Sent. dist. 19. Non enim aliud anni Dei, & aliud ipse Deus, sed anni Dei, æternitas Dei est; æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile, ibi nihil est præteritum, quasi iàm non sit, nihil est futurum, quasi nondum sit. Sed non est ibi, nisi est; non est ibi, fuit, & erit; quia & quod fuit, iàm non est, & quod erit, nondum est; sed quidquid ibi est, non nisi est. Vndè Moysi interroganti Deum, Tu quis es? Exod. cap. 3. respondit, Ego sum, qui sum; Qui est, inquit, misit me ad vos, hæc Augustin. Idemq. sequitur.

Magnum ecce est, ad hoc homo quid est? ad illud tàm magnum est homo, quid est quidquid est? quis apprehendat illud esse? quis eius particeps fiat? quis anhelet? quis aspiret? quis ibi se esse præsumat? Noli desperare humana fragilitas; Ego sum, inquit, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Audisti quid sim apud me, audi quid sim propter te. Hæc igitur æternitas

Digitized by Google

vocauit nos, & erupit ex æternitate Verbum. Iàm æternitas, iàm Verbum, & nondum tempus, quare nondum tempus? quia factum eſt tempus; quomodò factum eſt tempus, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, Ioan. cap. 1. O Verbum ante tempora, per quod facta ſunt tempora; natum eſt in tempore, cum ſit vita æterna, vocans temporales, faciens æternos.

Hæc generatio generationum; generatio vadit, & generatio venit. Et videtis generationes hominum ſic eſſe in terra, tamquam in arbore folia, ſed in arbore oliuæ, vel lauri, vel cuiuſcumque alterius, quæ toto tempore fronde veſtita eſt; ſic tamquam folia genus humanum terra portat, plena eſt hominibus, ſed cum alijs morientibus, alij naſcendo ſuccedunt, ſemper enim arbor illa veſte viridi ornata eſt; ſed ſubter attende, quam multa calces arida folia. Ergo fuit generatio ſub Adam, tranſijt; nati ſunt inde quidam futuri participes æternitatis Dei etiam illo tempore: inde Abel, inde Seth, inde Enoch, Geneſ. cap. 4. Tranſijt illa generatio, venit diluuium; remanſit vna domus, & illa generatio dedit aliquos, Geneſ. c. 9. ipſum Noe, & tres filios eius, & tres Nurus eius; in tota enim domo iſta octonaria ſolus vnus peccator inuentus eſt. Acceſſit numerus ſuperiori generationi, deinde de tribus filijs Noe, tamquam de tribus menſuris farinæ impletus eſt Orbis, Matth. cap. 3. Electus eſt Abraham, Iſaac, & Iacob, ſancti viri Patriarchæ placuerunt Deo, deinde & illa generatio ſequentes etiam generantes dederunt Prophetas, dederunt præcones Dei. Venit etiam poſteà & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, miſit fermentum in tres menſuras farinæ, quouſquè fermentaretur totum. Temporibus in terra carnis illius fuerunt Apoſtoli, fuerunt Sancti, poſt illos alij Sancti, & nunc in nomine Chriſti, quicumque ſunt Sancti, & poſt nos quicumque erunt, & vſque in finem ſæculi quicumque Sancti; de cunctis generationibus collige omnes ſanctas proles, omnium generationum, & facies inde vnam generationem. In iſta generatione generationum anni tui, ideſt æternitas illa in generatione erit; quæ de omnibus generationibus colligitur, & in vnam redigitur; ipſa particeps erit æternitatis tuæ. Cæteræ generationes implendis temporibus generantur, ex quibus illa in æternum regeneratur, mutata viuificabitur, erit idonea portare te, vires accipiens à te, in generatione generationum anni tui; hucuſquè Auguſtin.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum, ſicut iniquos, & doloſos, qui non dimidiant dies ſuos, Pſalm. 54. numer. 24. Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos; breui enim tempore dies ſuos finiunt, & obſtinati ſine pœnitentia moriuntur, ad infernum deſcendentes. Spatium ergo pœnitentiæ deſiderat Dauid, & rogat, vt dum viuit, concedatur ſe pœniteat, vt in generationibus, & generationibus cum iuſtis ſcribatur, vbi anni Domini ſunt æterni. Et quamuis in initio tu Domine terram creaueris, & opera manuum tuarum ſint Cæli; dixiſti enim, & facta ſunt, & verbo tuo Cæli firmantur, & ſpiritu oris tui, omnis virtus eorum, Pſalm. 32. numer. 6. ipſi tamen peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. O beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius, populus, quem elegit in hæreditatem ſibi, d. Pſalm. 32. num. 19. in qua filij ſeruorum Domini, ideſt filij Apoſtolorum habitabunt, & ſemen eorum in ſæculum

Digitized by Google

lum dirigetur. Nè reuoces me in dimidio dierum meorum, in generationes, & generationem anni tui. Ad quem iſta verba dirigantur, declarant ſequentia verba; ad filium nempè Dei, cuius virtutem declarat Pater, ad Hebr. c. 1. Initiò dicens, tu Domine Ieſu, qui ante initium mecum eras, & per quem omnia facta ſunt, tu terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Non quia Deus manus habeat, non enim diſtinctus eſt corporeis membris, qui dixit, Ego ſum, qui ſum; quia dixit, & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt; & in alio loco, Verbo Domini cæli firmati ſunt, Vide pulchritudinem cælorum, & tamen ipſi peribunt; vndè Iob cap. 25. num. 5. Ecce Luna, etiam non ſplendet, & Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius, quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis? peribunt, ideſt mutabuntur in melius; quia completo electorum numero, amplius non erit hominum generatio: & per conſequens cum omnia propter hominem facta ſint, omnia ceſſabunt, quæ ad generationem, vel corruptionem rerum faciunt.

Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veterascent. Omnia enim naturalia, quæ generationis, vel corruptionis participes ſunt, ceſſabunt, quæ ergo virtute Dei facta ſunt, ceſſabunt, ipſi peribunt cæli, tu autem permanes.

Auguſtin. hìc, Apertè dixit hoc Petr. Apoſtolus, 2. Petr. c. 3. n. 8. Cæli enim erant prius, & terra, de aqua, & per aquam conſiſtens Dei verbo, per quæ, ille tunc, mundus aqua inundatus perijt, Cæli autem, qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſeruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.

Vel myſticè Cæli ſunt iuſti, qui ſunt opera manuum eius, qui ſecundum veſtimentum, ideſt ſecundum corpus peribunt, ſed in melius mutabuntur. Vel item myſticè Cæli, & terra ſunt boni, & mali in Eccleſia, Omnes enim reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, 1. Corinth. cap. 15. num. 51. Iob cap. 24. num. 24. Mali eleuati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent, & humiliabuntur ſicut omnia, & auferentur, vt ſummitates ſpicarum.

D. Gregor. in Moral. lib. 17. cap. 6. in cap. 24. Iob. Nunc ariſtæ ad alta proſiliunt, grana latent, quia & reproborum potentia eminet, & electorum gloria non apparet. Illi ſe honorum faſtibus oſtendunt, iſti in humilitate ſe deprimunt. Sed trituræ tempus aduenit, quod & ariſtarum rigiditatem frangat, & ſoluda grana non conterat. Tunc quippè ſuperbia iniquorum comminuitur, tunc electorum vita, quanta integritate fulgeat, declaratur; quia cum iniuſti deficiunt, ex hac ipſa ariſtarum contritione agitur, vt grana appareant, quæ latebant; cumque ariſtæ franguntur, granorum candor oſtenditur, quia iniquis in ſupplicia æterna cadentibus, ſanctorum iuſtitia, quanta veritate candeat, demonſtratur. Vndè Luc. cap. 3. num. 17. Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni; cuius ventilabrum in manu eius; & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

Cælum ergo, & terra tranſibunt, quia igne ſuperfluitates illorum, purgabuntur, ideſt iniqui, & impij in ignem, vt comburantur, mittentur. Verba autem Domini in æternum permanebunt; quia fideles, & iuſti, ſicut lux in Domino lucebunt, & eorum erit gloria ſempiterna. Et ideò dixit, ſicut opertorium

torium mutabis eos, & mutabuntur. Cæli enim, ideſt Apoſtoli & iuſti enarrabunt gloriam Domini, Pſalm. 18. num. 1. Et via eorum ſine impedimento erit, Sap. cap. 19. num. 7. & campus germinans de profundo nimio. Tu autem idem ipſe es, quia verbum manet in æternum, & anni tui non deficient. Tu idem ipſe es, ideſt immutabilis, & omnipotens, licet enim omnia ſint ex te, & per te, & in te, non tamen ſunt, quod ipſe es. Auguſtin. Qui es mutans, non mutatus; faciens non factus; mouens, ſed manens. Quomodò verò iuſti ibidem cum Deo eſſe poſſint explicat verſ. ſequen.

Filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſæculum dirigetur. Qui ſint filij declarat D. Paul. 1. Corinth. cap. 4. num. 15. Vt filios meos chariſſimos vos moneo, nàm in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui. Filij ergo ſeruorum, ideſt Prophetarum, & Apoſtolorum non ſecundum carnem, quos ipſi genuerint, ad Roman. cap. 9. num. 7. cum ſequen. Non qui filij carnis, hi filij Dei, ſed qui ſunt filij promiſſionis, æſtimantur in ſemine; Iſai. cap. 65. num. 23. Electi mei non laborabunt fruſtra, neque generabunt; quia ſemen benedictorum Domini eſt, & nepotes eorum cum eis. Serui verò Dei Prophetæ, Ierem. cap. 7. numer. 25. Et miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas, &c. & non audierunt me, & cap. 26. num. 5. Filij ſeruorum tuorum qui per Prophetas ſanctos, & Apoſtolos, & iuſtos Domini, & prædicatores in fide geniti ſunt, in annis tuis perpetuis habitabunt. Et ſemen eorum, quod ipſi reliquerunt poſt ſe prædicandum, in ſæculum dirigetur, nàm perpetuò duraturum, & in filios filiorum in generationibus, & generationibus ſeminandum, dirigetur, quorum fides nunquam deficiet, adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui rogauit Patrem, vt non deficiat fides noſtra, vt & Petrus conuerſus confirmaret fratres ſuos, Luc. cap. 22. num. 32. Semen eorum nos in Eccleſia fideles exiſtentes, percepimus, acceptauimus; profitemurq. illud in perpetuum retinere, vt & ſucceſſoribus in ſæculum ſæculi dirigatur, vt in omni gente verbum Dei extendatur; ſemen enim eſt verbum Dei, Matth. c. 13. num. 23. Illud Apoſtoli ſucceſſoribus ſeminarunt, & ſemen iſtud, quod illi prædicauerunt, dirigetur in æternum. Cælum enim & terra tranſibunt; verba autem mea non tranſibunt, & ideò ſemen illorum in ſæculum dirigetur; quia nec portæ inferi aduerſus illud præualebunt. Exaudiat me Dominus, lumenq. ſuum menti meæ inferat, vt ſemper Deum laudando, merear & ego cum Sanctis ſuis per miſericordiam ſuam in habitaculo ſancto ſuo reponi, atque numerari.

SOLILOQVIVM.

SVRGE anima mea, quid moraris? ſicut fumus dies tui tranſierunt, & adhùc in tenebris ambulas? poſt mortem non eſt pœnitentia. Clama ad Dominum, ne ceſſes, vt in hac die, quæ ad pacem tibi viſa eſt, de tenebris te eripiat, faciemq. ſuam à te non auertat. Cilicio, & cinere corpus induas tuum; iàm enim dies tui, ſicut fumus defecerunt, & iàm in ætate ſenili virtus tua deficiens facta eſt, quia panem tuum otioſa comediſti. Domine exaudi me, dum clamo ad te, quia virtus mea deficit in ſenectute mea miſerijs plena. Caro mea, ſicut vter in pruina, cui adhæſit os meum. In-

ama-

Digitized by Google

amaritudine enim animæ recogitans annos meos confiteor, quia tibi Domine peccaui. Et nunc qui laudant me, iurant aduersum me, quia eleuans allisisti me, propterea cinerem tamquam panem manduco, & poculum meum cum fletu deglutio. Ne memineris iniquitatis meæ quando venero ad te, quia redemisti me; auerte faciem iræ tuæ à peccatis meis, vt etsi timens, securus tamen accedam ad te. Ecce Domine Iesu, quia dies mei declinauerunt, & ego sicut fœnum arui; maior tamen est misericordia tua, in quam ego speraui iniquitate mea. Confiteor Domine, quia Deus meus es tu, exurgens miserearis mei, quia venit tempus, vt miserearis. In Ecclesia tua existens confiteor, quia tibi peccaui, & secundum memoriale tuum, quod in generationibus est, peccatori pœnitenti parcere promisisti. Respice Domine in meæ humilitatis orationem, & preces meas nè spernas. Vt populus, qui in generatione altera creabitur, laudes debitas tibi personet. Si de cælo respexeris super me, nomen tuum in Ecclesia tua erit glorioſum in æternum. Nè me reuoces in dimidio dierum meorum, sicut iniquos, sed vt perennitate temporum ad virum perfectum perueniens, fac tecum perfruar in æternum: Tu Domine me creasti: tu me sanguine tuo redemisti, pereat terra, lætificetur anima mea, in te permanens. Sicut vestimentum veteraſcat terra, sed cum Sanctis immutetur anima mea; vt cum filijs seruorum tuorum habitans merear & ego audire, Veni serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Audi Domine Iesu orationem serui tui, & saluum me fac propter misericordiã tuam. Gratia plena Virgo Dei genitrix Maria, ad me tuos misericordes conuertens oculos; apud filium tuũ Iesum Christum intercede, vt absoluens me à peccatis meis, in gratiam suam recipiat, & sicut vnũ ex seruis suis introducat in viam suam; vt nunquam declinem ab ipso, & sub alis eius protectus pabulum mortis discedat à me. Et tu Romualde Sancte, cuius festum hodie agimus in Ecclesia Dei, quandoquidem me dignum iudicasti, vt tempore Clementis Papæ Octaui in Eremo existentes Fratres tuos visitarem, & te adiuũante, inuios in viam reducerem: quiq. scalam cælum è terra attingentem, in qua Fratres deambulantes vidisti, impetra mihi, vt & ego tamquam vnus ex illis de terra in cælum ascendam, & tecum Deum glorificans, vnus ibi ex illis effici merear. Amen.

IN PSALMVM CII.

Benedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.

TITVLVS. Psalmus ipsi Dauid. Continuatur ad præcedentem, in quo de oratione pauperis, cum anxius fuerit. Et nè quis putaret anxietates iustis ab iniquis factas sine merito à Deo permissas, ideò consequenter in hoc Psalmo demonstratur, persecutiones patienter sustinentibus esse beneficia in hac calamitosa vita, & à Deo permissa, vt in alia vita ad gloriam æternam consequendam prosint, easdem esse ineffabilis misericordiæ diuinæ erga timentes Deum: propterea semper illi benedicendum. Clamans voce, ait hìc Auguſt. Si est homo

qui

ed by Google

qui audiat; ſiles voce, quando non eſt, qui audiat? interiora tua nunquam deeſt qui audiat, Itàq. iàm dudum ſonabat benedictio de ore noſtro, & hæc ipſa verba cantabamus, Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen ſanctum eius. Quantum ſatis fuit temporis cantauimus, & ſiluimus. Nunquid interiora tua ſilere debent à benedictione Domini? Alternet pro tempore ſonos vocum, perpetua ſit vox interiorum. Benedic ergo cantando, laudando Dominum anima mea, qui fecit, & creauit te, & omnia quæ intra te ſunt, nomen ſanctum eius; ideſt filium eius Ieſum Chriſtum, qui te perditam redemit ſanguine ſuo; & ità Deum, & filium vocibus laudando extollamus. Et quidquid operamur, vel quæ intra nos cogitamus; ſemper in nomine Domini faciamus; vndè Apoſt. 1. Corinth. 10.nu. 31. Siue ergo manducetis, ſiue bibatis, ſiue aliud quid faciatis, omnia in gloriam Dei facite.

Benedic ergo anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius, quod eſt Dominus, Pſalm.82. in fine, Et cognoſcant, quia nomen tibi Dominus, tu ſolus Altiſsimus in omni terra. Benè Hieron. hunc pſalmum de Ieſu Chriſto aſſerit, conſiderans verba ſupradicta; Benedic anima mea Domino, & in Pſal.99. dicitur, Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, & nunc dicitur, Et omnia, quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Si dixerimus, ait, Benedic anima mea Domino: & Dominus: Dominus eſt; quod nomen hìc quærit Dominus? Si Dominus, Dominus appellatur, quid dicit, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius? Aduentus filij, nomen Patris eſt. Ante aduentum Chriſti, ſciebatur Deus: Pater ignorabatur, deniq. ipſe dicit in Euangelio, Ioan.c.17. Pater reuelaui nomen tuum hominibus, hæc Hieron. Benedic ergo anima mea Domino Deo, & nomini ſancto, eius, quod eſt Patris manifeſtati per aduentum filij eius, item Domini, eidemq. æquali, quare in Pſalm.109. habes, Dixit Dominus Domino meo.

Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea, nomini ſancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Quid ergo mirum, ſi omnia interiora benedicere debeant Domino: ſi multò maiora ſunt Domini data, quæ tu recepiſti, & recipis in dies, benedictionibus, quas tu anima mea illi dare poſſis? Noli obliuiſci omnes retributiones eius, inquit, quid enim habes intra, vel extra, quod à Domino non receperis? Benedicat lingua tua, benedicãt omnia interiora tua, quia omnia tibi dedit Dominus.

Sed quomodò dicit retributiones eius? quis enim prius illi tribuit, vt ille ei retribuat? ad Roman.c.11.n.35. Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula. Noli obliuiſci retributiones eius. Quid eſt hoc? Niſi (crederem ego) quòd qui prius dedit, quatenus per ipſum facta ſunt omnia, Ioan. c. 1. iterum etiam dedit prius; quandoquidem per Adam perdita erat anima, & per Ieſum Chriſtum facta eſt reſurrectio illius, paſſus quippè is eſt, qui omnium in ſeipſum peccata tulit, quia voluit, Iſai.cap.53. Retribuit ei Dominus tamquam capiti noſtro, & Eccleſiæ, quia per illum ipſe Dominus propitiatus eſt iniquitatibus noſtris. Ideò, inquit Dominus, diſpertiam ei plurimos. Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur, Iſai. d. cap.53. num.11. & 12. Vndè Pſalm.115. num.12. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? quid ergo retribues Domino anima mea, qui totum dedit tibi eſſe, & vitam?

Bene-

Digitized by Google

Benedic anima mea Domino, & omnia interiora eius ; anima ergo Christi, quæ se Deo obtulit . Te, dixit ,Patrem manifestaui hominibus, Ioan. cap. 17. num.4. & 6. opus consummaui quod dedisti mihi , vt faciam . Sed quid retribuit illi ? Ecce , inquit , data est mihi omnis potestas in cælo , & in terra , Matth. vlt. in fine . Et quid retribuit animabus , pro quibus ipse passus est , Ioan. d. cap.17.num.2. Dedisti omnem potestatem carnis, vt omne, quod dedisti ei, det vitam æternam ; hæc est autem vita æterna , vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

Benedic anima mea Domino , Augustin. Vnus homo exhortetur ipse animam suam , & dicat ei ; benedicat anima mea Dominum , obaudit , obtemperat , facit hoc, persuadetur ei , non ex donis nostris , sed ex illius, quem benedicit anima nostra .

Benedic anima mea Domino pro omnibus quæ retribuit mihi . Si retribuit, ergo aliquid prius tu anima mea illi dedisti ; sed quid est , quod tuum sit , cum quidquid habeas , ab eo prius habeas ? Habeo aliquid , dicere poteris , quod nihil est , quod ab hæreditate Adæ recepisti , peccatum scilicet , hoc enim tuum est, quod ex tui perditione venit , vndè dicitur; perditio tua ex te Israel , Osee cap. 13. numer.9. Ipse enim Dominus te fecit , & ad imaginem suam te creauit, & tu per peccatum ad nihilum redacta es , serua peccati, serua Diaboli , auctoris peccati , Sapien.2. in fine, & per peccatum regnauit in te mors . Et quid retribuit tibi Dominus pro malo? bonum retribuit, quia te mortalem , fecit immortalem; te alienum , fecit Dei amicum, & filium , vt sis cum illo vnus , Ioan. d. cap.17. in fine . Fecit te sibi similem , & tu per peccatum facta es cinis, & vmbra Diaboli . Deleantur peccata tua per confessionem , & pœnitentiam, vt sit Deo acceptabilis retributio tua ; audi quid dicat ; Sacrificium laudis honorificabit me , & ego ostendam illi iter salutare Dei , Psalm.49. num. 23. si præteriti peccati delectatio erit tibi , & illud non damnaueris, quomodò testamentum Dei assumes per os tuum ? d. Psal.49.nu.16.

Augustin. Remissio à Deo est , damnatio peccati à te ; hæc enim retribuit Dominus , vt possis dicere , Quid retribuam Domino , pro omnibus quæ retribuit mihi ? Noli obliuisci , non tributiones , sed retributiones . Aliud enim debebatur, & redditum est, quod non debebatur . Vndè quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? non ait , quæ tribuit , sed quæ retribuit mihi ; retribuisti tu mala pro bonis, & retribuit ipse bona pro malis . Quomodò, dicit Aug. tu homo retribuisti mala pro bonis ? prius blasphemus, & iniurioſus , &c. blasphemias retribuisti , pro quibus bonis? Primo, quia es, cum non esses,sed est & lapis; deinde quia viuis ;sed viuit & pecus: quid retribues Domino pro eo quod super omnia pecora, & super omnia volatilia fecit te ad similitudinem , & imaginem suam ? Noli quærere, quid ei retribuas; similitudinem ipsius retribue illi , non plus quærit . Nummum suum exigit , tu autem pro gratijs, & pro bonis, quæ recepisti, blasphemias retribuisti . Confitere , ignosco , retribuo & ego ; sed non quod tu retribuisti ; tu mala pro bonis retribuisti , & ego retribuo bona pro malis . Cogita ergo anima omnes retributiones Dei; cogita anima omnia mala facta tua ; quàm multa enim mala facta tua,tàm multę bonæ retributiones eius . Non obliuiscaris retributiones eius, nàm hoc sacrificio delectatur Dominus

Bene-

Benedic ergo anima mea Domino, ſacrificium laudis glorificat Dominum, vndè Pſalm.49. Immola Deo ſacrificium laudis, &c. Laudari Deus vult; non quia laude tua egeat, ſed vt tu proficias: non vt ille ſublimetur; non eſt omnino quod illi retribuas, & quod exigit non ſibi, ſed tibi exigit, tibi prodenit, tibi ſeruatur; non hoc à te amat, quod illum augeat, ſed quod te ad illum perducat.

Calicem ergo & tu anima cum martyribus Domini accipias, & inuoca nomen Domini, calicem enim accipere, eſt paſſionem Domini imitari; ſic benedicat anima mea Dominum, vt non obliuiſcatur omnes retributiones eius, ſequitur Pſalmus, retributiones Domini narrando dicens.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas; Vide retributionum Domini gradus, & conſidera illos, vt tu ipſum benedicens, illos gradatim aſſequaris. Quod enim ex parte tua eſt, ore, & opere, vocibus, & in omnibus negotijs, & operibus tuis intus, & extrà benedicito illi, qui omnia tibi memoranda conceſsit, quando dimiſsis peccatis, & obliuioni traditis illorum delectationibus conuerteris ad Dominum, qui tribuit tibi intellectum, dicendo: Benedic anima Domino, &c. Poſtquam intellectum tibi dedit, & deduxit te in viam, quam elegit, cognouiſti, quia ipſe Dominus propitiatus eſt iniquitatibus tuis. Deinde ſanauit omnes infirmitates tuas, & ità redemit de interitu vitam tuam; ſublato enim peccato, à morte ſempiterna liberaris: qui propter peccatum mortuus fueras. Sed quid amplius peccatori redempto retribuit Dominus? Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus, in regnum ſuum te transferendo, corona gloriæ coronans te. Quia miſericors eſt, & miſerator Dominus, qui ſoluens pro te debitum peccati, facit, vt de iuſtitia merearis coronari: hæc enim ù anima illuminata retribuit Dominus pro malis, quæ tu illi retribuiſti.

Noli obliuiſci retributiones Domini. Replebit enim Dominus in bonis deſiderium tuum, & renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua. In peccatis ſenuerat anima tua; roſtrum tuum, ſicut roſtrũ Aquilæ, propter cuius immoderati augmenti longitudinẽ, nec cibum capere poteras, provt & longitudo incrementi roſtri Aquilę non ſinit os ità aperire, vt cibũ Aquila capere poſſet. Creſcente enim ſuperiore parte, dicit Auguſt. & nimis aduncata, non poteſt os aperire, & aliquid capere: hoc ei facit veſtutas; prægrauatur languore ſenectutis, & inopia comedendi langueſcit nimis, vtraq. re, ætate, & egeſtate accedente. Ad petram collidit ſuperius roſtrum, quaſi labium ſuum, quo nimis creſcente edendi aditus clauditur, & ità conterendo illud ad petram excutit, & prioris noſtri onere caret. Accedit ad cibum, & omnia reparantur, & poſt ſenectutem comedenti modo, taliter fit iuuenis Aquila. Ità animæ peccatis ſubditæ, & in malis moribus inueteratæ, labium ſuperius corporis ſui, adeò os clauſum reddebat, vt delitijs obtemperãs, nunquam ad Chriſtum petram confeſſione accedere poſſet, quod ſi ad eamdem petram per contritionem os eius aperiatur, tunc verè pœnitens panem corporis Domini contrita comedere incipit, ſicque tali refecta cibo, ſpiritu renouata exclamat, dicens: Benedic anima mea, & omnia, quæ intra me ſunt nomen ſanctum eius, &c.

Renouatur vt Aquilæ iuuentus tua, cum fortior ad laudandum Dominum fiat. Quia Dominus replet in bonis deſideriũ tuum: replet in bonis deſiderium,

vt

Digitized by Google

vt postquam coronaberis, & Domini gloria apparuerit, tunc satiata, fruaris bonis sempiternis. Replet desiderium tuum Dominus in via hac, vt permanens in cordis innocentia peruenias ad cælestia. Non ergo te hìc deserit Dominus, qui tecum semper est in bonis desiderijs.

Faciens misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus. Ideò semper laudandus, quia misericordiam facit bonis, iudicium verò malis; faciens misericordias, exortum enim est in tenebris lumen rectis, Psalm. 111. num. 4. Misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Iustitia, & iudicium correctio sedis eius, Psalm. 96. num. 5. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius: Faciens misericordias Dominus, ideò venit, vt saluos nos faceret, neque vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat, Ezech. cap. 18. & 33. numer. 11. Fecit ergo Deus misericordiam nobiscum, vt & nos misericordes esse doceret, Quoties enim, dicebat Petrus, dimittam illi? septies? non solum septies, sed septuagies septies, Matth. c. 18. num. 22. misericordiam vult Deus, & non sacrificium, Matth. 9. nu. 13. & cap. 2. num. 7. Vndè Luc. 6. num. 36. Estote ergo misericordes, sicut Pater vester misericors est, & Eccles. cap. 28. nu. 2. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Hinc D. Chrysostom. Sermon. 71. Homo tibi misericordiæ factus es ipse mensura; quantum quæris misericordiæ, fac tantum.

Faciens misericordiam Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus, Iacob. in sua Canonic. Epist. c. 2. n. 13. Iudicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam: superexaltat autem misericordia iudicium. Iudicium in sacra Scriptura significat sententiam, 4. Reg. 25. num. 6. Apprehensum ergo Regem duxerunt ad Regem Babylonis, qui locutus est cum eo iudicium: ità etiam Ierem. cap. 1. num. 16. Loquar iudicia mea cum eis super omnem malitiam eorum. Vide Augustin. de Ciuit. Dei lib. 21. cap. 24. per totum, & in fine super intellectu Psalm. 76. numer. 10. Nunquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? vbi continuò subijcitur, Et dixi, nunc cœpi, hæc est mutatio dexteræ excelsi. Exposuit profectò, inquit, quod dixerat, nunquid continebit in ira sua misericordias suas? ira enim Dei est etiam vita ista mortalis, vbi homo vanitati similis factus est, & dies eius sicut vmbra prætereunt, in qua tamen ira non obliuiscetur misereri Deus, faciendo Solem suum oriri super bonos, & malos, & pluendo super iustos, & iniustos, Matth. cap. 5. Ac sic non continet in ira sua miserationes suas, maximèq. in eo, quod expressit hìc Psalmus, dicendo, nunc cœpi, hæc est mutatio dexteræ excelsi. Quoniam in hac ipsa eorum ærumnosa vita, quæ ira Dei est, vasa misericordiæ mutat in melius, quamuis adhùc in huius corruptionis miseria maneat ira eius, quia nec in ipsa ira sua continet miserationes suas, hucusquè Augustin. In existentes quoque in inferno in ira sua manebit, & in ipsa ira sua miserationes suas non continebit, quia cum pœnas maiores mereantur, miseratio tamen Dei, quia non in condignum punirentur.

Faciens misericordias Dominus; sed quibus nos facere misericordiam præcipit? super iustos, & iniustos facit Dominus Solem oriri, ergo & nos idem facere præcipit: habemus enim ad Roman. 12. nu. 20. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potũ da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres super

caput eius; Noli vinci à malo, sed vince in bono malum, & Luc.6.num.30. Omni petenti te tribue; sed quomodò scriptum habemus, da misericordi, & ne suscipias peccatorem? Eccles. cap.12. numer.4. Augustin. hìc litera K. Da peccatori, non tamquam peccatori, sed tamquam homini; miserere illius. Quando das tamquam peccatori? quando in quò peccator est, si hoc tibi placet, vt des, Deum offendis. Cum ergo nescio quis, si habes vndè des, da; ad subueniendum da, non pigrescant in hoc viscera misericordiæ, quia tibi homo peccator occurrit: Vndè idem August. cuius dicta referuntur 23.q.4 incip. Duo ista, duo nomina dixi, hæc duo nomina non superflua sunt; duo nomina, aliud quòd homo, aliud quòd peccator, quòd homo opus est Dei, quòd peccator, opus hominis est; da operi Dei, noli operi hominis; operi enim dare est placenti tibi propter peccatum, non ergo das, cum non das fortitudini, sed turpitudini. Quomodò ergo qui venatori donat, non homini donat, sed arti nequissimæ? vide latius hìc Augustin. & de donantibus Histrionibus, & similibus, quæ etiam referuntur in dist. 86. c. Donare res suas Histrionibus vitium est immane, & in cap. sequen. incip. Qui venatoribus, non hominibus donant, sed arti nequissimæ. Nàm si homo tantùm esset, & venator non esset, non ei donares. Væ ergo miseris venatoribus, si non se correxerint, Augustin. Psalm. 147. & refertur ibidem cap. Vident, d. distinct. 86. subdit Augustin. hìc litera A. ex Matth. cap. 10. numer. 41. Qui receperit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet; sic intellige, dicit Augustin. qui receperit peccatorem in nomine peccatoris, perdet mercedem, attendendum ergo in misericordia proximo facienda natura, & vitium; naturam iuua, & vitium persequere. Non ergo amore iniquitatis peccatorem suscipias, subueni ergo naturæ, non iuues peccatum, da operi Dei, non operi hominis. Igitur qui dat iusto pro alia causa, quàm quia opus Dei est, non dat iusto, ideò qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Facit ergo Dominus misericordiam omnibus iudicium, & iniuriam patientibus, quocircà Domino vindictam relinquas; qui in iniuriantem potestatem non habes: Cæteros verò, qui tibi iniurij sunt, cum dilectione corrigas, vt ab iniquitatibus recedant, non vt hominem odio habeas.

Notas fecit Dominus Moysi vias suas, filijs Israël voluntates suas. Moysi primo data est lex, per quam cognoscitur peccatum; vndè dicebat Paul. ad Roman. cap. 3. numer. 20. Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, ijs, qui in lege sunt, loquitur; vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati, sola scilicet cognitio, & non auxilium ad vitandum peccatum, Notas ergo fecit Dominus vias suas Moysi, quocircà quinque fuerunt Moysis libri legis, & quinque porticibus cincta erat piscina, Ioan. 5. Iacebant in illis languidi, non sanabantur ibi, sed prodebantur, Ioan. 5. Angelus enim descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua, & post motionem aquæ, qui prius descendebat in illam, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Iudæorum enim Synagoga, Iudæorum piscina per aduentum Domini turbata est. Seductor est iste, dicebant, commouet totum populum: peccator est: alij verò, quia iustus est; turbata piscina; commota est vniuersa Ciuitas. Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

Tur-

Turbatio Piſcinæ in paſſione Domini; ab alijs dicitur, ipſe eſt Chriſtus; ab alijs, non eſt Chriſtus; iuſtus eſt, peccator eſt; Magiſter eſt, ſeductor eſt; Turbatur populus, & in tota illa perturbatione vnus ſanabatur; nàm in paſſione Domini, qui eſt in vnitate ſanatur; qui præter vnitatem fuerit, & ſi iacebit in porticibus, ſanari non poterit, & ſi legem tenet, ad ſalutem non peruenit: data ergo eſt lex ad conuincendos peccatores, vt ad gratiam accipiendam medicum inuocarent, hinc Apoſt. ad Rom. 5. num. 20. Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum: vbi autem abundauit delictũ, ſuperabundauit & gratia, & ſicut regnauit peccatum in mortem, ità & gratia regnat per iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Et Auguſtin. hìc litera E. Quare lege ſubintrante, vt abundaret peccatum? quia nolebant confiteri ſe homines peccatores, addita lege facti ſunt & præuaricatores. Præuaricator enim non eſt quiſque, niſi cum legem tranſgreſſus fuerit, vbi non eſt lex, nec præuaricatio, ad Roman. cap. 4. nu. 15. Abundauit peccatum, vt ſuperabundaret gratia. Lex ergo data eſt, vt creſcente peccato humiliarentur ſuperbi, humiliati confiterentur, confeſſi ſanarentur. Has vias notas fecit Dominus Moyſi, per quem legem dedit, qua peccatum abundaret, & ſuperabundaret gratia. Iacebant ergo in porticu, vt proderentur, ſed non ſanabantur, quia necdum turbata erat Piſcina; deſcendebat Angelus, turbabatur Piſcina, ſed non ſanabantur illi, quia nec erant in vnitate, in porticibus ſtabant, nec illos iuuabat in illis manſio, quia erant peccatores, præuaricatores, languidi, nec confitebantur, neque reuertentes in ſeipſos humiliabantur pœnitentes.

Miſericors, & miſerator Dominus, longanimis, & multum miſericors; miſericors, quia Deus, ideò dicitur in Pſal. 144. n. 9. Miſerationes Domini ſuper omnia opera eius. Miſerator, & iuſtus, qui dat eſcam timentibus ſe; miſerator ergo actu, & miſericors natura, ideò lõganimis, qui vt te reducat patiens eſt: diù enim peccatores ſuſtinet, & multum miſericors, quia pro iniurijs retribuit bona. Vndè Bernard. ad Fratres de Monte Dei. Gratias ipſi gratiæ, & ſi dici poteſt, pluſquam gratuitæ miſerationi, quæ beneficijs obruit non ſolum immeritos, ſed etiam nimium malè meritos, & ingratos. Dicit Dauid Pſal. 118. n. 126. Tempus faciendi Domine: diſſipauerunt legem tuam; facere enim in Scriptura idem eſt, atque miſereri, Daniel. cap. 9. nu. 19. Placare Domine, attende, & fac, ideſt miſerere: idem habemus in Pſalm. 36. nu. 5. Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet, miſerando ſcilicet. Tempus ergo miſerendi, quando homines iuſtitiam Dei prouocant diſſipando legem eius; ſicut miſericordia Domini conſueuit, & Habac. in ſua Oratione numer. 2. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis, de quorum verborum intelligentia S. Bernard. in Sermon. de Verbis Habacuc Sermon. Vnico, fol. mihi 364. litera D. Nunc autem ſi quid amaritudinis ſentio in voce eius, non ſine dulcedine eſt, quoniam cum iratus fuerit, miſericordiæ recordabitur. Immo verò ipſa indignatio non aliundè, quàm de miſericordia eſt; quos enim amat, arguit, & caſtigat, & flagellat omnem filium, quem recipit, viſitans in virga iniquitates eius, & in verberibus peccata ipſius, miſericordiam autem ſuam non diſpergit ab eo. Propterea qui prudentes ſunt, non operiunt vulnera ſua, ſed detegunt, & confitẽtur Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius,

& sic vinum reprehensionis infundit, vt non desit oleum consolationis.

Miserator, & misericors Dominus, longanimis & multum misericors, vndè Eccles. 35. num. 26. speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis, & ideò sequitur.

Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur. Accusabatur illa in adulterio deprehensa, Ioan. 8. cap. 8. Iesus digito scribebat in terra, auerterat enim faciem suam Dominus, ne crimen cerneret, quod puniret; & maluit in puluere scribere veniam, quàm dare in carne sententiam; ità Chrysolog. Serm. 115. Derelinquat ergo impius viam suam, Isai. 55. nu. 7. & reuertatur ad Dominum, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. In hoc enim multo nihil deest, in quo omnipotens misericordia, & misericors omnipotentia est, ità Fulgent. Epist. 7. non in perpetuum irascetur. Sed nonnè homini, dum peregrinatur in hac vita, dictum; In sudore vultus tui, vesceris pane tuo, Genes. 3. terra spinas, & tribulos pariet tibi? dum ergo iustus etiam in hac vita degit, ira Dei super illum ascendit, & quæ est in homine voluptas, vbi non spinas sentiat? Quæ solicitudo, quæ spinis careat in hac vita? Non in finem irascetur Dominus, si laborans in nomine Domini; si in interioribus tuis semper Dominum benedixeris, dicet Dominus, Venite, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, Matth. cap. 11. numer. 28. Anima laborantis laborat, quia compulit eum os suum, Prouerbior. cap. 16. numer. 26. Labora ergo propter Dominum, quia Dominus satiabit te. Neque in æternum comminabitur, quia semper ira Domini in iustos non durat, hinc Isai. capit. 54. numer. 7. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Non ergo in perpetuum irascetur Dominus iusto, neque in æternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Gratis enim Dominus retribuit nobis, cui nihil nisi malum dedimus. Noli ergo obliuisci omnis retributionis eius, quia & si iustus sis, septies tamen in die cecidisti, Prouerb. 24. num. 16. Lauare & tu septies in Iordane pœnitentiæ, vt lepra cadat à te, 4. Reg. 5. num. 10.

Quoniam secundum multitudinem cæli à terra corroborauit misericordiam suam super timentes se. Noli timere peccator, quòd grauiter peccasti, quòd pluries peccasti; si te pœniteat, & Domini timorem habueris, peccata tua delebit Dominus, Isai. capit. 1. numer. 16. & 18. Lauamini, mundi estote. Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Quoniam secundum altitudinem cæli à terra corroborauit Dominus misericordiam suam super timentes se. Magna est pœna peccantis, maior est misericordia Dei ignoscentis. Quis tu es, qui peccando gratiam Dei amittis? Terra, inquis, ego sum, tolle spinas, & tribulos de terra tua, confitearis Domino, pœnitensq. terram tui corporis cum Dauide pœnitente lacrymis tuis irriges, vt facilius tribuli, & spinæ euellantur, quia quò maior est altitudo cæli à terra, eò maius erit gaudium in cælo super te peccatore pœnitentiam agente; & sic Dei misericordia maior, quàm tua culpa.

Tunc

Tunc enim quantum distat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras, parcente Deo miseratione sua, quando enim is peccata remittit, occidunt peccata,& gratia oritur; peccata enim sunt tamquã in Occasu; gratia verò,qua liberaris,in Ortu est. Surge tu à peccatis,vt de Occasu in Orientẽ perducaris, longè à Deo factus es per peccatum, propè fies ad eum, si recesseris ab illo: & in Orientis gratia perduceris. Vis videre distantiam Occasus iniqui ab Oriente? per peccatum mors, per illius remissionem vita; hic Oriens ex alto, Occasus ad Diabolum. Mors à Diabolo introducta, Sap.cap.2. in fine, Vita verò nostra Christus est; Ego enim sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet, Ioan. cap.11.num.25. Longè fecit iniquitates nostras, vt illæ occidant, & gratia oriatur. Surge, surge qui dormis in peccato, qui permanes in Occasu, quia venit lumen tuum, vt gloria Domini super te oriatur. Dies pœnitentiæ instant, in quibus Dominus pro te pati dignatus est, vt tu illuminatus ambules in via eius, Isai. cap.55.num.8. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & gloria Domini colliget te; si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, &c. & num.10. Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, ac splendoribus replebit Dominus animam tuam, & educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tamquam meridiem, Psalm.36.num.6. sequitur Psalm.

Quomodò miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Verè Pater noster est Dominus; ideòq. Patris naturalis, qualem in filium amorem habeat, similitudinem affert Propheta, vt maximam diuini amoris vim intelligamus, quanquam ipse Pater cælestis plus amat nos, quia ipse fecit nos, ipse redemit nos sanguine suo, ipse enutriuit nos; vndè Paul. 1.Corinth.cap.4.num.15. Nam si decem millia Pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres, nàm in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui, & ad Timoth.1.cap.4.numer.6. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem; hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ,quam assequutus es. Ipse ergo Dominus creauit nos, iterumq. per aduentum suum nos genuit, & per Euangelij verbum nos enutriuit. Amat pater naturalis filium, & errantem corripit, flagellat, quia illum amat; idem Dominus noster facit, quos enim amat, hos corrigit, hos flagellat, Apocalyps.cap.3.num.19. Quos, inquit, amo, arguo, & castigo; vexatio enim dat intellectum, Isai.28. num.19. non tamen in tribulationibus deserit nos; cum ipso, inquit, sum in tribulatione, vt eripiam eum; Iàm sæuiat, dicit Augustin. quantum vult, Pater est; sed flagellauit nos, & afflixit nos, & contriuit nos, Pater est. Fili; si ploras, sub Patre plora, noli cum indignatione, noli cum typho superbiæ: quod pateris, vndè plangis, medicina est, non pœna; castigatio est, non damnatio; noli repellere flagellum, si vis habere hæreditatis funiculum; si non vis repelli ab hæreditate; noli attendere quam pœnam habeas in flagello, sed quem locum in testamento.

Sicut miseretur pater filijs, sic misertus est Dominus timentibus eum, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, idest infirmitatem nostram, quia puluis sumus, ideò miserabiles, & infirmi, & gratia Dei semper indigentes; Habemus Patrem, qui scit compati infirmitatibus nostris; ad ipsum humiles,

permaneat in æternum. Et cur homo ſine homine Deo, incedis in fœno, vt flos tuus decidat, & vt fœnum areſcas in æternum? Memento tui, reſpice finem; vita, & mors tibi appoſita ſunt, timeto Dominum, crede in Ieſum Chriſtum, vt cum eo ambulans flos tuus permaneat in æternum.

Miſericordia enim Domini ab æterno vſque in æternum, ſuper timentes eum. Sine timore, ſine miſericordia Dei, flos tuus decidet in infernum. Qui non timetis Dominum fœnum factum, & in fœno, & in tormento cum fœno eritis; reſurget enim caro ad tormentum. Ergo ſuper timentes Deum eſt miſericordia Domini, & iuſtitia illius in filios filiorum his, qui ſeruant teſtamentum eius. Et aduerte, quòd hìc filij intelliguntur opera, filij filiorum ſunt merces operum: & eſt ſenſus, Miſericordia illius eſt ſuper timentes eum, & iuſtitia illius in filios filiorum, ideſt per miſericordiam, & iuſtitiam eius dabitur timentibus eum æterna merces pro bonis operibus his, qui ſeruant teſtamentum eius, hæc Auguſtin.

Et memores ſunt mandatorum ipſius, non quia omnia mandata memoriæ demandentur. Iàm, dicit Auguſtin. te diſponebas extollere, & forte reddere mihi pſalterium, quod ego non teneo, aut totam legem memoriter pronunciare, planè in memoria melior me, melior quouis iuſto. Iuſtus ad verbum legem non tenet; præcepta teneas non memoria, ſed vita; memoria retinentibus mandata eius, non vt reddant ea, ſed vt faciant ea; facilis eſt memoria illorum, in duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ. Sed totam legem volo tenere; tene, ſi potes, quando potes, quomodò potes. Quamcumque paginam interrogaueris, hoc tibi reſpondebit; quod tenes, tene; charitatem tene, finis præcepti eſt charitas, noli cogitare de multitudine ramorum, radicem tene, & tota arbor in te eſt: & memoria retinentibus mandata eius, vt faciant ea, hùcuſq. Auguſtin.

Dominus in cælo parauit ſedem ſuam, & regnum ipſius omnibus dominabitur. Quid eſt in cælo paratur Domini ſedes? Niſi quòd iàm miſericordia illius, quæ adhùc vt tibi parcat, in terra eſt, iàm in cælo, quando iudicabit, non tibi peccatori impœnitenti, in omnibus proderit. Iuſtitia enim, & iudicium ſedes eius, quia vnicuique dabit ſecundum opera ſua, Pſalm. 62. in fine, Data eſt enim illi, Chriſto dico, omnis poteſtas in cælo, & in terra, hìc vt parcat, & dimittat pœnitenti, & credenti, ibi vt iudicet, & iuſtitiam faciat; ideò parauit Thronum iudicij in cælo, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius, à iudicio eius. Regnum illius omnibus dominabitur. Terribilis, inquit, qui aufert ſpiritum Principum, terribilis apud Reges terræ; omnibus enim dominabitur, Pſalm. 75. num. 13. terribilis eſt ſuper omnes Deos, Pſalm. 95. nu. 4. Omnes Dij gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit.

Vos ergo ò Angeli Dei, qui eſtis in cælo, benedicite, inquit Pſalm. Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius; benedicite Domino, mecum ſcilicet gaudentes, & gratulantes, qui eram ouis perdita, & præuentus, atque à Domino inuentus, quæſiui & ego, quem culpa mea perdideram, & inueni, quia pœnitens feci & ipſe verbum illius. Benedicite Dominum mecum rogo, non impero, non moneo, ſed gratias agens Domino meo, iubilans, & exultans, vos excito, inuito, vt gaudentes ſimul benedicamus Domino Deo noſtro.

Benedicite Domino omnes virtutes eius; miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius. Sed cur addit, Miniſtri, qui facitis voluntatem eius? omnes enim ſunt miniſtri Domini; omnes etiam in Eccleſia ſunt Chriſtiani, ſed non omnes faciunt voluntatem eius. Non inuitat niſi illam facientes, verbo obedientes, quid enim prodeſt fides ſine operibus? Iacob. 2. num. 20. & 26. & Auguſtin. hìc lit. E. Quid prodeſt, quia hymnum cantat lingua tua, ſi ſacrilegium exhalat vita tua? malè viuendo multas linguas miſiſti in blaſphemiam; lingua tua vacat hymno, & cæteræ te intuentium vacant blaſphemijs. Inuitat ergo eos, qui voluntatem faciunt Domini, qui faciunt Verbum eius; ità facias tu anima mea, ſi cum iuſto iſto vis introduci, vt tu benedicas Domino. Chriſtianus ſum, inquit ille, audio verbum Domini; ſed quid prodeſt, ſit illud non facis? Chriſtianus es; ſi non facis, non ædificas; ſi audis, non ædificas in petra, ſed in arena; audi, & fac, operare, & te pœniteat non feciſſe, & in petra ædificabis, & tentatio non te auertet.

SOLILOQVIVM.

BENEDIC Anima mea Domino, in omnibus operibus eius, & in omni loco dominationis eius, In omnibus etiam operationibus tuis, quæ facis, benedic illi, bene viuendo. Benedicite Domino omnia interiora mea, vt quidquid egeris, in eius nomine ex corde facies, illiq. ſemper gratias agas. Quidquid facis, & in quocunque loco facis, ſemper Domino Deo benedicas, quia in omni loco eſt dominatio eius, quia ipſius ſunt cælum, & terra, maria, & omnia, quæ ſurſum, & deorſum ſunt, & extra te, & intra, in omni loco dominatur Dominus.

Principium noſtrum ſit in benedictione, vſque ad finem ſit in illa perſeueranti noſtra: ad vtrunque, & ad principium, & ad finem tempus nobis acceptabile proponitur, mane diluculò, dies ſcilicet ſalutis adipiſcendæ: in quo ab Eccleſia exemplo Saluatoris noſtri proponitur ieiunij præceptum, vt in illo, in fletu, & planctu corda noſtra ſcindentes, & peccata noſtra confitentes, iram Dei propter peccata noſtra placantes, orantes, dicamus, Parce Domine, parce populo tuo.

Miſereator, & miſericors es Domine, longanimis & multum miſericors, non ſecundum peccata noſtra facias nobis, ſed in miſericordia tua, & in miſerationibus multis propitiare delictis noſtris, & in bonis cæleſtibus deſiderium noſtrum reple, & ſana omnes infirmitates noſtras, vt lætantes benedicamus nomen tuum in ſæcula. Adiuua me benedicta Virgo Maria, vt cum iuſto noſtro ſemper, & vbiq. voce, & opere, benedicat anima mea Domino Ieſu Chriſto Redemptori meo, & tibi; vt nunquam obliuiſcar retributionis eius, qui pro mea culpa ſemper illi fui infenſus. Tua interceſsione Virgo Dei Genitrix, propitietur Dominus omnibus iniquitatibus meis, qui pro me factus eſt homo, & infirmus, vt omnes meas ſanaret infirmitates, & mortem commutaret in vitam. Miſericors, & miſerator eſt Dominus, ſpem tutam in illo habeo, ſi tui interceſsione Virgo Maria fuero ſuffultus. Longè factus ſum ab eo, quia peccaui nimis in vita mea: Tu Mater ſanctiſsima, ille Pater, & Redemptor, cui notum eſt figmentum,

Digitized by Google

mentum, infirmitas mea. Non sum dignus vocari filius; ecce lugens, & pœnitens ad te clamo; perditus eram, ad te venio, te deprecans, vt Dominus filius tuus ignoscens mihi deleat iniquitatem meam, dimittat peccata mea. Misericordia Domini, quæ ab æterno, & vsque in æternum, veniat super me pœnitentem, vt vnà cum Angelis, & ministris eius, qui faciunt illius voluntatem in omni tempore, ipsum & tu benedicas anima mea. Amen; fiat, fiat.

IN PSALMVM CIII.

Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer.

TITVLVS. Psalmus ipsi Dauid. Continuari ad præcedentem posse videtur, vbi de gratijs Deo agendis pro beneficijs gratiæ illius, at verò in isto Psalmo agitur de beneficijs naturæ: ibi laudatur Dei misericordia; hìc verò extollitur Dei sapientia, per ea, quæ in cælo, aëre, terra, & mari facta sunt: in præcedenti Propheta induxit nos ad benedicendum Domino, quia redemit nos; in hoc autem excitat, quia etiam pro nobis fecit hæc omnia, quæ infrà narrantur.

Summa videtur huius Psalmi: vt excitet se quisque ad benedicendum Domino ex operibus terræ, maris, aëris, & cæli, per quæ cognoscitur quanta sit magnificentia Dei; inuisibilia enim Dei, per hæc, quæ facta sunt visibilia, cognoscuntur; ad Roman. cap. 1. num. 20. & ad Colossens. cap. 1. numer. 16. atque ad Hebr. cap. 11. num. 3.

Incipit autem Psalmus: Benedic anima mea Domino. Sed quid est benedicere Domino, nisi laudare Dominum, vt tu benedicaris ab illo? vel, vt dicit D. Hieron. hìc, qui laudat Dominum, semetipsum benedicit.

Benedic anima Domino. Sed si tu anima mea in peccato eris, si in iniquitate permanseris, quomodò Domino Deo benedicere præsumpseris? An ignoras quòd superè dixit Dominus per os Prophetæ: Iniquè quare assumis testamentum meum per os tuum? nunquid ero tui similis? Psalm. 49. num. 16. vt ergo rectè Dominum benedicere valeas, fac, vt tu prius ab illo benedicaris. Quomodò autem id faciendum sit, declarat Psalmus noster, dicens, Confitere peccata tua, sicq. decore indutus, & lumine vultus Domini amictum, erit corpus, & anima tua sicut vestimento, & tunc dic; Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es vehementer; vt benedicaris ab illo anima mea. Et si ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, omnibusq. interioribus tuis, Dominum benedixeris, rectè dicere poteris; Domine Deus meus in me magnificatus es vehementer; quia te solum quæro, te solum amo, & diligo, & intrà me nihil aliud est, neque extrà me, nisi tu Domine Deus meus, qui ideò venisti in mundum, vt infirmum curares me, Matth. cap. 8. num. 17. ex Isai. cap. 53. num. 4.

Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Nàm ecce anima mea errabat, & auersa erat ab eo, vocauit te, magnificatus est Dominus, quia te ouem errantem, & perditam inuenit. Confessionem, & decorem induisti;

sed

sed quis vt confitereris, inspirauit? Dominus Deus meus. Confessa es peccata tua, dedit Dominus veniam; magnificatus est Dominus vehementer; iàm cœpisti iustè viuere. Etenim cum te vocaret errantem, magnificatus est Dominus; cum tibi confitenti peccata dimitteret, magnificatus est Dominus. Benedic anima mea Domino, quia digna facta es audire verba eius, ecce quia in corpore Christi facta es, magnificatus est Dominus Deus, si adhùc peccatrix es, studeas, vt te Dominus vocet; vocat si te pœniteat. Magnificatus est Dominus vehementer; confitearis ergo, & iterum magnificatus Dominus, quia ignoscit, & post pœnitentiam sequere illum, & iustè viuas, & magnificatus est Dominus in te: quia regit te, & iuxtà Isai. cap. 55. num. 7. & multus est ad ignoscendum. Perseuera vsque in finem, & magnificetur Dominus, vt glorificet te, Augustin. Psalm. 69. litera C.

Confessionem, & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. Vndiq. sunt creaturæ, & Ecclesiæ filij qui te Dominum confitentur, & laudant; lumine tuo, vultu cernuntur decoro, sicq. & confessione, atque decoro sicut vestimento induuntur, tuq. ijsdem indueris in eis membris tuis. Vestimenta enim iustorum sunt, sine peccatis coram Deo ambulare, vndè Isai. d. cap. 1. num. 16. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere peruerse, discite benefacere, &c. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Et tunc Domine amictus diceris lumine sicut vestimento; quia lux vndiq. tibi est. Cum etenim ad lucem inaccessibilem, quam inhabitas, nemo per se accedere valeret, de cælo descendisti, & incarnatus es de Spiritu sancto ex Maria Virgine, vt Ecclesiæ filij te lucem ipsam capere possent, & reciperent, vt illorum confessione circumdatus, decorusq. homo factus speciosus præ filijs hominum, & illi pariter speciosi in lumine tuo ambulantes, credentesq. in te filij Dei tecum fiant, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati, Ioan. cap. 1. in fine, & vnus tecum facti confessione, & decore induti fruantur Regno cælorum, Ioan. 17. propè finem.

Augustin. hìc. In homine magnificatur per cognitionem, qui in se incommutabiliter magnus est; cuius magnitudo nec cœpit, nec desinit. Et est sensus, Induisti confessionem, & decorem, amictus lumine sicut vestimento, ideſt vndiq. habes creaturas, quæ te confitentur, ideſt laudant, & quæ sunt decoræ, & luminosæ. Confessionem, & decorem induisti. Ante decorem confessionem posuit, decus in pulchritudine. Quæris pulchritudinem anima mea, vt te amet sponsus tuus; fœda enim displicet ei, qui præ filijs hominum speciosus est, Psalm. 44. num. 3. Osculetur me osculo oris sui, Cantic. cap. 1. num. 1. Si iniquitatibus plena, & fœda eris, osculari illum quomodò poteris? Tibi ergo prius displiceat deformitas tua, & ab illo, qui totus est pulcher, mereberis pulchritudinem; & tunc mundata ab ipso, eundem Dominum videre mereberis, Matth. cap. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Idem Augustin. lit. A. Speculum in hac lectione positum est; vide, si hoc es, quod dixit, si nondum es, geme, vt sis. Displiceat tibi, quia fœda sis, & confitere, Psalm. 94. num. 2. accusans fœditatem tuam, vt à confessione incipias decorari; ab illo, qui est speciosus forma præ filijs hominum; si fœda es,

ne

ne timeas accedere ad illum confitendo fœditatem tuam ; pro impijs enim mori voluit ; non enim venit vocare iustos , sed peccatores Matth. 9. nu. 13. Infirmus enim pro te factus est ; vt te sanam redderet ; quam vitam tibi seruat iustificato, qui suam mortem donauit & impio ? Fœdus factus est, vt veniret ad te fœdam ; Isai. cap. 53. n. 2. Vidimus eum, & non erat aspectus, nec reputauimus eum ; nec habebat speciem, neque decorem . Tu fœda , quia peccatrix culpa tua, ille fœdus, vt tolleret peccata tua ; non erat enim ei aspectus , Isai. d. cap. 53. Tu fœda ad mortem , ille fœdus vt det tibi vitam ; ille ad tempus , vt tu cum illo sis speciosus , & decorus ; tu verò fœda , & turpis , vt cum dæmone, nisi confitendo Iesum Christum, de delictis te pœniteat. Diffusa est gratia in labijs illius, quandocunque ad illum conuersa fueris , & tu gratia sua implearis.

Extendens cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius . Ille, per quem omnia facta sunt , Ioan. c. 1. qui speciosus est præ filijs hominum , idem Iesus Christus , Verbum Dei, qui dixit , & facta sunt, qui mandauit , & creata sunt, eadem facilitate cælum sicut pellem extendens , superiora eius aquis tegit , Ierem. c. 10. nu. 12. Qui facit terram in fortitudine sua, præparat Orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cælos : ad vocem suam dat multitudinē aquarum in cælo . Ad litteram ergo si intelligas, clara sunt verba, vt dicit gloss. hic ; cælum enim stellarū videtur extendi super Hemisphærium nostrum ad modū tentorij ; suprà verò cælum sydereum est cælum chrystallinum , quod dicitur aqueum, Genes. 1. Diuisit aquas, quæ erant sub firmamento ab ijs, quæ erant super firmamentum . Et hoc est mirabile, quòd tegat aquis superiora eius ; quòd super cælos leues collocentur aquæ , quæ graues sunt . Glossa ergo dicit , quòd cælum quasi tentorium extendit Deus, vt tegat Orbem terrarum , & hoc sine labore , sicut tu homo si pellem extenderes . Vt verò sequamur , & cum hoc versiculo, quæ supradicta sunt, connectamus . Sanctos suos, quos supra confessione, & decore sicut vestimentum induit Dominus, nunc cælum appellatos extendere eundem Psalmista asserit Dominum, scilicet de progenie in progeniem, de generatione in generationem , dicens ,

Extendens cælum sicut pellem , qui tegis aquis superiora eius ; Augustin. lit. M. Pellem Scripturam sanctam accepimus , & authoritatem diuini verbi dispensatam nobis per mortales , quibus mortuis eiusdem dispensationis fama extenditur ; sed quomodò protegit in aquis superiora eius ? cuius superiora ? cæli . Et quid cælum ? Sancta Scriptura : superiora autem sanctæ Scripturæ , vt dicit Paul. 1. Corinth. cap. 12. num. 30. & 31. Æmulamini autem charismata meliora , & adhùc excellentiorem viam vobis demonstro . Supereminentiorem vocat Augustin. charitatis viam, in cap. 13. idem Paul. declarat , Si linguis hominum loquar , & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens ; charitas ergo inter præcepta Scripturæ , eminentior est , & superior charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum , qui datus est nobis , & nomine diffusionis intelliguntur aquæ in charitate Spiritus sancti . Hæ enim sunt aquæ , de quibus in Prouerb. 5. n. 15. Et in plateis tuis discurrent aquæ ; nemo alienus communicet tibi (Verba autem textus sunt) In plateis tuis aquas tuas diuide (habeto eas solus, nec sint alieni participes tui) alieni sunt homines à via veritatis ; siuè Pagani , siuè Iudæi, siuè Hæretici, siuè mali Christiani, multi mali habent pulchra, Dei omnia,

nemo

nemo negat, sed vide cum quibus communia munera Ecclesiæ in Baptismo, & in alijs Sacramentis habent & multi, sed non in charitate Dei: Saul Prophetauit, operabatur tamen iniquitatem, 1. Reg. cap. 19. cum Dauidem persequeretur. Non ergo se iactent, qui sine charitate fortè habuerint. Hoc munus Dei sanctum, sicut sanctum Baptismum, sed videant qualem rationem habituri sint cum Deo, qui Sanctis non sanctè vtuntur; ex his erunt, qui dicturi sunt, In nomine tuo prophetauimus, Matth. cap. 7 numer. 21. non illis dicetur, mentimini, sed dicetur, Non noui vos, recedite à me qui operamini iniquitatem, quia si habeam omnem prophetiam, charitatem autem non habeam, nihil sum, 1. Corinth. cap. 13. plenitudo namq. legis charitas. Ergo protegis in aquis superiora eius; charitas enim in omnibus Scripturis obtinet supereminentissimum locum, ad eam boni solum aspirant, hanc nobiscum non communicant mali, possunt Baptismum communicare, & alia Sacramenta, &c. Charitatem nobiscum non communicant; ipsa enim est fons proprius bonorum, & Sanctorum, de quo dicitur, Nemo alienus communicet tibi, alieni enim sunt, qui vocem Domini audiunt, dicentis, non noui vos, ergo alieni, qui non cognoscuntur, Hæc Augustin.

Extendens cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius. Ille qui extendit cælum, sicut pellem, idem est Deus, qui aquis superiora cæli tegit; si cælum Apostoli, Prophetæ, & fideles Dei sunt, quos per totum mundum, qui in Ierusalem tantùm existebant, extendit per aduentum Domini Iesu, per totum mundum sicut pellem; In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum, verbum Dei prædicando, ità vt etsi cælum, & terra pertransitura sint, verba autem Domini nunquam transibunt, Matth. cap. 24. numer. 34. semper permanebunt. Nunquid omnes, ad quos sermo Dei peruenturus est, salui erunt? nunquid omnes Christiani baptismum suscipientes, ad quos verbum Dei pertransiturum est, Regnum Dei possidebunt, ad Regnum cælorum peruenient? Non, inquit Psalmista; sed tantùm illi, qui tegunt aquis superiora eius. Sed qui sunt, qui tegunt aquis superiora cæli? non qui Sanctis non sanctè vtuntur, tegunt aquis superiora cæli. Non qui sine charitate sunt, supra cælum stabunt; talibus enim & si Prophetæ, & in nomine Domini prophetare se dicant, dicetur non noui vos, Matth. d. cap. 5. Recedite à me, qui in nomine Domini prophetauerunt; erant christiani, credebant in Iesum, sed longè ab illo erant, quia eius opera minimè faciebant. Vulneratus erat ille in via, qui incidit in latrones, & Sacerdos quidam descenderat in eamdem viam, & viso vulnerato præterijt, similiter & Leuita, Luc. c. 10. num. 32. Publicanus autem alligauit vulnera eius, & in iumentum posuit illum, infudens prius oleum, & vinum in vulneribus eius, & stabulario duos protulit denarios, vt curam illius haberet, misertus enim fuit illius; duos protulit denarios, quia in ipso charitas erat Dei, & proximi.

Qui Christianus est, sed sine charitate, non sitit salutem proximi, nec animæ suæ; non venit ad illum, qui eum inuitat, dicens Ioan. c. 7. num. 38. Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Dominus enim Iesus in cælos ascendit, vt superior esset cælis, & inde misit charitatem, incitauit Christianum, vt cum eo esset in charitate, quam docuit; in loco pascuæ illum collocauit, in Ecclesia sua illum posuit;

vt

vt ſuper aquam refectionis educeret illum, Pſalm.22.num.2. & animam eius conuerteret.

Extendit cælum ſicut pellem, vt comprehenderet eum. Qui tegit aquis ſuperiora eius; ſub illius tegmine non venit, qui tranſiuit cum Sacerdote, & Leuita vulneratum, & in illo charitas defecit. Aſcendit Chriſtus, vt ſubleuet te animam meam, cælos aquis protegit, vt magis tu anima mea diuino ſpiritu ſubleueris; tu infra es; ſi aſcendere cupis, accede ad ſubleuantem in Dei dilectione, & proximi: exhibeas etiam tu duos denarios; vt vulnerata anima tua reficiatur, & ſanetur ab illo; & ſi auxilium tardare tibi videatur diuinum, vt non citò in tentationibus tibi ſubueniat, ne dubites, inquit, ipſe enim eſt, dicit Pſalmiſta.

Qui ponit nubem aſcenſum ſuum, qui ambulat ſuper pennas ventorum; vt tibi ſemper ſit in auxilium, Pſalm.17.num.11. Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit, volauit ſuper pennas ventorum: aſcendit Dominus in cælum, vt ſit adiutor tuus, Deuter.33.nu.26. Aſcenſor cæli, auxiliator tuus; nemo enim prius aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Dominus Ieſus, Ioan.c.3. num.13. filius hominis, qui eſt in cælo.

Qui ponis nubem aſcenſum tuum, & in alio loco. Nubes, & caligo in circuitu eius, Pſal.96.nu.2. Qui ponis nubem aſcenſum tuum. Ad litteram, nàm Dominus viſibiliter in cælum aſcendit, ex Act.1.nu.9. & videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Qui ponis nubem aſcenſum tuum. Quid per nubem, niſi omne genus humanum, quod ſub nube eſt; in illos enim homines, qui in Ieſum Chriſtum credere parati ſunt, in illos aſcendit Dominus ſuper cælum; Vndè Ioan.cap.12.num.32. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum; exaltatus enim per Crucem, omne hominum genus traham, inuito Diabolo. Vel etiam, repugnante hominum vitioſa natura, ponit nubem aſcenſum ſuum, Iudæi enim dicebant, Nos audiuimus in lege, quia Chriſtus manet in æternum, Ioan.dicto cap.12. Non ſolum, inquit Ieſus, ego ſum in æternum, ſed quando vos, ò Iudæi me in Cruce exaltaueritis, & ſi exaltatus in aëre ero, debellando aëreas poteſtates, aſcendam in Cælum, & nubem hominum me confitentium, traham ad meipſum, vt mecum ſint in æternum. Ideòq. & ſi in nube aſcenſum ſuum poſuerit, quia in aëre mortem illi præſtiteritis, ò Iudæi, debellando aëreas poteſtates, ſuper pennas ventorum ambulabit. Aërea illorum poteſtas contrà Chriſtum fuit, quæ à vento rapta in totum defecit diſperſa ab illo, qui ambulat ſuper pennas ventorum, cui obediunt & venti, Luc.8.nu.25. Hi enim ſicut & terra ſcabellum eius ſunt, Iſai.66.num.1. ſuper quos ambulat Dominus, & velocius ventis, vt ſecum inducat illos in nubem.

Qui ponis nubem aſcenſum tuum; Non enim ad te Domine datur aſcenſus, niſi ei, qui in nube tua fuerit poſitus. In nube autem vt quis introducatur, antecedat oportet ad Deum deprecatio pro remiſſione delicti, Eccleſ.45.nu.6. Audiuit enim Deus Moyſen deprecantem pro relaxatione peccati Iſrael in fabricatione vituli, & induxit illum in nubem, & dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ, docere Iacob teſtamentum ſuum, & iudicia ſua Iſrael. Ponit ergo Deus nubem aſcenſum ſuum, vt præceptis ijs, quæ per Prophetas ſuos, & Apoſtolos, & Eccleſiæ Doctores manifeſtauit nos, ſuper pēnas

ventorum eleuaret populum eius, addiſcentes, & illa ſeruantes, & vt mirabilia Dei conſiderantes, ac mentibus noſtris in cælum aſcendentes, audiamus cum Paulo arcana Dei, quæ non licet homini loqui, 2.Corinth.12.num.4.

Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem. Hos enim ſupradictos Prophetas, & Apoſtolos ſpirituales Nuncios verbi ſui Dominus fecit; & facit, & ad terram illos miſit carnalibus loquentes, vbi nihil iudicant ſe ſcire, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum; & ſpiritu ardentes ſunt miniſtri, qui alios incendunt igne charitatis, & conſummunt fœnum vitiorum. Auguſtin. hìc litera B. Spiritus autem Angeli ſunt, & cum ſpiritus ſunt, non ſunt Angeli, cum verò mittuntur, fiunt Angeli, Angelus enim officij nomen eſt, non naturæ. Nomen enim naturæ ſpiritus eſt, officium facit illum Angelum; ex eo, quod agit, Angelus eſt.

Et miniſtros tuos ignem vrentem, qui in Dei amore, & charitate vrent; ignem enim flagrantem facit Deus miniſtros ſuos, ideſt ſeruentes ſpiritu, ad Roman. cap.12.num.11. Auguſtin. litera C. ſic enim ſeruens ſpiritu ignis ardens eſt omnis miniſter Dei. Iſto igne ardebat Stephanus. Quo igne ardebat? & quis ille ignis erat, quando lapidabatur, & pro eis, à quibus lapidabatur, rogabat? Cum audis ignis eſt miniſter Dei, incenſurum illum putas? incendat licet; ſed fœnum tuum, ideſt carnalia omnia deſideria tua. Currat miniſter Dei, prædicans verbum Dei, 1.Corinth. cap.4.numer.1. 1.Corinth. cap.6.num.4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, & num.11. Os noſtrum patet ad vos, ò Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt. Ardebat, & flagrabat charitate, & ibat in eos, vt incenderet. Hunc ignem miſit Deus in terram, Luc.cap.10. & Matth.c.10. Ignem veni mittere in terram. Quomodò gladium, ſic ignem, gladius diuidit affectum carnalem, ignis abſumit. Totum in verbo Dei intellige, totum in ſpiritu Dei cognoſce. Incipe ſeruere charitate per verbum, quod audis, & vide quid in te fecerit ignis miniſter Dei. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem; qui facis Angelos tuos ſpiritus, quia vento velociores ſunt ad annunciandam Dei voluntatem; velociter currit ſermo illius, Pſalm.147. nu.15. & miniſtros tuos ignem vrentem; Sodomorum Ciuitates, & Gomorrhæ ſint teſtes, quæ fecerint Dei miniſtri; Ieruſalem quoque, & illorum ciues igne cremati, deſtructi à Romanis.

Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Quomodò ad litteram intelligere poterimus, cum ſcriptum ſit, cælum & terra tranſibunt? Marc.cap.13.num.31. Luc.cap.21.num.33. ergo Spiritus ſanctus difficilia in hoc dixit, vt ſpiritualia inquiramus. Eccleſia militans, quæ fundata eſt ſuper Chriſtum, non poterit inclinari, Ego enim Deus, & non mutor, ideò non inclinabitur, quia ſuper illum fundata eſt, Pſalm.101. num.27. Mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient; & Malach.cap.3.numer.6. Ego enim ſum Dominus, & non mutor, Auguſtin. hìc litera D. De vna ex omnibus ipſius Eccleſiæ, dicit in Pſal.142. numer.6. Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi, ſitiens, ſitiuit anima mea ad te, tamquam terra ſine aqua; niſi enim ſitiat, non rectè irrigabitur, animæ crebra pluuia diluuium eſt, ſitiat oportet; Beati enim qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, & dicat, anima mea tamquam terra ſine aqua tibi, quia alibi dicit,

Siti-

Digitized by Google

Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, Pſalm.41.num.3. Firmati itaque in Chriſto non inclinabimur in ſæculum ſæculi, adeòque ab illo fundamento non recedas, quia etſi infirmus, firmus fies in ſæculum ſæculi.

Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius, ſuper montes ſtabunt aquæ. Non ergo inclinabitur terra. Ad litteram intelligendo, quamuis abyſſus ſicut veſtimentum ſit amictus eius, ideſt terræ. Omnis aqua diffuſa per maria, per flumina, per antra, occulta abyſſus dicitur: quæ vt veſtis terram circumdat, & tempore diluuij tantùm excreuit; vt etiam montes operiret, vndè ſubdit, Stabunt aquæ ſuper montes. Hæc autem quomodò diluuij aquis aptari poſſunt, quæ anteà facta erant? & ideò dicit, Stabunt aquæ, non dicit ſteterunt aquæ. Futuram ergo indicat Pſalmiſta, terræ huius Eccleſia perſecutionem, cuius amictu circumdata erat ſicut veſtimento ex abyſſo multarum, & inexcogitatarum perſecutionum, ità vt ſuper montes ſtarent aquæ, ideſt inſidiæ perſequentium Apoſtolos, qui pro montibus intelliguntur. Operuerant enim illos ità aquæ tribulationum, vt diſperſi vix inuenirentur; omnes enim contrà illos clamabant populi, & iniqui perſequentes, vt diſperſo paſtore, & oues diſpergerentur ipſæ.

De his aquis dicebatur in Pſalm.68. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam, vtpotè de aquis maris, quæ maximè, vt dicit Auguſtin. hìc in ſecunda Enarratione, mare faciunt, procelloſæ, infructuoſæ; erant enim montes ſub aquis, quia ſuper montes ſtabunt aquæ; populi reſiſtentes ſuperauerunt authoritatem vbique fortiter euangelizantium verbum Dei. Cooperuerant eos aquæ, & ſuper illos ſtabant aquæ, & dicebant preme, preme, & premebant, extingue & non appareant, dicebant iſta, & prævalebant ſuper Martyres, & fugiebant vbique Chriſtiani, & fuga quadam occultabantur Apoſtoli. Erat aquarum poteſtas magna, donec ab increpatione Dei fugerent. Saule, Saule quid me perſequeris? Act. Apoſtol.cap.9. num.4. & 5. Durum eſt tibi contrà ſtimulum calcitrare.

Petrus, & Paulus montes extant, ab illis fugerunt aquæ. Qui ante à perſecutoribus premebantur, nunc ab Imperatoribus venerantur. Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Erant montes, in quibus beneplacitum eſt Deo habitare in eis, fundati ſuper firmam petram, ideò ab eis fluxerunt aquæ, & in abyſſum inferni deſcenderunt. Aſpexit enim Dominus, & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi, Cantic. Habac. c.3. num.9. Adduxit Dominus ſpiritum ſuper montes, ſuper terram, ſuper Eccleſiam ſuam, & imminutæ ſunt aquæ, clauſi remanſerunt fontes abyſſi, Geneſ. cap.8.nu.2. immo abyſſi operuerunt perſequentes, deſcenderuntq. in profundum quaſi lapis, Exod.15.num.5.

O mirabilis Deus; ſteterunt aquæ ſuper montes, ſubmergere illos non potuerunt, ad modicum enim tempus illos Deus deſeruiſſe videbatur, Iſai.54. numer.7. ſed ſapientia eius qui potens eſt, eruperunt abyſſi, & nubes rore concreuerunt, Prouerb.cap.3.num.20. Porrò, inquit Dominus per os Ezech. cap.16.num.20. cum dedero gloriam in terram viuentium, in nihilum redigam te, & non eris, & requiſita non inuenieris vltrà in ſempiternum. Manifeſtata enim per aduentum Domini in Eccleſia ſua, gloria Domini, & potentia, perſecutores Eccleſiæ ſuæ in terra nouiſſima, ideſt in profundo collocabit

Digitized by Google

Dominus eum illis, qui deducuntur in lacum: Portæ enim inferi non præualent aduerſus Eccleſiam Dei, quæ ſemper in æternum erit. Fundauit terram, Eccleſiam ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Ab increpatione tua fugient aquæ, à voce tonitrui tui formidabunt, quia per terribiles ventos ſiccabuntur. Quantaſuis patiatur Eccleſia Dei tribulationes, veniat perſecutionum abyſſus ſuper illam, nec tamen inclinabitur, quæ perpetuò duratura eſt; ſæuiunt fluctus, & ideò.

Aſcendunt montes, & tamen deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis, Auguſt. Sæuierunt, & aſcenderunt ſuperbiæ montes, Eccleſiam perſequentes, ſed placati, campi facti ſunt: & in locum, quem fundauit illis Dominus, proiecti. Quis verò locus iſte ſit, dicit Auguſtin. quòd eſt quidam meatus, quaſi profundus locus, quo recepta ſunt quodammodò omnia ſæuientia corda mortalium, vt pœnitentes reducantur, vel non credentes in foueam deſcendant, quam ſibijpſis propter incredulitatem fecerunt. Permittit enim aliquando Deus ſuperbos contrà Eccleſiam inſæuire, vt in afflictionum tentationibus probetur, Sap cap. 3. Tamquam aurum in fornace probetur; vel, vt etiam ſuperbientes, humiles facti corrigantur, in locum campi deſcendant, vt ſaluentur, Iſai.cap.66.nu.13. Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt, & cognoſcetur manus Domini ſeruis ſuis, & indignabitur inimicis ſuis.

Nobis verò dicendum poſſe videbatur, hunc locum, quem in campis poſuit Dominus eſſe Purgatorium, vbi animæ, quæ hinc diſceſſerunt à peccatis abſolutæ, ſed nondum plenè purgatæ, traduntur in campum ſcilicet, vt aliquando poſt perfectam ibi ſatisfactionem florere poſſint, ideſt ad locum Paradiſi reduci. In locum ergo, quem in campis fundauit illis Dominus, vt tribulationes ibidem patientes, ſed ſpe gaudentes, quia ſperet aliquando ex campo flores percipere, plenam inuenire gratiam apud Deum poſſint.

Aſcendunt montes ſuperbi, ſed terminum, inquit, poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram. Aſcenderunt enim montes, ſed deſcenderunt campi, in locum quem Dominus fundauit eis, vbi termini poſiti ſunt, quos non poterunt tranſgredi, neque amplius terram, Eccleſiam ſcilicet operire; flectere enim, permittente Deo, non illam frangere poterunt, Iſai.dicto cap.54.nu.12. Montes commouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autem mea non recedet à te: & fœdus pacis meæ non mouebitur, dicit miſerator tuus Dominus; ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium, Iſai.66.num.12.

Terminum conſtituiſti his, qui ſunt in Purgatorio, quem non tranſgredientur, niſi ex miſericordia Dei per interceſſionem Eccleſiæ ſuæ ſanctæ minuatur illis purgationis pœna.

Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram, Ierem.7.n.22. Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit, Iob c.38. Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi, hùcuſq. venies, & non procedes amplius, & hìc confringes tumentes fluctus tuos. Vide quanta ſit tempeſtas valida maris, & tamé arena exigua retinet illam; & tu ſuperbe, atque exigua cinis nunquid poteſtati Dei, & illius voluntati reſiſtere poteris? Poſuit tibi Deus terminum, vt poſt

pau-

Digitized by Google

paucos, quos dedit tibi dies vitæ tuæ, non valeas amplius operire terram, contrà illam latrare ; neque datur amplius tibi, vt conuertaris, quia post mortem non est conuersio, neque pœnitentia, Eccles. 17. num. 26.

Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ. Ex quarum lauacris regenerantur Deo homines, ad Christum venientes, in conuallibus, idest inter deserta gentium, emittuntur fontes, quorum aquæ ex medio montium, idest ex vnitate Ecclesiæ pertranseunt, vt omnes ad Ecclesiam confugientes, & venientes, baptizari possint. Aquæ enim fluenta diuidit, & fit mare magnum, & spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est numerus, Psalm. hoc eodem num. 25. in omnem enim mundi partem sunt baptisteria in Ecclesijs instituta, vt in eisdem aquis loti regenerentur in Christo Domino ; & si in puritate, quam in lauacro baptizati permanserint, viuent in æternum. Ad reptilium enim similitudinem hæc dicta sunt, vt in aquis pisces maiores, & minores existentes vitam degunt, si verò in terram venerint, moriuntur. Non ergo tu Christiane baptizatus reuertaris ad terrena, si in aquis cum piscibus vitam habere desideras, hoc est, si in Christo viuens in cordis simplicitate, & puritate conscientiæ permanebis.

In conuallibus ergo, idest in humilibus fontes emittuntur, quorum aquæ de medio montium exeunt, vt illis aquis loti in Ecclesiæ gremio recipiantur. Inter medium montium pertransibunt aquæ, vt qui potentiores sunt, inter humiles fiant, & sciant, pro illis Dominum venisse, & per desertum illorum transijsse ; vt ex fontium aquis & ipsi bibere possent, ne amplius sitirent, Ioan. cap. 4. num. 13. Aqua, quam ego, inquit Iesus, dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ecce quomodò Dominus mittit fontes in conuallibus, nàm baptizati, & in medio Ecclesiæ permanentes replentur Spiritu sancto, vt haud amplius terrena sitientes, sed inter medium montium stabiles facti, cælestia tantùm desiderent, & satientur, cum super eos apparuerit gloria Domini, Isai. cap. 66. numer. 18. Venio vt congregem cum omnibus gentibus, & linguis, & venient, & videbunt gloriam meam, & mittam ex eis, qui saluati fuerint, ad gentes in mare, &c. Tendent sagittam in Italiam, &c. ad Insulas longè, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annunciabunt gloriam meam gentibus.

Inter medium montium ergo pertransibunt aquæ, ex quibus potabunt omnes bestiæ agri, expectabunt Onagri in siti sua. Vt potentes, & gentes, quæ sub figura bestiarum intelliguntur, potare valeant aquas, quæ in medio montium pertransibunt. Augustin. hìc in tertia Enarratione, Bestias siluæ, gentes intelligamus, vt multis hoc locis Scriptura testatur ; in Arca enim Noe, Genes. cap. 7. in qua Ecclesia præfiguratur, non includerentur omnia genera animalium, nisi in illa vnitate compaginis omnes gentes significarentur ; cum ergo venit tempus, vt illud, quod in Arca erat præfiguratum, compleretur iàm in Ecclesia. Petrus putans non dandum esse incircumcisis gentibus Euangelicum Sacramentum, esuriens quodam die, ascendit vt oraret, vt in Act. Apost. cap. 10. Et factus in extasi, vas quoddam vidit linteum, quatuor lineis submitti de cælo, vbi erant animalia omnis generis bestiæ, macta, inquit vox, Petre, & manduca. Absit, dicit, Domine, nunquid intrabit commune aliquid in os meum. Quæ Deus, ò Petre mundauit, tu immunda ne dixeris, &

hoc factum est ter: & ablatus est ille discus, qui demonstrabatur ter de cælo submissus. Discus, qui quatuor lineis continebatur, Orbis terrarum erat diuisus in quatuor partes Orientem, Occidentem, Aquilonem, & Meridiem.; ideò quatuor Euangelia conscripta sunt; In illa doctrina Apostolica fluente in medio propter concordiam communionis, omnes bestiæ siluæ bibebant: omnes in arca erant, omnes in disco, omnes mactat, & manducat Petrus, quia Petrus petra, petra Ecclesia, mactare enim, & manducare est occidere in eis quod erant, & in sua viscera assumere. Pagano sacrilegia dissuasisti, occidisti quod erat, dato Sacramento Christi, incorporasti Ecclesiæ, manducasti. Istæ ergo bestiæ potant istas aquas pertranseuntes, tamen non manentes, sed pertranseuntes; fluant tamen aquæ, dum sunt in peregrinatione, & transeant, ne siti deficiamus in via.

Potabunt ergo omnes bestiæ agri, expectabunt Onagri in siti sua. Qui sunt agrestes Asini? Gentes sine lege viuentes, quæ Asini dicebantur agrestes in deserto vagantes; Potabunt Onagri de istis aquis transeuntibus, & omnes aliæ bestiæ. Nàm, vt dicit D. Hieronym. insipientibus, & sapientibus debitores sumus, vt omnibus hæc gratia æqualiter ministretur, ad Roman. 1. numer. 14. Græcis, ac Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitores sumus, dicit Paul. virtus enim Dei est in salutem omni credenti, &c. Potabunt omnes bestiæ, & expectabunt Onagri in siti sua. Vnicuique enim datur gratia secundum mensuram capacitatis eius; alius enim alio capacior, alius minus; in siti enim sua, idest secundum sitim suam vnusquisque capit.

Vel dicamus. Potabunt omnes bestiæ agri; facilius enim ad aquas transeuntes veniunt simplices bestiæ; Onagri verò, qui sunt maiores, mundi sapientes, & increduli Iudæi expectabunt in siti sua, quia difficiliores erunt ad suscipiendam Christi fidem; vndè in Euangelio dicitur, Gratias tibi ago Domine, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea parunlis, Matth. capit. 11. numer. 25. ideò in siti sua dicit, non enim sitiebant aquam salutis, sed sitim suam terrenorum complere, & explere volebant, Ierem. cap. 2. numer. 24. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui: nullus auertet eam; omnes, qui quærunt eam, non deficient: in mensiruis eius inuenient eam. Expectabunt ergo in siti sua haustum scilicet fontium, ideò Onagrorum meminit, quoniam solitudines maximas sequuntur, & ideò in locis arentibus commorantur; & siticulosis, vndè natura sunt aridi, & siticulosi. Potabunt omnes bestiæ agri; Onagri verò sitientes, & arescentes expectabunt in siti sua, quia non biberunt de transeunte aqua, sed assueti in solitudine in desiderio animæ suæ attraxerunt ventum amoris sui, nullus auertet eas, in mensiruis earum, in consuetudine scilicet peccandi inueniet eas.

Super ea volucres cæli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces. Idest super fontes, super cælos volucres, idest spirituales habitabunt, semper permanebunt, contemplantes, laudantes, & benedicentes Deum, neque ad aliena animos auertentes suos. Ac de medio petrarum, idest quidquid ab Apostolis, & Prophetis acceperint, & audierint, retinentes fideliter credent. Nec ad hæreses aliquas se conuertent, sed de medio petrarum erit vna vox illorum, Deum magnificantium, & ipsi soli gloriam dantium. Augustin. Sunt quædam volatilia,

tilia, quæ non habitant niſi ſuper montes ; multæ namq. earum habitant in campis, multæ in conuallibus, multæ in terris, non omnes ſuper montes ; ſuper montes habitant ſpirituales ; volatilia ſpiritualia corda ſunt, quæ aëre libero perfruuntur, gaudent aues iſtæ ſerenitate cæli, paſtus tamen earum in montibus ; vbi habitant. Iſta volatilia in ſacrificio Abrahæ non fuerunt diuiſa, Geneſ. cap. 15. num. 11. alia ibi animalia diuiſit, & non aues, quæ ſpirituales repræſentant, non in aliquas partes, vel hæreſes diuiduntur, vt dixi : ſpirituales enim non habent diuiſiones, vt dixi, non cogitant ſchiſmata, pax in eis eſt ; cuſtodiunt eam in cæteris quantum poſſunt, vbi in alijs deficiunt, in ſe tenent. Inquit enim Dominus Ieſus ; Luc. capit. 10. numer. 6. Si erit, inquit, filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra, ſi quominus ad vos reuertetur. Non itaq. intelligit de auibus in cælum ex virtute ſua, ſeù potius ſuperbè ſapientibus, in altum aſcendere volentibus ; vt alios ſuppeditent, & alta ex ingeniolo ſuo profitendo eleuationem, ſeù elationem, ſed de his auibus, de quibus Apoſtolus, Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt, ad Philip. 3. num. 20.

Videant ergo aues, ſi ſint quæ ſuper montes habitant, non cordis ſui altitudinem ſequantur, vt ponant in cælum os ſuum, Pſalm. 72. Requieſcant in montibus, nè à ventis tollantur ; requieſcant in montibus, in Apoſtolis, habeant authoritatem ſanctorum, illic inhabitent, vbi petras inuenient, firmamenta præceptorum. De medio petrarum dent voces, & ſi quis aliud dixerit, præter ea, quæ in Euangelio ſcripta ſunt, anathema eis ſit ; ad Galat. c. 1. num. 9. Vide, nè in diuiſione arietis, vaccæ, vel capræ & tu venias, & ſuperueniat taliter tibi diuiſo veſpera, finisq. ſæculi, & caminus, ideſt dies iudicij. Quicũque autem tunc talis repertus fuerit in diuiſione, & inter carnales, ſed & ſecundum quemdam modum vitæ aptum carnalibus, & de gremio Eccleſiæ non receſſerit, & non fuerit ſeductus ab Hæreticis, vt ex contraria parte diuidatur, veniet caminus, & ad dexteram ponetur, ſine camino non poterit. Sed ſi caminum (ideſt purgatorij ignem) pati non vult ; pergere procuret in turturem, & columbã. Qui poteſt capere, capiat, dicit Aug. Si autem non ſic erit, & ædificaueris ſupra fundamentum, ligna, fœnum, ſtipulam, ideſt amores ſæculares fundamento fidei ſuæ ſuperædificaueris, ſi tamen in fundamento ſit Chriſtus, at primum locum habeat in corde, & ei nihil omninò anteponas, portaberis, tolleraberis ; veniet caminus, incendet ligna, fœnum, & ſtipulam, ipſe tamen ſaluus eris, ſic tamen quaſi per ignem. Hoc aget caminus, alios in ſiniſtram ſeparabit, alios in dexteram quodammodò eliquabit, vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probans, 1. Corinth. cap. 3. num. 13. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.

11 Inter medium montium pertranſibunt aquæ, Vndè veniant iſtæ aquæ, quæ inter medium montium pertranſeunt, & emittuntur in conuallibus, declarat præſens verſ. 14. quòd ſcilicet proueniant de ſuperioribus, de cælo, à Deo ſcilicet, quocircà dicit.

Rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum, inquit, ſatiabitur terra. Qui ſunt fructus operum tuorum ? pluit aqua de cælo, rigatur terra, ſed ſi tu non operaueris terram, nec illa non produceret fructum, vndè Apoſt. 1. Corinth. c. 3. num. 6. Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit, neque verò qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed

qui

qui incrementum dat Deus; vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet, ſecundum laborem ſuum; Dei enim ſumus adiutores, Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Rigat ergo Dominus montes, Apoſtolos, Prædicatores, & iuſtos, quorum doctrina à Deo venit, & ab Eccleſia recepta. Satiabitur terra de fructu operum tuorum, ideſt conuerſorum ad fidem per prædicationem, quia illi ad fidem accedentes, & operantes bonum ſatiabuntur, Actor. Apoſtol. cap. 2. numer. 2. Et factus eſt de cælo ſonus tamquam ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes, numer. 2. & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, &c. Nemo ergo in operibus ſuis glorietur, ſed in Domino glorietur, qui de cælo dat gratiam affluenter ſeruientibus illi. Gratia enim Dei ſaturatur terra; non pro meritis alicuius gratia datur, ſed gratis, ſi operibus redditur, merces redditur, gratis ergo accipis, qui impius iuſtificaris.

Rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra. Quis rigans, niſi Deus filius Dei viui? quis ſuperior montibus ſuis? Idem ille, qui Dominus omnium, cuius cælum ſedes eius, cuius terra ſcabellum eius, Iſai. cap. 66. in princ. Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum, Pſalm. 113. num. 15. & Mei ſunt cæli, & mea eſt terra, & plenitudo eius, Pſalm. 133. num. 3. & Pſalm. 88. num. 12. Qui verò ſunt operum ſuorum fructus niſi ille, qui exaltatus à terra, omnia traxit ad ſeipſum Ieſus Chriſtus Dominus noſter, Ioan. cap. 12. num. 32. Et quomodò ſatiabitur terra? tunc ſatiabuntur iuſti, cum apparuerit gloria eius, Pſalm. 16. nu. 15. vndè ad Philip. cap. 4. num. 12. Scio & humiliari, ſcio & abundare, vbiq. & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati, omnia poſſum in eo, qui me confortat, Prouerb. cap. 13. num. 2. De fructu oris ſui homo ſatiabitur bonis: Eccleſ. cap. 42. numer. 26. & quis ſatiabitur videns gloriam eius?

Rigat ergo Dominus montes, Apoſtolos ſcilicet, & Prophetas, atque fideles, implens illos de ſecretioribus, & de arcanis ſuis. Ego & Pater vnum ſumus, Pater in me eſt, & ego in Patre. Qui comedit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo: ſcandalizati ſunt hæc audientes; Pro cæteris verò Diſcipulis, ad quos dixit Dominus, Nunquid & vos vultis abire? reſpondit ei Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes; & nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei, Ioan. cap. 6. nu. 71. An ex Poëtarum, Ciceronis & aliorum riuis exeunt aquæ iſtæ? Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit, ad Galat. d. cap. 1.

Auguſtin. hìc, Habes ante te petras montium, de medio petrarum mihi da vocem tuam; de medio petrarum dabunt vocem ſuam. Audiantur, quia petræ audiuntur: audiantur, quia & in illis multis petris petra auditur, Petra enim erat Chriſtus, 1. Corinth. cap. 10. Audiantur ergo libenter de medio petrarum dantes vocem ſuam; nihil ſuauius tali voce alitum. Illi ſonant, & petræ reſonant, ſonant illi; diſputant ſpiritales, reſonant petræ teſtimonia, reſpondent Scripturæ; ecce volatilia de medio petrarum dant vocem ſuam. Habitant enim in montibus, ipſi montes & illæ petræ vndè habent vocem; vt enim rigemur ſcripturis, confugimus ad Apoſtolum Paulum, ille vndè habet? Confugimus

ſugimus ad Iſaiam; Iſaias vndè? audi vndè: Rigans montes de ſuperioribus ſuis. Æmulator paternarum traditionum erat Saulus, propterea vltra modum Eccleſiam Dei perſequebatur; montem excelſum, Paulum ſcilicet rigauit de ſuperioribus ſuis, Actor. Apoſtol. dicto capit. 9. Saule, Saule, vox clamans de cælo dixit, quid me perſequeris? &c. erat enim iſta petra in infidelitate aſpera, aqua confluit in conuallem: in medio montium pertranſierunt aquæ, non aliorum montium, ſed rigans montes de ſuperioribus ſuis. Hæc Auguſt.

Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum. Erat populus multus valdè, qui Dominum ſecutus fuerat in monte, Ioan. cap. 6. num. 10. Salutem ſitiebat populus, & famelicus ſequebatur Dominum in monte cum Diſcipulis ſedentem. Facite eos diſcumbere ſuper fœnum multum, quod erat ibi. Iàm viderat populus Dominum miracula facientem, & infirmos ſanantem: diſcumbebat populus in fœno, vt fructum reciperet de pane cæleſti, de quinque panibus ordeaceis quinque millia, & vltrà ſatiauit; erat ordeaceus panis, quia adhùc laborandum eis erat, in fœno iàm diſcubuerant, cum iàm fidei fundamenta receperant; vt in illa fide ſederent oportebat. Produxit fœnum iumentis. Et quod fœnum iumentis produxit? niſi ipſum Dominum Ieſum Chriſtum, qui carnem noſtram aſſumens ſicut nos fœnum fieri voluit, nè noſtra in perpetuum caro fœnum remaneret. Omnis caro fœnum, Iſai. 40. num. 8. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia ſpiritus Domini inſufflauit in eo. Verè fœnum eſt populus Iſrael, ex quo Chriſtus deſcenſurus erat, vt & ipſe fieret fœnum, pro nobis aſſumens noſtram mortalem carnem, vt immortalis caro noſtra redderetur per ipſum.

Gregor. in Moral. lib. 7. in cap. 6. Iob cap. 4. fol. 457. lib. 2. Vniuerſitatis conditor ex noſtra ſubſtantia carnem ſumens, fœnum fieri voluit, nè noſtra in perpetuum caro fœnum remaneret. Sed cur primò produxit fœnum iumentis, deindè dicit, Herbam ſeruituti hominum, cur herba ſeruituti hominum? quia operari neceſſe erat, ſi fructum de herba, de terra percipere volebant, Iob in d. cap. 6. nu. 5. Nunquid rugiet Onager, cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cum ante Præſepe plenum ſteterit? Quid enim per Onagrum, ideſt agreſtem Aſinum, niſi Gentilis populus deſignatur? Produxit fœnum iumentis; vacuum enim Præſepe bos non habuit, quia plebi Iudaicæ eius carnem expectanti lex exhibuit, quem diù expectatum prophetauit. Vndè & natus Dominus in Præſepe ponitur, vt videlicet ſignaretur, quia ſancta animalia, quæ ieiuna diù apud legem inuenta ſunt, Incarnationis eius fœno ſatiarentur; hæc Greg. ibid.

Præſepe enim natus impleuit, qui cibum ſemetipſum mentibus mortalium præbuit, dicens, Qui comedit carnem meam, & ſanguinem meum bibit, Ioan. cap. 6. in me manet, & ego in eo; præbuit fœnum ſeipſum Dominus Iudæis, ſed Iſrael noluit cognoſcere Præſepe ſuum, Iſai. c. 1. nu. 3. præbuit ſe iumentis, quia ipſis primò Euangelium prædicandum erat, verùm quia illud recipere recuſarunt, & pigriores ſe exhibuerunt in credendo, ecce conuerſi ſunt Apoſtoli ad gentes, Act. cap. 22. num. 46. iuxtà illud Iſai. c. 49. nu. 6. Ideò Pſalmus dicit, Præparauit herbam ſeruituti hominum, ideſt Gentilium, vt aliàs oſtendimus; Homines enim, inquit, & iumenta ſaluabis Domine, Pſalm. 35. nu. 7. quia illæ gentes cum gaudio receperunt verbum Domini, Act. d. cap. 22. Herbam ergo iuxtà illud Iob d. cap. 6. tunc inuenit, cum Gentilis populus gratiam diuinæ

Incar-

Digitized by Google

Incarnationis accepit; fœnum verò Iudæis non credentibus reliquit, vt qui aridi remanſerunt, facilius in igne perpetuò vrerentur. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo, Ioel cap. 1. nu. 17. lumenta enim in ſtercore ſuo putreſcere, eſt carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire, Greg. in Euang. Matth. Homil. 10. lit. E. Tom. 3. fol. 23. In eorum via permanere voluerunt, & ideò conſumpti. Hinc per Oſe. cap. 5. nu. 4. dicitur contrà Iſraelitas, Spiritus fornicationis in medio eorum, & Dominum non cognouerunt; cauſa enim libidinis ex culpa elationis; ideò dicitur, Et reſpondebit arrogantiæ Iſrael in faciem eius; ac ſi diceret, Culpa, quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto reſpondit.

Produxit ergo fœnum iumentis, nàm iumenta terræ ſunt, qui vſu vitæ carnalis ima appetunt, Greg. Moral. lib. 26. capit. 13. tom. 2. fol. 887. vndè in Pſalm. 31. Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, & ideò Iob cap. 35. num. 13. Qui docet nos ſuper iumenta terræ, & ſuper volucres cæli erudit nos; nè ſcilicet vt iumenta terræ vilia, & ima appetamus, & nè vt volucres altiora nos quæramus. Super iumenta terræ edocentur, qui quidquid in imis poteſt ambiri, deſpiciunt; ſuper volucres verò edocentur, qui omnes ſpirituum immundorum inſidias comprehendunt; nihil enim qui ſuper iumenta docentur, in hac vita quod præterit quærunt. Super volucres verò erudiuntur, qui poteſtates aëreas, quas adhùc per carnis infirmitates tolerant, iàm vitæ meritis calcant; Greg. vbi ſuprà, ad Philip. cap. 3. num. 18. Quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, &c.

Chriſtus ergo natus, & ideò factus fœnum, carne ſcilicet noſtra aſſumpta; & factus terra, vt de hac terra panem educeret, & vinum lætificet cor hominis. Eduxit enim de hac ſua humanitatis terra panem, ideſt Corpus ſuum; & vinum, ideſt Sanguinem, vt credentes in illo maneamus, & ipſe in nobis, & ipſe reſuſcitabit nos in nouiſſimo die, Ioan. cap. 6. num. 55. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & nu. 57.

Benedicta tu & Virgo Maria, quæ de fructu ventris tui panem vitæ æternæ nobis tradidiſti Ieſum Chriſtum filium tuum, Deum verum de Deo vero, Dominus enim dedit benignitatem, quia virtus Altiſſimi obumbrauit tibi Virgo Beata, & terra noſtra Domina, dedit fructum ventris ſui, Pſalm. 84. Et vinum lætificet cor hominis, charitas ſcilicet Domini diffuſa in cordibus noſtris, ad Roman. cap. 5. num. 5. per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis; Vndè in Act. Apoſt. cap. 2. nu. 15. Non enim ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia. Eduxit ergo panem, & vinum, Corpus ſcilicet, & Sanguinem, vt cor hominis iuſti lætificetur, ſequitur.

Vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. Tria fructuum genera ex herba hìc exprimuntur, de pane fit mentio, de vino, & de oleo, vt ſciamus, quod hæc tria neceſſaria ſunt ad ſalutem, Fides ſcilicet, Spes, & Charitas. Per panem enim credimus, quia ipſe Dominus Ieſus eſt filius Dei, qui ſe præbuit manducandum hominibus, vt viuant dignè ſumentes in æternum. Per vinum, vt in illo ſpem habentes, cor noſtrum ardens ſit ad illi ſeruiendum. Per oleum, vt charitatem habentes in proximum, & in Deum, faciem noſtram hilarem habeamus, quia hilarem datorem diligit Deus: ſicq. audiamus & nos, Venite benedicti, quia eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui

Digitized by Google

ſitiui, & dediſtis mihi bibere,&c. Percipite Regnum, quod vobis paratum eſt, vt in Matth. cap.25.num.35.

Eduxit fœnum de terra. Infirmiores enim elegit ſibi Dominus in Apoſtolos, in Diſcipulos, vt fortiora quæque confunderet, vt herbam ſeruituti hominum darent, vt fructus redemptionis gentibus, & Iudæis prædicantes ſatiarentur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit. Illic paſſeres nidificabunt. Ligna campi, ideſt plebes prius humiles: ex humilibus enim cœpit prædicatio; vt etiam potentes in ſæculo fructus ſalutis perciperent; contemptibiles enim prius electi ſunt, quàm nobiles; vndè Apoſt. in d. cap.1.num.27. 1.Corinth. Videte, inquit, fratres vocationem veſtram, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Et ideò ex cedris Libani, quas Dominus plantauit, & ligna campi ſaturabuntur. Non ergo omnes cedri, omnes potentes mundi, ſed eas, quas in Libano, quas ex candidatione Libani, & pura conſcientia plantauit Dominus in fide. Quocircà illis candorem ſæculi reliquit potentatibus; vt & in ipſis paſſeres nidificarent: vt in ipſis etiam humiles, & pauperes fidem Chriſti prædicantes locum principalem teneant; vndè in 1.Reg. cap.21.num.12. dicitur, vt ſedeat cum principibus, ſoliumq. gloriæ teneat; deponit enim Dominus potentes, & exaltat humiles, & in alio loco Pſalm. 112. num. 7. Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus; cum principibus populi ſui.

Auguſtin. hìc. Sed iſta gratia educta de terra, ligna campi, plebes populorum, cedri Libani, quas ipſe plantauit. Cedri Libani potentes in ſæculo, & ipſi ſaturabuntur; peruenit panis, & vinum, & oleum Chriſti ad Senatores, ad Reges, ad Nobiles. Satiati ſunt ligna campi, prius humiles ſatiati ſunt, deindè etiam cedri Libani, ſed quas plantauit ipſe, cedri religioſi fideles, tales enim plantauit, nàm & impij ſunt cedri Libani, quia conteret Dominus cedros Libani, Pſalm.28.nu.5. Libanus enim mons eſt, ibi iſtæ arbores etiam ſecundum litteram annoſiſſimæ ſunt, & excellentiſſimæ; Libanus enim interpretatur candidatio; videtur enim candidatio eſſe ſæculi huius, modò nitentis, & fulgentis in pompis ſuis; ibi ſunt cedri Libani, quas plantauit Dominus; Arbor enim, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur, Matth. cap.15. & cedri Libani, quas plantauit, illic paſſeres nidificabunt, hùcuſq. Auguſtin.

Herodij domus dux eſt eorum, mõtes excelſi ceruis, petra refugium herinacijs. Herodius eſt maior omnibus volatilibus, qui aquilam vincit, & comedit. Dicit ergo Hieron. hìc, quòd talis homo, qui in domo Dei habitat, ducatum præbeat ad vincendum diabolum; Aquila enim ſæpè pro diabolo ponitur. Montes excelſi ceruis. Hoc animal ſerpentes occidit, & ipſos comedit, ergo in montibus habitat, qui interficit intelligibilem ſerpentem, qui ſapientior erat in Paradiſo præ omnibus beſtijs, qui decepit Euam. Petra refugium herinacijs, qui timidus eſt, refugium habet Petram: petra autem eſt Chriſtus, hæc Hieron.

Quid ergo ex his colligimus, niſi quia Dominus omnium, omnes vult

ſaluos

ſaluos fieri, debiles, & humiles, diuites, & pauperes, fortes, & magnates? Inter paſſeres herodius, fortis ſis in fide, vt diabolum vincere poſſis in eius malignitate, & fallacia; in domo Dei dux ſis eorum, qui ſpiritualia tantùm inquirunt, & non temporalia, Paſſeres, inquit Auguſtin. nidificant in cedris Libani, non tamen cedri ſunt ſuperiores eius, quia Herodij domus, ſeù Fulicæ, non ipſæ cedri, dux eſt eorum paſſerum: Herodij enim, ſeù Fulicæ ſunt aues aquaticæ, magnitudinem columbæ non multum excedentes, gaudent mari, ſtagnisq. amplioribus. Vndè Virgil. lib. 1. Georgic. In ſicco ludunt Fulicæ; herodius ergo, & Fulica ſecundum Aug. idem eſt; ſecundum verò D. Hieron. herodius eſt miluus, falco. Miluus eſto tu, vt rapiens animam tuam de manu diaboli in poſterum fidelis Deo, nullus illam amplius poſſit eripere de manu tua. Per ſpinas, & tribulos tenebrarum harum ſicut ceruus, & tu tranſiens, vt montes excelſi, hoc eſt Eccleſiæ Doctores ſint tibi refugium in tentationibus. Et quamuis debilis tibi videaris eſſe, ſicut herinacius, accede ad petram, ad Chriſtum, qui infirma huius mundi eligit, vt fortia quæque confunderet:

Fecit Lunam in tempora, Sol cognouit occaſum ſuum, Nec dubites, quia de terra, & in terra es, & quæ ſupradicta ſunt exempla, de ſolis terrenis ſcripta ſunt, quæ omnium hominum genera comprehendunt; nàm quamuis in terra non luceant, qui terra ſapiunt, fecit Lunam Dominus in tempora, vt tibi aliquando in te reuerſo, de præteritis dolenti, luceat tibi Luna iuſtitiæ Domini, vt in tenebris tibi luceat verbum veritatis, & tunc illuminatus ab Eccleſia, quæ pro Luna hìc accipitur, & tu quaſi Sol effectus cognoſcas occaſum tuum, quòd ſi bona egeris in Ciuitate Dei, cum Angelis permanebis; ibi enim Ciuitas illa non eget Sole, quia Chriſtus eſt Sol, Apocalyp. cap. 21. numer. 23. Nàm claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt Agnus, & ambulabunt gentes in lumine eius, &c.

Fecit Lunam in tempora, Auguſtin. Eccleſiam de minimo creſcentem intelligit, & iſtius vitæ mortalitatem quodammodò ſeneſcentem. Non de Luna viſibili intelligit, ſed de ea, quæ hoc nomine ſignificatur; quoniam obſcura erat Eccleſia, & nondum apparebat, nondum eminebat, ſeducebantur homines, & dicebatur, hæc eſt Eccleſia, hic eſt Chriſtus, vt ſagittarent in obſcura Luna rectos corde, Pſalm. 10. Quàm modò cæcus eſt, qui plena Luna errat? aliquando pertranſibit, quia in tempora facta eſt. Sol iuſtitiæ cognouit occaſum ſuum. Impij in die iudicij plangent hunc Solem non ſibi ortum, Sapien. d. cap. 5. num. 6. Errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, &c. Sol iſte oritur ei, qui Chriſtum intelligit, recedit autem Chriſtus ab intellectu, qui ſic iratus fuerit fratri ſuo, vt teneat odium; charitas & ſi iraſcitur aliquando, vt corrigat, non tenetur rea, quia non inueteratur ira, vt verteretur in odium; non ergo occidat Sol ſuper iracundiam noſtram.

Sol cognouit occaſum ſuum. Paſſus eſt enim Chriſtus, nempè Sol, quia ipſe voluit, Iſai. cap. 53. Nunquid tamen qui dormit, non addijciet, vt reſurgat? approbauit occaſum ſuum, qui poteſtatem habuit, animam ſuam ponendi, & iterum illam aſſumendi, Ioan. cap. 10. num. 18.

Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox. Quando Sol ſcilicet fecit occaſum ſuum, quan-

Digitized by Google

quando Christus mori voluit; tunc namque facta est nox, Apostoli enim Domino capto, & illo relicto fugerunt, Petrus verò illum negauit, positæ sunt tenebræ, & illis facta est nox, in ipsa nocte pertransibunt omnes bestiæ siluæ, Iudæi scilicet, quibus nox facta est, vt non cognoscerent Iesum, illudentes ei, dum in Cruce esset. Lûmen pertransierunt omnes illæ bestiæ, ne lumen illis luceret in nocte. Videamus, si filius Dei est, & tollat se de manibus nostris. Pertransierunt bestiæ, sed remanserunt in nocte, quia cæci facti sunt in obscura illorum obstinatione; Posuisti tenebras, nàm emittente spiritum suum Domino in Cruce, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, & obscuratus est Sol, Luc. 23. num. 45.

Catuli Leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Qui enim Catuli Leonum, nisi Iudæi ministri Diaboli, qui rugientes, & contrà Apostolos irruentes, dentibus lacerantes perturbant, ne verbum Dei prædicent ad salutem? 1. Petr. 5. num 8. Sed quomodò à Deo escam quærunt, vt rapiant? quia Deo non permittente, nec Dæmones possunt contrà nos, Iob 1. num. 7. inter filios enim Dei, affuit etiam inter eos Satan; Vndè venis? dixit ei Deus. Qui respondens, ait: Circuiui terram, & perambulaui eam. Nunquid, dixit Dominus ad eum, considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo? Nunquid frustra, dicit Satan, Iob timet Deum? Nonnè tu vallasti eum, ac domum eius? &c. & possessio eius creuit in terra; sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Dixit Dominus ad Satan, ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt, tantùm in eum ne extendas manum tuam, quia nec tentari quis potest à Diabolo, nisi permittente Deo. Augustin. Iob sanctissimus ante Diabolum erat, & tamen longè ab illo erat, aspectu ante illum erat, potestate remotus ab illo, non tentasset, nisi potestatem habuisset, quare autem datur potestas, aut ad damnandos impios, aut ad probandum pios: potestas ergo illi à Deo, & si potens sit Diabolus in terra. Iactabatur Pilatus, quòd potestatem haberet in Christum, Ioan. cap. 19. nu. 10. cui respondit Christus, Non haberes in me potestatem, nisi tibi desuper data esset. Nullus ergo, nec Diabolus, nec alij, nisi accepta potestate nocent; malis ità sunt tamquam ignis fœno, bonis ità sunt tamquam ignis auro, hæc Augustin.

Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur, catuli Leonum rugientes, &c. Putas ne, quando venerit filius hominis, inueniet fidem in terra? Luc. capit. 18. numer. 8. Rugient catuli, vt quærant escam, vt, si fieri potest, etiam iusti vix salui fiant: abbreuiabuntur dies illi: orietur tunc Sol iterum Christus, & congregabuntur omnes ante tribunal eius, & iudicabuntur omnes, & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum, ità collocabuntur in cubilibus suis. Ortus est Sol, Luc. capit. 21. numer. 25. & Erunt signa in Sole, Luna, & Stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris, & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, &c. Nàm virtutes cælorum mouebuntur, & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate: catuli Leonum rugientes, vt rapiant, &

Digitized by Google

quærant à Deo eſcam ſibi, Sophon. cap. 1. num. 17. Et tribulabo homines, & tribulabuntur, & ambulabunt, vt cæci, quia Domino peccauerunt, & effundetur ſanguis eorum ſicut humus, & corpora eorum ſicut ſtercora, & tunc quid faciet homo?

Exibit, inquit, homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam. Vt incipiat vſque in finem benè operari, & vſque ad veſperam. non relinquet operationem ſuam, ideſt vſque ad finem vitæ, tunc enim in. fine erit contenebratio, & grauis impetus, Sophon. cap. 3. numer. 7. Verumtamen diluculo ſurgentes corruperunt omnes cogitationes ſuas. Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum, vt congregem Gentes, & colligam Regna, & effundam ſuper eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: in igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra. Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno, inde ſupplices mei, filij diſperſorum meorum deferent munus mihi, & qui perſeuerauerit in benè operando, ſaluus erit, Matth. 10. num. 22.

Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua. In principio dixerat, Domine Deus magnificatus es vehementer. Magnificus per ſe, & per opera ſua magnificatus, quia omnia in ſapientia feciſti, ideſt in filio tuo, per quem omnia facta ſunt. Magnificata ſunt opera tua, Pſalm. 140. in fine; nàm ſingularis ego ſum, donec tranſeam; nàm ab Occaſu in Ortum tranſiſti, Ortus ſplenduiſti, clarificatus es, cum in cælum aſcendiſti. Magnificata ſunt opera tua, quia repleta eſt terra creatura tua: magnificata ſunt opera tua, quia vt fortes confunderes, debilem, & infirmum, ad hoc vt ſolium gloriæ teneat, conſtituiſti, Cantic. Annæ in 1. Reg. cap. 21. numer. 12. cum ſequen. magnificatus eris vehementer, quando cum poteſtate magna iudicare veneris omnem creaturam, omnem hominem ſuperbum, & potentem. Magnificata ſunt opera tua, nàm de morte ad vitam, de veteri creatura, ad nouiter regeneratam per Chriſti ſanguinem tranſtuliſti; à veteri homine creuit Chriſtus, qui Eccleſiam ſuam impleuit; ante ſingulariter erat, donec tranſiret; ſed quando per paſſionem tranſiuit, drachmam perditam inuenit, & ouem errabundam. ad gregem reduxit, Luc. cap. 15.

Sed nunquid, quia hominem redemit, tribulationes ab illo abſtulit? nunquid finita eſt peregrinatio, vt etiam ceſſet tentatio?

Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, illìc reptilia: quorum non eſt numerus. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus, Pſalm. 92. numer. 4. Domum autem tuam Domine decet ſanctitudo in longitudine dierum, donec ad portum perueniat. Hìc enim peregrinantes incedimus, & à reptilibus maris huius ſæculi innumerabilibus nec offendimur: ſi ſub vexillo Crucis Chriſti protegamur, Auguſtin. Inſidiæ repunt in hoc ſæculo, & incautos repentè occupant, repentes autem tentationes quis numeret? repunt ſed caue, ne volentem ſurripiant. In ligno nauigatur etiam in aquis: in Cruce nauigamus, etiam in fluctibus tuti ſumus. Non dormiat Chriſtus, non dormiat fides, & ſi dormierit, excitetur; imperabit ventis, placabit mare,

Matth.

Digitized by Google

Matth. cap. 8. numer. 26. Finietur via, gaudebitur in patria: per ipſum mare ad patriam, ſed in ligno, non timeamus periculum, lignum nos portet, quod continet ſæculum. Quamuis boni, & mali, pauperes, & potentes in hoc mari magno, in hoc mundo parum credentes: in mari via tua Domine, & veſtigia tua non cognoſcentur; quia nec dum in te crediderunt, & qui exterius credere profitentur, cor autem eorum longè ſit à ſalute illorum. Naues tamen illìc pertranſibunt, in medio montium pertranſibunt aquæ: Vndè ſequitur vers.

Animalia puſilla cum magnis, illìc naues pertranſibunt. Infideles ſcilicet puſilli, & magni; multi enim inter Principes infideles cum eorum populis, & puſillis Eccleſiam Domini odio habent; non ſæuiunt, quia nec valent, premuntur tamen nio Chriſti nomine. Non timent naues, dicit Auguſtin. non vbi natent, valdè attendant, ſed videant à quo gubernentur. Quem commeatum reperient triſtem, cum Gubernatorem ſentiunt Chriſtum? ſecurè & perſeueranter commeabunt, perducentur ad terram quietis, vigilet Chriſtus in corde noſtro, & tuti ſumus.

Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei, omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore. Caput reptilium, Leuiatan Diabolum an expaueſcemus, quem formaſti ad illudendum? nec ipſe in Eccleſiam habet quidquam, Ioan. capit. 14. numer. 30. Caput enim eius Eccleſia conterit, & ſic cæteros motus euadit. Ad illudendum enim formatus, vt obſeruans calcaneum eius, ideſt lapſum à via Dei, ſic poſſideat, Geneſ cap. 3. num. 15. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. Lucifer enim iſte, ſeù Draco, vel Leuiatan in eſſentia enim cæteris excelſior, in malitia maior. Non timent autem naues iſtum, immo illudent ei. In Empyreo locatus bonus erat, ſed de cælo cadens, in hanc habitationem terrenam deiectus eſt, vt ab Angelis Dei illudatur, Iſai. cap. 14. Quomodò cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris, & num. 12. Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes; detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, num. 11. Pſalm. 90. Conculcabis Leonem, & Draconem, ſubditus eſt capiti Chriſto, ſit etiam ſubditus & corpori eius.

Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore. Hæreant tantùm membra capiti ſuo, vt membra eius ſint, & hæc ſit eſca, quam dat Dominus tempore ſuo, quia expectat peccatorum conuerſionem, & ſi illos non pœnitent, tamquam eſca, dantur capiti ipſorum Diabolo.

Auguſtin. O Eccleſia, caput ſerpentis obſerua. Caput ſerpentis, primam peccati ſuggeſtionem. Venit tibi in mentem neſcio quid illicitum, noli ibi tenere mentem tuam, noli conſentire; hoc quod venit in mentem, caput ſerpentis eſt; caput calca, euades cæteros motus, ipſam ſuggeſtionem contemne. Sed lucrum ſuggeſſit, magnum ibi lucrum, & aurum eſt; Si hanc fraudem feceris, diues eris: caput ſerpentis eſt, calca, ideſt contemne quod ſuggeſſit. Sed ſuggeſſit magnum aurum; & quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur? pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. Ne labaris à via Dei, & Diabolus non obſeruabit calcaneum tuum. Tu obſeruas primam ſuggeſtionem, ille obſeruat lapſum tuum; obſerua Chriſti præcepta, & erit tibi lucrum, ne ea-

cadas in peccatum, ne declines à via veritatis. Tanta est Diaboli potentia, quæ non vincit, nisi volentem. Carcer est Regnum illius, ligatus ibi manet, ne ad illum accedas, & non te tanget; permittitur aliquando à Deo vt tenteris, vt tui exemplo resistens illi, & resistant cæteri. Igitur tu sic age, ne permittatur in te: & quatenus ad tentandum permittatur, victus tamen abscedat. Sicut de Iob legimus capit. 2. numer. 8. quòd ipse sedebat in stercore, & currebat in via: permissionem tentatoris nouerat, non illius potentiam confitebatur, Dominus, dicebat, dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum; superbiam tentatoris contempsit, & flagella Dei sustinuit. In Paradiso Euam, & Adam vicit, in stercore superatus est; repulit illius suggestionem, qui obseruabat Iob non labentem, qui nec vnquam contrà Dominum loqui ausus est; sed patienter sustinuit flagella ab illo, qui obseruabat vt laberetur, vestigia eius, neque vnquam lapsus est.

Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Colligent ergo Dæmones, quando Deus dederit illis potestatem tempore opportuno. Aperiente te manum tuam; Christus enim aperitur cum reuelatur, vide Isai. capit. 53. numer. 1. Brachium Domini cui reuelatum est. Cui reuelatur, illi aperitur, Reuelante te, omnia implebuntur bonitate; nihil enim habes, quod non acceperis ab illo. Reuela mihi Domine manum tuam, vt cor meùm impleatur omni bonitate; omni fide in credendo, quia tu es Domine Iesu, qui venisti, vt saluares me. Augustin. Ante illos sunt, sed non colligent, nisi cum dederis. Ante Diabolum Iob erat, & quidem non deuorauit Iob, sed vel tentare non ausus est; nisi cum ille dedisset; à te expectant, cum dederis illis, colligent; si non dederis non colligent; nos verò quem cibum habemus? sequitur & de cibo nostro.

Aperiente autem te manum tuam, vniuersa implebuntur bonitate. Non autem habent à se bonitatem; nàm illi quando boni? probatur illis; auertente autem te faciem tuam, turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Si glorietur homo, quia ex se habet, quod tenet; si superbit, quia nobilis, & diues ex sua virtute: ipse enim prius faciem suam à Deo auertit, & sic Deus fit longè ab eo, ergo cibus Diaboli erit, & minister eius, quia qui non est mecum contrà me est. Et quis es tu cinis, & vmbra, qui creatus à Deo, & sanguine suo redemptus, vt possis vitam habere sine vita? Audi Iob capit. 12. numer. 11. Si continueris aquas, omnia siccabuntur, & si emiseris eas, subuertent eam. Si continuerit aquas, aridus fies, & in cinerem reuerteris, & si dimiserit eas, in mare magnum submergeris, & vbi est reptilium infinitus numerus, deglutieris; auferet spiritum tuum, & in puluerem reuerteris. Aperta est tibi manus Domini, ò anima mea, ne recedas ab illo, quia omnia implebuntur bonitate.

Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Facies terræ est homo peccator, qui in peccati terram reuertetur, Si non conuertatur; neque conuerteretur, si tu Domine non aperiens manum in benedictionibus illum præueneris; nisi emittens spiritum tuum iterum renouaueris, & creaueris nos. Auferas Domine spiritum nostrum, & emitte tuum, vt sic reno-

Digitized by Google

renouati liberemur à Cœtu. Sed quomodò auferat ſpiritum noſtrum, vt det ſuum ? Auferat ſpiritum ſuperbiæ, & donet nobis ſpiritum humilitatis. A ſpiritu ſuo recipiamus gratiam, vt iuſtitiæ viuamus ; quia ipſe eſt, qui iuſtificat impium. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ, ideſt, dicit Auguſtin. Nouis hominibus confitentibus ſe iuſtificatos eſſe, non ſe iuſtos, vt gratia Dei ſit in nobis. Vndè Paul. 1.Corinth. cap.15.num.10. Gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui ; non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Cum ergo abſtuleris ſpiritum noſtrum, in puluerem noſtrum conuertemur, vtiliter intuentes infirmitatem noſtram, vt accepto ſpiritu tuo recreemur.

Sit gloria Domini in ſæculum : lætabitur Dominus in operibus ſuis. Soli Deo gloria, & non alij, nec tibi, qui fecit omnia ſolus, & ideò in operibus ſuis lætabitur, non in tuis quaſi tuis, dicit Auguſtin. quia & opera tua, ſi mala, per iniquitatem tuam ; ſi verò bona, per gratiam Dei. Sit ergo in ſæculum gloria, quia omnia, quæ fecit ſunt valde bona, Geneſ.1.num.31. in operibus ſuis, ideſt in ſeipſo, & propter ſeipſum lætabitur, vniuerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, Prouerb.16.num.4.

Qui reſpicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant. Lætabitur terra, iniqui ſcilicet, cum malè fecerint, Prouerb.cap.2.numer.13. Hos Dominus reſpiciens facit tremere, ò ſanctus tremor, cum Dominus ſit in corde terreni peccatoris operator ; exultabat terra in malo opere ſuo, reſpicit Dominus, vt ſuperbiam amittat & humilitatem amplectatur, vndè Paul. ad Philippenſ.cap.2.num.12. Cum timore, & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini ; Deus eſt enim qui operatur in vobis. Seruiendum eſt ergo Domino cum tremore, & exultandum cum timore, Pſalm.2 num.9. Iſai.cap.66. num.2. Super quem requieſcet ſpiritus meus ? ſuper humilem, & quietum, & trementem verba mea.

Qui reſpicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant. Intrauit in cor ſuperbi, tremore fumigant montes, quia in ſe reuerſus, è ſuperbo fit humilis ; fumigant montes, quia ex oculis fontes lacrymarum ſcaturiunt, quia peccauit Domino : fumigant montes, ideſt precem Domino reddunt, factum eſt lignum iuxtà aquas, quod dat fructum tempore ſuo, Pſalm.1.num.2. In monte Libani excelſo valde cedrus erat, ſed iterum plantatus à Domino humiliauit ſe, & fecit fructum animæ ſuæ ; ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, Pſalm.50.

Cantabo Domino in vita mea, pſallam Deo meo, quamdiù ſum. Cantabo Domino in vita mea, poſtquam tremens, & timens cognoui ſalutare eius : pſallam Deo meo ; nàm in ieiunio, fletu, & planctu ſcindam cor meum ; pœnitentiam agendo, quia peccaui nimis in vita mea. Quamdiù fuero pſallam ; nàm anteà vita erat mea, ideſt mortalis, & vmbra, tuncq. nihil erat vita mea, nunc poſtquam me tetigit Dominus, ſemper pſallam Deo meo, quia auctorem vitæ cognoſco, cui ſeruiam ex toto corde meo. Quid cantabit, dicit Auguſtin. totum quidquid eſt, cantabit, gloriosè enim Equum, & Aſcenſorem meum proiecit in mare, Exod.cap.15.numer.1. Vita noſtra modò ſpes eſt, quamdiù ſum pſallam, quia vita noſtra æternitas erit ; Vita enim vitæ mortalis, ſpes eſt vitæ immortalis ; pſallam quamdiù ſum, quoniam in illo

itized by Google

ſine fine cantabimus Domino, & illi pſallam in ſæcula; quamdiù ſum, quia in illo ſine fine ſum.

Iucundum ſit ei eloquium meum, ego verò delectabor in Domino, Iucundum tunc ei erit eloquium, quando dimittam aduerſum me eloquium meum, Iob cap. 10. num. 1. Tunc autem aduerſum te erit eloquium tuum, quando locutus fueris in amaritudine animæ tuæ, ibidem Iob; tunc amaritudo animæ, quando dolens confitearis, quia nimis peccaſti in effuſione animæ tuæ, hinc Iſai. cap. 38. num. 15. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Iucundum ſit ei eloquium meum. Quia ſtatui mihi ſpeculam, explorando propriam conſcientiam, & poſui mihi amaritudines, ideſt contritionis dolorem, Ierem. cap. 31. num. 21. Quid enim aliud eſt ſpeculam ſtatuere ſibi in amaritudine, niſi ſtatuere ſibi Sacerdotem ſpeculatorem delictorum ſuorum, & confitendo delere illa in amaritudine, quia peccaſti nimis; tunc enim iucundum Domino fiet eloquium tuum, & tu delectaberis in Domino Iſai. cap. 1. nu. 16. Mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere, &c. & ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.

Iucundum ſit ei eloquium meum, Auguſtin. Suauis ſit ei diſputatio mea. Quæ eſt diſputatio ad Deum, niſi confeſſio peccatorum? confitere Domino, quod es, & diſputaſti cum illo: fac bona opera, & diſputa. Quid eſt diſputare cum Deo? Te illi indica ſcienti, vt indicet ſe tibi neſcienti. Diſputatio tua, ſacrificium humilitatis tuæ, contribulatio cordis tui, holocauſtum vitæ tuæ, hoc eſt Domino ſuaue, tu verò delectaberis in Domino; ſuauis eſt ipſi confeſſio tua, vt tibi ſuauis ſit gratia ſua.

Deficiant ergo peccatores à terra, & iniqui, ità vt non ſint, benedic anima mea Dominum. Ceſſent à peccando peccatores, vt non ſint, quod prius erant, vt & ipſi delectentur in Domino; auferatur ſpiritus eorum, vt ſpiritu Dei recreentur, deficiant & iniqui peccatores in proximum; ceſſet illorum iniquitas, ità vt non ſint amplius. Hæc in ſpiritu deſiderans, & proſpiciens Pſalmiſta, gratias Deo agens, exclamat ſibimetipſi, & dicit, Benedic anima Dominum, vt finis bonorum ſit ſimilis principio, vt in puritate conſcientiæ per Baptiſmum renatus moriatur, & in gloria renouatus.

SOLILOQVIVM.

BENEDIC anima mea Domino, qui in verbo virtutis ſuæ, in filio ſuo Ieſu Chriſto, Sapientia ſua fecit omnia, quæ in cælo, in terra, & in mari, & cui illa obediunt, cuius aſpectu tremunt poteſtates, fumigant montes, & exultatione colles accinguntur. Quibus omnibus vt præeſſes anima, te fecit, te creauit; & iterum quæ per peccatum perdita erat, morte filij ſui Vnigeniti viuificauit; te hodie in Cruce paſſus redemit, vt ſecum in cælo glorioſa incederes, ſi in ſua luce ambulaueris. Terra fuiſti, anima mea, deficias ab illa, & pœnitendo, quia peccaſti, eloquium tuum coram Domino erit iucundum; & in Domino erit delectatio tua, ſi confitearis peccata tua. Emitte Do-

Digitized by Google

Domine ſpiritum tuum, auferens ſpiritum meum, & creabor; atque terra mea renouabitur. Induaris confeſſione, & decore anima mea. Peccatum, & iniquitas longè fiat à te, nec ſit amplius in te, & laudes Domino debitas tunc cantato in vita tua, & delectaberis in illo. Cui gloria in ſæculum ſæculi; qui dignatus eſt hodie per paſſionem ſuam nos de morte transferre ad vitam. Virgo glorioſa Maria Mater, cuius & hodie animam pertranſiuit gladius, in filij paſſione ſocia, nunc in cælo, in gloria ſempiterna cum filio tuo permanens pro me miſero peccatore intercede, vt in tui pro illius paſſione conſortium plangam & ego donec vixero, quia mortuus eſt filius tuus propter ſcelera mea, vt deleret illa, & ſalua fieret anima mea. Amen.

IN PSALMVM CIV.

Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: annunciate inter Gentes opera eius,

TITVLVS Alleluia. Hic eſt primus Pſalmus hoc Titulo inſignitus Alleluia, quæ vox nec ab Angelo, nec ab vllo interprete fuit mutata, ſicut nec vox Amen. Magnalia autem Dei, præ cæteris viginti Pſalmis vbi hic ipſe eſt Titulus in hoc Pſalmo noſtro 104. ponuntur. Interpretatur vox iſta Alleluia laudate Deum Allelu ſignificat laudate, ia verò eſt nomen Dei inuiſibilis, quod nomen Deo tantùm conuenit; In hoc ergo Pſalmo beneficia narrantur, quæ Dominus contulit ſpirituali ſemini Abrahæ.

Continuatur ad præcedentem, in quo de beneficijs naturæ, humano generi à Deo datis, & Dei Sapientia extollitur, qui propter nos creauit hæc omnia; cæterum, quia etſi omnia creata laudant Dominum, vt Pſalm. 148. & in Cantic. Daniel cap. 9. & illum benedicunt, & cum non ſit ſpecioſa laudatio in ore peccatoris, maximaq. pars Chriſtianorum non ſit ſine peccato, neque omnes benedicentes, & laudantes habeant interiorem intelligentiam, vt patet ex verbis, & ex actibus exterioribus, vel ex illorum naturali exaltatione: Ideò conſequenter in hoc Pſalmo 104. filijs Abrahæ, & bonis filijs Iſrael, ideſt Chriſtianis, Alleluia proponitur, vt ſcilicet ſciant, quòd laudes ſoli Deo dicantur, & decantentur, vt in verbis exterioribus intellectum videant interiorem, & admonentur filij promiſſionis ad hæreditatem pertinentes teſtamenti æterni, vt ipſum Deum tamquam hæreditatem eligant, & gratis, non pro re alia extrà illum aliqua eum colant; hocq. faciant laudantes, inuocantes, annunciantes, in eius gloria, per fidem benè operantes, ſpe gaudentes, charitate feruentes.

Auguſt. hìc, Confitemini Domino, & inuocate nomen eius, quod tale eſt, ac ſi diceret, laudate Dominum, & inuocate nomen eius; exaudit quippè inuocantem, quẽ laudantem videt, laudantem autem videt, quem probat amantem. Diligas ergo Dominum, ſi vis laudare eum, per laudationem ipſam beneficium accepturus. Propterea confitenti prius, quòd Ieſus erat filius Dei; dictum eſt; Simon amas me? ter repetendo quæſitum, reſpondensq. ille, Tu

ſcis

Digitized by Google

ſcis Domine, quia amo te audiuit; Paſce oues meas, &c. & Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, Ioan. cap. 21.

Suprà ergo vidimus magnalia Dei, & laudauimus; ſed vt exaudiamur, amantes Dominum inuocemus; hoc autem non fit rectè, niſi Fides, Spes, Charitas præcedant & opera; hæc autem ad Chriſti fideles pertinent, non ad omnes; vndè Pſalm. 78. num. 12. Secundum magnitudinem brachij tui poſſide filios mortificatorum, poſſide, ideſt tuos reputa, & vt tuos defende nos, qui filij ſumus mortificatorum, ideſt ſanctorum Patrum, qui propter te mortificabantur tota die, Pſalm. 43. num. 22. Vndè in verſic. ſequen. ſubijcitur: Nos autem populus tuus, & oues paſcuæ tuæ confitebimur tibi in ſæculum.

Summa hæc eſt, vt laus Deo ſit perfecta, ſeù illi accepta, Spe, Fide, & Charitate ſit ſociata.

Incipit ergo Pſalmus: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius; annunciate inter gentes opera eius. Confiteamur Domino, quia ipſe eſt, qui venit, & factus eſt pro nobis homo; inuocemus nomen eius, quia in ipſo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra; Ieſus eſt nomen eius, ideſt Saluator. Annunciemus inter gentes opera eius, prædicantes eius Euangelium omni creaturæ, Matth. cap. 10. nu. 6. cum ſequen. Ite enim, dicebat, renunciate Ioanni, quia cæci vident, mortui reſurgunt, leproſi mundantur, &c. In figura autem contingebant Iudæis, quæ hiſtorialiter narrantur in Pſalmis, vt infrà dicemus.

Confeſſionem ergo præcedat dilectio Dei, nàm ſi in peccato fuerimus; quam laudem Deo dare poſſumus? Peccatori enim dixit: quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Pſalm. 49. num. 16. & in ore ergo peccatoris laus non eſt ſpecioſa, vndè Iob cap. 27. num. 5. & 6. Abſit, inquit, à me, vt recedam ab innocentia mea; donec deficiam, non recedam ab illa. Iuſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram; neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea; vbi Greg. litera C. Ac ſi apertè dicat, nequaquam ſe feciſſe reminiſcitur, vndè in ſuis precibus confundatur. Et idem Iob cap. 6. num. 30. Et non inuenietis in lingua mea iniquitatem: nec in faucibus meis ſtultitia perſonabit, & in cap. 23. nu. 21. Veſtigia eius ſequutus eſt pes meus, viam eius cuſtodiui, & non declinaui ex ea.

Sed ſi iuſtus ſepties in die cadit, quis ſine peccato laudes Deo canere poterit, vt preces exaudiantur? Peccaui, inquit Iob, quid faciam tibi ò cuſtos hominum? Iob 7. nu. 20. Si peccaſti, quomodò non te reprehendit cor tuum? & iterum dicit, ſi iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me, Iob 9. num. 20. Si innocentem oſtendero, prauum me comprobabit. Rectè Greg. in d. capit. 9. Sunt, inquit, peccata, quæ à iuſtis vitari poſſunt, aliqua verò alia, quæ nec à iuſtis poſſunt vitari; Cuius enim cor in hac corruptibili carne conſiſtens, in ſiniſtra cogitatione non labitur? Vel ſi vſque ad conſenſus foueam non mergatur, & tamen hæc ipſa praua cogitare, peccare eſt; ſed dum cogitationi reſiſtitur, à confuſione ſua animus liberatur. Mens ergo iuſtorum, etſi libera eſt à peruerſo opere, aliquando tamen corruit in peruerſa cogitatione; & in peccatum ergo labitur, quia ſaltem in cogitatione declinat; & tamen vndè ſemetipſam poſtmodum flendo reprehendat, non habet; quia ante ſe reparat, quàm per conſenſum cadat. Rectè ergo is, qui peccatorem ſe confeſſus eſt, nequaquam ſe à ſuo corde reprehendi confitetur, quia & ſi qua illicita

illicita fortaſſe cogitando defuit vnquam rectitudini, forti tamen mentis certamine reſiſtit cogitationi. Nec in viro forti,& iuſto mira hæc eſſe videntur; nàm vt dicitur Cant. c.4.nu.12. Hortus concluſus, Fons ſignatus, quo vtiq. non admittitur peruerſitatis ille perſuaſor; nàm vt dicit Apoſtolus 2.Corinth. cap.2. nu.11. non ignoramus aſtutias eius. Quocircà ſuggeſtionibus Diaboli reſiſtas. Si Paradiſum, qui tibi ad cuſtodiendum datus eſt, cuſtodieris, ideſt ſi cor tuum, quod Paradiſus dicitur cuſtodieris. Poſuit enim Deus hominem in Paradiſo voluptatis, vt illum cuſtodiret, propterea per iuſtos non admittitur Serpens perſuaſor iniquitatis,non ergo ad conſenſum peccati deducetur ratio noſtra, ſi delectatio, quæ mota eſt in illa parte animi obtemperabit rationi tamquam rectori viro

Auguſtin. contrà Manichæos lib. 6. Tom. 1. Et nunc, inquit, in vnoquoque noſtrum nihil aliud agitur,cum ad peccatũ quiſque dilabitur, quàm tunc actum eſt in illis tribus,Serpente,muliere, & viro; nàm primò fit ſuggeſtio,ſiuè per cogitationem, ſiuè per ſenſus corporis; vel videndo, vel tangendo, vel olfaciendo. Quæ ſuggeſtio cum facta fuerit, ſi cupiditas noſtra non moueatur ad peccandum,excludetur Serpentis aſtutia; ſi autem mota fuerit, quaſi mulieri iàm perſuaſum erit. Sed aliquando ratio etiam commotam cupiditatem refrenat, atque compeſcit; quod cum fit, non labimur in peccatum, ſed cum aliquantula luctatione coronamur. Si autem ratio conſentiat, & quod libido commouerit, faciendum eſſe decernat, ab omni vita beata tamquam de Paradiſo expellitur homo, cum illi in peccatum id imputetur, & ſi non ſubſequatur factum, quoniam rea tenetur in conſenſione conſcientia.

Confitemini ergo Domino, quia peccauimus illi, tunc cantemus Domino laudes eius, non noſtras laudes, quas ipſe nos docuit,& ſancta Mater Eccleſia. Vt autem ſit Deo accepta noſtra confeſſio, audiamus Paulum 1.Corinth. cap.11.num.31. Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non vtiq. iudicaremur, vndè Iob cap. 13. Vias meas in conſpectu eius arguam, & ipſe erit Saluator meus. Greg. ibi, Eò ipſo Dominus Saluator inuenitur, quò nunc pro timore Dei peccatum noſtrum à nobiſmetipſis redarguitur; propterea, vt dicit idem D. Greg. in Iob Tom.2. lib.11. Moral. cap.17. litera D. Electi quique culpis ſuis nunquam ſciunt parcere, vt poſſint culparum iudicem inuenire, & eum verè poſtmodum inuenire Saluatorem credunt, quem diſtricte modò iudicem metuunt.

Non ergo ſicut Phariſæus ille te coram Domino iactes, quia tu non ſis ſicut cæteri, vt Publicanus ille peccator, quia eleemoſynas facias, &c. Hæc enim tua eſt laus, immo confuſio, & inanis iactantia; ſed cum peccatore pœnitente & te pœniteat, quia non ſis dignus vocari Chriſtianus, vt iuſtificatus & tu diſcedas, & inuocando Domini nomen, auxilium ab illo recipias, & à malo recedens, quia humilis, & pœnitens, ſis per Dei gratiam liber à morte: ſicque gloriam Dei inter gentes annunciare poſſis. Publicanus enim à longe ſtans,& pectus ſuum percutiens iuſtificatus ab illo receſſit, Luc. cap. 18. numer. 13. Alter verò abſceſſit confuſus, quia qui ſe humiliat exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur.

Propterea in Iob dicebatur cap.8.num.13. & 14. Spes enim hypocritæ peribit, non enim ei nocebit vecordia ſua, & ſicut tela aranearum fiducia eius,

vbi

Digitized by Google

vbi Greg. Magna quippè vecordia eſt laborioſa agere, & auræ laudis inhiare: forti opere præceptis cæleſtibus inſeruire, ſed terrenæ retributionis præmium quærere. Vt enim ità dixerim, qui pro virtute, quam agit, humanos fauores deſiderat, rem magni meriti, vili pretio venalem portat; vndè enim cæli regnum mereri potuit, indè nummum tranſitorij ſermonis quærit, vili ergo pretio opus vendit, quia magna impendit, ſed minima recipit. Dat autem Greg. ibidem exemplum de vite neglecta, in terram iacente, dicens. Quibus itàq. hypocritæ ſimiles, niſi fœcundis, & neglectis vitibus exiſtunt? quæ per vbertatem fructum afferunt, ſed nequaquam per ſtudium à terra ſubleuantur; quòd pingues palmites germinant, errantes beſtiæ conculcant, & quò hoc vberius aſpiciunt, proiectum in infimis auidius conſummunt. Quia nimirum hypocritarum opera dum clara monſtrantur, quaſi pinguia prodeunt; ſed dum humanas laudes appetunt, quaſi in terra deſeruntur. Vndè Oſe. cap. 8. num. 7. Ventum ſeminant, & turbinem metent; culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciet farinam; quod & ſi fecerit, alieni comedent eam. Quod Greg. exponens dicit, Culmus quippè germen non habet, cum vita meritis virtutum cadat: farinam culmus non facit, cum is, qui in præſenti ſæculo proficit, nihil ſubtilitatis intelligit, nullum boni operis fructum reddit. Sed ſæpè etiam & cum fecerit farinam, alieni comedunt: quia & cum bona opera hypocritæ oſtendunt, de his malignorum ſpirituum vota ſatiantur. Qui enim per hæc placere Deo non appetunt, nequaquam agri Dominum, ſed alienos paſcunt. Non ergo tuam, ſed Dei laudem confitearis, quia bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini eius Altiſſimo.

Laudes eius cantemus, & operando benè eumdem Pſalmum dicamus, vndè ſequitur verſ.

Cantate ei, & pſallite ei, narrate omnia mirabilia eius. Ore cantatur, & manibus, ideſt operando pſallitur. Sed quomodò cantabimus, niſi ille donet, quod cantemus? nemo enim illi cantat digna, niſi qui ab illo acceperit, quod cantare poſſit, Auguſtin. ſuprà in Pſalm. 34. litera A. Sed quomodò dabit tibi quomodò cantes, ſi à veteri cantu neque tu diſcedas? ſi à cupiditate carnis non diſceſſeris? Nunquid in ore peccatoris ſpecioſa laus eſſe poterit? Eccleſ. c. 15. num. 9. Canticum nouum cantato, & charitas Dei erit in te. Melius, inquit Auguſtin. vt nouus taceas, quàm vt vetus cantes; quia ſi nouus fueris, & tacueris, auribus hominum non ſonas; nàm cor tuum non tacet canticum nouum, & ad Dei aurem peruenit, qui te facit hominem nouum: nàm ſi diligis, & taces, dilectio ipſa vox eſt ad Deum, & ipſa dilectio canticum nouum eſt, quod eſt mandatum Domini, Ioan. cap. 15. num. 34. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem, Auguſtin. Pſalm. 46. Vndè in Eccleſ. cap. 3. num. 1. Natio illorum obedientia & dilectio, & qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit ſe ab illis, & in oratione dierum exaudietur.

Non ſit cor tuum diſtortum, bonus eſt Dominus his, qui recto ſunt corde, Pſalm. 27. num. 1. Et ſi tortum, & durum eſt, conteratur, confringatur, & dirigetur. Ex te ipſo dirigere cor tuum non potes, tu frange, ille dirigat; confitendo frangitur, & conteritur, & peccata tua maceratione carnis caſtigando, puniendo tolluntur; cor enim contritum, & humiliatum Deus non deſpicit, ſanat enim Deus contritos corde, & contritum cor habentes; & ſanitas ipſius

cordis

cordis tunc erit perfecta, cum & corporis reparatio implebitur, quæ promissa est, vndè Augustin. in Psalm. 146. litera G. Medicus alligat contritiones tuas, vt tu ad plenissimam firmitatem peruenire possis, donec consolidetur, quod fractum, quod alligatum est. Sunt autem alligamenta ista, temporalia Sacramenta; alligamenta medicinalia contritionis nostræ sunt Sacramenta interim temporalia, quibus consolationem habemus; quidquid enim in Ecclesia temporaliter geritur, alligamenta sunt contritionum; detrahentur alligamenta, quum Angelis æquales facti fuerimus. Tunc enim cantabimus; gloriosè enim equum, & ascensorem proiecit Dominus in mare, Psalm. Exod. 15. in princ. & factus est nobis Deus in salutem. Benè ergo viuentes sacrificium laudis offeramus Deo; nàm qui sic laudat, bonus est, quia si laudat etiam benè viuit, quia si laudat, non solum lingua laudat, sed & vita cum lingua consentit, inquit Dominus in Psalm. 49. num. 23. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei, vbi Augustin. litera K. In sacrificio laudis via est, quia illi ostendam salutare Dei, idest Christum Iesum: in sacrificio enim laudis, Christus bonis se ostendit, quia cum gratia venit ad nos, Apost. ad Galat. cap. 2. num. 20. Viuo ego iàm non ego, viuit verò in me Christus: Quòd autem in carne viuo, in fide viuo filij Dei, qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me.

Agnoscas ergo & tu anima mea infirmitatem tuam, peccatum tuum, & cum Publicano dicas; Domine propitius esto mihi peccatori, ostendas vulnera, implora medicum, confitearis peccata tua, & sanaberis. Tunc cantate ei, & psallite ei, narrate omnia mirabilia eius, ipsi Deo voce cantantes, & corde, psallamus etiam operando illi in charitate non ficta, in opere bono; docendoq. fratres narrate, quia ipse est Dominus Deus noster, qui solus facit mirabilia in cælo, & in terra: qui venit, vt nobis mortuis sæculo quærentibus illum daret vitam in sæcula sæculorum, Declaratio enim sermonum eius illuminat, & intellectum dat paruulis.

Canta ei, ità vt de corde tuo labia tua proferant laudes Domini; quid enim tibi proderit Dominum labijs honorare, si ab illo longe sis in corde tuo? Matth. cap. 15. num. 19. Quomodò cantabis, si in te deficiat intelligentia mentis? & quomodò psalles, si non te concomitentur opera corporis? hinc in Psal. 67. Cantate Deo, psallite nomini eius; Cantate Deo, quia ea, quæ in se ipsa mens agit, Deo nota sunt, quæ ab hominibus non videntur. Quia verò bona opera videnda sunt ab hominibus, vt glorificent Patrem nostrum, qui in cælis est, ideò dicit, Psallite nomini eius, idest inquit Augustin. ibi: diffamationi eius, vt laudabiliter nominetur, & in Psal. 46. litera A. inquit, Plaudite manibus idest gaudete, sed quare manibus? quia bonis operibus. Nè gaudeatis ore, & celeteris manibus; si gaudetis, plaudite manibus. Omnes gentes manibus plaudite, iubilate Deo in voce exultationis: & voce & manibus; si tantùm voce, non benè, quia pigræ sunt manus, si tantùm manibus, nec hoc benè, quia muta est lingua; concordent ergo manus, & lingua; illa confiteatur, illæ operentur.

Narrate inter gentes opera eius. Quæ sunt opera eius, nisi quando fides tua operibus bonis sociata est? nàm si bonum facis, nonnè ex Dei gratia facis? Videant gentes opera tua, hoc est enim narrare inter gentes, vt videntes illa,

con-

Digitized by Google

conuertantur & ipſi, glorificantes Deum tecum: Vndè Petr. 1. cap. 2. num. 11. Abſtinete vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam, conuerſationem veſtram inter Gentes habentes bonam: vt in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.

Cantate ergo ei verbo, quia ore cantatur, & pſallite ei, opere ſcilicet laudate, quia manibus pſallitur, cantate narrrando mirabilia eius, quidquid enim de Deo fari poteſt, mirabilia ſunt, quamuis conſuetudine vileſcere videantur.

Laudamini in nomine ſancto eius. Non de te ſit laus, quiquid enim habes, ab illo accepiſti; noli ergo gloriari, quaſi non acceperis; ità laudari procurabis, vt in nomine Domini lauderis, Pſal. 33. In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti, & lætentur, hìc vero dicitur, lætetur cor quærentium Dominum. Tunc gaudete, quia merces veſtra copioſa eſt in cælis, Matth. 5. num. 12. Cor quærentium lætatur, vt ſpes illorum ſit, Dominum inuenire. Quærite, inquit, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis, Matth. c. 7. nu. 7. Vndè in Euangelio Ioan. cap. 16. num. 16. Modicum & non videbitis me, quia in tribulationibus patientes quæritis, vt me inueniatis: & iterum modicum poſt tribulationes paſſas me inuenietis; vndè ſequitur Dominus, dicens, Plorabitis vos, & flebitis, mundus autem gaudebit, vos vero contriſtabimini; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum. Non quia ſemper Dominus non ſit nobiſcum in tribulationibus, Pſalm. 90. nu. 15. Eripiam eum, & glorificabo eum, ſed quia patiens videtur ſibi quodammodo à Deo derelictus, cum tamquam aurum in fornace vult illum Deus probare, Sapien. cap. 3. Vndè, & Dominus in cruce pendens, dicebat, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Matth. cap. 27. num. 46. Iſai. cap. 54. nu. 7. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dixit Redemptor tuus Dominus. Lætetur ergo cor quærentium Dominum, quia in miſericordia æterna eorũ miſertus eſt.

Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius ſemper. In fide quærite, vt bonum operantes illa augeatur in vobis; ſemper orate, ideſt quidquid facitis, in nomine Domini faciatis, multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua, Iacob. capit. 5. numer. 16. Aſſidua, inquit D. Max. in Dialogo de Incarnatione, eſt oratio, cum mens in cautione multa continetur, deſiderioq. applicatur Deo, & ſemper à ſpe eius dependet, in omnibusq. tàm operibus, quàm accidentibus in ipſum confidit.

Quærite Dominum, & confirmamini, ideſt confortamini, quia ſcilicet benè operantes inuenietis; vndè dicitur, Quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis, Matth. cap. 7. num. 7. Dominus enim propè eſt, ad Philip. cap. 4. num. 5. Sed in omni oratione, & obſecratione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Confirmamini, corroboramini, ex græco, dicit Auguſtin. Et fortitudinem meam ad te cuſtodiam, Pſalm. 88. num. 10. Quia Deus ſuſceptor meus eſt, ſi eſt, ergo ſemper eſt, quia ego, inquit, ſum, qui ſum, Exod. 3. nu. 14. Ergo ſemper quærito, quia ſemper eſt Dominus in te, propè te, ergo

ſemper

ſemper deprecando, & orando quærendus eſt, vt ſemper ſit etiam in te. In oratione ergo, & obſecratione orationes veſtræ innoteſcant apud Deum, apud quem non reſplendet niſi bonum, longè enim ſit à peccatore, ergo ſemper quærendus in bonitate, & iuſtitia.

Auguſtin. hìc litera E. Fortitudinem, inquit Pſalm. ad te cuſtodiam; vt eum quærendo, atque ad eum accedendo, & illuminemur, & confortemur, ne cæcitate quid faciendum ſit, non videamus; aut infirmitate, non faciamus etiam, quando videmus. Quod ergo eſt, ad videndum, accedite ad eum, & illuminamini, hoc eſt ad faciendum, quærite Dominum, & cotroboramini, quærite faciem eius ſemper. Faciem eius, ideſt præſentiam Dei; quærite faciem eius ſemper, Vt non huic inquiſitioni, qua ſignificatur amor, finem præſtet inuentio; ſed amore creſcente inquiſitio creſcat inuenti.

Sed quomodò hìc quærendum? confitendo ipſum Deum eſſe Ieſum Redemptorem noſtrum; hæc autem per fidem fit confeſſio, vt per ſpem inueniatur Deus in noſtro adiutorio; cui etiam ſpei charitas adiungitur, quæ illum per fidem inuenit. Quærite ergo Dominum in hac vita etiam per fidem, ſpem, & charitatem; iàm quippè illum inuenit fides, ſed adhùc eum quærit ſpes; charitas autem, & inuenit eum per fidem, & eum quærit habere per ſpeciem. Nàm in hac vita, niſi eum inueniret fides, non diceretur, quærite Dominum, & cum inueneritis eum, derelinquat impius vias ſuas, & vir iniquus cogitationes ſuas, Iſai. 55. num. 6. & 7. Quærite Dominum, dum inueniri poteſt, inuocate eum, dum propè eſt; derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum, hæc Iſai. ſequitur Auguſtin. Si fide inuentus, non adhùc eſſet perquirendus, non diceretur, ad Roman. 8. num. 24. Si enim quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus, & 1. Ioan. cap. 3. num. 3. Scimus, cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Quærite ergo Dominum, qui iniquitates abieciſtis à vobis, & confortamini, quia Dominus propè eſt vobis.

Quærite faciem eius ſemper: quia ideò homo factus eſt, vt nos ſaluaret, quia benignus eſt, & miſericors. Et ſi in malum aliquid incideritis, reuertamini ad illum, quia propitius eſt peccatis noſtris, Iſai. dicto cap. 1. quia & ſi erunt vt coccinum peccata veſtra, &c. dealbabuntur ſicut nix.

Quærite ſemper, quia dum in hac vita permanemus, ſemper egentes ſumus. Clama, inquit, ne ceſſes, & auxiliabitur tibi Deus, Iſai. cap. 58. num. 1. Audiatur in excelſo clamor noſter, diſſoluendo colligationes impietatis, & faſciculos deprimentes; frange eſurienti panem tuum, & egenos induc in domum tuam, tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, &c. & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, ecce adſum. Quærite ſemper, quia charitas nunquam deficit, 1. Corinth. 13. numer. 8. nunquam excidit, & numer. 12. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, & numer. 13: Nunc autem manent fides, ſpes, & charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas. Fide ergo iſta quæramus Dominum, & quia ſemper dilectio Dei, & proximi eſt neceſſaria; quæramus Dominum ſemper in fide, ſpe, & charitate, fides enim

Digitized by Google

ſine operibus mortua eſt, & ſine ſpe quid proderit? ſimul ergo ambulant fides, ſpes, & charitas, vt quærentes Deum, ſimul & nos illi iungamur. Nunquid non fecit mirabilia Deus, & prodigia magna, vt etiam lactentes ſciant, quia ipſe eſt Dominus.

Sequitur ergo verſ. Mementote mirabilium eius, quæ fecit, prodigia eius, & iudicia oris eius. Semen Abraham ſerui eius: filij Iacob electi eius. Quæ in Ægypto mirabilia Deus fecerit per te ad litteram legere poteris in Exodo, & in Pſalm. 77, num. 12. Dixit Abrahæ, Exi de domo tua, & de cognatione tua, & faciam te in gentem magnam, Geneſ. capit. 12. in princ. & numer. 3. In te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ; Et iterum, Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam, & robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ? Deuteronom. capit. 6. numer. 22. Fecit ſigna, atque prodigia magna, & peſſima in Ægypto contrà Pharaonem, & omnem domum illius, & eduxit nos inde. Nonnè prodigia, & mirabilia hæc Domini? Nunquid non in figura contingebant illis? In gentem enim magnam ſemen Abraham, per Incarnationem verbi Dei, quod proceſſit in omnes gentes, in omnes gentium, & aliorum generationes.

Mementote mirabilium eius, quæ fecit, prodigia eius, & iudicia oris eius. Si non prius quæratis, quomodò mirabilium memineritis? Quæramus ergo prius Dominum, & confirmemur; quæramus faciem eius ſemper, vt perſoueranter illum quærentes, & orantes, & ipſe perſeueranter miſereatur noſtri. Auguſtin. Pſalm. 61, litera I. ad Theſſalonicenſ. capit. 1. numer. 2. Luc. capit. 6. numer. 2. Nàm ſi Dominum, & Deum in carne poſitum, vt vnus ex nobis factus, eum in mundo ſtetit, conſideremus, nonnè ſemper in laboribus, in tribulationibus, in ærumnis ipſum inueniemus, & tandem in Cruce poſitus, vt noſtra portaret peccata, ſeipſum obtulit innocens Patri, vt nos nocentes à noxis liberaret & à morte? Quæramus faciem eius ſemper, quia pro nobis, nec reputatus eſt homo, & quaſi vultus eius abſconditus, & deſpectus, Iſai. cap. 53. numer. 4. languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, poſuit enim Deus in eo iniquitatem omnium noſtrum, & oblatus, quia voluit, nec aperuit os ſuum. Et nos quando tribulamur, quia peccauimus, confitentes quæramus faciem illius, vultum eius, qui à fœtore peccati noſtri factus eſt quaſi abſconditus: quæramus ſemper, quia ſemper peccamus illi, ſed dolentes reuertamur ad illum, digna enim patimur quando tribulamur; quid enim indignè patimur? Quod facit qui iuſtus eſt; inquit enim Pſalmiſta, Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra: ſæuire videtur Deus, cum iſta facit: Pater eſt, ne metuas, nunquam ſic ſæuit, vt perdat, quando malè viuis; ſi parcit, plus irascitur; omnino iſtæ tribulationes flagella ſunt corrigentis, ne ſit ſententia punientis.

Auguſtin. in d. Pſalm. 65. lit. M. ſuper illa verba. Tranſiuimus per ignem, & aquam. Ignis, & aqua vtrunque periculoſum eſt; in hac vita certè videtur aqua ignem extinguere, & ignis videtur aquam ſiccare, ità & tentationes ſunt, quibus abundat hæc vita. Ignis vrit, aqua corrumpit, vtrunque metuendum eſt, & vſtio tribulationis, & aqua corruptionis. Quando ſunt res anguſtæ, & ali-

Digitized by Google

aliquæ infelicitates ſunt in hoc mundo, quaſi ignis eſt; quando ſunt res proſperæ, & abundantia ſæculi circumfluit, quaſi aqua eſt; vide, ne te ignis exurat, ne aqua corrumpat; firmus eſto aduerſus ignem, coqui te oportet, tamquam vas fictum, mitteris in caminum ignis, vt firmetur, quod formatum eſt. Vas ergo, quod in igne firmatum eſt, aquam non timet; vas autem ſi ſolidatum igne non fuerit, tamquam lutum aqua ſoluetur. Noli feſtinare ad aquam, per ignem tranſi ad aquam, vt tranſeas & aquam; Dominus poſt inducet nos in refrigerium.

Audite lactentes, & puſilli, & mirabilium eius, quæ fecerit, mementote. Cælum, & terram, & omnia quæ in eis ſunt, ipſe creauit, ipſe Dominus gubernat, ipſi eſt cura de omnibus. Nonnè & ipſe fecit nos, & creauit nos, & non ipſi nos, Pſal. 99. nu. 3. & latius vide Auguſt de Mirabilibus ſacræ Scripturæ, Tom. 3. lib. 1. & per totum, & Geneſ. capit. 1. & per totum. Vt nobis augeatur fides, cum Abraham exeamus de domo noſtra, de cognatione noſtra, & fides nobis reputabitur ad iuſtitiam, ad Roman. capit. 4. numer. 3. Inueniemuſquè inter vepres Arietem hærentibus cornibus, quem aſſumentes cum Abraham in holocauſtum pro anima noſtra offeremus, Geneſ. capit. 22. numer. 12. Quis eſt ille Aries, quo immolato impletur ſignificatiuo ſanguine ſacrificium? Vidit illum Abraham, quando in frutice tenebatur, Ieſus Chriſtus illo figurabatur; antequam immolaretur ſpinis Iudaicis coronatus: Auguſtin. de Ciuit. Dei lib. 16. capit. 32. litera C. Tom. 5. fol. 153. Semen enim Abraham ſerui eius, filij Iacob electi eius. Beatus es tu Iſrael, quis ſimilis tui populo, qui ſaluaris in Domino? Deuteronom. cap. 33. numer. 29. Aſcendens enim Dominus hodie in altum captiuam duxit captiuitatem, Pſalm. 67. numer. 19. ad Epheſ. capit. 4. numer. 8. ipſe enim ſolus eſt, qui eripere poterat à peccato, & à morte liberare, Iſai. capit. 43. numer. 23. Ego enim ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me: ferueat fides, creſcant opera bona, & inueniemus Arietem cornua erigentem in Spinis, vt immolatus deleat peccata noſtra, vt & ſanguine eius lauentur crimina noſtra; videamus faciem eius ſemper, tunc enim illuminatæ facies noſtræ non confundentur, Pſal. 33. numer. 6.

Semen ergo Abraham ſerui eius, filij Iacob electi eius. Nunquid omnes, qui ex Abrahæ ſemine electi? non inquit; audite ergo, inquit, vos omnes ſemen Abraham, & filij Iacob mirabilia, quæ fecit Deus, prodigia oris eius. Non ergo vni genti Iſraelitarum hoc tribuitur ſecundum carnem, ſed ſemini Abrahæ, filijs promiſſionis, & filijs carnis; vndè Apoſt. ad Galat. capit. 3. num. 29. vos ergo Abrahæ ſemen eſtis ſecundum promiſſionem hæredes, & ad Roman. cap. 9. numer. 6. non enim omnes, qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſraelitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij; ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, Geneſ. cap. 21. numer. 19. ideſt non qui filij carnis, hi filij Dei; ſed qui filij ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine, & nume. 17. Cum enim nondum nati fuiſſent filij Saræ, Geneſ. cap. 18. numer. 10. & Rebeccæ, Geneſ. cap. 25. numer. 24. aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui, Malach. 1. num. 2. Miſeretur enim Deus, cuius miſeretur, &

gitized by Google

misericordiam præstabit, cui miseretur, Exod. 33. num. 19. Non igitur volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, &c.

Sed si qui ex carne, non omnes ex semine Abrahæ, cur hìc dicitur semen Abraham serui eius, filij Iacob electi eius? hoc Sapiens ille declarat ad propositum, per quos scilicet mirabilia Dei sint enarranda, Eccles. capit. 42. numer. 17. Nonnè, inquit, Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmauit Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua? hos ergo, quos fideles fecit Dominus, elegit Dominus, vt annuncient mirabilia, & prodigia eius, vt dicitur hìc. Non enim peccatori prodest enarrare iustitias Domini, cui Dominus dixit, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Psalm. 49. numer. 6. Semen ergo Abraham serui eius, filij Iacob electi eius, hi enarrent mirabilia Dei: sed ideò potissimum filij Iacob, vt non solum quia fideles, sed & quia sint vitia carnis superantes, luctatores, & vincentes mundana, sicq. Domino benedicentes, vt ab illo sint prius benedicti: Non te dimittam, aiebat quippè Iacob ad Angelum repræsentantem Deum ipsum, nisi benedixeris mih, Genes. 32. num. 24. Dicite ergo mirabilia filij Iacob electi. Luctabatur Iacob cum Angelo, à quo post luctam, dictum est illi, Non vocaberis amplius Iacob; sed Israel tuum erit nomen, nàm si Deum vicisti, quantò magis homines.

Ipse Dominus Deus noster, in vniuersa terra iudicia eius. Dominus enim vniuersorum ipse est, Iudith cap. 6. num. 4. Ierem. cap. 32. num. 27. Mich. c. 4. num. 13. Zach. cap. 4. num. 14. & ad Hebr. cap. 1. num. 2. Et in vniuersa terra iudicia eius, & in omni terra vbi prædicantur iudicia eius, vbi est Ecclesia eius, & in alio Psalm. 147. Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israel, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

Augustin. Ideò dictum est, quia ad vnam gentem voluit intelligi pertinentem Ecclesiam ad semen Abrahæ, quæ vocata est quidem ex omnibus gentibus, & sic in ea dicuntur omnes gentes, vt vna sit gens in adoptionem vocata; extrà illam nulli genti manifestauit iudicia sua, quoniam qui ea non crediderunt, etiam si annunciata sunt, manifesta eis vtique non sunt, quia nisi credát non intelligent; Quocircà ad Galat. 3. nu. 16. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius; non dixit, & seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Omnes ergo, qui in Christo baptizati sunt, quorum fides est in eum, ex semine Abrahæ, idest Christi sunt, & cum in omni terra sint Christiani, Dei mirabilia ad omnes terræ partes dilatata sunt, & iudicia manifestantur in illis, cum & aliqui conuertantur, & cæteri condemnentur; quia alij iudicati, alij salui fiant. Quis dicet Domino, quid fecisti? aut quis stabit contrà iudicium eius? & quis imputabit illi, si perierint nationes, quas ille fecit? Sap. cap. 12. num. 12. Iudicia Dei abyssus multa, Psal. 35. num. 7. quæ nullus mortalium discutere potest.

Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi, quod mandauit in mille generationes. Quod verbum declarat, dicens, Verbi, quod mandauit in mille generationes, idest in sæcula sæculorum duraturi. Figura enim pertransiuit, postquam figuratus venit. Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt, Matth. cap. 24. numer. 35. Quod verbum mandauit in

mille

by Google

mille generationes, ideſt in æternum. Prædicate verbum omni creaturæ, qui crediderit ſaluus erit, Marc. cap.16.num.14. Quod verò eſt teſtamentum, de quo memor fuit in ſæculum Dominus? Teſtamenti ſcilicet veteris, in quo multa Dei præcepta, & quæ ſeruantibus illa promiſit, de quibus Geneſ. & Leuit. & in cap.26.nu.14. & 42. Et recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Iacob, Iſaac, & Abraham, & numer.45. Hæc ſunt iudicia, atque præcepta, & leges, quas dedit Dominus inter ſe, & filios Iſrael in monte Sinai per manum Moyſis, & in Numer. cap.14. per totum, & Deuteronom.cap.28. per totum, & numer.9. Si cuſtodieris mandata Dei tui, & ambulaueris in vijs eius, &c. Quod ſi audire nolueris vocem Domini tui, vt cuſtodias, & facias omnia mandata eius, &c. ſuper te venient omnes maledictiones iſtæ, &c. & nu.43. Aduena, qui tecum verſatur in terra, aſcendet ſuper te, eritq. ſublimior; tu autem deſcendes, & eris inferior, &c. ipſe erit in caput, & tu eris in caudam, quia non audiſti vocem Domini Dei tui, nec ſeruaſti mandata eius, & cæremonias, quas præcepit tibi, & erunt in te ſigna, atque prodigia, & in ſemine tuo vſque in ſempiternum. Memor ergo fuit Dominus teſtamenti ſui; nàm populus, qui dicebatur prius ſicut aſtra cæli præ multitudine, pauci numero propter delictum remanſit iuxtà comminationem, Deuteron.cap.28.num.62. Verbum autem, quod mandauit in mille generationes, in omnem terram, quò exiuit illius ſonus, in æternum permanſurum, vt qui in eo erunt credentes multiplicentur, & viuant in æternum.

Memor fuit teſtamenti ſui, quia ſcilicet per peccatum Iudæorum ſublatum, ideſt, ſicut minatus eſt eis Deus; nàm lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem. Verbum verò Euangelij, & Teſtamenti noui mandauit in mille generationes; per illud namque ſaluæ factæ ſunt omnes generationes, quæ in illud credent, & mandata eius cuſtodient.

Memor fuit teſtamenti ſui, promiſſionis nimirum ſuæ, qua Chriſtum Abrahæ promiſit, Geneſ. cap.22.num.16. Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia non pepercisti Vnigenito tuo propter me, benedicens benedicam tibi, & in ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ, ibidem numer.18. vndè Luc.cap.1.num.57. & 73. Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis, iuxtà illud Iſai.cap.41.numer.8. cum ſequen. Et tu Iſrael ſerue meus, Iacob quem elegi, ſemen Abraham amici mei, & num.10. & ſuſcepit te dextera iuſti mei, confundentur, & erubeſcent omnes, qui pugnant aduerſum te: erunt quaſi non ſint, quæres eos, & non inuenies viros rebelles tuos; erunt quaſi non ſint, & in Pſalm.131.num.11. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, & num.18. Inimicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea; ſequitur propterea verſiculus.

Quod diſpoſuit ad Abraham, & iuramenti ſui ad Iſaac: hoc autem conſtare dicitur ex Geneſ.cap.21.num.12. In Iſaac vocabitur tibi ſemen: figura enim Chriſti fuit Iſaac obediens Patri, vt ligatis manibus, & pedibus in holocauſtum Deo ſacrificetur. Chriſtus enim ſicut Agnus ad occiſionem ductus eſt, nec aperuit os ſuum, Iſai. cap.53.

Quod diſpoſuit ad Abraham, & iuramenti ſui ad Iſaac. Nunquid enim, dixit Deus, celare potero Abraham, quæ facturus ſum, cum futurus ſit in-

gentem magnam, & robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ? ſcio enim quòd præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iuſtitiam, vt adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus eſt ad eum, Geneſ. d. cap. 18. num. 18. cum ſequen. & quid Iſaac filio Abraham promiſit? Geneſ. cap. 26. numer. 23. Aſcendit autem ex illo Iſaac in Berſabee, qui dicitur Puteus Iuramenti, vbi apparuit ei Dominus in illa nocte, dicens; Ego ſum Deus Abraham Patris tui, noli timere, quia ego tecum ſum. Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum propter ſeruum meum Abraham. Ibi altare ædificauit, & inuocato nomine Domini, extendit Tabernaculum, & ſeruis ſuis præcepit, vt foderent Puteum; vbi abundantiam inuenerunt aquæ, & nomen Vrbi Berſabee impoſitum eſt, ibid. 26. num. 33.

Quid ad aquæ copiam iuramentum? Niſi quia ex abundantia aquarum in omni terræ loco baptizandæ gentes ſaluæ fieri debebant in nomine Iſaac, ideſt in nomine Ieſu Chriſti, cuius ipſe typus erat. Puteus altus eſt dicebat illa, & quomodò tu, cum Iudæus ſis, petis à me aquam, quæ mulier Samaritana ſum? Ioan. 4. nu. 11. Nunquid tu maior es Patre noſtro Iacob, qui ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? cui Ieſus, Omnis, ait, qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternũ, ſed aqua quã ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternã. Abundãtiam ecce aquæ ex Domino. Ite, inquit, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes, &c. Matth. 28. Abierunt in Galilæam in montem, vbi conſtituerat illis Ieſus; & videntes eum adorauerunt, & accedens Ieſus locutus eſt eis; dicens, &c. & ecce vobiſcum ſum omnibus diebus, &c.

Et quid in Iſaac ſcriptum inuenimus, poſtquam venit ad locum Berſabee? Apparuit ei Dominus, dicens, Ego ſum Deus Abraham Patris tui, noli timere, quia ego tecum ſum: Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum. Et Diſcipulis quid dixit Dominus? omnes gentes baptizate, &c. multiplicatur ſemen Chriſti in Iſaac; quia per memetipſum iuraui, Geneſ. dicto cap. 22. Benedicens benedicam tibi, & in ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Hæc eſt aqua, de qua per Ezech. cap. 26. num. 23. dictum eſt, Cum ſanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuerſis terris, & num. 24. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris; & dabo vobis ſpiritum nouum in medio veſtri, Ioan. verò cap. 7. numer. 38. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, hoc dixit de Spiritu ſancto, quẽ accepturi erant credentes.

Ecce lumbare lineum ſuper lumbos Ieremiæ poſitum, & in foramine petræ iuſſu Domini abſconditum, quod poſt multos dies, cum vt illud tolleret, reuerteretur in Euphraten, inuenit, quòd computruerat, ità vt nulli vſui aptum eſſet. Sic putrefaciendi erat Iudæ, & Ieruſalem ſuperbia multa, Ierem. cap. 13. numer. 9. Captus enim eſt grex, qui Domini iàm erat, corona gloriæ deſcendit de illorum capite, & idem Ierem. cap. 31. numer. 31. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum; non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti; ſed hoc erit pactum,

quod

quod feriam cum domo Iſrael, poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in viſceribus eorum.

D. Auguſt. non videtur congruè aptari poſſe illud, Quod diſpoſuit ad Abraham, & iuramenti ſui ad Iſaac, ad vetus teſtamentum. Sed ad teſtamentum & fœdus fidei, iuſtificationis, & glorificationis, ait namque litera M. Si hoc loco, teſtamentum vetus intelligendum eſt propter terram Chanaan, ſic enim ſermo contexitur. Statuit illud ipſi Iacob in præceptum, & ipſi Iſrael in teſtamentum æternum, dicens, tibi dabo terram Chanaan funiculum hæreditatis veſtræ: quomodò intelligendum eſt æternum, cum terrena illa hæreditas æterna eſſe non poſſit? Et ideò vetus teſtamentum vocatur, quia per nouum aboletur. Mille verò generationes, nec æternum videntur aliquid ſignificare, quia vtiq. finem habent, & ad ipſa temporalia nimis multæ ſunt, quamlibet etiam paucis annis generatio determinetur quam minimam quidam quindecim annis determinauerunt, ex qua homo incipit poſſe generare. Quæ ſunt iſtæ mille generationes? Non ſolum à tempore Abraham, quando ei facta eſt iſta promiſſio, vſque ad tempus noui teſtamenti, ſed ab ipſo Adam vſque ad terminum ſæculi; quis enim audeat dicere quindecim annorum millibus hoc ſæculum extendi?

Proinde mihi videtur, non hìc vetus teſtamentum intelligendum, quod nouo eſſet tollendum: quocirca illud Ierem. cap. 31. num. 31. Ecce dies veniunt, &c. vt dixi ſupra, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum non ſecundum pactum quod pepigi cum Patribus eorum, quando ex Ægypto eduxi eos, &c. quod ſcilicet pactum nouum ſit pactum fidei, quod à Paulo, ad Galat. cap. 3. litera B. laudatur, quia Abraham ante circumciſionem credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Deniq. cum dixiſſet, Memor fui in ſæculum teſtamenti ſui; quod in æternum intelligere debemus, teſtamenti ſcilicet iuſtificationis, & hæreditatis æternæ, quam fidei promiſit Deus, & vt latius ibi per ipſum, quod facilius ex ſequenti verſiculo intelligi poterit, ibi, quod diſpoſuit ad Abraham, & iuramenti quod diſpoſuit ad Iſaac, vt memor ſit verbi, quod diſpoſuit ad Abraham, & iuramenti, quod diſpoſuit ad Iſaac, quid enim mandat? fidem: quid obſeruanti promittit? vitam æternam: præceptum ergo eſt, vt ſit fides, & illius obſeruantia, merces verò operis eſt promiſſio. Opus ergo eſt in præcepto, merces eſt in promiſſo, opus enim Dei eſt, vt credamus in eum, quem ille miſit, Ioan. cap. 6. num. 29. Verbum verò hìc eſt, quod mandauit in mille generationes, hoc eſt verbum, quod mandauit, quod prædicamus, ſtatuit illud ipſi Iacob in præceptum, & ipſi Iſrael in teſtamentum æternum: ideſt quod ex ipſo verbo, & præcepto impletur, daturus eſſet aliquid æternum, dicens; Tibi dabo terram Chanaan funiculum hæreditatis veſtræ; Chanaan lacte, & melle fluens, non eſt æterna, ſed æternum ſignificat, guſtato enim Domino, quid illo ſuauius? Pſal. 33. num. 9.

Pactum ergo præcedit; merces ſubſequitur, ſed cum quibus paciſcitur? cum Abraham, Iſaac, & Iacob, & ſemine eius; quorum fides prius erat in Deum: ſed quare terra Chanaan pro mercede? quia fides ſine operibus mortua eſt, Chanaan enim negotiatio interpretatur, & quid in negotiatione requirit Dominus? humilitatem; & tunc merces eſt illis data terra lacte, & melle fluens. Abraham fidelis, quia credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam;

Iſaac

Isaac humilis, quia & si grandæuus, ligari passus est, vt pro sacrificio Deo offeratur, Iacob negotiator, quia Domino erexit Altare, & dona ei obtulit, quia luctando cum Angelo obtinuit benedictionem à Deo, & neruus eius emarcuit.

Hæc enim ad nostram doctrinam scripta sunt, vt fideles Christum confitentes, eius vestigia operando sequentes, Tabernaculum illi corporis, & animæ nostræ offeramus, vt terram Chanaan, quam nobis offert lacte, & melle manantem feliciter ingressi, funiculum hæreditatis nostræ dilatantes, & pelles tabernaculorum nostrorum benè operando extendentes, longiores funiculos nostros faciendo, ad dexteram, & ad læuam penetremus: terra Chanaan lacte, & melle manante, idest Iesu Christi Redemptoris nostri præsentia perfruentes: Vnam petij à Domino, dicit Psalm. 26. num. 4. hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, & visitem Templum eius.

Vt Templum suum nos protegat, Templum eius fiamus: habitare vult in Templo Domini Propheta, vt contempletur Domini dilectionem. Sed vt contemplemur, quid faciendum? audi Augustin. litera B. ibidem, Nulla suggestio auertat, nulla auferat alicuius potentia, nullum inimicum patiar in contemplando, & perfruar delicijs meis securus, ipso Domino meo. Quid fiet mihi? proteget me; vt ergo Templum suum me protegat, ero Templum eius, & protegar ab eo: contemplabor ad delectationem, & protegar ad salutem. Mandatum ergo Domini obseruemus, vt accipiamus promissum: qui enim nobis longè positis nobiscum paciscendo promittit, quomodò nobis secum positis promissa non adimplebit? Quomodò peccatores auderemus à Deo aliquid petere, nisi de eius confidentes misericordia, & de illius pignore. Si tantum promissum dedit Dominus peregrinanti, num deseret nos peruenientes? Si fœdam animam nostram dilexit, quia pro iniquitatibus nostris mortuus est; factam pulchram per fidem, & opera bona nostra, quomodò in terra Chanaan, idest in Tabernaculo suo nos non recipiet? Quid iucundius? quid dulcius præsentia Dei frui? Fidelis Dominus in verbis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis, Psalm. 144. num. 13. & 7. Memoriam abundantiæ suauitatis eructabunt: attende ad te ipsum. Quid mereberis peccator, contemptor Dei, quid mereberis: quid occurrit tibi, nisi pœna, nisi supplicium? Malum debebatur tibi, & gratis tibi pœnitenti promisit Regnum Dei. Venia datur peccatori, datus est spiritus, & Spes iustificationis; data est Charitas, dilectio, in qua omnia bona facias; & super hæc dabit vitam æternam, & societatem Angelorum. Totum de misericordia; merita tua nusquam iactes, quia & illius dona sunt, non tua. Gratis ergo colamus Deum, qui est hæreditas nostra.

Pauci erant in principio credentes in illum, multi ex Discipulis, audito, verbo, abierunt, pauci cum Christo remanserunt; Ioan. cap. 6. nu. 7. Duodecim tantùm cum Christo remanserunt, & vnus ex eis Diabolus, ibidem nu. 71. Cum, ergo sequitur Psalm. essent numero breui, pauciſſimi, & incolæ eius, pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Ecce, inquiunt discipuli, quia vitæ æternæ indignos vos iudicatis, conuertimur ad gentes; sic enim præcepit nobis Dominus, Isai. cap. 49. num. 6. Posui te in lucem

lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Et quamuis hæc de Patriarchis Abraham, Iacob, & Ioseph, necnon de Populo, quem Dominus in manu potenti de Ægypto eduxerat in terram promissionis; in figura tamen illis, nobis autem, idest Apostolis, & Christianis adaptantur, quorum sanguine, & mortibus creuit Ecclesia in omnibus mundi partibus.

Cum essent numero breui, & tamen dictum est Abrahæ, Exi de cognatione tua, &c. & faciam te in gentem magnam, similiter & Isaac, & Iacob, Genes. vt suprà. Erant numero breui, idest pauci numero, & vt in gentem fierent magnam, quid oportuit illos facere? Ire in terram Chanaan. Et quid illis faciendum in illa terra? laborare, persecutiones, & damna pati ab Ægyptijs, & tamen crescunt numero grandi.

Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges, Genes. d.c. 12. & cap. 20. & 26. & 32. Sic flagellauit Pharaonem, & domum eius, sic Abimelech Regem, quem ne Abraham vxorem violaret, deterruit, & ità etiam Iacob à Laban defendit. Itemq. & quando filij Iacob pertranseuntes per desertum, vt caperent terram: Nàm quando in Ægypto erant, turbabantur valdè Iudæi ab Ægyptijs, vt Exod. 1. in deserto autem nullus nocere eis potuit, nisi peccatum illorum, propter quod à viginti annis, & supra omnes in deserto perierunt, Exod. cap. 17. & Num. 20. & 31. Non reliquit hominem nocere eis, immo corripuit pro eis Reges terræ, quos omnes occidi mandauit.

Sed nunquid non hæc Apostolis euenerunt? occisi tandem sunt à Nerone Petrus, & Paulus, vt post tot labores coronam martyrij accipere mererentur, ità Deo permittente. Amiserunt parum, & lucrati sunt Regnum; Superbierunt impij persecutores, & magis amore Dei succensi sunt pauperes, Psalm. 9. num. 2. Dum superbit impius incenditur pauper, comprehenduntur in consilijs, quibus cogitant.

Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Sed quomodò Christos vocat si nondum venerat Christus mediator hominum? 1. ad Thessalon. cap. 2. S. Augustin. hìc, Christi appellati antequam esset vnctio, ex qua hoc nomen impositum est Regibus, quod à Saule cœpit, cui Dauid successit in Regno, atque inde cæteri, &c. Hac enim continuatione sacratæ consuetudinis vngebantur Reges, in qua vnus verus Christus figurabatur, cui in Psalm. 44. dictum est, Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Vndè ergo illi iàm tunc Christi appellabãtur? An ideò Christi, quia latenter Christiani? quamuis enim caro Christi ex illis, tamen Christus ante illos, Ioan. d. cap. 8. Quomodò ergo hunc illi ignorarent, aut in eum non crederent, cum propterea Prophetæ dicerentur, quia, licet occultius, tamen Dominum pronunciabant? erant enim Abraham, & cæteri Prophetæ. Vidit certè Abraham, & gauisus est; non enim quisquam præter istam fidem, quæ est in Christo Iesu, siuè ante eius Incarnationem, siuè posteà, reconciliatus est Deo, cum sit ab Apostolo diffinitum veracissimè, Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei, & hominum Christus Iesus.

Nisi verò propter excellentiam Dauid Christos appellasse dicamus, Principes enim erant Isaac, Abraham, & Iacob, in Isai. cap. 10. nu. 8. dicitur. Nunquid non Principes simul Reges sunt? Inter Iudæos multi Principes erant, Principes Iuda, & Principes Zabulon, &c. Psalm. 67. numer. 28. Dici quoque

posset,

poſſet, & illos dictos vnctos, quia tametſi non corporaliter, nàm vnctio à Moyſe cœpit de præcepto Domini, vt in *Exod.* cap.29.nu.7. tamen ſpiritualiter vncti fuerint vtpotè boni Principes, iuxtà illud Ioan. cap. 2. num. 20. in fine: Sed vos vnctionem, inquit, habetis à Sancto, & noſtis omnia.

Et vocauit famem ſuper terram, & omnem firmamentum panis contriuit. Hiſtoria ſatis de per ſe clara eſt, vt videre eſt in Geneſ. cap. 37. & in alijs, & cap. 41. Omnia autem hæc in figura contingebant illis; quando enim Dominus vocauit famem ſuper terram, hoc eſt mandauit terræ, nè daret fructum in tempore ſuo, ſicut quando fecit cælum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt, dixit, & facta ſunt, ſic & etiam imperauit vento, & mari, & obedierunt verbis Domini; Luc. cap.8.num.24. Matth. cap.8.num.26. Vocauit ergo Dominus famem; ſed quando? ſcilicet, vt dicit Paul. ad Galat. cap.4.num.4. At vbi venit plenitudo temporis; ſub elementis mundi erant homines ſeruientes, nec fructum dabat terra, quia nondum natus de Virgine venerat Dominus. Sed quando venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum Vnigenitum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret. Miſit Iacob filium ſuum, vt quid eſſet de fratribus videret; viderunt fratres, & vt illum proderent, cogitare cœperunt. Nato Domino, turbata eſt omnis Ieroſolyma: cogitauerunt hæredem occidere. In ſeruum venundatus eſt Ioſeph ſomniator, quem vndecim Stellæ cadentes adorauerunt. Quid facimus, quia totus Mundus vadit poſt illum? Ioan. cap.12. numer.19. Melius eſt, vt vnus moriatur pro populo, dicebat ille, cum eſſet Pontifex anni illius, Ioan. cap. 11. num. 49 Non mittamus manus noſtras in ſanguinem, dicebat Ruben, venundetur. Quæſierunt Iudæi opportunitatem, vt traderent Ieſum; pertranſierunt mercatores, venditur Ioſeph, Geneſ. cap. 37. In cor Iudæ tranſit Diabolus, venditur Chriſtus Iudæis ſicut Ioſeph mercatoribus. Non licebat fratribus Ioſeph ſanguinem effundere; dicebant Iudæi Pilato, niſi eſſet iſte malefactor, non tibi tradidiſſemus illum; non licet nobis occidere quemquam, Matth. cap.27.num. 15. cum ſequen.

Vocauit famem ſuper terram, vt videntes Iudæi non viderent, & intelligentes non intelligerent, Iſai. cap.6.num.10. Matth. cap. 15. num.7. Et omne firmamentum panis contriuit, Iſai. cap.28.num.27. panis autem comminuetur, verbum enim caro in cor illorum non introiuit. Durus, dicebant, eſt hic ſermo, quomodò poteſt homo carnem ſuam dare ad manducandum? Ioan.6. num.53. Vocauit famem ſuper terram; non enim erat, qui legem Dei obſeruaret, Matth. cap.23. per totum, Vel verbum Dei audiret, nec penè quis inueniebatur, qui audiendi Verbi Dei deſiderium haberet, vndè Amos cap.8. num. 11. Mittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini.

Miſit ante eos virum, in ſeruum venundatus eſt Ioſeph. Ecce quomodò vſus eſt malis in bonum. Quem virum? Ioſeph; ſed quomodò ante eos? nàm poſtquam in peccatum conſenſerant, poſtquam in corde malà locuti fuerant de Ioſeph; & propter inuidiam illum occidere decreuerant, iuſtum ante eos miſit, ſi forſan illum videntes, à malo, quod facturi erant, receſſiſſent; in cor illorum bonum inſufflauerat, vt videntes Ioſephum iuſtum à malo pœnitentes recederent. Induratum eſt cor illorum, non admiſerunt

Spiri-

tized by

Spiritum ſanctum, prævaluit Satan, quem ſequebantur; non occiderunt, quia prævaluit auaritia; in ſeruum venundatus eſt Ioſeph. Quod attinet ad illorum voluntatem ſatis illum occidiſſe dicitur, quem procul à Patre, & à cognatione vendentes proiecerunt, & vt mortuum longè ab ipſis dimiſerunt.

Miſit ante eos virum; quem Virum? Filium ſcilicet ſuum. Miſit Dominus filium ſuum, quem forſan verebuntur, Ioan. c. 21. nu. 38. Et apprehenſum eum, eiecerunt extrà vineam, & occiderunt, Matth. c. 13. num. 13. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt.

Humiliauerunt in compedibus pedes eius: ferrum pertranſijt animam eius. Nàm in carcere coniectus, ideò in compedibus; quia ſeruus pœnæ factus, captus, & ligatus; phraſi ſimili dicitur de Maria Virgine, quòd gladius ipſius animam pertranſibit, Luc. c. 2. tribulationem enim duræ neceſſitatis pertranſiuit. Humiliauerunt, & ecce quia exaltatus, Geneſ. c. 37. nàm fratribus, & patri Iacob optimam terram dari fecit à Pharaone. Humiliatus eſt Chriſtus, quia & ipſe ligatus, colaphis cæſus, flagellatus, & tandem in cruce fixus, & eccè quia ſurrexit, ipſiq. omnis poteſtas data eſt in cælo, & in terra, Patres ab inferno liberauit, & illos ſecum in Paradiſum traxit, Matth. cap. 27. num. 53. & cap. 28. in fine: & ideò dicit Ioan. cap. 12. nùm. 26. Nunc anima mea turbata eſt, & quid dicam? Pater ſaluifica me ex hac hora, ſed propterea veni in hanc horam; Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo; Et clarificaui, & iterum clarificabo; tonitruum factum dicebant; alij verò, quòd Angelus locutus eſt; non propter me, ſed propter vos hæc vox.

Vel aliter dicamus, Humiliauerunt, donec veniret verbum eius. Nàm in Cruce poſitus emiſit ſpiritum, & mortuus poſt tres dies reaſſumpſit corpus, & apparuit per quadraginta dies, & aſcendens in cælum viſus eſt ab hominibus pluſquam quadringentis, Act. cap. 1. num. 14. 1. Corinth. c. 15. nu. 8. & 13. nu. 31. Ferrum pertranſijt animam eius, ideſt totum corpus eius, nàm anima pro corpore accipitur aliquando, vt in Geneſ. d. c. 37. Animæ ſeptuaginta deſcenderunt in Ægyptum. Tamquam ad latronem, cum fuſtibus, & laternis comprehenderunt Ieſum, Matth. vt ſupra. Ferrum pertranſijt animam eius, donec veniret verbum eius: afflictio enim magna inuenerat Dominum, quæ tamquam ferrum pertranſiuit animam eius, nàm Triſtis, dicebat, eſt anima mea vſque ad mortem, Matth. cap. 26. nu. 38. Et factus eſt in agonia, & ſudor eius factus eſt ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, Luc. cap. 22. nu. 44. Donec veniret verbum eius, apparuit enim ei Angelus de cælo confortans eum, Luc. ibid. nu. 43.

Ferrum pertranſijt animam eius. Quod ferrum? peccata nempè multorum, quæ ipſe tulit, propterea virum dolorum illum vidimus, &c. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum: Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus propter ſcelera noſtra, Iſai. c. 53. per totum, & nu. 12. donec veniret verbum eius, nàm pro eo quòd laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur, diſpertiam ei plurimos, & fortium, ideſt dæmonum diuidet ſpolia; idq. ideò, quia eloquium Domini inflammauit eum, Sic enim dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.

Miſit Rex, & ſoluit eum, Princeps populorum, & dimiſit eum: Ignitum elo-

eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud, Pſalm. 118. Eloquium enim Domini erat, quod per os Ioſeph emiſſum eſt, quod auditum inflammauit Regem, propterea illum in carceribus iàm poſitum ſolui mandauit Princeps populorum. Forſan Princeps iſte cuſtos erat, ſeù ciuitatis Gubernator, qui audito Regis mandato, dimiſit Ioſephum, ſeù à carceribus liberauit, vt Regem adiret. Eloquium enim Domini, &c. Sed quod eloquium Domini erat inflammans Ioſephum? cor mulieris ardebat in Ioſephi concupiſcentiam; omnes enim adulterantes, ſicut clibanus corda ipſorum, Oſe. c. 7. nu. 6. Sed flamma illius ignis non tetigit eum, non contriſtauit, quia eloquium Domini inflammauerat cor ipſius, nec ideò ignis potuit extinguere charitatem Dei, Cant. cap. 8. nu. 7. & ità ignis luxuriæ extinctus remanſit à latere ſuo.

Miſit Rex, & ſoluit eum, Princeps populorum, & dimiſit eum, Hieronym. Rex & Princeps Pater accipitur; ipſe miſit Angelum ſuum, qui reuoluit lapidem à monumento, & diſſoluit ſudaria funeris eius; ipſe quoque paterna virtute, deiecta morte, ab inferno remiſſus eſt: propterea data eſt ei omnis poteſtas in cælo, & in terra, Matth. cap. vltimo, in fine; & Principem fecit illum, vt ſit illi ſacerdotij dignitas in æternum: hic verò ſequitur Pſalm.

Conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ, vt erudiret Principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret; Hoc eſt Apoſtolos, quos ipſe Dominus in Templum, & in omnem terram miſit vt docerent gentes, Dominum verò Ieſum Chriſtum domus ſuæ Principem, ideſt Eccleſiæ Dominum conſtituit.

Et intrauit Iſrael in Ægyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham; quod eſt Iſrael, hoc eſt Iacob, & quod eſt Ægyptus hoc eſt terra Cham. Filius Noe Cham fuit, qui duos filios habuit, Chus, vndè Æthiopes, & Miſraim, à quo Ægyptij, vt in Geneſ. cap. 9. Cham iſte eſt, qui verenda patris ſui ex vini potu ebrij, in Tabernaculo ſuo nudati, nunciauit duobus alijs fratribus, d. c. 9. nu. 23. Sem ſcilicet, & Iaphet. Cham verò pater Chanaan. Iacob ergo vir iuſtus, ſeù Iſrael, in terram Cham intrauit, in terram Ægypti, anguſtiarum ſcilicet, & tribulationum. Ibi habitauerat populus Dei per quadringentos annos, inter gentes aduerſas commorando: pauci intrauerunt, ex quibus innumerabiles orti ſunt; Quid eſt hoc? Iuſti in tribulationibus, & inter diuerſas gentes quamuis anguſtiati, & oppreſſi creſcunt in populum innumerabilem. Ecce, inquit Dominus, Matth. c. 10. nu. 16. mitto vos ſicut oues in medio luporum. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum; ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur, Ioan. cap. 5. num. 20.

Et poſt Ioſeph intrauit Iſrael in Ægyptum, & Iacob fuit accola, non indigena. Quid per Ioſeph, quod interpretatur accreſcens, niſi Domini profectus, ad quem datus eſt Dominus Ieſus, Iſai. 49. nu. 6. Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ; Vndè Dominus Diſcipulis dixit, Matth. c. 28. nu. 19. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis. Intrauit Iſrael accola, Collegium Apoſtolorum in Ægyptum, in gentes, vt in illas verbum Dei ſeminarent; ſed laborantes, tribulati, vt illas ad fidem Dei adaugerent, ſaluarent, & Eccleſiam ſanguine ſuo plantarent.

Et

Et auxit populum ſuum vehementer, & firmauit eum ſuper inimicos eius. Vide, inquit D. Hieronym. myſterium. Qui quondam erant numero breui, nunc aucti, & firmati dicuntur. Augentur enim, & confirmantur iuſti à Domino, ne eis aduerſæ præualeant Poteſtates; necabantur omnes maſculini fœtus, filiorum Iſrael, Exod.cap.1. & 3. & ipſi in faciendis lateribus conterebantur; ſed poſteà in manu potenti per ſigna, & portenta Domini metuendi, & honorandi facti ſunt. In primitiua Eccleſia de Chriſti Diſcipulis, de fidelibus quid fecerunt gentes? Reges vt placerent Iudæis, Apoſtolos occiderunt, lactentes in fide necauerunt; & ecce nunc conuerſi Reges ad Chriſtum, nunc populi innumerabiles facti ſunt, & duorum Regum contentionibus deuictis, ad pedes Apoſtolorum proiecti, ij confitentur Regem Regum. Chriſtum Redemptorem filium Dei Vnigenitum.

Conuertit enim, dicit Pſalmiſta, cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius. Ad malum iàm ſemper erant inclinati, & dediti, & populum tamquam accolam non reſpiciebant, quaſi imbecilles eſſent, & incolæ, nihili illos faciebant, ſed poſtquam in tàm magno numero creuerunt, vt Dominus populo ſuo benefaceret, conuertit cor eorum Gentilium, quod iàm erat ad malum, in pauperes euangelizantes, poſt quos totus mundus abibat, conuertit, inquam, cor Iudæorum, & Gentilium, ideſt permiſit, vt iniquitatem ſuam in Diſcipulos exercerent, & oculos ſuos in Chriſti filios, quibus inuidebant dirigerent: non quod Deus ſit malorum auctor, ſed vt fideles tamquam aurum in fornace patientes probarentur, & malignantes, vel exemplo eorum conuerterentur ad Deum, vel in peccato permanentes exterminarentur, Pſalm.36. numer.9. Semen enim illorum erat maledictum ab initio, Sap.12.num.11. Conuertit cor eorum, quod erat malum, vt odium ſuum conuerterent in iuſtos. Quot verò conuerſi ſint ad Chriſtum, Martyrum exemplo, ſatis vbique licet videre in Act. Apoſtolorum, & in libris Sanctorum.

Conuertit ergo cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius. Vt ex malo ipſorum ex vtraque parte bonum eliceret ipſe Deus, vt ſcilicet ipſos pœnitentes, ſanctos verò patientes omnes ſaluos faceret; Et ideò in Sapien. capit.12.numer.1. O quàm bonus, & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus, ideòq. eos, qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant, admones & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine.

O viæ Domini inſcrutabiles, ex eo quod aliàs eſſet ruinoſum, & delebile, perficit fundamentum Eccleſiæ, & augmentum inenarrabile: ex ſanguinis effuſione Deus iacit fundamentum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. Exterminantur ab Ægyptijs Iudæi, mittit Dominus Moyſen ſeruum, & auxit populum ſuum vehementer, & firmauit eum ſuper inimicos eius. Mittit Dominus pauperes Diſcipulos ſine pera, ſine veſtimento, & totus mundus perſequitur illos: & poſuit ſuper eos Orbem, quem correxerunt, & in æternum non commouebitur, Pſalm.95.numer.10. fides enim illorum nunquam deficiet, vndè 1.Reg.cap.2.numer.8. Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat, & poſuit ſuper eos Orbem, ibidem numer.8.

Digitized by Google

Auxit populum ſuum vehementer, & firmauit eum ſuper inimicos eius. Dilatatum eſt enim os ſuum, quia lætatus eſt in ſalutari ſuo, 1. Reg. dicto capit. 2. numer. 1. Dominum formidauerunt aduerſarij eius, quia ſuper ipſos in cælis tonabit. Miſit enim Moyſen ſeruum ſuum, Aaron, quem elegit ipſum; ad quod illos miſit; & ad quem miſit? ſeù quos? ad Pharaonem miſit Moyſen, Exod. capit. 7. numer. 1. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis; & Aaron frater tuus erit Propheta: tu loqueris ei omnia, quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Iſrael de terra ſua. Sed ego indurabo cor eius, & multiplicabo ſigna, & oſtenta mea in terra Ægypti. Vide Dei miſericordiam, prius admonet: ante flagellum ſigna oſtendit, vt pœnitens Pharao reuertatur ad Dominum. Miſit Moyſen Deum Pharaonis, miſit Aaron, vt loquatur, quæ ſigna facturus ſit Dominus, & quæ flagella, in inobedientem, & non pœnitentem. Indurabo, inquit, cor Pharaonis, ideſt duritiam cordis illius non minuam, quæ in auaritia poſita erat: dimiſit ſcilicet illum in deſideria cordis ſui; non tamen deſtitit admonens loqui, vt duritiam ipſam ſuam dimitteret. Venit Ieſus Chriſtus à Patre miſſus, Ioan. dicto cap. 6. vt diſſipantes legem ſuam, (ità enim Pharao interpretatur) à via mala auerteret: omnia, quæ Ieſus ad illos loquebatur, non ab ipſo erant, ſed quæ à Patre audiuit, quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur, Ioan. cap. 3. num. 34. Verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor, Pater autem in me manens, ipſe facit opera, Ioan. cap. 14. num. 10. & in alio loco Ioan. c. 17. num. 8. Nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dediſti mihi, abs te ſunt, quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis, & crediderunt quia à te exiui, & quia tu me miſiſti, num. 9.

Induratur Pharao, ſubmergitur in maris profundum cum curribus, & equitibus ſuis, Ierem. capit. 1. numer. 10. Ecce conſtitui te, inquit, hodie ſuper gentes, & ſuper Regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Quid vides Ieremia? Virgam, inquit, vigilantem ego video. Tu autem Moyſes eleua virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & diuide illud vt gradiantur filij Iſrael in medio mari per ſiccum, Exod. 14. num. 16. Diuiſæ ſunt aquæ, & tranſierunt filij Iſrael; Currus verò Pharaonis, & exercitus: iàm quæ aduenerat vigilia matutina, extendit manus Moyſes, & reuerſæ ſunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequentes mare fuerant ingreſſi, nec vnus quidem ſuperfuit ex eis.

Leuatur Crux Chriſti in monte, currunt Iudæi blaſphemantes, & Ieſum diuidentes; leua manum Domine ſuper populum incredulum. Venerunt Romani, ſubmerſi ſunt omnes in profundum inferni, Ciuitas deſtructa, Templum igne conſumptum, ità vt nec lapis ſuper lapidem remanſerit, ſicut illis prædixerat Dominus, Luc. capit. 19. numer. 41. Iſai. capit. 25. num. 2. Poſuiſti Ciuitatem in tumulum, Vrbem fortem in ruinam, vt non ſit Ciuitas, & in ſempiternum non ædificetur, & numer. 5. Tumultum alienorum humiliabis, & quaſi calore ſub nube torrentis propaginem fortium marceſcere facies. Aaron erit tuus Propheta, quid enim per Aaron, niſi mons? Propheta tuus, quia in monte hoc, in quo ſalus noſtra facta eſt, fecit Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vin-

Digitized by Google

vindemiæ, &c. & præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam, quam orditus est super omnes nationes, præcipitabit mortem in sempiternum, Isai. d.cap.25.num.6.

Misit Moysen seruum suum. A Moyse enim lex exiet, & iudicium meum in lucem populorum requiescet. Propè est iustus meus, egressus est Saluator meus, Isai. capit.51.numer.4. & 9. Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini, consurge, sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti Draconem? nunquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? Qui posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati: & nunc qui redempti sunt à Domino reuertentur, & venient in Sion laudantes, &c. & numer.16. Posui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cælos, & fundes terram, & dicas ad Sion, Populus meus es tu. Eleuare, eleuare, consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius; vsque ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti vsque ad fæces; non est qui sustentet eam ex omnibus filijs, quos genuit, & non est qui apprehendat manum eius, ex omnibus filijs, quos enutriuit, vastitas, & contritio, & fames, & gladius, quis consolabitur te?

Posuit Dominus in eis verba signorum suorum, & prodigiorum suorum in terra Cham. Misit tenebras, & obscurauit, & non exacerbauit sermones suos. Et in morte Christi Sol obscuratus est, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, Matth. capit.27.numer.45. D. Hieronym. hic. Attende, ò Iudæe, qui secundum litteram dicta intelligis; nunquid Moyses, & Aaron in terra Cham acceperunt mandata de signis, & non potius in terra Madian? Aut in terra Cham fecerunt prodigia, & non in Ægypto? sed vt intelligas hæc per legem, & Sacerdotium vsque hodie inter gentes incredulas agi, ideò Propheta terram posuit Cham. Iàm vigilia matutina aduenit, lux orta est in mundo; tenebræ fugiant à te, ne tu cum Pharaone demergaris in mare. Moyses, lex scilicet, in terra Cham, in calidos, & nigros, in peccatores scilicet; nisi enim esset lex, peccatum non cognouissem, dicit Apostolus ad Roman. capit.3.numer.20. Misit hodie in Madian, vt iudicium obiurgans faceret in peccatores; propterea & in Ægyptum, vt tribulationibus excitaret peccatores ad pœnitentiam; ità enim Ægyptus, angustiæ, & tribulationes interpretatur. Lex ergo, & Prophetæ vsque hodie in peccatores, vbique & in incredulos. Propheta in Ægyptum, lex, & Moyses in Cham, & Madian, vt impœnitentes peccatores, & infideles scirent, se vocatos ad iudicium.

Misit tenebras, & obscurauit. Corda scilicet eorum obscurata sunt, vt videntes non viderent, & intelligentes non intelligerent, Isai. capit. 6. numer. 10. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, Sapien. cap.5. numer. 5.

Et non exacerbauit sermones eius; nàm etsi obstinatus Pharao, non tamen Dominus per Moysen dedit pœnam crudeliorem in illos, & totum Regnum, sed tantùm obtenebrauit illos, ne alter alterum videre posset: Non exacerbauit Dominus in Cruce positus, quia maledicebant illi, sed dicebat, Ignosce illis Domine, quia nesciunt quid faciunt, obscurati enim sunt, non

poſſunt præ duritia cordis illorum videre, ignoſce Domine illis; Iàm ſupra in Pſalm. 77. tractata ſunt hæc, & in Exodo.

Conuertit aquas eorum in ſanguinem, & occidit piſces eorum. Felicitas veſtra, ò hæretici infideles in piſcibus, in vanitatibus, quia Baptiſmo lotos profitemini, vos Catholicos aſſerentes, & verba Euangelij ſubuertentes, & adulterantes, vt ſenſui veſtro intendatis, vt quæ placita ſunt vobis faciatis. Vanitates veſtræ moriuntur, nec aqua Baptiſmi vos liberat, quia infideles eſtis; propterea Dominus aquas veſtras in ſanguinem conuertit, & piſces vanitatum veſtrarum morientur. Hieronym. hic. Conuertit aquas eorum in ſanguinem; vt qui ſeducendo ſanguinem effuderant paruulorum, ipſi deinceps pro aquis cruorem haurirent. Sed maxime hic verſiculus hæreticos reſpicit, & occidit piſces eorum, qui inter fluctuoſas huius mundi felicitates Regnum eſſe putabant. Aqua in ſanguinem conuerſa ſignificat, de rerum cauſis ſentire carnaliter, Auguſtin. in Pſal. 77. litera A. Hanc enim ex veſtra Euangelij euerſione colligitis carnalem vtilitatem: quis fructus, quæ vtilitas, quod bonum ex hæreſi veſtra, ex infidelitate veſtra? Audi quæ ſequuntur.

Edidit terra ranas. Loquacitates vanas, carnales, & in impudicitijs firmatas. Legimus enim apud Auguſtinum in Apocalypſ. Ioan. homil. 13. Tom. 9. litera C. Vidi, inquit Ioannes, ex ore Draconis, & ex ore beſtiæ, & ex ore Pſeudoprophetæ ſpiritus tres immundos in modum ranarum vnum, inquit Auguſtin. Spiritum vidit, ſed pro numero, & portione vnius corporis Draco, ideſt Diabolus, & beſtia, ideſt corpus Diaboli, & Pſeudoprophetæ, ideſt propoſiti corporis Diaboli, vnus ſpiritus eſt quaſi ranæ; ſunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna; ranæ namque præter horrorem, etiam in loco immundo ſunt, quæ cum aquarum incolæ, & indigenæ videantur, non ſolum aquarum refugæ, & ſiccitatis impatientes ſunt, ſed etiam in ipſis aquis, in aquæ ſordibus, & cœno volutantur. Ità hypocritæ, & hæretici, non in aqua, vt putant, degunt, ſed in ſordibus, quas credentes in aqua deponunt; Ranis ſunt ſimiles etiam homines, qui in peccatis, vel criminibus, quæ alij per Baptiſmum, vel pœnitentiam deponunt, volutari non erubeſcunt: malos in malis volunt imitari, in luto, vbi aliàs malus per pœnitentiam liberatus eſt, velut rana inuoluitur, & volutatur, ſuperuenit vltimus dies, perit confeſſio, & reſtat damnatio: hæc Auguſtin. ibi: Hieronym. hìc. In ranis Poëtarum carmina deſignantur, quia à catholica regula diſcrepantes, Regum terrenorum corda deceptionum fabulis replent. Similia Auguſtin. in Serm. 87. de Tempor. incip. Moyſes ad Ægyptum veniens, Tom. 10. vbi de ſignis per Moyſen factis, Pharaoni, & illorum interpretationibus poſt primum ſignum dicit. Secunda verò plaga, in qua inducuntur ranæ, indicari figuraliter arbitror carmina Poëtarum, qui inani quadam, & inflata modulatione, velut ranarum ſonis, & cantibus ſimiles, mundo huic deceptionis fabulas intulerunt; ad nihil enim animal illud vtile eſt, niſi quod ſonum voces, improbis, & importunis clamoribus reddit; vndè ſequitur.

In penetralibus Regum ipſorum, obſtrepunt ranæ, aditus patefit illis, intrant, & penetrabilia Regum obſtruunt ipſorum clamore, vt nec ſenſus ad veritatem audiendam detur, bonum loquentibus. Strepunt in auribus Regum

adu-

adulatores, ac vanitates, & impediunt, ne rationabilia audiantur. Omittitur dilectio veritatis, ipse enim Deus est veritas, & intrat dilectio vanitatis, loquitur veritas, perstrepit vanitas, quia veritas est contraria operibus nostris, fruamur bonis, opprimamus iustum, Sap. cap. 2. non prætereat nos flos temporis, vbique relinquamus signa lætitiæ, quod enim infirmum est, inutile inuenitur. Non intellexerunt, neque scierunt sacramenta Dei; imitantur enim Diabolum, qui sunt ex parte illius, ibidem in fine, socij ranarum fiunt Principes, qui sub aquis post locandi erunt.

Dixit, & venit cynomia, & cynises in omnibus finibus eorum. Cynises, vt muscæ minutissimæ producuntur grauissimo stimulo corpora compungentes, & in illis Philosophiæ artis astutia, & infelicium hæreticorum venena, vel cõmenta subtilissima designantur, dicit Augustin. in dicto Serm. 87. de Tempor. Cynomia musca canina, hæc enim in finibus eorum, conscientias illorum compungunt, subtilia illis hæc videntur, sed in infidelitate permanentes mors depascet eos. Percutitur terra per Moysen, veniunt pediculi, seù cynises, plaga mortalis, quia non sentiunt vulnus, mortua est terra, nascuntur vermes, vt comedant illam, non est post mortem locus pœnitentiæ. Corrupta est terra ab istis pediculis, & muscis, Exod. cap. 9. Non sentiunt improbi, nec dimittunt corruptibilia, vt intret quod incorruptibile est, verbum scilicet Dei. Venit ergo cynomia, & cynises, nec Rex cum suo exercitu, ac potentia potest expellere, sed ipsis inuitis intrant in penetralibus Regum ipsorum, gladius eorum intrat in corda ipsorum, Psalm. 36. num. 15.

Posuit pluuias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum. Pluuias eorum, inquit, grandinem, vt terra eorum non daret fructum. Non dimittebat populum, contrà præceptum Domini, vt sacrificaret Domino, propter auaritiam, & à Deo, per quod peccauerunt puniuntur; fœcunda est pluuia, sterilem facit grando; ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Verbum Dei loquitur Moyses; verbum Domini demonstrat grando, & ignis, vt vtrunque cadat in ipsos, in inferno, vbi stridor dentium, propter frigus, & ibi ignis æternus semper manet, vt sine defícientia substantiæ, semper vrat illorum animas sine cessatione. Ignem, inquit, vrentem in terra ipsorum, non illuminantem eos, sed vrentem, quia sanctus ignis iustos illuminat, peccatores exurit. Hieronym. hìc, Propterea in finibus terræ eorum hæc venerunt, quia peccati pœna non excedit peccatorem.

Et percussit vineas eorum, & siculneas eorum, & contriuit lignum finium eorum, Ioel. cap. 1. num. 7. Posuit vineam meam in desertum, & ficum meam decorticauit, nudans spoliauit eam, & proiecit, &c. & propterea Dominus eorum hæreticorum vineam percussit, & siculneas eorum, & contriuit lignum finium eorum. D. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 30. litera A. Veritas dicit per Prophetam, posuit vineam meam in desertum, decorticauit ficum meam, nudans expoliauit eam, albi facti sunt rami eius; insidiantibus quippè spiritibus Dei vinea in desertum ponitur, cum plena fructibus anima, humanæ laudis cupiditate dissipatur, ficum Dei gens ista decorticat, quia seductam mentem in fauorem appetitus rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen ei humilitatis tollit, eamquè nudans expoliat; quia quousquè in bonis suis

Digitized by Google

abſconditur, quaſi proprij tegminis cortice veſtitur; cum verò mens hoc, quod egerit, videri ab alijs concupiſcit; quaſi expoliata ficus, cum quo ſe texerat, corticem amiſit. Vbi aptè ſubditur, albi facti ſunt rami eius; quia oſtenſa humanis oculis eius opera candeſcunt; de ſanctitate nomen ſumitur, cum recta actio diuulgatur, ſed quoniam ſubducto cortice rami fici huius areſcunt, ſolerter intuendum eſt, quia facta arrogantium humanis oculis oſtenſa, vndè placere appetunt, inde ſiccantur. Mens itaque, quæ per iactantiam perditur, decorticata rectè ficus vocatur, quia & candida eſt per hoc, quod cernitur, & ſiccitati proxima per hoc, quod tegmine corticis nudatur; intus ergo ſunt ſeruanda quæ agimus, ſi ab interno arbitro vicem recipere noſtri operis expectamus.

Rectè ergo dicitur Eccleſ. cap. 10. Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti; muſcis enim percutitur Ægyptus, dicit idem Gregor. vt ſupra in Moral. lib. 18. cap. 25. fol. 225. litera C. muſca enim inſolens, & inquietum animal eſt, in qua quid aliud, quàm inſolentes curæ deſideriorum carnalium deſignantur, cogitationes enim ſuperfluæ, quæ aſſiduè in animo carnalia cogitante, & naſcuntur, & deficiunt, ſuauitatem, qua vnuſquiſque per Spiritum ſanctum vnctus eſt, perdunt; quoniam integritate eius perfrui non permittunt. Ægyptus ergo muſcis percutitur, quia eorum corda, qui terrenam vitam diligunt, dum deſideriorum ſuorum inquietudinibus feriuntur, turba cogitationum carnalium ad ima depreſſæ ſunt, vt ad quietis intimæ deſiderium non leuentur; vtq. puella ſuſcitetur, Dominus turbam foras mittit, Matth. cap. 9. quia ſi non prius à ſecretioribus cordis expellitur importuna ſæcularium multitudo curarum, anima, quæ intrinſecus iacet mortua, non reſurget; & alia ponit Gregor. ibi, quæ per teipſum videre poteris.

Et percuſſit ergo vineas eorum, & ficulneas eorum, & contriuit lignum finium eorum, vineæ erant eorum, ſimiliter & ficulneæ erant eorum ad differentiam vineæ Domini, quæ eſt Eccleſia. Sed quid peccauerunt vineæ, ficus, & arbores? Quia cum propter homines hæc facta ſint, pœna illorum dicitur; per illorum enim fructuum carentiam, & homines peccatores, & iniqui ob emendationis cauſam puniuntur, ſicut de diluuio dicitur aquarum, Geneſ. cap. 7.

Dixit, & venit locuſta, & brucus, cuius non erat numerus, & comedit omne fœnum in terra eorum, & comedit omne fructum terræ eorum. Magna tribulatio, maior pœna, de qua in Apocalypſ. cap. 9. num. 3. quia maxima erat iniquorum, & infidelium iniquitas, & in Eccleſia Dei perſecutio, & inobedientia deſignata per locuſtas. Locuſta eſt mater bruci, de quibus non erat numerus, vna plaga eſt locuſta, & brucus, quia altera eſt parens, altera eſt fœtus. Et comedit omne fœnum, ideſt omnem fructum terræ eorum, Auguſtin. Et fœnum fructus eſt, ſicut loqui Scriptura conſueuit, quæ fœnum appellat etiam ſegetes frugum, &c. plaga octaua eſt, vt Exod. cap. 9. & 10. Decima ergo plaga ſequitur.

Et percuſſit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum. Ecce quomodò conuerſa pluuia eorum in grandinem; abundabant Ægyptij bonis, ditati erant in omnibus, dum vinea Domini ſtetit inter illos, 1. Paralip. cap. 13. num. 14. Manſit arca Dei in domo Obededon, & benedixit

Do-

Dominus domui eius, & omnibus quæ habebat. Hæc autem contingebant Ægyptijs, dum in ſeruos Dei, in vineam Domini non ſæuiebant; quando verò ſecus per illos factum eſt, pluuia eorum conuerſa eſt in grandinem. Et percuſsit Dominus omne primogenitum in terra eorum, & primitias omnis laboris eorum, Et quæ remanſerunt bona Ægyptijs, argentea ſcilicet vaſa, & aurum, necnon veſtes, & alia, de quibus Exod.c.12.num.36. petierunt ab Ægyptijs vaſa argentea, & aurea,veſtemq. plurimam,& ſpoliauerunt Ægyptios, ibidem num.37. Pluuia ergo eorum in grandinem, & primogenita eorum in mortem de hominibus, hæc enim plaga nouiſſima victi Ægyptij cedunt.

Notandum verò quòd cum ſint decem plagæ, quas ponit Moyſes in Exodo, nec omnes hìc commemorat Propheta, nec eo ordine, quo ibi narrantur, quia libera eſt laudatio, de qua agit iſte Pſalmus à lege Hiſtoriæ; additq. hìc, quod hiſtoria non habet, & præterit quædam, quæ illa habet auctoritate eiuſdem ſpiritus, qui per hiſtoriam locutus eſt. Hæc ergo ſeptem mala dat Ægyptijs, contrà ſeptem beneficia, quæ poſt dicet data Hebræis. Hæc Auguſt.

Et eduxit eos cum argento,& auro,& non erat in Tribubus eorum infirmus, Auguſtin. Nec in eo, quod Ægyptios deceperunt, à quibus ſibi vt commodaretur aurum, argentumq. petierunt, putandus eſt Deus huiuſmodi dolos eis qui ſurſum cor habent, vel iubere, vel ſi fecerint approbare. Magis enim per illa Dei verba, vtiq. ab illo, qui cor eorum videbat, & cupiditates examinabat, permiſſi ſunt facere, quàm iuſſi; non tamen ſine aliquo profectu animæ carnalis, quod & his fecerunt, qui talia iure paſſi ſunt. Et quamuis per dolum ab iniquis hominibus,tamen quod ſibi reddi debebat, abſtulerunt. Sed ego etiam crederem,nec dolum in Iſraelitas conſiderari poſſe,quia quod argentum,& aurum petierunt, hoc Dei iuſſu fecerunt, neque in Deo iniuſtitia dicenda, quia Iudex iuſtus, talia ipſis reſtitui non debere iudicauit, Exod.d. c.12.nu.36. vbi Auguſtin. latius.

Et non erat in Tribubus eorum infirmus; corpore ſcilicet,quamuis ſexcenta & vltra millia eſſent præter vulgum innumerabilem, nec in ſpatio quadraginta annorum peregrinationis veſtimenta eorum attrita ſunt,vt Exod.d.c.8.Magnum beneficium Dei, dicit Auguſtin. quòd nec vllus ægrotus in tàm magna multitudine reperiretur.

Sed quæri poteſt, quare iuſſit Dominus argentum, & aurum ab Ægyptijs vt mutuo peterent, nunquid in deſerto, per quod tranſituri erant, illis defuit aliquid? Nunquid ibi mercatores inueniebantur, à quibus merces,& alia victui neceſſaria emere poſſent? Nunquid tu Domine non illis in omnibus Dux eorum fuiſti, ita vt nihil illis defuerit? Sed non ſine myſterio aurum, & argentum ab Ægyptijs receperunt, cum tribulationes, & ærumnas per multos annos ab ipſis acceperint, & paſſi ſint mala, nunc verò vt conſolarentur Iſraelitæ in auro, & argento; Ægyptij verò illis ſpoliati reperiantur, cum pluuia eorum ſit conuerſa in grandinem: Symbolum fuit iuſtorum hìc mala patienter ſuſtinentium, quia in regno Dei conſolabuntur, iniqui verò damnabuntur, Luc.c.16.nu.29. Matth. c.5. per totum, & num.10. Hæc autem in figura contingebant populo illi Iſraelitico. Sed ſi mutuo receperunt, quomodò ad reſtitutionem non tenebantur? vt ſcirent qui in mundo ſunt, ſi diuitijs affluant, quòd hæc ſùa non ſunt, ſed Dei beneficia illis facta, & quòd illa relinquere debent in morte,atque

in

itized by Google

in tranſitu huius deſerti, ſe reddituros rationem de illorum iuſta adminiſtratione; Ità habemus in Matthæo, cap.25. n.15. Homo enim peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua, & vni dedit quinque talenta,&c. omnia enim bona, Dei ſunt; An non licet illi facere, quod vult? Matth.c.20. num.15. Abſtulit ab Ægyptijs; quia malè parta erant, dedit Iſraeliticis, qui pariter mala receperunt in terra illorum.

Lætata eſt Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum ſuper eos. Non quòd tot ſigna fecerit Deus, Deum timentes, Dominum cognouerint, non illos pœnituit, quia amarent, ſed quia timerent, non valet illorum timor ad ſalutem. Sed quomodò lætatur, qui adhùc in damnatione eſt poſitus? ſi laſſati ſunt in via iniquitatis, & perditionis, & viam Domini ignorauerunt, quomodò lætata eſt Ægyptus in profectione iuſtorum? Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, Pſalm.111.nu.9. Contrarium legimus, Sap. cap.5. per totum, Lamentationes, & væ illorum, qui damnantur in inferno. Sed hìc iàm de malo videbantur liberati Ægyptij, qui poſt illorum ſubmerſionem in mari remanſerunt: adhùc erant in via, nondum peruenerat reſiduus illorum ad infera: propterea lætati, quia adhùc non plenè puniti, non ad locum damnatorum peruenerant: adhùc illis ſpatium pœnitentiæ conceſſerat Deus, Sap.cap.12. A leuioribus enim ad grauiora proceſsit, vt conuerterentur, ſed quia obſtinati, in mare, & infernum ſubmerſi fuerunt.

Lætata eſt Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum ſuper eos, Auguſtin. hìc. Quomodò ergo nolebant eos dimittere Ægyptij? quomodò tamquam redituros dimiſerunt? quomodò tamquam redituris, & reddituris aurum, & argentum petentibus commodauerunt, ſi lætata eſt Ægyptus in profectione eorum? Sed intelligendum eſt, per illam vltimam Ægyptiorum mortem, & tantam ſtragem in mari rubro, tàm magni perſequentis exercitus Ægyptios timuiſſet reſiduos, ne redirent Hebræi, & eorum reliquias magna felicitate, & facilitate contererent; tunc impletum eſt, quod ſuperius cum dixiſſet. Et auxit populum ſuum vehementer, mox addidit, & firmauit eum ſuper inimicos eius.

Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, vt luceret eis per noctẽ; Nubem, vt obumbrati non occiderentur à Solis æſtu, ſuper capita eorũ, Nehem. cap.11. nu.12. Et in columna nubis Ductor fuiſti per diem, & in columna ignis per noctem, vt appareret eis via, per quam ingrediebantur.

Recedunt ab Ægypto, liberantur ab illorum dura ſeruitute; perducuntur per deſertum, vt introducantur, ad terram lacte, & melle manantem. Liberantur à ſeruitute Diaboli, ſed vt ſeruiant Deo: per deſertum huius mundi ducuntur; & ne à Solis calore, & ardore offendantur, vmbraculum nubis in die mittit ſuper eos Dominus, & in nocte, ne inuij cadant, lumen ignis comitatur illos. Per peccatum mors, & per Chriſtum vita æterna, liberantur à peccati ſeruitute, à Diabolo ſcilicet per Baptiſmum, & aduentum Chriſti; qui verò baptizati piè volunt viuere, tribulationes patientur, 2.Timoth.cap.3.n.12. Per deſertum mundi, quod eſt ſine via, incedunt; obumbrati Chriſti aduentu; & eius Incarnatione, à Sole mundi huius defenduntur, à deſiderijs carnalibus. Nubem cæli reſpicientes defenduntur; & in nocte, ne ab hæreticorum tenebroſis falſitatibus cœptum iter impediatur, ignis columna, Euangelium in

Eccle-

Ecclesia noctem illuminat tenebrarum. Per asperas vias incedunt, vt Christum Ducem sequentes, & Crucem illius portantes peruenire tandem possint ad terram illam lacte, & melle manantem ad Paradisi gloriam.

Eductus es ergo de Ægypto, adhùc in deserto pœnitentiæ existens, ne respicias retrò, priorum reminiscens, & illis consentiens, & vt dicit D. Hieron. hìc. Cauendum est, ne qui se sentiens liberum ex Ægypto, illuminatum à Spiritu sancto, rursum desideret ollas Ægypti, idest carnis concupiscentias, quæ ei generant fatuitatem, vel vitia: Ideò sequitur versiculus.

Petierunt carnem, & venit coturnix: pane cæli saturauit eos. Complacuit Domino carnes eis dare coturnicum, quæ sunt suauiores. Adhùc autem carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis, Numer. cap. 11. numer. 33. Nemo enim ponens manum in aratro, & respiciens retro, aptus est regno Dei, Luc. cap. 9. Descendisti de Ægypto, vt pane cælesti satureris, ne te securum putes, si permiseris, vt turba in cor tuum transeat: ne prudentiæ tuæ innitaris: habeas fiduciam in Domino ex toto corde tuo: in omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos, Prouerb. cap. 3. num. 5. Et pane cæli saturaberis, Corporis scilicet Christi, per quod vitam æternam habebis, si tu in illo, & ille in te, permanseris; Qui enim manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, Ioan. c. 6. num. 57.

Disrupit petram, & fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina. Petra est Christus, ex cuius latere diuersa gratiarum genera fluxerunt in illos, qui credunt in eum. Bis tu virga Crucis Christi petram cordis tui percutias, scilicet vt sint tibi duo illa præcepta in corde tuo, diligendo Dominum, & proximum tuum, & fluunt aquæ gratiarum largissimæ in ipsum cor suum; bis enim percussa est petra per Moysen, vt Exod. c. 17. nu. 6. Secunda verò vice iterum percussit, Num. 20. nu. 11. Percutitur petra ibi, & iterum percutitur & bis petra, & fluunt copiosæ aquæ; his enim omnibus beneficijs suis Deus cõmendat Abrahæ meritum fidei, dicit Augustin. quocirca sequitur.

Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum; quod in Genes. c. 15. nu. 12. Cumq. Sol occubuisset, sopor irruit super Abraham, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum: dictumq. est ad eum, Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subijcient eos seruituti, & affligent. Veruntamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo, & post hæc egredientur cum magna substantia, Act. 7. num. 6.

Seruituti enim alienæ semen Abrahæ subiecit, quia populus duræ ceruicis erat, Exod. c. 32. nu. 4. noluit illum populum perdere, sed vt saluaret, & in se resipisceret, alienæ seruituti subiecit, donec acriter ab Ægyptijs pertractati, ad Deum clamantes confugerent. Tunc, vt educeret illum de dura seruitute, misit Moysen seruum suum, & Aaron, vt illos educeret in manu forti, & potenti: & quia fidelis fuit Abraham, & memor fuit beneficij, quod habuit ad Abraham, eduxit illos cum argento, & auro, & cum magna substantia.

Eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia. Victores enim fuere, & in terram promissionis educti, exultantes lætati sunt, dicentes, Cantemus Domino, gloriosè enim equum, & ascensorem proiecit in mare. De deserto eos eduxit iterum, Iosue c. 3. Iordane flumine exsiccato, in laboribus illo-

illorum introeuntes, diuites facti; eduxit in exultatione, & electos suos in lætitia spirituali, laudantes Dominum, qui non dedit illos in captionem dentibus eorum. Figura pœnitentium, qui post tot labores, & tribulationes inducuntur in gaudium Domini, & reficiuntur, Matth. c. 11. num. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et electos suos in lætitia, qui in gaudium intrare digni habiti sunt, Matth. d. c. 25. num. 21.

Sequitur, Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt. Sed propter quid bona dedit illis Dominus? Non vt in illis illorum esset spes ponenda, quia transeunt, sed vt custodirent iustificationes eius, & legem eius requirerent, Cum iustitia viuerent, & mysteria legis diligenter intelligerent; Et nos cum D. Hieronymo Dominum deprecemur; vt deletis gentibus noxijs coram facie nostra, ipse Dux nostri fiat itineris, vt in eo iugiter exultantes in terram promissionis mereamur induci, & in Regno eius asciti valeamus cum Sanctis eius lætitia sempiterna gaudere, quia ipsi est cum æterno Patre, & Spiritu sancto honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SOLILOQVIVM.

ILLVMINARE, illuminare filij tui gratia digneris sancta Dei Genitrix cor serui tui, quod est in tenebris, quæ hodie transiliens montes cum festinatione Elizabeth cognatam tuam visitare dignata es, quando exultauit infans in vtero eius. Moyses quoque seruus Dei, cum Aaron populum Israel in captiuitate Ægyptiorum positum visitando in manu forti Dei omnipotentis liberauit. In Ægypto constituta est anima mea, tu Mater Saluatoris; tu lumen in nocte, ne tenebræ me comprehendant: tu nubes in die, ne Sol mundanarum rerum me occidat: ne nubes variarum cogitationum cor meum obumbret. Intercede Beata Virgo pro me, qui non sum dignus, vt meam protectione tua visites animam, quia peccaui coram Domino Deo meo, & coram te. Mater misericordiarum exaudi me, vt exultans merear & ego de tribulationum huius mũdi periculis eductus ad te, filiumq. tuum vnigenitum Dei peruenire. Murmurauerunt Israelitæ in deserto, quia carnem desiderabant: At ego gaudeo, quia filius tuus Dominus meus Carnem suam dat mihi quotidie ad manducandum, & Sanguinem suum ad bibendum. Panem Angelorum manducauerunt illi, panem Corporis Christi, indignus ego veneranter suscipio. Ad terram lacte, & melle manantem lætantes peruenerunt illi, & gaudentes, ac diuites: Duce eisdem filio tuo in deserto Patribus nostris, quos manna cælesti pascere dignatus est: Te intercedente Virgo Dei Genitrix Dux sit & mihi mirabilia sua confitenti, vt ex hac lacrymarum valle, cælesti pastus pane inoffensus, & incolumis, ad ipsum valeam & ego peruenire. Amen.

IN PSALMVM CV.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

TITVLVS Alleluia, Alleluia. In præcedenti. Titulus Alleluia: hìc geminatur alleluia, alleluia; ibi enim ſolum vnum alleluia, quia liberatus populus Iſrael ab Ægyptiorum captiuitate; hìc duplici alleluia: nàm lætata eſt ſterilis, quia peperit, dilatauit tentorium, quia gentes illi coniunxit, Iſai. c. 54. in princ. & nu. 2. Longos fac funiculos tuos, ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis, & ſemen tuum gentes hæreditabit, &c. Lauda nunc ſterilis, quæ non excedebas fines tuos, & de captiuitate Ægyptiaca libera facta es, lauda mater Eccleſia, quia in gentes dilatata es.

Continuatur ad præcedentem, quia ibi de populo Iſraelitico, & de electis; hìc verò inuitantur omnes Dominum confitentes, vt pœnitentes confiteantur, quia Dominus Ieſus miſericors eſt, & bonus.

Summa Pſalmi iſtius eſt, quòd excitantur omnes, qui ſalutem deſiderant, etiam Gentiles, & pœnitentes, vt veniant, quia bonus eſt Dominus, miſericors in omnes gentes, qui confitentur illum.

Confitemini Domino, quoniam bonus. Præcedens verò incipit, Confitemini Domino, & inuocate nomen eius; ibi ſermo ijs, qui profecere, electis, & pœnitentibus; hìc verò illis, quibus ſtudium eſt arripiendum; proficiendi; ibi in via exiſtentibus, & itinerantibus, hìc in inuio, & extra viam exiſtentibus in Eccleſiam introducendis. Propterea iſtis dicitur, confitemini, quia Dominus ipſe eſt Deus, & confortamini, quia eos, qui perierant, vocauit, & venit Dominus ſaluos facere. Quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Nolite pro culpa deterreri, ſed confitemini. Captiui erant Iſraelitæ, perditi erant Gentiles; alleluia Iſraelitæ, quia liberi facti; alleluia Gentilitas, vt lauderis cum hæreditate Dei; quia ſalua facta es. O vos, inquit D. Hieronym. qui grauiter peccatis, & de veſtra ſalute deſperatis, & putatis, quoniam propter peccatorum magnitudinem veniam adipiſci non poteſtis: Confitemini, inquit Propheta, Domino, quoniam bonus. Grandia ſunt peccata veſtra, ſed magnus eſt Dominus, qui miſeretur veſtri: in miſericordia Domini confidite, qui grauioribus vlceribus tenemini; nàm & confitentes dealbabuntur ſicut nix, Iſai. c. 1. Quoniam in ſæculum miſericordia eius; in inferno autem quis confitebitur Domino? Pſalm. 6. num. 6. Poſt mortem, inquit, non eſt confeſſio, non eſt pœnitentia; viuus ergo confitearis, Eccleſ. c. 17. nu. 26. & gloriaberis in miſerationibus illius; hìc ergo miſericors eſt in ſæculo, in alio erit Iudex: hìc porrigit manum cadenti, ibi Iudex ſedebit.

Confitemini ergo Domino, quoniam bonus, ſiuè Deo laudes debitas dando, ſiuè etiam peccata confitendo, vtroq. enim modo laudatur Deus: laus ergo eius eſt, quoniam bonum Dominum confitemur, & ſi peccata confiteamur, laus eſt etiam à Deo; vndè Auguſtin. Nec aliter pia eſt confeſſio peccatorum, niſi non

Digitized by Google

non desperans, & poscens misericordiam Dei; habet ergo eius laudem, siuè etiã in verbis, cum eum bonum, & misericordem dicit, siuè in solo affectu, cum hoc credit; nàm & ille Publicanus, cuius sola illa verba commemorata sunt, Domine propitius esto mihi peccatori, Luc. c. 18. & si non dixit, quoniam bonus, & misericors, vel aliquid huiusmodi, non tamen illud diceret, nisi hoc crederet, quoniam cum spe orauit, quæ sine illa fide esse non posset; nulla est autem peccatorum confessio pia, & vtilis, vbi non laudatur Deus, siuè corde, siuè etiam ore, atque sermone.

Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius. Dimittuntur peccata tua, dixit Iesus Paralytico, Matth. cap. 9. nu. 6. Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge, & ambula? vt autem sciatis; quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, cum dicerent Pharisæi. Quis est hìc, qui loquitur blasphemias? Luc. cap. 5. nu. 21. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Confitemini Domino, quoniam bonus; quis loquetur potentias Domini? Et dimittit peccata, & sua potentia restaurat vniuersa, Iudith c. 9. Qui aufert spiritum principum, & dat vitam fidelibus æternam. Audite hìc, quæ sit Dei potentia peccatores. Maior potentia est peccatorem iustificare, quàm mundum creare: quis mundum creare potest? nullus præter quàm vnus Deus. Ergo maxima Domini potentia, qui peccatores iustificat; Nunquid ergo vocatio Domini paruifacienda est, qui facit tam magna in peccatores, cum iustificantur per eius gratiam.

Quis poterit potentias Domini, auditas facere omnes laudes eius? Venias tu Paule sancte, qui vsque ad tertium cælum raptus audiuisti arcana Dei. Non licet, ait, homini loqui, 2. Corinth. c. 12. nu. 4. Raptus est, siuè in corpore, siuè extra corpus nescit; & quis homo potentias Domini loqui poterit? Sed quis poterit, dicat Dauid, Psalm. 70. nu. 15. Ego autem semper sperabo, & adijciam super omnem laudem tuam; & iterum nu. 18. Docuisti me à iuuentute mea, & vsque nunc pronunciabo mirabilia tua, ergo aliquis loquetur potentias Domini, & auditas faciet omnes laudes eius? Et quis iste erit? Iesus Christus filius Dei, qui incarnatus est de Spiritu sancto, factus homo, mortuus est, & resurrexit, vt eos, qui mortui erant, Gentiles, ac peccatores, pœnitentes, & baptizatos, à morte resuscitaret, ad secum viuendum in æternum.

Ideò Augustin. in prælaata verba d. Psalm. 70. Laudatus, inquit, est Deus in omnibus factis suis, in omni creatura sua, in omni institutione rerum omnium, &c. in liberandis suis à captiuitate Ægyptiorum, & cæteris omnibus mirabilibus suis. Nondum erat laudatus in eo, quòd suscitauit carnem in vitam æternam; sit ergo ista laus adiecta per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, vt hìc eius vocem intelligamus super omnem laudem tuam præteritam. Factum est genus humanum tamquam massa peccatorum, profluens de peccatoribus, quid ergo tibi, si massam istam damnes, iniquitatis quis nàm tibi dicet, iniustè fecisti? Sap. cap. 12. esses planè etiam sic iustus, & nihilominus esset ista laus tua; sed quia liberasti & ipsum peccatorem, iustificando impium, adijciam super omnem laudem tuam, quia si iustus sum, iustitia tua est in me, non mea: tu enim iustificas impium.

Quis ergo auditas faciet omnes laudes eius? qui scilicet amici Dei sunt,

quibus

quibus reuelauit, quæ audiuit à Patre ſuo, vt & ipſi notas facerent in generationes, & generationes, Ioan. cap. 15. num. 15. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis; & ideò elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat; Ite ergo in vniuerſum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, docentes omnes gentes, Matth. cap. 28. num. 19. Et quid docendo? quia Ieſus eſt filius hominis, filius Dei viui, Deus verus, qui iuſtificat impium, qui ſuſcitat mortuos, qui dat ſeipſum Agnum immaculatum, vt digna edentes vocentur, ac ſint filij Dei, cohæredes Chriſti, qui dat vitam æternam. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis ſtabit in loco ſancto ſuo? Innocens manibus, & mundo corde, Pſalm. 23. num. 4. Quod autem qui iuſti ſunt poſſint potentias Domini narrare, ſequitur Pſalmus.

Beati, qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore. Quaſi dicat, hi potentias Domini narrare poſſunt, & auditas facere omnes laudes eius, Pſalm. 32. nu. 1. Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio.

Qui verò ſint cuſtodientes iudicium, declarat Deus, Geneſ. 15. nu. 19. Scio, inquit, quòd Abraham præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iuſtitiam, & adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus eſt ad eum. Hoc idem docuit Dominus in Euangelio ſuo. Serua, inquiens, mandata, Matth. 19. nu. 17. hæc autem ad omnes pertinent, maximè ad Prælatos, & patresfamilias, vt colligitur ex d. cap. 16. in Geneſ. præcepturus enim erat Abraham filijs ſuis.

Et nota, quòd dicit, in omni tempore, nàm, ait Hieronym. Quid prodeſt alicui viginti annis eſſe in continentia, & poſteà cadere, iuxtà Ezech. cap. 33. Non proderit iuſtitia iuſti, in quacumque die errauerit; & peccatum peccatoris non ei nocebit, in quacumque die conuertatur, & agat pœnitentiam. Neque iuſtus debet eſſe ſecurus, neque peccator deſperare debet de ſua ſalute, in vtroque enim eorum & timor eſt, & ſpes qui facit iuſtitiam. Iuſtitia Dominus noſter eſt; iuſtitia enim Domini: Dominus noſter dicitur & Saluator: Beatus ergo qui facit iuſtitiam, hoc eſt, qui facit Chriſtum: ſi iuſtè ergo agamus, concipitur in nobis iuſtitia, & paritur ex nobis iuſtitia, & ſumus mater iuſtitiæ; felix eſt, & beatus, qui omni tempore & pater, & mater eſt iuſtitiæ, hæc Hieronym.

Auguſtin. hìc litera L. Eas dixit laudes eius; quæ intelliguntur opera eius in præceptis eius? Deus enim, vt dicit Apoſtolus ad Philippenſ. c. 2. qui operatur in nobis. Et dictum eſt ſemini Abrahæ, Pſalm. 104. numer. 2. Cantate ei, & pſallite ei, quòd ità dictum intelligit, ac ſi diceretur, bonam eius laudem & dicite, & facite, &c. iudicium cuſtodire dicitur, qui rectè iudicat, iuſtitiam verò facere, qui rectè agit, vndè Pſalm. 57. in princ. Si verè vtique iuſtitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum. Laudes ergo ei dicit per opera præceptorum eius, quæ ipſe facit in ſuis; Deus enim, vt dixi, operatur in nobis, & velle, & perficere.

Auguſtin. Quis loquetur potentias Domini, quoniam hæc ineffabilia opera eius; quis auditas faciet omnes laudes eius? ideſt quis cum audierit, faciet omnes laudes eius; quæ ſunt opera præceptorum eius, quia inquantum fiunt, & ſi non omnia, quæ audita ſunt fiunt, ille laudandus eſt, qui operatur in nobis

velle, & operari pro bona voluntate, ideò cum posset dicere omnia mandata eius, vel omnia opera mandatorum eius, maluit dicere laudes eius, quia, vt dictum est, inquantum fiunt ipse laudandus est; quas tamen laudes quisnam sufficit auditas facere? idest cum auditæ fuerint, facere omnes, quis est idoneus. Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore; quòd creatura es, ergo agas, & facias iustitiam, & si rectè iudicaueris bonum à malo discernendo, iudicium custodire diceris; ex quo enim hæc duo facere incipis, si vsque in finem perseueraueris, saluus eris: hæc enim sine Dei auxilio facere non poteris, & ideò sequitur vers.

Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo. Quid est memento nostri in beneplacito populi tui? Vt scilicet inter populum tuum, in quo nunc tu bene complacuisti, etiam nos computemur, & simus. Sed quid dicis Dauid sancte? Nonnè tu es caput populi Dei? Nonnè tu es, in quo sibi complacuit Deus? Quid dicis? Ego scio, inquit, quia Gentes semen meum hæreditabit, Isai. dicto cap. 54. num. 3. & 15. Ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi; Visitabit vos in salutari suo, in Iesu, tunc dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperias oculos cæcorum, & educas de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris, Isai. 42. nu. 6. Noua quoque ego annuncio, antequam oriantur, audita vobis faciam, Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ, vndè Isai. 49. num. 6. Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Et quia Gentilitas alacriter suscepit verbum Dei, quod Iudæi recusarunt, Act. cap. 13. num. 47. Ecce, inquiunt Apostoli, quia vos recusastis, &c. conuertimur ad gentes: quem enim populum suum Deus appellat, erant omnes iusti, Isai. 60. nu. 21. idcircò Dauid Propheta hæc prænuntians, inquit, Memento mei Domine in beneplacito populi tui, quẽ nuper aggregaturus es tibi, visita etiam & nos in salutari tuo, hìc aduentus filij tui sit etiam nobis proficuus, vt seruiamus tibi; propterea sequitur vers.

Ad videndum in bonitate electorum tuorum: ad lætandum in lætitia gentis tuæ. In lucem gentium posuisti salutare tuum Iesum Christum: memento etiam nostri in beneplacito populi tui, visita etiam nos in salutari tuo. Lætatus sum ego, quia postquam supradicta scripsi, inueni D. Hieronymum sicut ego scribentem, vt patet in huius versiculi expositione. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, inquit & ipse, hoc est: Da nobis partem cum Apostolis, quoniam nos quidem antecessimus eos tempore, illi verò antecedunt nos in spiritualibus, hoc est, vt videamus bonitatem tuam, quam facturus es cum electis tuis. Ad lætandum in lætitia gentis tuæ. Gens Domini nos sumus, si tamen gens ipsius sumus; Populo, qui nascetur, quem fecit Dominus, Psalm. 21. num. 32. Vt laudemur cum hæreditate tua, hoc est, vt cum Euangelio & nos habeamus partem, qui in veteri lege facti sumus participes: Abraham enim Pater vester vidit diem tuum, & gauisus est, Ioan. capit. 8. numer. 56. Videamus ergo & nos, & gaudeamus cum hæreditate, hucusquè D. Hieronym.

Idem etiam videtur sentire Augustin. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, idest, ad hoc nos visita in salutari tuo, vt videamus in bonitate electorum tuorum, & lætemur in lætitia gentis tuæ. Pro quo facit, quod dixit Isai.

dicto

dicto cap. 54. numer. 4. Noli timere, quia non confunderis, neque erubescas; non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuiscaris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius, quia dominabitur tui, qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius. Per peccatum Iudæa amisit Deum, ideò dicit confusionis, scilicet de peccatis, viduitatis, ideſt cum sine Deo esses, quem per peccata amiseras; ideò subiungit Augustin. Quid est, Visita nos, vt videamus in bonitate electorum tuorum? ideſt in ea bonitate, quam præstas electis tuis, nisi vt non remaneamus cæci, sicut illi, quibus dictum est, nunc autem dicitis, quia videmus, Ioan. cap. 9. numer. 41. Peccatum vestrum manet? Dominus illuminat cæcos, non meritis eorum, sed in bonitate electorum suorum, quam scilicet exhibet, & donat electis suis. Vnam gentem Dei intelligere debemus vniuersum semen Abrahæ, sed filios promissionis non carnis. Hi ergo, quorum vox est, optant eiusdem gentis habere lætitiam, ideſt Deum eius, cui dicitur, exultatio mea redime me, & cui dicitur, Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde nostro. Quod ergo dictum est, Ad videndum, ad lætandum, ad laudandum, sic optant visitari in salutare Dei, ideſt in Christo Iesu, vt non alienetur à populo Dei, & ab eis, in quibus beneplacitum est Deo.

Peccauimus cum patribus nostris: iniustè egimus, iniquitatem fecimus. Pro his, qui ex Iudæis confitentibus salui ex visitatione Iesu Christi fieri debent, quos Domine tu scisti: propterea, inquit, confitemini Domino, ò Iudæi, quia etsi illum negaturi estis, & crucifigere parati estis: ad hoc nihilominus venturus est Dominus, vt moriendo vitam habeatis: confitemini quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius; vnde D. Petr. Act. Apostol. 2. num. 38. ad Iudæos, qui Dominum crucifixerunt, ait, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est repromissio, & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster; Saluamini à generatione ista praua. Et quamuis tria millia in illa hora conuersi sint ad Dominum; cæteri tamen verbum Dei repulerunt, & indigni iudicati sunt æternæ vitæ: propterea conuersi Apostoli ad gentes gauisæ illæ sunt, & glorificauerunt verbum Domini, Act. Apost. dicto cap. 13. numer. 48. Et quia Iudæi eiecerunt Apostolos de finibus suis, illi excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium ad venientes ad fidem; Iconium enim venientes interpretatur. Pro his rogat Psalmista, qui cum obstinatiores fieri deberent, confitentes, quia cum Patribus suis peccauerunt, iniquè agentes, & morti Iesu Christi etiam nunc consentientes, Ac si dicat, Quatenus confiteantur, & ad te reuertantur, parce, inquit, illis Domine, quia benignus es, & misericors.

In quo verò patres eorum peccauerint, declarat in sequenti. Patres, inquit, in Ægypto non intellexerunt, mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. Quot beneficia fecit illis Deus visibilia, quæ narrata sunt in Exodo, & in Genesi; & nihilominus ingrati semper contrà Dominum peccantes, etiam Moysen, & Aaron occidere, & lapidare tentauerunt. Cum patribus nostris peccauimus. Quia neque vos mortuorum resurrectionibus, tantisq. mirabilibus à Iesu coram vobis factis credidistis, eumq.

negastis, & tandem crucifixistis. Et quamuis totus mundus Iesum filium Dei fateretur, vos tamen repleti estis insipientia, & de illius interfectione, colloquebamini ad inuicem expedire, dicentes, Luc.cap.6.nu.12. vt moriatur vnus pro populo, ò vos patribus vestris iniquiores Iudæos, Murmurauerunt illi contrà Moysen, & contrà Deum, non occiderunt Moysen; sed vos nedum murmurastis, at & occidistis Dei filium, & Apostolos suos, & Prophetas suos, negando illum esse Deum; clamantes, Non habemus Regem, nisi Cæsarem, Ioan. cap.19.numer.15. Non intellexerunt Patres in Ægypto, cum in manu potenti liberauit eos, tot mirabilia operando Deus, & plagis multis ipsos Ægyptios percutiendo: non fuerunt, postquam mare transierunt, memores multitudinis misericordiæ Dei. Et quis ille Deus, qui eos liberauit, nisi is ipse, quem vos, ò iniqui, vt Pontius Pilatus tolleret, & crucifigeret, instituistis? qui ex Ægypto in terram promissionis vos in labores aliorum immisit, hæc contigere illis in figura, quæ vsque ad Ioannem perdurasse dicitur, Matth.cap.11.num.13. Luc.cap.16.nu.26. Nunc verò aperta ea est per illius aduentum, vt vos, & nos visitaret, & bóna æterna fidelibus populis traderet, mortemq. nostram in vitam æternam commutaret. Venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem, Ioan. cap.11.num.50. Non eripit mortalia, qui Regna dat cælestia.

Non intellexerunt illi, nec memores fuerunt multitudinis misericordiæ suæ; & vos quid dicitis? Magis sine intellectu fuistis, qui auctorem vitæ occidere voluistis; in sanguinem flumina conuersa sunt in Ægypto per Moysen, iubente Deo, cuius filium Iesum vos interfeciſtis, & sanguinem eius super vos, & super filios vestros inuocastis, Matth.cap.27.num.25. Non fuerunt memores multitudinis misericordiæ suæ. Illorum defecit memoria, cum tot, & tanta recepissent à Deo beneficia. Sed cur defecit memoria? quia non intellexerunt, propter quæ facta essent illa mirabilia: opus erat intellectu, vt per illa temporalia bona alia quærerent, nempè æterna, immo nec temporaliter bona illis facta recoluerunt; vt potestati quam experti fuerant, crederent se ab inimicis liberandos: Augustin. litera D. Quid est, quòd patres nostri non intellexerunt in Ægypto mirabilia tua, nisi qui non cognouerunt, quid per illa mirabilia eis præstare voluerit? Quid vtique nisi vitam æternam, & non temporalem, sed incommutabile bonum, quod per patientiam expectatur, ideò impatienter murmurauerunt, & amaricauerunt, & bonis præsentibus fallacibus, atque fugacibus beatos se fieri quæsierunt. Dum ergo dicit Psalmista, Non fuerunt memores, intellectum redarguit, & memoriam; intellectu quippè opus erat, vt cogitarent, ad quorum bonorum æternitatem per illa temporalia vocaret illos Deus: memoria verò, vt saltem quæ temporaliter facta sunt mirabilia, non obliuiscerentur, fideliterq. præsumerent, quòd eadem potestate, quam iàm fuerãt experti, Deus illos ab inimicorũ persecutione liberaret, hæc Augustin. Quocircà illorum insipientiam, & ingratitudinem narrando, dicit Psalmista:

Et irritauerunt ascendentes in mare, mare rubrum. Nàm si in manu potenti eripuit vos Dominus, faciens prodigia in cælo, terra, & mari contrà Pharaonem, &c. nunquid potuisse perficere dubitatis, quæ cœpit Deus? cur per viam, qua concluſi estis, duxit vos, nisi vt in potentia eadem, quæ vos de Ægypto eduxit, liberaret quoque ab illis? ex vno latere mons magnus valde, & arduus,

&

& nemini ad pertranſeundum peruius, ex alio latere mare rubrum, à dorſo Ægyptij inſequentes; eduxit vos de Ciuitate, & domibus illorum, non poterit vos liberare de manibus perſequentium? citò obliti ſunt mirabilium Dei.

Irritauerunt aſcendentes in mare, mare rubrum. Chriſtianus es, Crucem Chriſti profiteris, ipſum Chriſtum ſequaris, & illius veſtigia; ſi quis vult venire poſt me,&c. nàm figura Iudæorum pertranſijt. Venit Moyſes, dico venit Chriſtus, mare tribulationum ſæculi aſcendere volentes in Cruce cum Chriſto: mare rubrum eis anteponitur ſequentibus illum; quid mare rubrum, niſi fons lacrymarum? quia peccauimus Domino; rubrum, ideſt coccinum; peccata enim inducunt vindictam à Domino, niſi pœnitens lacrymis ſuis lauare illa ſtudeat, Iſai. 1. Si peccata veſtra fuerint vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Iàm mare rubrum ante habemus, quia peccatores ſumus, mare ingrediamur pœnitentiæ, mare lacrymarum, & in potentia Dei ſperemus, quia & ſi rubra peccata pluſquam coccinum, per ingreſſum maris patientes, & per lauacrum lacrymarum dealbabuntur ſicut nix. Virga Crucis diuiduntur aquæ, & erit tranſitus ſecurus, quia Dominus venit vocare peccatores ad ſe, vt ad illam conuerſi, ſalui fiant in hoc mari rubro. Sequitur nos Pharao, Diabolus ſcilicet cum exercitu ſuo ad Crucem Chriſti accedere volentes, præterita ſæculi bona ſuadens; fruamini; inquit, bonis, viæ Chriſti, mare magnum, operibus veſtris contrariæ, Sap. cap. 2. Ità dixerunt cogitantes apud ſe non rectè, exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ; inuidia Diaboli mors introiuit in Orbem terrarum, eumq. imitantur illi, qui ſunt ex parte illius. Appropinquat infernalis Pharao pœnitentibus, non reſpiciamus retro, quia non videbimus tentatores appropinquantes, Exod. cap. 14. numer. 10. nec timebimus Diabolum, ſi nos præcedat Crucis lignum, Marc. cap. 16. nu. 18. & Pſalm. 30. numer. 21. Abſcondet Dominus nos in abſcondito faciei ſuæ à conturbatione hominum.

Et increpuit mare rubrum, & exſiccatum eſt, & deduxit eos in abyſſis ſicut in deſerto. Quid eſt mare rubrum increpare, niſi peccatores excitare, vt, relictis ſceleribus, ingrediantur lacrymarum mare, & ab Dei offenſis mundati tranſeant illud ſicco pede? Vndè ad Epheſ. cap. 5. numer. 14. Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Non quaſi inſipientes, ſed cauti, & ſapientes ambulate, &c. Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei. Increpauit enim mare rubrum Dominus, vt ceſſaret à nobis vindicta peccati. Surgamus audientes Dominum, & exſiccetur noſtrum mare rubrum; & deducet nos Deus ipſe per medium abyſſi, ac profundi maris lacrymarum, ità vt ſicco pede tranſeatis, vel etiam abſque memoria delictorum, quæ per pœnitentiam erunt abluta ſicut in deſerto, vbi nec veſtigium eſt maris.

Et ſaluauit eos Dominus de manu odientium, & redemit eos de manu inimici. Sed ſi eos redemit, ergo captiui, ſed cuius captiui? Diaboli nempè; tales enim ſunt omnes operantes iniquitatem, Pſalm. 5. num. 7. Saluauit enim, quia eos redemit ſanguine ſuo, de manu Pharaonis. Auguſtin. litera G. Quid pretij datum eſt in hac redemptione? an prophetia eſt, quòd in figura Baptiſmi hoc factum, vbi redimimur de manu Diaboli magno pretio, quod ſanguis eſt Chriſti? Vndè non quocunque mari, ſed mari rubro hoc conue-

nientius figuratum est; sanguis enim rubrum colorem habet, hæc Augustin. Vel cum Hieronym. dicamus, Redemit, quia liberatio, & redemptio hominis per passionem Christi facta est.

Et operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remansit. Quomodò eos tribulantes operuit aqua? Quia per aquam Baptismi liberantur baptizati ab insidijs Diaboli: qui aquis operti, in tenebris inuoluti sunt, & lux vera orta est baptizatis. Nec vnus remansit, quia abluti aquis Baptismi ab omnibus inimicis ipsum insidiantibus liberi facti sunt. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus, Psalm.92.num.4. superborum maris elationes persequentium, humilitas parum aquæ in nomine Christi baptizatorum depressit: deijciuntur illi, exaltantur isti: perduntur illi, saluantur isti: & in diluuio aquarum multarum, ad eos illi non approximabunt, Psalm.31.num.6. Caput circuitus illorum, labor labiorum ipsorum operiet illos, Psalm.139.num.10. Israelitis afflictiones præparauerunt Ægyptij, & ecce in afflictione ipsi perpetuò positi sunt; conuertetur, dicit in Psalm.7.nu.17. dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet, & num.16. Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit, erubescant impij, & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa, Psalm.30.num.19.

Et crediderunt verbis eius, & laudauerunt laudem eius. Ideò crediderunt, quia salui facti sunt, crediderunt verbis eius; Iesus verò non semetipsum credebat eis, Ioan. cap.2.num.24. Ingrati enim citò ceciderunt ab illo, quia temporalia quærebant, spiritualia non intelligebant; dixerunt enim, omnes credent in illum, & venient Gentes tollentes locum nostrum; atque quò ad spiritualia aiebant, quomodò potest nobis dare carnem suam ad manducandum? quomodò potest homo iste hæc signa facere?

Et crediderunt verbis eius, Exod. cap.14. num.31. & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius; tunc cecinit Moyses, & filij Israel carmen hoc Domino: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, &c. Exod.cap.15. Et laudauerunt laudem eius. Talis locutio est ista, qualis illa, qua dicitur, vitam vitalem ducit, hanc seruitutem seruiuit, Augustin. concupiscentiam concupierunt; crediderunt, quia viderunt, anteà enim murmurauerant contrà Moysen; post factum miraculum crediderunt, ideò illorum credulitas non fuit meritoria, quia fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum, Ioan.20.num.29. Quia vidisti me Thoma, credidisti, Beati, qui non viderunt, & crediderunt: crediderunt Israelitæ ad tempus, nàm in deserto decies Deum tentauerunt, Num.14.n.11. lapidibus enim Moysen, & Aaron opprimere volebant. Vsquequo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi, in omnibus signis, quæ feci coram eis? Dimitte, obsecro, dicebat ad Deum Moyses, peccatum populi huius, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto vsque ad locum istum. Dixitq. Dominus: Dimisi iuxtà verbum tuum; attamen omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa, quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentauerunt me iàm per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iurauí patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam, sequitur propterea versiculus.

Citò fecerunt, obliti sunt operum eius, & non sustinuerunt consilium eius.

Digitized by Google

eius. Citò mutati sunt à credulitáte, & laude, obliuiscentes operum Domini, quæ fecit illis: citò fecerũt iudicium malum contrà Moysen, & Deum, quia illis paramper aqua defecerat, ac si nõ essent habituri carnes, & panes, O bone Deus, aquas amaras ligno dulces illis fecisti, abyssum aquarum multarum, vt pedibus suis trasmeare possent, aridam fecisti. Sicut desertum, & alia innumerabilia signa coram illis patrasti, & ostendisti, & quid dicam? nisi hæc permissa, vt manifestum fieret, eos videntes non videre, & audientes non intelligere, Isai. dicto cap. 6. vtq. potentia tua, & alijs vniuersis nota fieret: atque vt perditionem Israel ex ipso esse manifestè appareret, in aduentu tuo Domine & alia signa fecisti maiora, propter quæ nihilominus haud tibi credere voluerunt. Et non sustinuerunt consilium tuum, quid me vocatis, Domine, Domine, & non facitis quæ dico, Ioan. cap. 6. num. 45.

Et concupierunt concupiscentiam in deserto, & tentauerunt Deum in inaquoso. Geminata locutio anxietatem, & desiderij illorum nimietatem demonstrat; ad temporalia anhelabant, & spiritualia spernebant: superbia illorum antecedebat spem, quam in Deo habere debebant; benignus Dominus, qui pluit super iustos, & iniustos.

Et dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum. Hoc est, fecit Dominus iuxtà voluntatem eorum, vt voluntas, quæ desperando petierat, abundantiæ copia vinceretur. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, Ezech. cap. 16. nu. 49. Superbia, saturitas panis, & abundantia; saturitatem secuta est seditio, propterea sequitur.

Et irritauerunt Moysen in castris, & Aaron sanctum Domini. Inuidebant enim Aaron, & filijs eius, quia Core, Dathan, & Abiron, & alij, quærebant sacerdotium in personis, & domibus suis proprijs, Num. c. 16. Contrà Moysen steterunt, & contrà Aaron; sufficiat vobis, dicebant, quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus; cur eleuamini super populum Domini? & nu. 7. Respondit Moyses, Multum erigimini filij Leui; num parum vobis videtur, quòd separauerit vos Dominus à populo, & iunxit sibi, vt seruiretis ei in cultu Tabernaculi; cum autem Moyses mandasset vocari Dathan, & Abiron, responderunt. Non venimus. Nunquid parum est tibi, quòd eduxisti nos de terra, quæ lacte, & melle manabat, vt occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri? Re vera induxisti nos in terram, quæ fluit riuis lactis, & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum, & vinearum, an & oculos nostros vis eruere? non venimus. Sed quid accidit superbis illis? confestim postquam locutus est Moyses, disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit eos cum Tabernaculis eorum, & vniuersa substantia ipsorum, descenderuntq. viui in profundum, humo operti, & perierunt de medio multitudinis, ideò sequitur vers.

Aperta est terra & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abiron. A terra deuorantur, qui terrena sapiunt. Vindictam Domino remisit Moyses, & Deus retribuit, Eccles. c. 12. nu. 7. ad Rom. c. 12. nu. 19. Concupierunt concupiscentiam in deserto: non Deum desiderauerunt, nec gloriam eius, sed ipsorum concupiscentiam concupierunt. Et Deum tentauerunt in inaquoso; quia Deum posuerunt adiutorem cupiditatum, & concupiscentiarum suarum non inuocando, nec orando, sed tentando, August. in Psalm. 85. Deum

non

gitized by Google

non inuocant, qui ſic concupiſcunt concupiſcentiam ciborum, & aquæ potum; magis enim ea, quæ concupiſcunt, quàm Deum amare videntur, iuxtà illud Iacobi in ſua Epiſtola cap.4. nu.3. Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis, vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis, ideſt, ſecundum Thom. ibi vt conſummetis vos ipſos in concupiſcentijs veſtris, & Lyran. ibid. vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis, vt ſit ſenſus, concupiſcentias veſtras impleatis: inſumo enim eſt verbum compoſitum ab in, & ſumo, & ſic inſumere, eſt intus ſumere, quod eſt concupiſcentiam malorum adimplere, ideò dicit concupierunt,concupiſcentiam, ideſt ità firmiter in Deum peccantes permanſerunt infideles, vt conſummati in ipſorum concupiſcentia Deum etiam tentauerint, & contrà illum murmurauerint, ideò aperta eſt terra,& deglutiuit illos,vt ſuprà.

Et exarſit ignis in Synagoga eorum, flamma combuſſit peccatores: ducentos & quinquaginta, qui turribulum tenuerant.

Flamma combuſſit peccatores, qui concupiſcentes permanſerunt in concupiſcentia, ideò peccatores, non peccantes, quod humanum eſt, ſed perſiſtentes, diabolica autem talis eſt perſeuerantia, & in peccato ipſo permanere. Concupierunt concupiſcentiam in deſerto, quia longè erat Deus ab illorum Synagoga, Core ſcilicet, & ſociorum. Nonnè deſerta eſt anima, quæ per peccatum ſuum longè fit à Deo? Ignis exarſit in Synagoga illa, in igne ſuperbiæ peccauerunt, & in igne inferni viui ceciderunt, vbi eſt caput illorum Diabolus.

Et fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt ſculptile, Exod.cap.32. Morabatur in monte Moyſes; per quadraginta dies, & noctes ieiunans, vt legem Dei mereretur accipere: eadem nequitia, qua concupiſcentias concupierunt impatientes, legem Dei amplius non expectabant, & quia duræ ceruicis erant, & illorum cor prauum, Exod.c.32.n.9.& 33. credendum illos haud libenter,& voluntariè ſuſcipere. Verebantur Dominum; & ideò dicebant, Non loquatur nobis Dominus, nè fortè moriamur, loquere tu, Exod.c.20. nu.19. & 34. nu 9. audierant enim ibi, quòd Dominus opus terribile facturus erat, & quòd cuncta obſeruaſſet Moyſes, quæ mandaturus erat illi Deus. Vel ergo legem aliquam duram timebant Moyſen de monte, vbi aſcenderat, reportaturum à Deo, vel illum mortuum exiſtimabant, aut vtrunque cogitantes: Congregatus eſt populus aduerſus Aaron, dicens: Fac nobis Deos, qui præcedant nos, in d.c.34. nu.9. audierant Moyſen Deum obſecrantem, vt graderetur cum illis, & illos poſſideret.

Nunquid populе inſipiens, Aaron manibus ſuis Deum facere poterat? Fac nobis Deos, Moyſi quid acciderit ignoramus, Exod.d.c.32. Ex inauribus aureis filiarum illorum fecit Aaron vitulum conflatilem opere fuſorio; dixitq. Iſti ſunt Dij veſtri; cui populus hoſtias obtulit. Sed pœnam de commiſſis habuit, nàm ex illis 23. millia occiſi ſunt iuſſu Moyſis,vt in d. c. 32. Quia fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt ſculptibile, & mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum, gloria eorum, quæ Deus erat illorum; vndè gloriantes dixerunt, Quæ eſt natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris, Deut.c.4. nu.7. Mutauerunt gloriam in ſimilitudinem improperij, in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum, vt comederentur ab illo, ideſt à diabolo; nàm quid eſt homo niſi herba ſicca? Vndè ad Rom.1.nu.21. Cum cognouiſſent

ſent Deum, non ſic Deum glorificauerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam; vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis: qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium.

In ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Si benè quæ in Exodo dicta ſunt, & per populum concupita, colligitur, quòd non libenter de Ægypto deſcenderit, conquerebatur quippè propterea de Moyſe, qui ipſum eduxit, Num.c.20. Cur in ſolitudinem Eccleſiam Domini eduxiſtis, vt & nos, & noſtra iumenta moriamur? Quare nos feciſtis aſcēdere de Ægypto, & adduxiſtis in locum iſtum peſſimum, qui ſeri non poteſt, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, &c. Exod.c.17. In Ægypto vndè eductus is fuerat populus, bos per Ægyptios colebatur pro Deo, qui ab eis appellabatur Apis; quid mirum cùm ibi mens illius populi ſemper eſſet, ſi Diabolus vitulum ex auro in ignem ſuſo egredi fecit, quorum in mente erant terrena duntaxat, vt facilius ad idololatrandum illos induceret? ſicut Ægyptios, nec idololatrare nouum illos erat quandoquidem, Iud. c.2. nu.19. dicuntur ſequentes Deos alienos, adorantesq. illos.

Obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, Deut. c.32. nu.15. O ſine intellectu mortales mortalia requirentes, & cæleſtia relinquentes, immemores tribulationum, quas paſſi eſtis per quadringentos & vltrà annos, & quòd liberi facti eſtis in manu potenti Dei, qui propterea magnalia fecit in Ægypto, mirabilia in terra Cham, tot plagis affecta; terribilia in mari rubro, vbi vos ſicco deduxiſti pede, Pharaonem verò, & exercitum eius in illud ſubmerſit; adhuc cæci, potentiam Dei ignoratis? Nunquid in deſerto aliquid vnquam vobis defuit? nunquid attrita ſunt veſtimenta veſtra? nunquid panem de cælo non manducaſtis? obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos. O vos ingratos, & indignos, qui in populo Dei nominemini.

Et dixit, vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius, vt auerteret iram eius, ne diſperderet eos, & pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem. Quantum iuſti deprecatio valeat, hìc oſtendit; nàm contrà ingratos iſtos iuſtitia Dei parata erat, vt illos diſperderet; ſed quid Domine? nunquid hominis conſilio indiges, vt contrà peccatores manum tuam extendas? quaſi enim Moyſen conſulendo Dominus illi dixit, Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contrà eos, quia cerno quòd populus iſte duræ ceruicis ſit, & deleam eos, faciamq. te in gentem magnam.

Nunquid aliquis imputabit tibi Domine, ſi eæ, quas tu feciſti nationes, perierint? quis ſtabit contrà iudicium tuum? Sap.c.12.nu.12. Deus miſerationum Dominus: hominem antequam iudices conſulis, vt & homo ante iudicium conſulat Deum, antequam iraſcatur contrà fratrem. Domine, inquit Moyſes, cur iraſcitur furor tuus contrà populum, quem eduxiſti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu robuſta? cur Domine peccatorem, quem pre-

tiolo

tioſo Sanguine tuo redemiſti, bella & peſtem mittendo delere vis? cùm ad preces Moyſis populo duræ ceruicis, erranti toties pepercisti? Nunquid maior fuit potentia tua, quando illum eduxisti de Ægypto, vbi etsi afflicti, & laborantes, non tamen mortui erant; nos certè mortui peccato eramus, morte tua nos viuificasti, impiosq. nos iustificasti. Parce Domine, parce populo tuo, & auerte iram tuam à nobis. Quid dicent Gentiles, & Infideles? ecce Deus Christianorum, qui vult delere populum suum, quamuis se peccasse confitentem, & pœnitentem. Nunquid verbum tuum facies irritum, qui dixisti, quotiescunque ingemuerit peccator, dimittam illi? Isai. d.c. 1. Matth. c. 18. nu. 22. Non solum septies, sed septuagies septies dimitte, tu Petro dixisti: Parce Domine, parce, quia peccauimus tibi, esto placabilis super nequitia populi tui, Exod. c. 32. nu. 12.

Dimitte me, inquit Dominus; ò iusti potens deprecatio, quæ valida est, vt potentiam Domini retineat, & quis poterit contrà Dominum, qui solus potens est verbo suo delere, totum, oratio iusti potentior cunctis, quæ sola retinet potentiam omnipotentis. Vt auerteret iram eius ne disperderet eos, & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Si nondum ad illam peruenerant, neque illam viderant, quomodò illam pro nihilo habuerunt? nisi quia non crediderunt verbo Domini. Cum in Ægypto essent afflicti, crediderunt ei, quia signa, & mirabilia Domini viderant; nunc obliti benefactorum eius, à fide receſſerunt. Addit rationem Psalmista, quia non crediderunt verbo eius; sed cur hæc? quia in tabernaculis suis stabant, & repleti erant omni bono, quod eis nauseam intulit: in tabernaculis enim erant, non laborabant, non ab aliquo vexati erant, ideò pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, quia hanc præsentem perfectam desiderabant, non futuram inquirebant; fruamur hìc bonis, dicebant, Sap. d. c. 2. Non crediderunt verbis Domini, qui futuram promittebat illis, lacte, & melle fluentem, idest vitam æternam. Nàm si aliàs hæc temporalia pro nihilo habuissent, vt æterna possiderent, meritum habuissent fidei, & Domino illam promittenti credidissent; sed in tabernaculis existentes, & vocem Domini non audientes, murmurauerunt, Num. c. 12. num. 2. & cap. 14. nu. 2. Hinc Paul. 1. Corinth. c. 10. nu. 9. Neque murmurauerit is, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore: & propter quid murmurauerunt? quia exploratores terram illam Gigantibus plenam nunciauerunt: sed nunquid quando de Ægypto liberi facti fuistis, virtute vestra, vel bellando, vel mare siccando, vel cibum in deserto manibus vestris quærendo transiuistis? nunquid non manu Dei omnipotentis, vos sine vestro opere, & labore liberi facti, & pasti estis, & exercitus Pharaonis iussu Domini aquis opertus, nonnè est demersus in profundum maris? & quid, si Deus est vobiscum? Num. d.c. 14. quid Gigantes, quid Diabolum timentes, Deo non credidistis? sicut panem illos comedemus, dicebat Iosue illis; vt quid ad iracundiam toties prouocastis; propter quod sequitur Psalmus.

Et eleuauit manum suam super eos, vt prosterneret eos in deserto. Vsquequo enim, dixerat Deus, multitudo hæc pessima murmurat contrà me? querelas filiorum Israel audiui, dic ergo eis: Viuo ego, ait Dominus: sicut locuti estis, audiente me, sic faciam vobis; in solitudine hac iacebunt cadauera vestra. Omnes, qui numerati estis à viginti annis, & supra, & murmurastis contrà me,

non

non intrabitis Terram, ſuper quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem, præter Caleb filium Iophone, & Ioſue filium Nun. Paruulos autem veſtros, de quibus dixiſtis, quòd prædæ hoſtibus forent, introducam: vt videant Terram, quæ vobis diſplicuit, Num. d.c. 14. nu. 27.

Ideò eleuauit manum ſuam ſuper eos, vt proſterneret eos in deſerto; eleuauerat Dominus manum ſuam ſuper terram, vt ibi habitarent filij Iſrael; ſuper vtroſque hìc Dominus leuauit manum ſuam, ſuper habitatores illos, necnon ſuper filios Iſrael, à viginti annis & ſuprà, quorum corpora in deſerto ſepulta: & illorum in ea terra habitantiûm, etiam iacuerunt occiſa, & mortua, vt Iudæorum à viginti annis, filij habitare poſſent in illa. Eleuatio manuum pro ſententia, ſeù iudicio Dei ponitur, leuare manum, eſt, manu ſublata iurare, eſt vltimus terminus, quem dat iniquis, & incorrigibilibus, vt iudicentur ab illo, Deut. 40. nu. 32. Leuabo in cælum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum, & in d. c. 14. in Num. Sicut locuti eſtis audiente me, ſic faciam vobis, vt in ſolitudine hac iaceant cadauera veſtra; quia iurauit Dominus, & non datur retractatio verbi, quod iurauit, Pſalm. 109. in princ.

Sententia iàm in iniquos prolata eſt, quia cadauera eorum à viginti annis & ſupra, in deſerto caduca remanſerunt, ſed ij, qui introierunt in terram illam Sanctam lacte, & melle manantem, quid fecerunt? cur ſemen eorum miſſum inter gentes, vt diſperderet eos in nationibus? quid mali fecerunt? filius num portabit iniquitatem patris? ſententia Domini ex nunc, prout ex tunc, omnia enim præſentia ſunt Deo, etiam futura.

Comminabilis eſt Dei ſententia, ſi mala Iſraelitæ fecerint, ſicut patres eorum. Simile habemus Deut. c. 28. num. 15. Quòd ſi audire nolueris vocem Dei tui, vt cuſtodias, & facias omnia mandata eius, &c. Venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te. Maledictus in ciuitate, maledictus in agro; maledictum horreum tuum, maledictæ reliquiæ tuæ: mittet Dominus ſuper te famem, donec conterat te, & perdat velociter propter adinuentiones tuas, in quibus reliquiſti me, &c. & num. 25. Tradet te Dominus corruentem ante oculos tuos, & diſpergeris per omnia Regna terræ, ibid. num. 25. & 32. Filij tui, & filiæ tuæ tradentur alteri populo, &c. & erunt in te ſigna, num. 46. atque prodigia, & in ſemine tuo vſque in ſempiternum, &c. & nu. 64. Diſpergет te Dominus in omnes populos, à ſummitate terræ vſque ad terminos eius, & ſeruies ibi Dijs alienis, lignis, & lapidibus, quos tu ignoras, & patres tui, nec in gentibus illis erit tibi requies, &c. Dabit tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam mœrore conſumptam, & erit vita tua quaſi pendens ante te, timebis nocte, & die, & non credes vitæ tuæ. Mane dices, quis mihi det veſperam, & veſpere, quis mihi det mane?

Quid verò ſemen iniquorum fecerit, vide 2. Paralip. cap. 36. nu. 14. Et vniuerſi principes Sacerdorum, & populus præuaricati ſunt iniquè iuxtà vniuerſas abominationes gentium, & polluerunt domum Domini; & ità præuaricati ſunt, vt ex nunc contrà illos comminata ſit ſententia, & vt deijceret ſemen eorum in nationibus, & diſperderet eos in regionibus.

Intiati ſunt Beelphegor. Religione enim coniuncti ſunt Beelphegor, Idolo Moabitarum.

Vel dicamus, quòd ea, quæ ſuis temporibus facta ſunt, hìc breuiter vnico verbo-

gitized by Google

verborum contextu narrantur, non quia ſtatim deletis,qui ſupra viginti annos Iſraelitis ; præter illos duos Ioſue, &c. Semen iniquorum illorum diſperſum ſit à Deo per diuerſas nationes; ſed vt continuatam Iudæorum nequitiam, etiam in filijs , & filijs filiorum oſtenderet ; qui etiam luxuriantes, & contrà mandata Dei operantes , etiam ſeipſos cum mulieribus Moabitis miſcuerunt, & ad adorandà Idola eorum ſe conuerterunt: quapropter Deus illos in nationibus diſperſit, vt in cap.vlt. Paralip. nu.14. Sed vniuerſi principes Sacerdotum , & populus prævaricati ſunt iniquè, &c. vt ſupra. Subſannantes miniſtros Dei, & illos deridentes , donec aſcenderet furor Domini in populum eius , & nulla eſſet curatio ; adduxit enim ſuper eos Regem Chaldæorum, & interfecit iuuenes eorum gladio , non eſt miſertus adoleſcentis , & virginis , & ſenis , nec decrepiti quidem , ſed omnes tradidit in manibus eius , vniuerſa tranſtulit in Babylonem .

Initiati ,& conſecrati ſunt Beelphegor , & comederunt ſacrificia mortuorum. Initiati , nec compuncti, initiati, nec fuit qui illos reprehenderet ; Comedentes ſacrificia mortuorum ; Dijs alienis, Dijs manibus hominum factis ſacrificabant ; turpiter luxuriantes, comedentes de inanibus illis ſacrificijs.

Et irritauerunt eum in adinuentionibus ſuis, & multiplicata eſt in eis ruina. Ira Dei ſuper illos aſcendit , quia in adinuentionibus iniquitatum ſuarum permanſerunt , & quia non compuncti, ideò multiplicatur in eis ruina: Vndè Auguſtin. hìc , Et irritauerunt, &c. Tamquam ad hoc diſtulerit , quod leuauerat manum ſuam ſuper eos proſternendos in deſerto , & deijciendum ſemen eorum in nationibus , & diſpergendos eos in regionibus , vt dati in reprobum ſenſum , etiam illud admitterent , in quo immaniori crimine euidenti iuſtitia punirentur, quemadmodum ad Rom. 1. Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quæ non conueniunt ; Deniq. tantum fuit ſcelus eorum , quòd conſecrati ſunt Idolo , & comederunt ſacrificia mortuorum,ideſt quia mortuis hominibus,tamquam Dijs ſacrificabant gentes; vt aliter ſe placari Deus nollet, niſi quomodò eum placauit Sacerdos , qui maſculum, & fœminam in complexu adulterino comprehenſos , pariter interemit, Num. d. cap. 25. Hic fuit Phinees Sacerdos , qui non odio eorum, ſed zelo Dei illos interemit: quo facto populum, cuius maior interitus futurus erat, liberauit, & ideò ſequitur .

Stetit Phinees , & ceſſauit quaſſatio. Stetit Phinees , quia in generali conturbatione , zelo domus Dei motus vindictam de peccatis illorum ſumpſit , illos occidendo. Ergo ex delicto ceſſauit quaſſatio? Non eſt crudelis , qui crudeles iugulat, 23. q. 5. cap. Non eſt crudelis. Stetit,& placauit , ideſt exorando ; nàm transfixio mæchantium,zelo Dei facta,magis dicenda eſt oratio; quàm operatio; qui enim benè agit, orat , & ſic ceſſauit quaſſatio , ideſt confractio , vel plaga populi , hiſtoriam legas in d. c. 25. Num.

Et reputatum eſt ei in iuſtitiam in generatione , & generationem vſque in ſempiternum . Sed nunquid Domine perdendi illos poteſtas tibi defuerat? & ſi perdidiſſes , quis imputaret tibi , etiam ſi omnes nationes, quas tu feciſti, conſummaſſes? Sap. d. c. 12. O homo Dei, quanta eſt erga te illius dilectio, vt te fecerit, & iuſtitiæ ſuæ vindicatorem , & zelantem illius honorem , & præceptorum eius obſeruantem , vtq. Sacerdotij dignitas in æternum tecum eſſet in terra, & regnum æternum in cælo .

Et

Et reputatum eſt ei in iuſtitiam, in generatione, & generationem vſque in ſempiternum. Non quia odio, vel inimicitia illos occidiſſet, ſed quia zelus domus Dei comederat illum, & ideò in iuſtitiam reputatum. Sed ſi occidendo prævaricatores illos, reputatum eſt ei ad iuſtitiam, quid erit, ſi tibi, ò homo terrenis inuolutus voluptatibus, ad cæleſtia reſpiciens terrena deſpexeris, tuos ad voluptates affectus occideris, vt quam dedit tibi Dominus in puritate animam, eamdem ſimili in puritate Domino per pœnitentiam reſtitueris? Venias, inquit Dominus, vt percipias Regnum, quod præparauit Deus in æternum; in iuſtitiam enim reputabitur tibi, quod ex antidora obligatione illi teneris.

Stetit, inquit, Phinees, & placauit, & ceſſauit quaſſatio. Sta & tu anima, & confide in Domino, quia dabit tibi petitiones cordis tui, & ceſſabit perturbatio, & quaſſatio, 2. Timoth. 4. num. 17. & 18. Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & ſaluum faciet in Regnum cæleſte. Phinees quid aliud, niſi aſpectus, & facies confidentiæ, & protectionis? protector tuus erit Dominus, qui liberabit te ab omni malo, fuge peccatum.

Irritauerunt & iterum illi Dominum ad aquas contradictionis, & vexatus eſt Moyſes propter eos, quia exacerbauerunt ſpiritum eius. Et ſi certè tu peccando irritaueris Dominum, reuertere ad illum, qui paratus eſt te recipere in domum ſuam, Sapien. cap. 12. Quàm ſuauis eſt Domine, & bonus ſpiritus tuus in omnibus, ideoquè eos, qui exerrant partibus corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine. Ne cum Moyſe & tu vexeris, ſi in prima petræ percuſſione aqua non fluxerit: bis petram percute, & fluuius lacrymarum de corde tuo exibit, vt lauentur crimina tua, hiſtoria in Numer. cap. 13. cap. 20. & cap. 27. Apprehende & tu homo aduerſus diaboli tentationes arma, & in deſerto Cades cum filijs Iſrael & tu aſcende in Sin, quod dicitur arma, & ſcutum, vt ibi. Hoc eſt, Præpara animam tuam ad tentationem, qui ad ſeruitutem Dei accedere vis; ſta in iuſtitia, & timore, deprime cor tuum, & ſuſtine, Eccleſ. cap. 2. in princ. 2. Timoth. capit. 3. numer. 12. oſtende te Sacerdoti, accede ad Eccleſiam Dei, ſi vis mundari, Cades enim ſanctitas dicitur; maneas & tu cum populo in Cades, & quatenus deficiant aquæ lacrymarum, ne & tu tenteris cum populo illo, vt vexetur Moyſes, vt turbentur Sacerdotes propter tui impatientiam. Sed vt coroneris, ſuſtine tentationes: caſtigat enim nos Dominus aliquando, vt probati fideles inueniamur, Pſal. 117. nu. 18. Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me, vndè Paul. 2. Corinth. cap. 6. In omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in ſcientia, in longanimitate, &c. in Spiritu ſancto, vt ſcilicet dignum Dei habitaculum nos præparemus.

Stetit Phinees, & in dicto cap. 25. Hieronym. Superius, ſtetit, dixit Moyſes in confractione: hìc autem Phineen exoraſſe dicit. Quod diligenter auſculta tu Sacerdos, cui animæ commendatæ ſunt, euagina gladium, intetime fornicatores, hoc eſt profer verbum, inſta opportunè, importunè, ar-

gue, obsecra, increpa cum omni patientia, & doctrina, vt sibi reputetur ad iustitiam, quia qui reddiderit pretiosum ex vili, sicut os meum erit, dicit Dominus.

Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses propter eos. Irritauerunt illi maledicentes Moysi, qui illos de terra Ægypti eduxit, ad Ephes. capit. 4. numer. 30. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem Redemptionis: hoc enim fit quotiescunque nos Christiani aqua Baptismi in Spiritu sancto regenerati, Deum offendimus peccando; contradicimus promissioni, quam in Baptismo fecimus, renuntiantes mundo, diabolo, & pompis eius. Instat diabolus, consentiunt illi diabolo suggerenti peccata; irritatur Dominus, qui illos aqua Baptismi regenerauit: vexantur Sacerdotes à coinquinatis in peccatis, pro eo quod peccatores Christiani exacerbant spiritum Dei, iuxtà illud Paul. 2. Corinth. capit. 11. num. 29. Quis scandalizatur, & ego non vror? Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius. Nimia enim populi importunitate succensus est, cum iterum irritauerint Dominum, quasi diffidenter increpauit, dicens, Nunquid de petra hac poterimus vobis aquam ejicere? Idcò enim in terram promissionis Moyses ingredi prohibitus, quia anceps factus, vt de petra aquam educere posset, non enim ad primam lapidis percussionem fluxerunt aquæ, ideò ancipiti animo fuit.

Sed cur Domine iratus es cum Moyse? non enim iratus es quando & ipse dixit tibi, Numer. capit. 11. numer. 22. Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu Domine dicis, dabo eis esum carnium mense integro? Nunquid ouium, & boum multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in vnum congregabuntur, vt eos satient? Nunquid, ò Moyses, Domini manus inualida est, iàm nunc videbis, vtrum sermo meus opere compleatur. Non tunc iratus es Domine, quia sermoni credidit Moyses, & nunciauit populo: hìc vexatus est Moyses propter eos, & exacerbauerunt spiritum eius, ità vt quasi extrà se non sit locutus verba, quæ illi dixit Deus, vt nunciaret populo. Et distinxit in labijs suis: ad petram enim coram multitudine, vt loqueretur iusserat Dominus, ipse verò mutatis verbis. Nunquid, dixit, poterimus educere aquam de petra hac? Non tibi hoc dixit Dominus, ò Moyses, sed vt ad petram loquaris, lapidem baculo, quem gestabas, percuteres. Non cogitauit Moyses mysteria Crucis, neque Iudæorum cordium duritiam; vexatus erat spiritu: Petra & si durior corde carnali naturaliter; Iudæorum tamen corda petra duriora demonstrare Deus volebat, dicens, Loquere ad petram. Et quamuis petra verbo serui Dei obediens futura erat, ad designandum quod euenturum erat si ligno Crucis petra Christus percuteretur. Titubauit ergo Moyses, nec mysterium tunc considerauit; verba distinxit, pœnam luit, quia mortuus est, nec terram promissionis ingressus est; pœnam temporalem, vt æterna frueretur beatitudine: Iudæi scandalizantur, quia ad primam petræ percussionem non exiuit aqua, sed confusi, quia bis percussa petra fluenta dedit in abundantia.

Quid

Quid verò illis profuit miraculum, cum nihilominus Domini præcepta minime obſeruauerint? Non enim diſperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis, Numer. cap. 33. numer. 52. Et commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum. Vndè terra promiſſionis, quæ eis fuerat data in præmium, verſa eſt inobedientibus, & Deo rebellibus in ruinam, quia facti ſunt cum gentibus Idololatræ contrà præceptum Domini, Numer. cap. 18. num. 4. Alienigena non miſcebitur vobis.

Et commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum. In Leuitic. cap. 18. numer. 3. præceperat Dominus, dicens: Ego Dominus Deus veſter: iuxtà conſuetudinem terræ Ægypti, in qua habitaſtis, non facietis; & iuxtà morem Regionis Chanaan, ad quam ego ſum vos introducturus, non agetis; nec in legitimis eorum ambulabitis, & nu. 21. De ſemine tuo non dabis vt conſereretur Idolo Moloch; nec pollues nomen Dei tui. Sed illi commixti ſunt inter gentes, contrà præceptum Domini, Deuteronom. cap. 7. in princ. Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam poſſeſſurus ingredieris, &c. ſeptemquè gentes multò maioris numeri, quàm tu es, &c. percuties eas vſque ad internitionem, non inibis cum eis fœdus, &c. filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me, & vt magis ſeruiat Dijs alienis; iraſceturquè furor Domini, & delebit te cito, &c. aras eorum ſubuertite, & confringite ſtatuas, lucosquè ſuccidite, & ſculptilia comburite, &c. idem in capit. 12. per totum, & ideò Iudic. cap. 2. numer. 1. cur poſtquam introduxit Dominus in terram, &c. cur vocem Domini audire noluiſtis? noluit propterea Dominus delere eos à facie veſtra, vt habeatis hoſtes, & Dij eorum ſint vobis in ruinam, idem in cap. 3. eiuſdem libri num. 6. & filij Iſrael, &c. & duxerunt vxores filias eorum ſcilicet Cananæas, & aliorum, ipſiq. filias ſuas filijs eorum tradiderunt, & ſeruierunt eorum Dijs, & fecerunt malum in conſpectu Domini, & obliti ſunt Dei ſui, ſeruientes Baalim, & Aſtaroth.

Et factum eſt illis in ſcandalum, quia ſeruierunt Dijs eorum, &c. terra enim promiſſionis, quæ in præmium eis fuerat data, verſa eſt delinquentibus in ruinam, quia facti ſunt Idololatræ; & factum eſt ſcandalum illis, ideſt in ruinam, vt patet Iudic. c. 2. & per totum: Dij enim eorum fuerunt eis in ruinam, quapropter iratus Dominus contrà illos, tradidit illos in manus Chuſan, cap. 3. numer. 8.

Et immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmonijs; & Ierem. capit. 19. Et libauerunt Dijs alienis, quos neſcierunt ipſi, & patres eorum, & repleuerunt locum iſtum ſanguine innocentium, & ædificauerunt excelſa Baalim ad comburendos filios ſuos igni in holocauſtum Baalim, quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum, &c. Et ſubuertam eos gladio, in conſpectu inimicorum ſuorum, &c. Et quid dicam de occidentibus animas ſuas in peccatis, nonnè Dæmonijs immolant illas? ò inſenſatos & nos Chriſtianos, qui, vt ſeruiamus mundo, & Diabolo, peccando recedimus à Deo vero, & viuo. Quid enim peccator facit peccando, ex aliquo nihil fit, quia ſine ipſo factum eſt nihil: ex hæreditate Dei recipit in hæreditatem Diabolum, & factus eſt miniſter eius, ex amico Diaboli fit inimicus

gitized by Google

Dei; melius fuiſſet ſi non natus eſſet homo ille, Ioan.cap.19.num.12. & ideò ſequitur Pſalm.

Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum, & fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis. Quomodò inficitur terra per peccatum? Quid eſt terra niſi homo? interficit ſe homo, quando peccat: immolant enim animas ſuas Diabolo; & in operibus ſuis contaminantur; & adulterinis ſuperſtitionibus ſuis fornicantur in adinuentionibus ſuis, ſequendo ſcilicet patres eorum, qui talia ineffabilia commiſerunt, 2. Paralipomen. capit. 28. Fecit enim reatum coram Domino, & ambulauit in vijs Regum Iſrael, adoleuit incenſum, & luſtrauit filios in igne, iuxtà ritum gentium, & numer.23. & in cap.21.numer.6. tabe enim iniquitatis inficitur terra, cum diuerſis fornicationibus corpus hominis inquinatur: Auguſtin. Et fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis, has adinuentiones dicit, quia impiorum mala imitati ſunt. Non itaque ſic dictas adinuentiones arbitremur, quaſi ab ipſis inſtitutas, nulla in alijs præcedente, quod imitarentur exemplo. Quocircà alij non adinuentiones, ſed ſtudia, alij verò affectiones, alij voluptates dicere maluerunt, hæc Diuus Auguſtinus. Non ergo à ſeipſis excogitauerunt, ſed illos imitati ſunt. Quomodò non infecta erit terra, ſi non aqua, ſed ſanguine eſt madefacta? quomodò dabit fructum ſuum, ſi homo peccator non eſt operatus in ea? & ideò contaminata in operibus eorum.

Et iratus eſt furore Dominus in populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam. Ira enim non cadit in Deo; ſed iudicandi potentia ex longa conſuetudine peccandi quodammodo excitatur ad infligendam pœnam hìc, non vt perdat, ſed vt corrigat: non vt mactet, ſed vt ſaluet; nàm ſi Dei hæreditas, quomodò illos diſperdet, donec permanet hæreditas?

Corrigit iraſcendo hìc, ne ſibi fiat locus in iudicando; hìc dixi, quia poſt non eſt confeſſio: Populus nunc ſuus, ſed tunc non populus amplius ſuus, Oſe. cap.1.numer.9. omnes iuſti populus Domini, Iſai. cap.60.num.21. Dum ergo eſt acceptabile tempus reuertantur peccatores, 2. Corinth. cap.6. numer.3.

Et tradidit eos in manus gentium, & dominati ſunt eorum, qui oderunt eos. Secuti ſunt gentium mores, & in eo quòd peccauerunt receperunt mercedem. In manibus enim eorum traditi ſunt, & ſerui facti illorum Domini ſubiecti ſunt, quos prius oderant; gloriabantur in Idolis, & opprobrio ſeruitutis ſubſunt inimicorum. Sed cur Deus non deleuit eos, qui ipſo relicto, ſeruire voluerunt Idolis? Vt magis confundantur, quòd inimicis ſeruire conati ſunt: ad hoc enim inimici relinquuntur, vt peccantes in Deum, ab ipſis corripiantur, caſtigentur; & ità correpti ad Dominum pœnitentes reuertantur.

O Dei magna miſericordia erga nos miſeros peccatores. Non loquatur nobis Dominus, ne moriamur, Exod.20.nu.19. corrigant nos inimici, vt ad Dominum conuertamur; vt vexati intelligamus, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, & extrà illum non eſt alia ſalus, Iſai.45.nu.5. Pſalm.17.n.32. Nolui, inquit Dominus, delere eos à facie veſtra, vt habeatis hoſtes, & Dij eorum ſint vobis in ruinà, & nu.20. & ego non delebo gentes, vt in ipſis experiar Iſrael, vtrũ cuſtodiat viã Domini, & nu.23. Dimiſit ergo Dominus omnes nationes has, & cito ſub-

Digitized by Google

ſubuertere noluit, &c. & iudices Dominus vocat, dicens in dicto cap. 2. Iudic. citò deſeruerunt viam, &c. cum Dominus iudices ſuſcitaret in diebus eorum, flectebatur miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium, numer. 18. vocat enim Dominus iudices contrà inimicos Iſrael, iudices vt ibi dicto cap. 2. & clarius cap. 3. Iudic. in princ. hi ſunt defenſores, gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem. Vt ergo filij Iſrael in afflictione poſiti ad Dominum recurrerent, dabat eis iudices Gentiles: & quoties ad vomitum reuertebantur, gentibus ſubijciebantur, vt afflicti, & conturbati iterum illos pœniteret, & parceret eis, Iudic. cap. 3.

Et tradidit eos in manus gentium, & dominati ſunt eorum, qui oderunt illos. Sed dices, nunquid eſt recta via Domini, qui nos in tantis malis inclinari permittit? Aduerte, inquit D. Hieronym. quia pro ſuis peccatores criminibus inclinantur, & Deus tanta pietate præditus eſt, vt ſemper dignetur impartiri præſidium, ideò ſequitur. Sæpè liberauit eos. Dici etiam poterit forſan, quia oſtendit Dominus, quòd damnatio à teipſo, ſalus verò ab illo. Vt ergo nobis oſtenderet Deus, quòd omne auxilium, quando ex noſtra mala inclinatione peccamus, & deficimus, ab illo eſt; auxilium meum à Domino, Pſalm. 120. num. 2. bonum enim & malum ante nos, vita, & mors, Deuter. 3. num. 19. quia peccas, eligis mortem; miſericordia enim Dei ſubleuaris, vt recedens à malo, ipſe te eripiat à morte, Prouerb. c. 16. num. 9. Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus eius, quando tu acceſſeris ad eum dolens, & pœnitens, quia peccaſti. Peccatores proſequitur malum, Prouerb. 13. num. 21. deſine admittere peccatum, & retribuentur tibi bona.

Et dominati ſunt eorum, qui oderunt eos. Qui enim facit peccatum, ſeruus eſt peccati, ex Diabolo eſt, 1. Ioan. cap. 3. num. 8. & peccatum generat mortem, Iacob. in ſua Epiſtol. cap. 1. numer. 15. Ioan. cap. 8. numer. 34. ad Roman cap. 6. num. 15. à quo enim quis ſuperatus eſt, illius ſeruus eſt, 2. Petr. c. 2. num. 19.

Agnoſce ergo peccatum tuum, & tunc videbis, quæ ob illud te comitentur damna, & tribulationes, & tunc cum Pſalmiſta dices, Et tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati ſunt ſub manibus eorum, ſæpè liberauit eos. Magna eſt Dei miſericordia, quando dat intellectum, vt grauitatem peccati cognoſcas; nàm niſi ſis filius Diaboli, humiliatus ad Dominum ſi conuerteris, ipſe te liberabit ab illis. Et humiliati ſunt, inquit, ſub manibus eorum, ſæpè liberauit eos, hoc eſt, quandocunque humiliabantur, Deus liberabat eos, vt patet in lib. Iudic. cap. 3. & 4. Sæpè peccauerunt, ſæpè liberauit eos. Ideò tradidit in manibus inimicorum, vt ab illis vexati reciperent intellectum; vt ad Dominum quandocunque conuerſi, miſericordia Domini deſcenderet ſuper eos: traduntur inimicis, vt experiantur quanta ſit Domini erga illos miſericordia.

Sed vide peccator, quia miſericors eſt Dominus, ſed & iuſtus: vide ne dum in ſpatio pœnitentiæ confidis, tempus tibi deficiat expiationis; ne dum tempus miſericordiæ requiris, illud non inuenias, Eccleſ. cap. 14. num. 17. Ante obitum tuum operare iuſtitiam, quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum. Dum tempus habemus, operemur bonum, ad Galat. cap. 6. numer. 10. Et in Euangelio monemur vigilare, quia neſcimus diem, neque horam, Matth. cap. 24. num. 42. & 50. Dicit ſeruus ille nequam, moram facit Dominus, &c.

Digitized by Google

Veniet Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora, qua ignorat, & diuidet eum, partemq. eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus, & ſtridor dentium, eſto ergo vigilans, Apocalypſ.cap.3.num.2. Quia quem ſemel culpa ad interitum pertrahit, miſericordia ad veniam non reducit, Gregor. lib. 8. Moral. cap.10. fol.486.

Et nota, quòd quamuis beneficia Dei præmittantur, non tamen peccatorum, & Iſraelitarum ceſſauit iniquitas, & illorum ingratitudo, infert poſt hæc Dominus vindictam, non vt perdantur, ſed vt iterum tribulatis, & clamantibus miſereatur. Et quid ſequitur? Deus illorum miſeretur, ipſi verò recedentes à conſilio Domini, reuertuntur ad vomitum iniquitatum illorum.

Ipſi verò exacerbauerunt eum in conſilio ſuo, & humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis. Conſilium enim Domini tamquam operibus eorum contrarium noluerunt: obliuiſcuntur benefactorum eius: & in conſilio ſuo iterum Dominum exacerbauerunt,& in iniquitatibus ſuis humiliati ſunt. Non enim ſine deliberatione malum perpetrarunt, nàm ex conſilio, data opera, malitiosè iniquitatem operantes contrà legem Dei venerunt, Sap.cap.2. in fine illius capituli, Illi neſcierunt ſacramenta Dei, hìc verò ex conſilio: ò ſtulti, non eſt conſilium contrà Dominum, Act.cap.5.num.38. ſi eſt conſilium ex hominibus, diſſoluetur, ſi verò ex Deo, non poteſt diſſolui.

Et vidit, cum tribularentur, & audiuit orationem eorum, ſed ſi Dominus vidit, quomodò peccator ſubſiſtit? Iob cap.9.& ibi Gregor. in Moral. fol. mihi 486. Oculi, inquit, tui in me, & non ſubſiſtam; ſed ibi quando vocati ſunt peccatores ad iudicium; tunc enim diſtrictus ad iudicium veniens, & ad ſaluandum non vides, & ad feriendum vides, quia quem in præſenti vita diſpenſationis tuæ miſeratione non reſpicis, reſpiciendo poſtmodum per iuſtitiam extinguis. Nunc enim peccator quiſque Deum non metuit, & viuit, blaſphemat,& proficit,quia ſcilicet miſericors creator,quem expectando vult corrigere,aſpiciendo non vult punire; diſſimulat enim peccata hominum propter pœnitentiam, Sap. cap.11.num.24. litera D.

Et vidit cum tribularentur, quia orantes clamauerunt ad Dominum; vndè Gregor. in lib.8. Moral. fol.486. ſuper illud verbum Iob, Nec aſpiciat me viſus hominis, litera E. & A. Nec aſpiciat, inquit, me viſus hominis, quia nimirum Redemptoris gratia, quam nunc intuetur, vt corrigat, tunc reſpicit, vt ab interitu abſcondat. In iudicium quippè Dominus veniens,peccatorem videt vt feriat, ſed non videt, vt ad largiendam ſalutis gratiam recognoſcat, culpam examinat, & vitam pereuntium ignorat. Hìc ergo viſus hominis eſt miſericordia Redemptoris, quæ inſenſibilitatis noſtræ duritiam, cum reſpicit, emollit; vt de Petro dicitur in Euangel. Luc. cap.22. quem Dominus reſpiciens, egreſſus foras fleuit amarè; ſequitur Gregor. Exutam verò carne animam, nequaquam iàm viſus hominis aſpicit, quia poſt mortem non liberat, quem ante mortem gratia ad veniam non reformat; Vndè Paul.2.Corinth.6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis,& Pſalm.117. Quoniam in ſæculum miſericordia eius. Quia nimirum, quem nequaquam modò miſericordia eripit, ſola poſt præſens ſæculum iuſtitia addicit: hæc Gregor. Cor enim contritum, & humiliatum Deus non deſpicit, Pſalm.50.num.19. Memor tamẽ eſto,quod quãuis tibi peccatori pro peccato nihil mali accidat,vel triſte,

quia

quia Altissimus est patiens redditor, & de propitiato peccato noli esse sine metu; neque adijcias peccatum super peccatum; & ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim, & ira ab illo cito proximant, Eccles. cap. 5. num. 5.

Et memor fuit testamenti sui, & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ. Testamentum suum, quando Abrahæ promisit ex semine suo Redemptorem nasciturum, Genes. cap. 26. nu. 4. & cap. 28. nu. 15. & in Deuter. cap. 18. nu. 15. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, vt petisti à Domino Deo tuo in Oreb, atque dixisti, Vltra non audiam vocem Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi, benè omnia sunt locuti, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturq. ad eos omnia, quæ præcepero illi; Ioan. 1. nu. 49. & Act. c. 3. nu. 22. Si enim Israelem propter peccata perdidisset, ex semine eius, quomodò Christus Dominus natus esset? propterea. Memor fuit Dominus testamenti sui, & pœnituit secundum multitudinem misericordiæ suæ. Ideò pœnituit, quia & ipsi Israelitæ pœnitentiam egerunt, non quia in Deo cadat pœnitentia. Simile habemus Ierem. c. 18. nu. 8. ibi, Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Agamus ergo & nos de commissis pœnitentiam, vt Dominus concedat nobis peccatorum nostrorum veniam: & de malo pœnitebit, quod facturus erat nobis.

Et dedit eos in misericordias, in conspectu omnium, qui cœperant eos; Fecit ergo cum illis misericordias in conspectu eorum, qui cœperant eos: Nàm alijs donum dedit prophetiæ, vt tribus pueris; alijs interpretationem sermonum; alijs gratiam curationum, &c. vt videre est in lib. 1. Reg. cap. 5. & in 2. Paralip. c. 33. & in 4. Reg. vlt. in Daniel. c. 2. & Tob. 1. & in lib. Iudic. In conspectu ergo gentium dedit misericordias suas, reuelando iustitiam. Quia dum erant peccatores, iussu, & permissu Dei affligebantur ab inimicis, dum essent pœnitentes, & dolentes liberabantur ab illis, suscitans illis Saluatorem, Iud. cap. 3. num. 9. Et liberauit eos Othoniel, in quo fuit spiritus Domini, & iudicauit Israel; egressus enim ad pugnam, tradidit in manibus eius Chusan Regem Syriæ, &c. Et quieuit terra quadraginta annis. Et iterum suscitauit eis Saluatorem Aod, qui vtraq. manu pro dextera vtebatur, Moabitidas enim tradidit in manus illorum, d. c. 3. nu. 38. Iudic. Humiliatusq. est Moab in die illa sub manu Israel, & cæteras in eodem cap. & in alijs vide misericordias, quas fecit Dominus in Israel.

Et dedit eos in misericordias, in conspectu eorum, qui cœperant eos, Iudic. c. 5. n. 16. Hæc optimè explicauit Achior Dux omnium filiorum Ammon, vbi & post multa de egressu ex Ægypto, & de signis, quæ fecit Deus in illos, nu. 16. adiecit. Vbicumque ingressi sunt sine arcu, & sagitta, &c. Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit, & non fuit, qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui. Quotiescunque autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium, & quotiescunque pœnituerunt, se recessisse à cultu Dei, dedit eis Deus cæli virtutem resistendi. Deniq. Cananæum Regem, & Pherezæum, & Hethæum,

&

Digitized by Google

& Æuæum, & Amorrhæum, & omnes potentes in Eſebon proſtrauerunt, & terras eorum, & ciuitates eorum ipſi poſſederunt, & vſquequo non peccarent in conſpectu Dei ſui, erant cum illis bona: Deus enim illorum odit iniquitatem. Nàm & antè hos annos, cum receſſiſſent à via, quam dederat illis Deus, vt ambularent in ea, exterminati ſunt prælijs à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti ſunt in terram non ſuam. Nuper autem reuerſi ad Dominum Deum ſuum, ex diſperſione, qua diſperſi fuerant, adunati ſunt, & aſcenderunt montana hæc omnia, & iterum poſſident Ieruſalem, vbi ſunt Sancta eorum. Nunc autem mi Domine perquire, ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum, aſcendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi,&c. ſi verò non eſt offenſio populi huius coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis: quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opproprium vniuerſæ terræ.

Iraſcuntur omnes Holofernis magnates hæc audiẽtes,&c. Homines, inquiunt, inermes ſine virtute, ſine peritia non reſiſtent armis Nabuchodonoſoris; cum ijſdem gladio Achior tranſuerberetur, &c. Deus terræ eſt Nabuchodonoſor, & non eſt alius præter ipſum: & videas quæ ſequuntur in c. 6. & ſequen. Achior ligatur à miniſtris Holofernis, vt in Bethuliam in manibus filiorũ Iſrael traderetur. Suſcitatur ſpiritus Dei in Vidua Iudith cap. 10. & c. 11. Confirma me Domine Deus Iſrael, & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum, cap. 13. n. 7. pugionem Holofernis exſoluit,& euaginato gladio abſcidit caput eius. Aperite portas ò Iſraelitæ, quia Dominus fecit miſericordiam nobiſcum,&c. nu. 17. Laudate Dominum Deum noſtrum, qui non deſeruit ſperantes in ſe, & in me ancilla ſua adimpleuit miſericordiam ſuam,&c. & interfecit hoſtem populi ſui hac nocte, &c. Per manus feminæ percuſſit illum Dominus Deus noſter, & cuſtodiuit me Angelus eius,&c. Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius, &c. & c. 15. Inclinato capite exercitus relictis omnibus euadere feſtinabat Hebræos, quos armatos ſuper ſe audiebat venire: fugientes perſecuti ſunt; & ſpolia eorum Iſraelitæ reportauerunt, vt ibi,&c. Et ideò dediſti Domine in miſericordias in conſpectu omnium, qui cœperant eos, vt confiteamur nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua.

Saluos faç nos Domine Deus noſter, & congrega nos de nationibus. Iàm de inimicis noſtris liberi facti ſumus: iàm dæmones electi à nobis, congrega nos de nationibus; vt cum ipſis vna Eccleſia facta, & nos ſalui ſimus: tunc circumdata varietate, Pſalm. 44. num. 10. Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato. Non ſicut in Synagoga vnius coloris, & vnius linguæ: tunc enim omnes gentes, quaſcumque feciſti venient, & adorabunt te Domine, & glorificabunt nomen tuum, Pſalm. 85. nu. 9. Congrega nos de nationibus, dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, longos fac funiculos tuos, Iſai. c. 54. nu. 2. Et ſemen tuum gentes hæreditabit. Congrega nos de nationibus, & in Deo meo tranſgrediar murum, Pſalm. 17. numer. 30. ſubijciens mihi populum Gentilem, vt inueniaris à non requirentibus te, Iſai. cap. 65. in princ. Et ibi erit laus Domino in Eccleſia magna, non in Synagoga parua Iudæorum, Pſalm. 21. num. 26. ad Roman. cap. 10. num. 20.

Congrega nos in nationibus; Scio enim quia aduena, qui nobiſcum verſatur in terra aſcendet ſuper nos, ſuper Synagogam noſtram, Deut. c. 28. nu. 43.

Adue-

Aduena enim, inquit, qui tecum verſatur in terra, aſcendet ſuper te, eritq. ſublimior, tu autem deſcendes, & eris inferior, & nu.44. Ipſe erit in caput, & tu eris in caudam.

Congrega nos de nationibus, qui filium tuum Ieſum Chriſtum ideò dediſti in lucem gentium, Iſai. quoque cap.12. num.22. Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum: adiunge nos illis Domine; ecce enim venient filij tui, quos dimiſiſti diſperſos, venient collecti ab Oriente, vſque ad Occidentem in verbo ſancti gaudentes.

Congrega nos etiam, quia dixiſti, iudicium meum, vt congregem gentes, & colligam Regna, Sophon. cap. 3. nu.8. Tunc enim quando venerit Redemptor, applicabuntur gentes multæ in die illa ad Dominum, & erunt mihi in populum, Zachar.cap.2.num.10. Congrega etiam nos populum tuum de nationibus. Iàm quod futurum eſt videt Propheta, ideò precatur quod futurum diſcernebat, vt ſcilicet Eccleſia de omnibus gentibus congregata laudes æternas cantet; Iàm Domine nos in conſpectu omnium, qui cœperant nos, dediſti, quia vt tolleres noſtra peccata in terram veniſti, de manibus dæmonum nos miſericorditer liberaſti, quos in porcos ieciſti, Marc. cap.5.nu.12. & 13.

Salua nunc nos Domine Deus noſter, ecce enim Domine dæmonia ejecta ſunt, & ſanitates perfeciſti hodie, & cras, & tertia die conſummeris, ſicut dixiſti, Luc.cap.13. num.32. Ideſt perficeris, occurrentibus omnibus in virum perfectum, ad Epheſ. cap. 4. In menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Adhuc carne hac circumdati ecce pœnitentes, & nomini tuo confitentes, in tua iuſtitia confidimus, vt Paſſione tua iuſtificati, in gloria tecum eſſe valeamus. Dediſti in miſericordias in conſpectu eorum, qui nos cœperant; ſalua nos Domine Deus noſter modò, quia confitemur nomini tuo, & congrega nos de nationibus, vt perſiſtentes in confeſſione nominis tui, gloriemur in laude tua. Ejiciantur à nobis dæmonia, pœnitentiam agentibus, quia peccauimus tibi: da nobis modò ſanitates hodie, & cras, vt tertia die perficientes tibi occurramus glorificantes, & laudantes nomen tuum. Et cum Beato Laurentio & nos dicamus. Adhæreat anima noſtra poſt te, quia caro noſtra, vitia noſtra per te cremata ſunt Domine Deus. Mitte Domine Angelum tuum, vt de medio ignis mundi huius inexuſti, & incolumes euadentes cum eodem Beato Laurentio humiliter dicamus. Gratias tibi agimus Domine, quia per Paſſionem tuam, ianuas tuas ingredi meremur; & confitentes nomini ſancto tuo gloriemur in laude tua, dicentes.

Benedictus Dominus Deus Iſrael à ſæculo, & vſque in ſæcum: & dicet omnis populus, fiat, fiat. Hæc eſt illa tertia conſurrectio in immortalitate poſt dæmonum eiectionem, & ſanitatum perfectionem. Meritò benedictus in ſæcula, per quem facta ſunt ſæcula, atque redempta, qui in Chriſto ſalutari noſtro recreare dignetur, cui honor, & gloria eſt cum ipſo, & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

SO-

Digitized by Google

SOLILOQVIVM.

ET tu anima mea surge quid times? in medio fluctuum stas, sustine, & nomini Domini confitearis, misericordiam eius implorans. Confitearis & tu, quia cum patribus tuis iniquitatem, atque iniustè fecisti: ipse enim Dominus pius, & misericors est, nec amplius reminiscetur peccata tua: & tu Virgo benedicta Dei Genitrix Maria succurre mihi famulo tuo, memento mei, vt anima mea in salutari meo Iesu Christo salua fiat in nouissimo die. Amen.

IN PSALMVM CVI.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

TITVLVS. Alleluia, & secundum Augustinum duplex alleluia alleluia.

In vulgata vnum tantùm alleluia, & secundum hoc continuatur ad præcedentem, in quo de duplici alleluia, idest de populo Israelitico, & Gentili, ad fidem conuersis, nunc autem de vnico alleluia, quia non amplius de Synagoga mentio fit, sed de vnica, & vniuersali Ecclesia Dei, quæ ex duplici pariete, gentium scilicet, & Iudæorum in vno lapide Christo Iesu collectorum, ad Ephes. 2. cap. 2. Facta est vna, Alleluia. ergo dicat vniuersalis Ecclesia, quia, quamuis infirmi, & mali, pœnitentes tamen, & confitentes per misericordiam Dei Redemptoris Iesu Christi, boni, & filij Dei facti sumus, nàm superbia hominis conteritur, & Dei gratia glorificatur.

Quatenus verò duplici alleluia inscribendus Titulus putatur, pro vno tamen reputatur, postquam ex duobus populis, vnus est factus, vnica, & vniuersalis facta est Ecclesia Dei.

Continuatio erit, supra visum est de duplici gaudio vnionis Synagogæ, & gentium; verùm quia etiam in Ecclesia vniuersali sunt mali, & superbi, nihilominus Christi fideles sunt; ne propter peccata terreantur, gaudium hìc annunciatur nobis Christianis, & Iudæis ad Dominum conuersis, Alleluia, quia Ecclesia gaudet de peccatore pœnitente, alleluia pro peccatore, quia gaudium fit in cælo pro illo, Luc. cap. 15. nu. 7. Confiteamur Domino, & iterum conuertamur ad illum, quoniam bonus; quoniam durante hoc sæculo, ac vita nostra permanente, misericordia eius prompta est, vt nobis dimittat peccata nostra. Dicant nunc, qui redempti sunt à Domino. Et qui sunt, qui nunc redempti asseruntur, nisi qui ex Iudæis, & Gentili populo ad illum conuersi sunt? Nunc redempti dixit, quia post aduentum Domini, passione sua, sanguine suo redemit, Isai. cap. 50. nu. 8. Iuxtà est, qui iustificat me, quis contradicet mihi? stemus simul, quis est aduersarius noster? accedat ad me. Ecce Dominus Deus, auxiliator meus, quis est, qui condemnet me? quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem serui eius, qui ambulauit in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum. Ecce vos omnes accedentes

Digitized by Google

dentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine vestro, & in flammis, quas succendistis, de manu mea factum est hoc vobis. Attendamus ad petram vndè excisi sumus; gaudium, & lætitia in Ecclesia nostra, & gratiarum actio, & vox laudis inuenitur, Isai. cap. 51. in princ. Confitemini Domino, quia ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & peccata nostra ipse portauit, Isai. cap. 53. num. 5.

Summa ergo hæc esse poterit; Accedentes ad Dominum illuminabuntur, & facies illorum à quacunque tribulatione non confundentur.

Incipit ergo Psalm. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Extra Ecclesiam, quid proderit laudatio, si non confitearis, quia bonus? Et quomodò tibi bonus, si in iniquitatibus permanseris? si non confitearis peccata tua? Confitemini ergo Domino ò Christi fideles peccata, quia bonus est, & suauis, & laudemus illum, quia misericors est, quia ipse portauit iniquitates nostras, quia ipse nos redemit à morte, à qua sanguine suo liberati sumus.

Expertis, dicit Augustin. est dulcior, & mirum si suauius esse potuerit cuilibet, nisi illi, qui id, quod in isto Psalmo audit in se didicit; qui populo Dei conscriptus, & ad se ignoscendum tamquam in speculo propositus. Omni ergo tempore, omni die cantando alleluia, exultemus corde, quamuis certis diebus & voce in Ecclesia cantemus alleluia. Quod autem non semel, sed bis alleluia titulus iste, non huius Psalmi proprium est, sed & alius superior sic habet, & quantum apparet ex eius textu, cantatus est ille de populo Israel; Cantatur autem iste de vniuersa Ecclesia Dei, diffusa toto orbe terrarum, fortè non immeritò bis habet alleluia, propter quod clamamus Abba Pater, cum aliud nihil sit Abba, quam Pater; non tamen frustra, dixit Apostolus ad Rom. cap. 8. In quo clamamus Abba Pater, nisi quia vnus quidem paries veniens ad lapidem angularem clamat Abba, alius ex alio latere clamat Pater; in illo vtroq. lapide angulari est pax nostra, qui fecit vtraq. vnum, Hæc Augustin. Alia ergo de causa dicunt aliqui, hìc ponitur duplex alleluia, quàm in præcedenti; ibi enim pro duplici laude Dei, scilicet quam ei exhibemus in præsenti, & exhibebitur à Beatis in futuro; in titulo verò huius Psalmi duplex ponitur alleluia, solum pro laude, quam Deo exhibemus in præsenti, sed à duplici pariete Ecclesiæ, quo Christus lapis angularis coniunxit in vnum, scilicet populum Gentilem, & Iudaicum, vt primum alleluia respondeat populo Gentili conuerso, quoniam iste Psalmus agit de duobus dictis populis in Christo per fidem coniunctis. Alleluia ergo decantant Iudæi in Christum credentes, alleluia decantant conuersi ad Christum Gentiles, tù verò firmaberis in illo, quod tibi magis placuerit.

Confitemini ergo Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Ad quos verò sit Prophetæ sermo, declarat in sequenti dicens, Dicant nunc, qui redempti sunt à Domino. Si de Iudæis toties liberatis intelligere voluerimus, quomodò redemptos illos dicemus, qui toties captiui facti sunt à diuersis inimicis, videatur in lib. Iudic. & in 4. Reg. Propterea nobis placet Augustin. declaratio, nempè quòd Psalmista intelligat de Christianis, & de alijs quibuscumque personis, qui ab Oriente, & Occidente, ab Aquilone, & Mari, ad fidem Christi conuersi sunt, quibus per Apostolos, & alios fideles

Christi

Christi Euangelium prædicatum est. Hi enim propriè redempti dicuntur, qui pretioso sanguine Christi redempti sunt; hi de manibus inimici liberati sunt; quia vnus est hostis noster, vnus inimicus diabolus, sub cuius dominio, & captiuitate genus humanum propter Adæ peccatum factum erat subditum. Nec obstat, quòd etiam in Ecclesia sint peccatores, quia & ibi sunt etiam sanguinis Christi dispensatores, per quorum manus pœnitentes redimuntur ab inimico, & Ecclesiæ restituuntur, de manu inimici liberantur, & in grege iustorum ponuntur.

Nobis ergo magis arridet Augustin. expositio, quòd loquatur Psalm. de gratiarum actione facienda ab omnibus generaliter redemptis per Christum. Hæc enim gratiarum actio facienda est sæpè, & quotidie, quia sæpè, & quotidie ad Ecclesiam peccatores conuertuntur, & in gremio illius recipiuntur; In omnem enim terram exiuit sonus Apostolorum, & in fines Orbis terræ verba eorum. Sed forsan dices, quomodò nunc redemit, si iàm mille & sexcenti anni, & vltra, quia Dominus venit, & passus est? Nunc redempti sumus à Domino, quia quandocunque conuertantur Gentiles, & Iudæi, & peccatores, semper illis proderit sanguinis Christi effusio; atqui quotidie conuertuntur, etiam quotidie redimuntur.

Quoniam, inquit, in æternum misericordia eius. Non est enim ad tempus misericordia eius, sed in æternum. Ideò cum sit super homines hæc eius misericordia, vt viuat cum Angelis in æternum, dicant qui redempti sunt à Domino? Augustin. Redemptus quidem videtur & populus Israel de terra Ægypti, de manu seruitutis ex laboribus infructuosis, ex operibus luteis; non tamen sunt, qui ex Ægypto liberati sunt, sed quos redemit de manu inimicorum, sed eos, qui ab Oriente, & Occasu, ab Aquilone, & Mari, hos redemptos in toto Orbe terrarum intelligimus. Populus hic Dei de magna, & lata Ægypto liberatus tamquam per mare rubrum ducitur, vt in Baptismo finiat inimicos; Sacramento enim tamquam rubri maris Baptismo scilicet Christi sanguine cõsecrato, insequentibus Ægyptijs peccata delentur; te euadente, nullus qui te premebat, remanet inimicus. Patet ex hoc versiculo, quòd non de solis Iudæis dicit, A solis Ortu, ab Occasu, ab Aquilone, & Mari; paulatim enim non omnes congregauit simul in vnam ciuitatem, in vnum populum Dei, qui prius per aras, & lucos dæmonum raptabatur; tota enim multitudo illa ex semine Israel semel educta ex Ægypto, semel per mare rubrum ducta, semel ad terram promissionis perducta; simul enim omnes erant, in quibus hæc facta sunt, & omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos finis sæculorum obuenit. Nos ergo simul omnes, sed paulatim, singulatimq. credentes congregamur in vnam quandam ciuitatem, & in vnum populum Dei, sed in vnoquoque nostrum singula contingunt. Etenim populus de singulis, non singuli de populo; populus ex singulis hominibus constat; ista verò contingunt, aut in omnibus, aut propè in omnibus; qui veniunt ad hunc populum, & de manu inimicorum pretioso sanguine redimuntur. Chrysostom. & hìc proprietatem verbi adnotat, non enim dicitur, qui saluati sunt, sed qui redempti, vt pretium ab illo persolutum ostendat, sanguinem scilicet suum, quem pro nobis effudit.

Dicant ergo qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici,

Digitized by Google

& de regionibus congregauit eos. A Solis Ortu, & Occaſu, ab Aquilone, & Mari. Ex omnibus gentibus populum collectum Chriſtianum, ex omni hominum genere Eccleſiam congregatam dicamus, quam Dominus ſanguine ſuo redemit. Nunc dicant, quia verè à Domino redempti ſunt de manibus inimici, de miniſtris diaboli, & de ipſo diabolo in ſanguine Chriſti: per hominem enim mors, & per hominem reſurrectio mortuorum, in Adam omnes moriebantur, in Chriſto omnes viuificantur. Hæc eſt vera redemptio, per quam tolluntur omnia peccata, per quam mors mortua eſt.

Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo, Iſai.cap.49.num.9. Vt diceres his, qui vincti ſunt, exite; & his, qui in tenebris, reuelamini: ſuper vias paſcentur, & in omnibus planis paſcua eorum, non eſurient, neque ſitient, &c. quia miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos, & ponam omnes montes meos in viam, ſcilicet Chriſti, & ſemitæ meæ exaltabuntur, quaſi dicat, aſpera in viam planam, & num.18. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis eos tibi quaſi ſponſa. Anguſtus eſt mihi locus, fac ſpatium mihi, vt habitem, & dices. Quis genuit mihi iſtos? ego ſterilis, & non pariens: & iſtos quis enutriuit? ego deſtituta, & ſola, ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum.

Errauerunt in ſolitudine, quia Chriſtum neſciebant, & ideò fames illis erat, cum panem Chriſti non comederent; ipſe eſt enim panis, qui de cælo deſcendit, vt ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur, Ioan.cap.6.num.59. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo. In ſolitudine, quia viam Domini non cognouerunt; in inaquoſo, quia cum nec Dominum agnouiſſent, aquam Baptiſmi regenerationis nec guſtauerunt, nec cognouerunt. Quidni errarint in ſolitudine: cum Ieſus non eſſet cum illis, qui eſt Via, Veritas, & Vita? Si longè ab illo erant; profectò in ſolitudine errantes, viam ciuitatis non inueniebant, quia per oſtium non intrauerunt, Ioan. cap.10.nu.9. Act.4.num.12. neque enim eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Errauerunt & in inaquoſo, quia apud Dominum eſt fons vitæ, Pſalm.35.num.10. quo ipſi errantes carebant. Viam ciuitatis non inuenerunt, ſolum enim iuſti intrabunt in illam.

Errauerunt in ſolitudine, non quia viam in ſolitudine ignorarent, nàm Angelus Domini viam patefaciebat in nocte per columnam ignis, in die per nubem, quæ antecedebat eos, non ergo errauerunt viam, ſed errauerunt, quia decies, & vltrà Deum ad iram prouocauerunt, vt in Exodo, & in Num.c.14. num.22. propter quæ aliquando terra aperta abſorbuit partem illorum, Num. cap.16.num.30. aliquando ignis de cælo deſcendit, & 250. ex illis interfecit, Num.16.num.35. ſupra Pſalm.105.num.17. altera vice viginti quatuor millia hominum occiſa ſunt, Numer.cap.25.num.9.

Errauerunt in ſolitudine, in inaquoſo, quia ſapientiam Dei ignorauerunt, hoc eſt ſcire noluerunt, aqua enim ſapientiæ potauit illos, Eccleſ.19. & noluerũt bibere, dicentes: Non loquatur nobis Dominus, & ideò ciuitatis viã habitaculi nõ inuenerũt, mortui enim sũt omnes à 20.annis, & ſupra, & in deſerto corpora eorũ remanſerunt, & oſſa. Errauerunt enim in inuio, quia nõ erant in via, quia à via recta per ſuperbiã diſceſſerunt, & ideò viam ciuitatis habitaculi non inuenerũt.

In deserto erant, & errauerunt, quod notatu dignum pro Sacerdotibus, & Ecclesiasticis, qui mundi delicias pro amore Dei deseruerunt,& in deserto pœnitentiæ religionis se collocauerunt, ne superbia illos extollat, ne in tentationibus succumbant, ne errent in deserto Tabernaculi ciuitatem non inuenientes, viam ciuitatis Paradisi in tenebricoso hoc carcere mundi deserentes, & eorum cadauera iaceant in terra sepulta.

Errauerunt ergo omnes, qui per peccatum longè facti sunt à via Domini, qui in inaquoso deserto ignorantiæ Christi permanserunt, atque in mundi inuio steterunt, ad quos, & ad Gentiles, qui longè aberant à via,misit Dominus Apostolos suos, & Euangelistas, & alios, vt illis verbum Dei, hoc est filium eius Vnigenitum prædicarent, quò illum sequentes vitam haberent æternam.

Esurientes, & sitientes anima eorum in ipsis defecit. Quia prius non erat, qui panẽ frangeret illis,messis enim multa, dicebat Dominus,& operarij pauci; Facite, dicebat, illos discumbere, quia non habent quod manducent. Et saturati sunt quinque millia hominum ex quinque panibus, quia panis erat ipse Christus, & superauerunt duodecim cofini fragmentorum, vt & alijs distribuerent Apostoli populo Gentili,& ad fidem Christi venientibus. Deest nobis panis, & non est aqua, anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo, dixistis in deserto Hebræi, Numer.d.cap.21. quia adhùc post tanta mirabilia, & miracula, quæ Dominus fecit, vsque nunc propter duritiam cordis vestri, quia duræ ceruicis semper fuistis, Exod.32.num.9. fidem non habuistis, nec inuenit ea locum in vobis. Ad quid enim vos Dominus per desertum duxit, cum iter de Ægypto ad terram promissionis breuius esset, & facilius? nisi vt vos Domini potentiam, & potestatem videretis, & à longo itinere vexati intellectum adipiscemini, & viam Domini arctam cognosceretis? Dux est vobis Deus, & deficit aqua, & panis? si ipse est panis, quomodò deficit vobis panis? si ipse est sapientia Patris, quomodò vobis deficiet aqua salutaris? Et ideò.

Elurientes, & sitientes anima eorum in ipsis defecit, quia longè facta erat à Deo per illorum incredulitatem, & sola remansit sine adiutorio Dei. Esurientes, & sitientes, quomodò esuriebant? quia super cibo exhibito illorum anima nauseabat: cibus nauseam faciebat, quia eis erat leuissimus. Et cur panem verum, Christum non suscepistis? Quis, dicebatis, poterit nos in deserto satiare panibus? Ordeaceus erat ille panis, qui per Apostolos exhibebatur à Christo, cum sedere fecit super fœnum, & fracto illo pane in partes, factus cibus fortis illorum viatorum, qui in deserto Christum ipsum sequebantur, qui prius triduò eumdem Christum sustinuerant,nec manducauerant. Discubuerũt, steterunt, & postquam secuti sunt illum; steterunt, inquit, in fide permanentes, & ecce saturati recesserunt in domus suas laudantes Deum. Isti verò cibati sunt, sed leuis illis videbatur, panem fortem desiderabant Christum, sed vias eius ingredi noluerunt, illum sequi recusarunt.

Vtinam, dicebant, non in istum locum aridum veniissemus, & in Ægypto permansissemus, non enim deficiebat nobis cibus. Deum Ducem in columna ignis, & in nube habebatis; & nihilominus dicebatis vtinam non hùc duxisset nos Moyses. Quomodò verbi diuini deficit panis, si Verbum Dux erat vobis, sanè quia nec illi credidistis? esuristis, & sitistis, quia longè à Verbo culpa vestra facti estis. Quare ergo per desertum? vt Dei potentiam cognoscerent,

Digitized

ſcerent, & inexcuſabiles fierent quandocunque à Deo receſſiſſent. Et quare per deſertum? quia arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, Matth. cap. 7. numer. 14. ideòq. eſurientes, & ſitientes, vt tentaret illos Dominus, Exod. 16. nu. 3. vtrum ambularent in lege eius, an non: ſed quia non ſuſtinuerunt, anima illorum in ipſis defecit.

At quando iterum ad Dominum clamauerunt, dum tribularentur, de neceſſitatibus eorum eripuit eos. Auguſt. hìc lit. B. ſed quare, inquit, anima illorum deficit? cui bono? non enim crudelis eſt Deus, ſed ſe commendat, quod expedit nobis, vt nobis deficientibus rogetur, & vt ſubueniens ametur, & ideò clamantes ad Dominum, de neceſſitatibus eorum eripuit eos. Sed ſi contrà Moyſen populi murmur, ad Dominum qui clamauerunt? Vide quanta ſit aliquorum, quamuis paucorum iuſtorum ad Dominum deprecatio, cuius valoris ſit oratio. Moyſes, & Aaron in terram proſtrati clamauerunt ad Dominum, & Dominus exaudiuit eos, Numer. d. cap. 14. num. 4. Murmurat populus, orant iuſti, parcit Deus populo, quia Dominus exaudiuit orationem iuſtorum pro illo: de neceſſitatibus enim eorum propter orationem ſeruorũ Dei eripuit eos.

Errabant, ideò eduxit eos in viam rectam, vt irent in ciuitatem habitationis; Non ergo qui extrà viam rectam ſunt, ad ciuitatem habitationis peruenire poſſunt, ad ſanctam Ieruſalem; oſtendit illis iter, quo valerent aſcendere ad illam, Pſalm. 49. num. 23. eduxit eos in viam rectam, ſed ipſi ſpreuerunt præceptum, & ideò in deſerto mortui ſunt. Eduxit in viam, ſed itineris exitum non perfecerunt, defecerunt in via, & ad iram Deum prouocauerunt, Num. d. cap. 14. Quouſque non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis? & nu. 22. tentauerunt me iàm per decem vices, nec obedierunt voci meæ, iuxtà quæ dixit Deus contrà legem ſuam agentes, Deuter. 28. num. 15.

Quamuis autem eos liberauerit, & de neceſſitatibus eripuerit, non tamen aliquid de liberatione à fame, & ſiti, dixit Propheta: nondum enim confeſſi fuerãt, ideò nihil de fame, & ſiti. Confiteantur, quia ipſe eſt Deus, & dabitur panis, qui eſt Chriſtus Ieſus; confiteantur & illius mirabilia coram filijs hominum, & tum qui ex ſuſceptione verbi paſcuntur, & illud prædicantes, de pane illo abundãter comedent, ſimul ac bibent: confiteantur, quia non per opera, quæ facimus nos, ſed quia ipſe miſericors eſt, & ſponte ſua venit ad liberandum nos: Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Quòd in Eccleſia poſiti ſimus, miſericordia eſt Domini, quodq. filij hominum, filij Dei vocemur, & ſimus; mirabilia Domini: quòd terrenus fiat cæleſtis: quod mortalis immortalitatem induatur, mirabilia Dei ſunt, quod ſicut Pater, Filius, & Spiritus ſanctus vnum ſint; ità & in ipſis vnum & nos ſimus, miſericordia Domini, & mirabile apud Deum, & homines.

O nos ſtultos, & corde tardos, quid quærimus terrena? corruunt illa. Si cæleſtia, & æterna nobis promittuntur, quid inuio in hoc deſerto moramur, & in via Chriſti non ambulamus? Confiteamur Domino, quia ipſe eſt miſericors Deus, annunciemus gentibus mirabilia eius, quia credentes in illum, & in viam eius ambulantes & nos cum illo vnum erimus, Ioan. cap. 17. nu. 21. vt & ipſi in nobis vnum ſint, dicit Dominus; inuia eſt via huius deſerti, ſi ſine via, quæ eſt Chriſtus, ambulauerimus.

Confiteamur Domino ex toto corde, & ſequamur illum, quia anima noſtra,

quæ aliàs vacua eſt,& ſatiabitur,& eſuriens implebitur bonis: tunc dixit ille, Satiabor cum apparuerit gloria tua. Venit gloria Domini, carnem noſtram aſſumpſit, confiteamur illi,& bonis ſatiabitur anima noſtra, Pſalm.16.nu.15. Et quis, inquit Eccleſ.42.num.26. ſatiabitur videns gloriam tuam? Confiteantur mirabilia eius filij hominum, & quis ſatiabitur videns gloriam ſuæ maieſtatis, in ſuis creaturis relucentem, nàm quantò magis quis cognoſcit Deum per creaturas, tantò magis accenditur ad ipſum amplius cognoſcendum,quouſque perueniat ad videndum eum facie ad faciem, in quo conſiſtit humanæ cognitionis terminus, & vera beatitudo. Lyran. ibid. Audi quid dicant, qui in inferno poſiti, perſecuti ſunt Chriſti fideles, Sap.5.nu.4. Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore, ecce quomodò computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt, ergo errauimus à via veritatis, &c. laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Narrate ergo mirabilia eius filijs hominum; nàm ſuperbia, & diuitiæ quid profuit illis,qui in via mundi ambulauerunt vias difficiles, & inuias? narrate filijs hominum, quæ mirabilia fecerit Dominus.

Quia ſatiauit animam inanem, & animam eſurientem implebit bonis. Recordare anima, quæ Dei audis mirabilia; ne tibi eueniat quod Euangelico diuiti illi, qui epulabatur quotidie, ac purpura, & byſſo induebatur, ac ità ſitiens, & eſuriens in inferno guttam aquæ expetijt, & non fuit, qui illi daret. Quid hìc tu ſuperbis cinis, & puluis, quæ in inuio ambulas, vt deſcendas ad inferos? Confitearis Domino, dum viuis, & animam tuam eſurientem implebit bonis; narrate mirabilia filijs hominum, ne cum mortalibus deſcendatis in infernum.

Sedentes in tenebris,& vmbra mortis, vinctos in mendicitate,& ferro. Quid eſt ſedere in tenebris, niſi in praua conſuetudine peccandi permanere? Caret luce, qui ſine Chriſto viuit in hoc ſæculo, in quo non eſt lux ſine Domino. Lucet in tenebris, ſi tu peccator verba eius audieris, & à peccato receſſeris; tunc tenebræ non te comprehendent, ſi ambulaueris in luce, quæ eſt Chriſtus lux vera, quæ illuminat omnem hominem ad illum accedentem.

Sedentes in tenebris, hæc eſt enim tertia pars Pſalmi, in qua tentatio maxima ponitur, & in concupiſcentiarum vincendarum difficultas, quando in illo peccandi genere facta eſt conſuetudo; ſedet enim in tenebris, qui in errore diù permanſit. Agnoſcas peccatum, clama ad Dominum, tunc facilè erit tibi ille in auxilium ad id, quòd aliàs per ſe difficilè ſit ad effugiendum; ideſt à malis abſtinendum. Hos ergo in tenebris ſedentes, & vinctos in mendicitate, & ferro, qui laqueo Diaboli erant ligati, Confitentes, & errorem cognoſcentes Dominus ſatiauit bonis, & vincula eorum diſrupit. Sedebant in tenebris, quia iacebant in peccatis, erant in vmbra mortis, & quid eſt vmbra mortis, niſi mala vita peccantis? Vincti in mendicitate, & ferro, nàm mendici erant, quia carebant bono, quia ſine bono paſtore, tamquam oues perditæ, ambulabant. Ferro vinculis peccatorum ferreis, & inuincibilibus ligantur peccatores permanentes in culpa. Qui te ſcis talibus vinculis eſſe ligatum, clama ad Dominum, & vincula tua diſrumpet.

Quis

Quis magis mendicus, quàm permanens in peccato homo iniquus?

Quia exacerbauerunt eloquia Dei, & consilium Altissimi irritauerunt, non custodierunt testamentum Domini, & in lege eius noluerunt ambulare, Psal. 77. num. 10. Id verificatur, quod à primo homine Adam contigit vsque ad præsens tempus in omnibus legem relinquentibus, & contrà legem agentibus malis Christianis, & hæreticis, Domini legem peruertentibus, & adulterantibus. Exacerbant enim eloquia Domini, quia sensum illius mutant, & in sensus prauos interpretantur. Exacerbantes eloquia Domini, nec custodientes consilium eius, quo monentur, vt à malo se auertentes vitam eligerent, sequentes Christum, qui est Vita, Via, & Veritas, noluerunt iuxtà tàm salubre consilium ambulare, dicentes, Durus est hic sermo. Contrarius est operibus nostris; non attendamus ad opera eius, & ecce quia in inferno sepulti, vbi stridor dentium, facti sunt mendici sedentes in tenebris, in mendicitate, & ferro, in vmbra mortis, ideò vmbra mortis, quia sicut mors inferni nunquam moritur, ità & eius vmbra semper manet pœnosa, vt semper in pœnis dolentes, semper viuant quasi morientes, & nunquam deficientes; ò infelices peccatores, ad Galat. cap. 3. Quis vos impediuit veritati non obedire? qui conturbat vos portabit iudicium, quicumque est ille. Spiritu ambulemus fratres, & desideria carnis non perficiamus, quia caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Manifesta sunt autem opera carnis, quæ enumerantur ibi ad Galat. 5. nu. 19. Fugiamus illas, vt ad Regnum Dei perducamur. Fructus spiritus amplectamur, si Christiani sumus, carnem nostram cum vitijs, & concupiscentijs crucifigamus: spiritu ambulemus, & consilium Domini sequentes, in illo viuamus.

Augustin. litera C. Et nunc pugna contrà concupiscentiam. Deo desistente ab adiutorio, laborare potes, vincere non potes; & cum fueris pressus consuetudine tua praua, humiliabitur cor tuum in laboribus, vt iàm corde humiliato discas clamare cum Paul. vt supra ad Roman. 2. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? ad Roman. 7. num. 24.

Et humiliatum est in laboribus cor eorum, & infirmati sunt, nec fuit, qui adiuuaret. Nàm quamuis in laboribus cor eorum humiliatum videretur, attamen quia non erat, qui adiuuaret, infirmati sunt, & ceciderunt, Psalm. 9. num. 4. Infirmabuntur, & peribunt à facie tua, & Psalm. 26. num. 2. Ipsi infirmati sunt, & ceciderunt, qui enim facit peccatum, seruus est peccati, Ioan. c. 8. num. 34. nec se poterit continere virtute propria, etiam cum volet. Bernard. in Sermon. ad illa verba, Iustum deduxit Dominus per vias rectas; Ille mœret, & deflet, si malè sit in sæculo, cui non potest benè esse post sæculum: cuius viuendi fructus omnis hìc capitur. Ille pœnam de aduersis mundi sentit, cui lætitia, & gloria omnis in mundo est: Cyprian. in lib. contrà Demetr. At verò hi, quos secundum tentationum varietatem expectat, & præmij magnitudo, læti, ac festiui, & quærunt tentationes, & ab eisdem inueniuntur, vndè Dauid Psalm. 39. Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala. Quomodò non infirmatur, qui continuò seruit peccato? si seruus est peccati, ergo infirmatur in laboribus, vt ad nihilum reducatur; vir iniquus non intelligit hæc, quia ad nihilum deducitur malignus, quibus enim locus nusquam est, quomodò non peribunt? Augustin. Psal. 36,

litera B. Quid autem facit malus homo, cum cœperit tribulari? foris nihil habet, quia ablata sunt omnia: in conscientia nullum solatium ei est; non est quò exeat, quia dura sunt; non est quò intret, quia mala sunt. Quæ enim maior pœna, & grauior, mala conscientia? vndè ex eodem Augustin. nullæ pœnæ grauiores sunt, quàm malæ conscientiæ, in qua cum non habetur Deus, consolatio non inuenitur, & ideò inuocandus est liberator, vt quem tribulatio exercuit ad confessionem, confessio perducat ad veniam; vndè sequitur Psalm.

Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Et infirmati sunt, nec fuit qui adiuuaret: Conscientiam enim malam non sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat conuiciantis opprobrium, Augustin. Tom. 7. lib. 3. contrà litteras Pitiliani Donatistæ fol. 55.

Confiteamur ergo Domino, qui etiam peccati vinculo vinciuntur, vt nobis det intellectum ad pœnitendum, illuminans corda nostra; dignè, & laudabiliter laudemus opera sua; redemit enim nos, qui perditi eramus, & liberauit nos à morte, vt cum eo in gloria sua viuamus in æternum.

Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum, quia eduxit nos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum disrupit, perditi enim eramus, & inuenit nos: & vincula, quibus tenebamur à diabolo, disrupit; non enim vincit diabolus, nisi volentem. Accedamus ad seruitutem Dei, præparemus animas nostras ad tentationes, Eccles. cap. 2. numer. 1. nàm adiutorem habemus Deum, Iesum Christum, qui non patietur nos tentari supra id, quod possumus, 1. Corinth. cap. 10. num. 13. resistentes in fide, proijciamus diabolica vincula, 1. Petr. cap. 5. num. 8. ergo confiteantur Domino misericordiæ eius, qui nobiscum est in tribulatione, vt ab illis eripiat nos, & glorificet nos, Psalm. 90. num. 15.

Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit, Quæ sunt portæ æreæ, nisi corda peccatorum ex consuetudine longa peccandi dura sicut æs? & qui sunt vectes ferrei, nisi spiritus immundi, qui ad peccandum inuitantes corda hominum, ità arctè astringunt, & ligant, vt fortes sicut vectes ferrei existant? hæc indurata corda per verbum Dei, ità contrita, vt vectes ferrei confracti remanserunt, vt conuersa ad Dominum suscepta ab ipso sint de via iniquitatis illorum, & sua cognoscentes peccata, ità humiliati ijdem sint, peccatores, vt peccata abhorruerint, & Dei confessi sint misericordias, propter quas, & iniquitates etiam suas confessi sunt. Beatus Ephrem de morbo linguæ, ait. Probè nouit callidus, & versutus hostis; quibus, & qualibus nos vinculis obstringat; & si nos inuitos in suas casses coniecerit, fore vt celeriter confractis illis mens nostra iterum in libertatem se vindicet. Videas apud eumdem, quia omnia pulchra sunt dictu. Sed quia semen, quod seminatum est, supra petram cecidit, Matth. cap. 13. numer. 4. venerunt volucres cæli, & comederunt illud; audierunt enim isti verbum Dei, verbum regni, Matth. 13. nu. 19. Luc. 8. nu. 14. & cum gaudio susceperunt illud, at cum radicem non haberent, ad tempus credẽtes, in tempore tentationis recesserunt; Venit enim diabolus, & tulit verbũ de corde eorũ, ne credentes salui fierent, Susceperat Deus eos de via iniquitatis eorũ, attamen propter iniustitias suas denuo humiliati sunt, atque ad deiectionẽ interitus humiliati, quia iterũ peccãtes, diaboli suggestionibus cõsenserũt, & ideò.

Om-

Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis. Iàm de ignorantia ad veritatem, de errore ad viam, & de fame sapientiæ ad verbum fidei; tollantur difficultates, vt viuens sine querela viuat. Adhuc omnem escam abominata est anima eorum, restat tædium, vt aliquando nec legere, nec orare eum delectet, fastidio periclitatur; omnem escam abominata est; quia amisit omne, quod ex verbo procedit, ideò appropinquauit vsque ad portas mortis, quia anima illius ad defectum venit. Delectari autem oportet in Domino, vt detur nobis petitiones cordis nostri, Psalm.36. nu.4. Hostis enim noster semper nobis est in insidijs, & sub amici habitu latenter oppugnat; vndè Dauid Psalm.43. Humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis; quis enim locus afflictionis, nisi caro nostra, quæ semper militat aduersus spiritum, vbi Ambros. Pulchrè autem, inquit; Aquilæ interpretatio, quemadmodum intelligere debeamus locum afflictionis expressit, Quoniam, inquit, humiliasti nos in loco Syrenum, quasdam enim fuisse puellas Syrenas antiqua tradit historia, quæ vocis suauitate canendi illecebris audiendiq. studio illectos nauigantes ad litus admouere nauigia prouocabant, scopuloso in loco naufragium facere solitos, vetustas posteris tradidit, ità & sæculi voluptas nos quadam carnali adulatione delectat, vt decipiat; humilitas autem, inquit Ambrosius, operis est, per quod caro ista peccati corpus effecta est, & locus afflictionis. hæc Ambros. Facilè enim imposturam facit, quod delectat, dixit Nazianz. Orat.4. contrà Iulian.

Omnem escam abominata est anima eorum. Sed si escam abominati sunt, quomodò vsquè ad portas mortis peruenerunt; scriptum enim habemus, quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificationis sunt in inuicem custodiamus: noli propter escam destruere opus Dei, ad Roman. capit.14. numer.17. Abominantur isti escam, ergo benè fecerunt, si iustitiam sectarentur: rursum ad Hebr. capit. 13. numer. 19. Optimum est cum gratia stabilire cor, non escis; esca ventri, & venter escis, Cæterum cum animæ esca verbum sit Christi, Matth. cap.4.nu.4. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, maximo sanè ipsius damno hanc illam abominatur escam; ideò verò dicitur omnem escam, quia si verbo coniungi desideramus, omnia præcepta eius obseruare debemus; inquit enim ipse, Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, Ioan.15.nu.10. ità vt qui totam legem seruauit, offendat autem in vno, factus est omnium reus, Iacob.c.2.nu.10. Quid igitur mirum, si ad portas mortis appropinquauerunt, qui omnem escam spiritualem abominati sunt? O magnam Dei erga peccatores misericordiam, quia non sunt consumpti, Thren.cap.3. nu.22. Appropinquauerunt enim vsque ad portas mortis, vt antè illarum ingressum adhuc is expectaret nos, dans spatium pœnitentiæ, vt clamantes conuerteremur ad illum, Sap. cap.12. & ideò sequitur.

Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos; Magna infirmitas est escæ abominatio, maior Medici pietas, qui nos longè stantes ab illo, quia peccauimus, dignatus est infirmitatem sanando curare. Emitte Domine spiritum tuum in nos, & creabimur, & faciem nostram renouabis, vt terrena despicientes, ad cælestia accedamus.

Clamauerunt ad Dominum, qui omnem escam erant abominati, & de omnibus necessitatibus eorum liberasti eos. Et cur Domine nos populum tuum,

Eccle-

Ecclesiam tuam, fideles tuos fame, peste, bello percussos, afflictos, & in necessitate positos ad te clamantes, in te confidentes non exaudies? Salua nos Domine, quia perimus. Mitte verbum tuum, & sana nos, eripe nos de interitionibus nostris. Augustin. hìc, Vide, inquit, quid mali habeat fastidium, vide, vndè liberat ille, ad quem clamat fastidiens, misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos; vndè? non de errore, non de fame, non de difficultate vincendi peccata, sed de corruptela eorum. Quædam corruptela mentis est fastidire, quod dulce est; ergo de hoc beneficio sicut de cæteris superioribus confitemur tibi Domine, quia vndiq, mala nostra perturbant. Veni Domine, & noli tardare, vt relaxando facinora plebi tuæ, non pereat in tremendo iudicio.

Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Iàm supradictum est, & nunc aliud illi addere non est mihi. Solum ad nostrá confusionem dicam; Cum ea cuncta, quæ fecit Dominus, subiecerit nobis, eaq, vel maximè mirabilia laudent nomen Domini, nos, quibus omnia subiecit, vt inseruiant nobis, gratias nec Domino damus, nec laudes illi debitas exhibemus. Confiteantur ergo Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius, quia homines, propter quos omnia fecit Dominus, cessant à laudibus eius: cæli verò enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum, dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam, Psalm. 18. & homines mali cessant à laudibus eius.

Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum; Et sacrificent sacrificium laudis, & annuncient opera eius in exultatione. Laudes confessionis, quia ipse est Deus, qui fecit nos, & non ipsi nos; ipse est, qui perditos nos redemit sanguine suo, cuius liuore sanati sumus; ipse idem est, qui panem quotidianum dat nobis. Quod si iniquus es, Psalm. 49. n. 16. Quomodò laudabis? quare assumis testamentum Domini per os tuum; qui totus in iniquitatibus conceptus, & in illis, vt moriaris in æternum, moraris? Dixit iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu, quoniam Deus Iudex est, Psalm. 74. nu. 5. Confiteantur Domino misericordiæ eius. Quia si iniquè egisti, & pœnitens ad Dominum conuersus, non recordabitur iniquitatis tuæ, Ezech. cap. 18. & 33. nu. 12. Conuertamur à vijs nostris pessimis, & hoc erit sacrificare sacrificium laudis Domino, Psalm. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, & tunc etiam sacrificium laudis sacrificabis, Psalm. 49. nu. 14. Immola Deo sacrificium laudis, quia dimittens peccata tua, faciet te ciuem supernæ ciuitatis. Et annunciate opera eius in exultatione. Hilarem enim datorem diligit Deus, 2. Corinth. cap. 9. nu. 7. Non ex tristitia, aut ex necessitate, cum gaudio, inquit D. Hieronym. Cunctis choris annuncient, qualiter eos sua visitatione saluauit. Cessent ergo hirci, & vituli, quia Deus sacrificium de corde puro requirit. Sed quis poterit dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato? Prouerb. cap. 20. num. 9. Nullus, nisi ex speciali gratia diuina, Cor enim contritum non despicit Deus; Gratia Dei sum, dicit Paul. id, quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, 1. Corinth. c. 15. nu. 10. Non ego autem, sed gratia Dei mecum, abundantius illis omnibus laboraui.

Nonnè sunt alij, qui opera Domini filijs hominũ annuncient? nunquid Elias solus, & non erit alius Propheta in Israel? 3. Reg. cap. 19. nu. 18. Non es solus ò Elias, dereliquit enim sibi Dominus septem millia virorum, quorum genua,

non

non ſunt incuruata ante Baal. Quid dicit Dauid? ſunt & alij, qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis. Qui ſunt iſti, qui deſcendunt mare in nauibus? Apoſtoli ſancti, quorum ſonus in omnem terram exiuit, & operati ſunt operationes multas in aquis multis, in populis multis, qui verbum læti ſuſceperunt, Ieremia cap. 16. num. 16 Ecce mittam Piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos. Et poſt hæc mittam venatores multos, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum, quia oculi mei ſuper omnes vias eorum, & Ezech. cap.47.nu.9. Et erunt piſces multi ſatis, poſtquam venerint illuc aquæ iſtæ, & ſtabunt ſuper illos piſcatores. Ecce quæ ſint aquæ populi ſcilicet ſuſcipientes verbum Chriſti, Apocal. Ioan.cap.17.nu.15. Aquæ, quas vidiſti, vbi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes, & linguæ.

Ipſi enim viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis, Ioan. cap.15.nu.15. & Matth. cap.17.nu.19. Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, & dicetis monti huic, tranſi hinc illùc, & tranſibit, Luc. cap.17. nu.6. Vobis (in alio loco dicebat) datum eſt noſſe myſterium Regni Dei, cæteris autem in Parabolis. Ipſi viderunt opera Domini, cæci vident, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, Matth. cap. 11. nu.4. Hæc omnia viderunt & ipſi Apoſtoli, & iuxtà verbum Domini eadem fecerunt, & his maiora, Ioan. cap. 14. nu. 12. Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet; Et mirabilia eius in profundo. Ipſe enim ſcrutans eſt corda, & renes, Pſalm.7. nu.10. Ioan. Apocal. cap.2. nu.23. D. verò Hieron. hìc. In profunda enim caligine per eorum prædicationem lumen veritatis illuxit, & viderunt operante Domino in tenebris denſiſſimis clarere lumen veriſſimæ Trinitatis.

Omiſſis, quæ hìc per Scriptores de mirabilibus in profundo, quòd vnus fugaret decem millia, quòd de petra aquam eduxerit, de Iona, &c. nos mirabilia in profundo videmus per fidem, & credimus, ſicut ipſe dixit, Ioan. cap.10. nu.18. Quia filius Dei ſe à profundo inferni propria virtute liberauerit, quòd ſanctos Patres ſecum in cælum duxerit, monumenta aperta, & multa corpora Sanctorum apparuerint multis, & ſurrexerint, Matth. cap.27.nu.52. De mirabilibus verò à Sanctis factis, quid dicemus? legimus transferentes montes, mortuorum corpora reſuſcitantes; ſuper aquas maris ambulantes, & infinita, quæ hìc narrare longum eſſet; populos in profundo inferni ambulantes reuocaſſe, qui vt ad fidem Chriſti venirent, mare ſicut terram pedibus calcantes, & per illud ambulantes. Vel, ſi magis placet cum Paulo dicamus ad Coloſſ. 1.n.25. Vt impleam verbum Dei: myſterium, quod abſconditum fuit à ſæculis, & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt Sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius in Gentibus, quod eſt Chriſtus, in nobis ſpes gloriæ, quem nos annunciamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu, &c.

Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius. Quis eſt hic, cui obediunt mare, & venti? Matth. cap.8.nu.27. Marc.cap.4.nu.40. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, perſecutiones ſcilicet Eccleſiæ. Iube, inquit Petrus, ſi tu es, me venire ad te. Veni, inquit, & cum mergeretur, Domine, inquit, adiuua me;

Digitized by Google

me; Modicæ fidei, quare dubitasti? & cessauit ventus. Dixit, & stetit spiritus procellæ, Matth. cap. 8. Imperauit Dominus vento, & cessauit, non patitur enim Dominus, iustum tentari vltra id, quod potest, 1. Corinth. cap. 10. nu. 13. Dixit, vt seruum suum probaret, & stetit spiritus procellæ, & contrà iustum tribulationes permisit Deus, Sap. cap. 3. Sicut argentum probauit eos, & exaltati sunt fluctus persequentium, quia superbia eorum ascendit semper, à vento superbiæ mouentur contrà iustos; & ecce quomodò iusti computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est, Sap. cap. 5. Illi verò exaltati à fluctibus venti, in profundum demersi perpetuò permanebunt.

Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos, anima illorum in malis tabescebat, in malis marcescebatur. Ascendunt vsque ad cælos, in iustos superbientes, & tamquam insensati descendunt ad inferos, Hieron. Et vt intelligas hæc figuraliter de malis hominibus dici, sequitur, anima eorum in malis tabescebat; fluctus enim aquarum animam non habent, sed tabescit anima, cum verberata plagis cælestibus se peccasse, & Sanctis iniuriam intulisse cognoscit, Sap. d. c. 5. nu. 3. Et præ angustia spiritus gementes, finem illorum sine honore æstimabamus; errauimus à via veritatis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis, &c.

Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, omnis sapientia eorum deuorata est. Turbati sunt Iudæi, nàm ne temporalia perderent, simul & spiritualia amisserunt; Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? venient Romani, & locum nostrum tollent, Ioan. cap. 11. nu. 47. Sapientia eorum deuorata remansit, Moriatur vnus pro populo, ne tota gens pereat. Deuorata est eorum sapientia, quia ipsi retrorsum abierunt, mortui sunt, occisi sunt, & ciuitas eorum destructa est, & salus facta est his, qui perditi erant, quia conuersi Apostoli ad gentes Christi fidem illæ susceperunt, & salui facti sunt.

Turbati sunt, & sicut ebrius commoti. Mittamus Saulum, & quoscumque inuenerit huius viæ viros perdat, & mactet, & ipse captus cecidit tamquam ebrius, dicens; Quis es tu Domine? Quid vis me facere? Act. c. 9. cum sequen. & prædicans verbum à furentibus in ipsum ferè occisus: vt Doctor gentium factus omnes ad Christi fidem reduceret, ad Colos. 1. n. 24. Qui nunc gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia; cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, vt impleam verbum Dei, mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus; nunc autem manifestatum est Sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius in gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, quem nos annunciamus.

Et omnis sapientia eorum deuorata est. Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? turbatus est Herodes, & omnis Ierosolyma cum eo, sicut ebrius moti sunt, & omnis eorum sapientia deuorata est. Perquisierat enim à sapientibus, quid de Christo dicerent Prophetæ, vbi nasceretur, audiuitquè. In Bethlehem Iudæ, sic enim scriptum est, &c. Matth. cap. 2. in princ. & omnis sapientia eorum deuorata est. Ite, & interrogate diligenter de puero, vt & ego veniens adorem eum; sed responso accepto in somnis, Magi per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Nunquid interrogauit de loco vbi nasceretur Christus,

vt

ed by Google

vt & ipſe veniens adoraret eum? Sapientia eius deuorata eſt; nàm voluit ignorare quod tenebatur ſcire, vt puerum perderet, & ipſe regnaret. Contrà Dominum non eſt conſilium; ſapientia tua, ſtultitia magna eſt, ideò deuorata, nàm per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. Occidiſti omnes pueros à bimatu, & infrà, vt Ieſum occideres; occidiſti vt perderes, vt tu perditus in profundum rueres, ſapientia tua deuorata eſt.

Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eduxit eos. Et reſponſum habuerunt; ſuſtinete adhùc modicum, donec numerus fratrum veſtrorum impleatur, Ierem. cap. 31. num. 16. Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui ò lacrymis, quia eſt merces operi tuo, dicit Dominus, Auguſtin. Serm. 10. de Sanctis; Ecce profanus hoſtis nunquam beatis paruulis tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio; quantum contrà beatos paruulos iniquitas abundauit, tantum in eis gratia benedictionis refudit. Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eduxit eos.

Et ſtatuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius. Et ſtatuit procellam eius in auram. Ergo tribulationes ex voluntate, & permiſſione ſunt Dei; procellam ſuam vocat Dominus tribulationem, & afflictionem iuſtorum quam ideò illis exhibet, vt ſtatuat illam in auram. Sancti mei, qui in carne poſiti certamen habuiſtis, mercedem laboris ego dabo vobis, Sap. cap. 4. Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, Sap. cap. 3. nu. 17. Donum, & pax eſt electis Dei, ibid. Matth. cap. 13. num. 42. Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum.

Et ſiluerunt fluctus eius, Auguſt. Et imperauit procellæ, & ſtatuit in auram, non amplius in tempeſtatem, ſed in auram, & ſiluerunt fluctus eius. Audite de hac re vocem cuiuſdam gubernatoris periclitantis humiliati, Nolo, inquit, vos fratres ignorare de preſſura noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quia ſupra vires grauati ſumus, & ſupra modum, 2. Corinth. 1. nu. 8. Ità vt tæderet nos etiam viuere: ſed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus; vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit; & imperauit procellæ, & ſtatuit in auram. Iàm illi de ſe apud ſe reſponſum mortis habuerunt, quorum omnis ſapientia abſorpta eſt, & ſiluerunt fluctus, & iucundati; ſic lætati ſunt, quia ſiluerunt, & deduxit in portum voluntatis eorum; ſiluerunt enim fluctus, & iàm turbati, quia ſiluerunt fluctus, & facta eſt tranquillitas, & deduxit eos in portum voluntatis eorum, in tranquillitatem enim optatam deduxit eos Dominus; quis enim portus, in quem illorum optata voluntas? in Ieſum Chriſtum, qui ſolus eſt portus, quies, & pax noſtra.

Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Filijs, inquit, hominum, quia Deus eſt omnium Deus: puſilli, & maiores laudent Dominum, quia cum omnibus nobis fecit miſericordiam ſuam, Pſal. 115. nu. 13. Benedixit enim Dominus omnibus, qui timent eum, puſillis cum maioribus; terram dedit filijs hominum. Confiteantur ergo Domino miſericordiæ eius, quia miſericordiæ eius non ſumus conſumpti, Thren. cap. 3. nu. 22. Dedit Iudæis terram, vt operarentur in illa, vt faceret fructũ, & ecce fecit labruſcas loco vini, quia cultores ſpreuerunt eam, Iſai. cap. 5. nu. 4.

Con-

Digitiz Googl

Confiteantur ergo filij hominum mirabilia eius, & exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra Senorium laudent eum. Plebs scilicet nostra cum maioribus laudent Dominum, quia super omnes dilatata est misericordia eius. Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus, quia exaltatum est nomen eius solius, Psalm.148. Exaltent, laudent populi, & seniores, & negotiatores, & gubernatores, dicit Augustin. Superbis enim in Ecclesia existentibus resistit, humilibus verò dat gratiam; superbis scilicet primo populo arroganti, & extollenti se de genere Abrahæ, & quòd illi genti sint credita eloquia Dei: ramos enim naturales propter superbiam amputauit, Oleastrum propter humilitatem inserens, ad Roman. cap.11.

Posuit enim flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim. Currebant ibi aquæ, currebant Prophetæ. Quære modò apud Iudæos Prophetam, & non inuenies, ipsimet id fatentur, dicentes iàm non est inter nos Propheta, & nos non cognoscet amplius, Psal 73. Ab illis olim emanabant doctrinæ, tamquam aquarum flumina, & exitus aquarum in sitim.

Posuit flumina in desertum, hoc est, quæ prius gratia Dei, tamquam flumina erat in Iudæis, transtulit in desertum, in genres steriles, quæ Dominum non cognoscebant, & alios, qui nomen Domini Iesu Christi confitentur. Et exitus aquarum in sitim, hoc est, vbi prophetiæ, & eloquia Dei ex Iudæis iàm erant, nunc in Ecclesiam Dei translata sunt. Populus enim, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, Isai.cap.9. nu.2. & 29. nu.18. vndè dicitur in Euangelio, Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, Matth. cap.11.num.13. Luc. cap.16.num.16. Ex eo enim dicit Lucas, Regnum Dei euangelizatur,&c. & in alio loco Matth.cap.13.num.11. Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum: Luc.cap.8. nu.10. & Matth. cap.11. num.25. Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Vbi ergo tunc in Iudæa flumina, & exitus aquarum, nunc sterilitas, & siccitas; nàm nec est illis prophetia, nec ciuitas, nec templum, nec sacerdotium, Ierem.cap.6.nu.17. Audite vocem tubæ, Et dixerunt: Non audiemus, ideò audite gentes, &c. Vndè Psalm.21. num.26. Apud te laus magna in Ecclesia magna, non amplius in Synagoga.

Posuit flumina in desertum, Luc.cap.13.nu.35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, & Ierem.cap.50.nu.39. Et non habitabitur vltra vsque in sempiternum, &c.

Terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea, ibid. Ierem. eod. num. Et non colet eam filius hominis, & eris deserta, quia oblita es Dei Saluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata, Isai. cap.17. numer.10. Meritò ergo exaltandus, & laudandus,quia Ecclesiam iàm sterilem fecit copiosam, & fertilem. In ea enim posuit Apostolos, qui illam eloquio consolarentur, & irrigatione fœcundarent; in animasq. sitientes verbum suum dedit, & terram quæ prius spinas proferebat infructifera,vtpotè data in salsuginẽ à malitia inhabitantium in ea,ex prædicatione Apostolorum fructibus repleuit æternis: Non sic,non sic Iudæi,facti sunt in salsuginem? quoniam amiserunt sapientiam,amãtes exteriora, vt vocarentur ab hominibus Rabbi, tamquam Deo proximi, & scientiam illius docentes, intus verò lupi existentes rapaces, & superbi. Væ vobis Pharisæi, &c. Matth. cap.23. numer. 14. Progenies viperarum, Matth. cap.12.

cap. 12. numer. 34. Salsedo exsiccauit terram vestram propter malitiam vestram, Non est hic homo, aiebant, missus à Deo, qui Sabbatum non custodit, Ioan. cap. 9. num. 26. Amiserunt Deum Patrem, & diabolum constituerunt ipsorum Ducem, Ioan. cap. 8. num. 44. Moyses dedit illis legem, & nemo ex illis facit legem, Ioan. cap. 7. num. 20. Terra eorum repleta est salsugine, quia in semetipsos Pharisæi, & legisperiti consilium Dei spreuerunt, Ioan. c. 7. num. 30. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, ad Roman. cap. 1. nu. 22. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutauernnt veritatem Dei in mendacium.

Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum. Gentibus enim, quæ sine lumine ambulabant, & desertæ erant sine aqua, lux orta est, & fecit illas Dominus in stagna aquarum, vt aquæ Baptismi in illis maneant: & terram sine aqua in exitus aquarum, vt inde alijs aquæ viuæ emanent. Prædicatores enim verbi Dei ex gentibus facti sunt, ab ipsis flumina Christum sequentium vndique emanant, Isai. cap. 41. numer. 18. Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes, & ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum; in supinis collibus, idest locis aridis, flumina; idest ex rudibus, & humilibus fluent virtute Dei, flumina sapientiæ verbi Dei; vndè Isai. cap. 35. in princ. & per totum, Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans. Ipsi viderunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri, & num. 4. Deus ipse veniet, & saluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, & aperta erit lingua mutorum, quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine, & quæ erat arida, in stagna aquarum, & sitiens in fontes aquarum, &c. numer. 7. In cubilibus, in quibus prius Dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci: & ibi erit semita, & via, & via sancta vocabitur; non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ità vt stulti non errent per eam. Et non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, quia ibi collocauit esurientes, & constituerunt ciuitatem habitationis, Ecclesiam nempè sanctam sine ruga, & macula, vbi interim in spe habitet gloriæ Dei.

Et collocauit illìc esurientes, & constituerunt ciuitatem habitationis. Et collocauit, quia cum ij, quibus prius locauerat, Iudæi seruos Prophetas, denique Dominum occidissent, agricolas ipsos malè perdidit, & vineam suam alijs locauit, Gentili scilicet populo, & aliquibus ex Iudæis illis Dominum cognoscentibus, & ad eum reuertentibus. Et collocauit illìc esurientes. Sed qui sunt esurientes, nisi verbum Domini suscipientes?

Ecce enim, dicebant Apostoli, quia vos repellitis verbum, ad quos prius missum erat, conuertimur ad gentes, & gauisæ illæ sunt, & glorificabant verbum Dei, Act. cap. 13. nu. 47. Superbis resistit, humilibus dat gratiam, Iacob. cap. 4. num. 6. Esurientes implet bonis, & diuites dimisit inanes.

Et collocauit illìc esurientes, illìc, inquit, non hìc, non in Synagoga, sed in Ecclesia magna, in populo graui, in toto Orbe terrarum. In ciuitatem habitationis Tabernaculi Dei, vbi Christus manet, adoratur, & colitur. Ciui-

Digitized by Google

tatem habitationis, non habitationum, non ciuitates, quia vnica est Ecclesia, vnus est Christus, vnum corpus, vnum caput, & ideò vnica habitatio; quia vbique est Dominus, quamuis in toto Orbe terrarum sit illius habitatio; quia in toto Orbe terrarum est constituta Ecclesia, propterea esurientes Apostoli seminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum natiuitatis: Esurientes enim fuerunt, vt testatur Apostolus cap. 4. numer. 11. 1. ad Corinth. Nos esurimus, & sitimus, nihil habentes, & omnia possidentes, Et collocauit. Illic esurientes, triduo enim sustinent me, dixit Dominus, & non habent quid manducent; facite, inquit, illos discumbere, & saturati sunt nimis, discumbant fideles in Ecclesia, & saturabuntur; discumbant credentes, & non reuertantur, quia terra dabit fructum suum; vndè sequitur.

Et seminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum natiuitatis. Qui sunt ex esurientibus, qui seminauerunt agros, & plantauerunt vineas, nisi sancti Pontifices, Martyres, Confessores, & Doctores, doctrina, & sanguine verbum Dei in agro seminantes, in Ecclesia scilicet, ideò agro comparata, quia in illo quotidie verbum Dei seminatur, vndè Matth. cap. 13. numer. 44. Simile est Regnum cælorum thesauro abscondito in agro, &c. Plantauerunt vineas, quia vbique in toto Orbe terrarum est Domini Ecclesia plantata, vinea enim dicitur Ecclesia Dei, Isai. capit. 5. numer. 2. cum sequen. & Matth. cap. 20. numer. 1. Simile est Regnum cælorum homini, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. Et fecerunt fructum natiuitatis, nàm iterum renascuntur credentes, & verbum Dei susscipientes, illudq. obseruantes, fructum enim natiuitatis facere dicuntur, hoc est verbum Domini susscipientes, & iuxtà illud operantes recipiunt fructum natiuitatis, mercedem à Deo recipientes in Regnum cælorum, vndè dicit Matth. 19. n. 29. Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Quòd verò natiuitatis fructus sint illorum, qui credunt Euangelio, demonstrat Dominus Ioan. c. 3. numer. 3. Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei, ex aqua ergo, & Spiritu sancto renati, agrum, & vineam colentes videbunt Regnum Dei, & hi percipiunt fructum natiuitatis.

Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis, & iumenta eorum non minorauit. Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod paratum est vobis à constitutione mundi, Matth. capit. 25. numer. 34. & ecce recipiunt fructum natiuitatis, ac si modò nati essent, mundi à peccatis recipiuntur in cælis. Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis, idest valdè multiplicati sunt, sicut & alibi dicitur, Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum, Psalm. 58. numer. 17. ità Genes. capit. 47. numer. 27. Auctusquè est, & multiplicatus nimis in Ægypto, scilicet numerus Israelitarum.

Nec iumenta eorum minorauit, nàm quamuis inter populos, humiles valdè sint, & ignorantes, hos tamen, & in fide saluos fieri iussit; nàm iumenta eorum non minorauit, idest seruientes agricolis, & verbum Dei seminantibus adhæserunt etiam iumenta, & humiles populi verbum susscipientes, & illi seruientes, iumenta enim à iuuando dicta sunt. Augustin. Tom. 4. quæst. 38. super Deuteronom. litera H. Sunt simplices multum in Ecclesia Dei vtiles, in quos spiritus Dei manet sæpius, quàm in alijs, vt patet: Simpliciter ergo

deam-

deambulantes in Eccleſia, iumenta dicuntur. Idem Auguſtin. hìc litera M. Hoc ſtat, firmamentum Dei ſtat, quia nouit Dominus, qui ſunt eius; iumenta enim, & pecora dicuntur in Eccleſia ſimpliciter ambulantia, ſed vtilia: non multum docta, ſed fide plena. Non minorauit, ergo apud Deum erat notus numerus. Pro quo facit illud Ioan. 6. num. 39. Hæc eſt autem voluntas eius, qui miſit me Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die.

Et pauci facti ſunt, & vexati ſunt à tribulatione malorum, & dolore. Eo quòd non fuiſſent in his opera Dei, dicit Hieronym. & vexati ſunt, &c. quia inſontem iniqui ſunt perſecuti; benedixit multis, & ex multis pauci facti ſunt, & illi tribulati à multis, & tormentis affecti; quis ſcit, ſi de Martyribus, & alijs Dominum confitentibus intelligere velit? Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi, Matth. capit. 22. numer. 14. Veruntamen intelligunt Auguſtin. hìc, & alij, quòd verſiculus iſte loquatur de hæreticis: benedixit Dominus multis, ſed non omnes operati ſunt iuxtà Euangelium Dei. Ideò non peruenit ad illos benedictio Dei; iſti ſunt hæretici, qui ex nobis, ſed non ſunt de nobis, 1. Ioan. capit. 2. numer. 19. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis; ſtricta eſt porta, quæ ducit ad ſalutem, Matth. capit. 7. numer. 14. & pauci ſunt, qui ingrediuntur per eam, & lata, quæ ducit ad interitum. Magiſter, quid faciendum, vt vitam habeam? Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, Luc. cap. 18. numer. 18. & 22. & habebis theſaurum in cælo; & veni, & ſequere me. His ille auditis, contriſtatus eſt: quia dives erat valde. Et pauci facti ſunt. Quare pauci? quia vexati ſunt à tribulatione malorum, & dolore. Auguſtin. Et vndè hoc, quia pauci, & vexati ſunt? de tranſuerſo? Immo de interno, vt enim pauci fierent, ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, ideò autem tamquam de his dicit, de quibus loquebatur, vt cum intellectu diſcernantur, quia tamquam de eiſdem loquitur, propter communia ſacramenta; ad populum enim Dei pertinent, & ſi non per virtutem, certè per ſpeciem pietatis: De illis enim audiuimus Apoſtolum 2. cap. 3. in princ. ad Hebr. In nouiſſimis temporibus inſtabunt tempora ſæua, erunt enim homines ſeipſos amantes, primum malum ſeipſos amantes, vtique ſibi placentes; vtinam ſibi diſplicerent, & Deo placerent; vtinam in difficultatibus exclamarent, & à neceſſitatibus liberarentur; ſed multum de ſe præſumentes, pauci facti ſunt. Omnes enim, qui ſe diuidunt ab vnitate, pauci fiunt, multi enim ſunt, ſed in vnitate dum non ſunt, ſeparantur ab vnitate; eum enim cœperit ad eos non pertinere multitudo vnitatis, in hæreſi, & in ſchiſmate pauci fiunt: hæc Auguſtin.

Si verò ſecundum primam expoſitionem intelligamus, quia à principio pauci erant, & illi pauci à tribulatione malorum, & dolore vexati, tunc coniungemus cum ſuperiori, quia poſtquam multi facti ſunt nimis, quos Dominus benedixit, & iumenta eorum non minorauit, plantauerunt primi, & pauci. Eccleſiam ſuam ſanguine ſuo, & vt dicit Apoſtol. Paul. ad Hebr. 11. num. 39 Alij. verò ludibria, & verbera experti, inſuper, & vincula, & carceres, lapidati, ſecti, tentati, in occiſione gladij mortui ſunt, &c. egentes, anguſtiati, afflicti, quibus non erat dignus mundus. Benedixit multis, nàm per fidem vicerunt regna, &c. obturauerunt ora leonum, &c. ideò à tribulatione malorum,

Digitized by Google

quia in corpore passi sunt, & dolorati à vexatione animi in corpore, ergo, & in anima vexati.

Et facta est contemptio super Principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via. Si primum sensum sequamur: clara ex factis cognoscitur Principum contemptio, iustos illos persequentium, & affligentium. Dirumpamus enim, dicebant, vincula eorum, conuenientes in vnum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum, Psalm. 2. Quare fremuerunt gentes, &c. Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: Qui habitat in cælis irridebit eos, & subsannabit eos. Et errare fecit eos in inuio, & non in via. Et reliquit eos Dominus in desideria cordis eorum, hinc Ose. cap. 8. num. 4. Ipsi regnauerunt non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui: Dominus autem non dereliquit pauperem suum, ideò sequitur.

Et adiuuit pauperem de inopia, & posuit sicut oues familias. Ecce quomodò ex paucis iustis benedictio apprehenderit multos nimis. Et posuit, inquit, pauperem sicut oues familias. Vnum pauperem putabas, sed iste pauper est multæ familiæ, idest multæ Ecclesiæ; vna tamen est Ecclesia, & vna ouis, quia Dominus adiuuit pauperem, idest Ecclesiam quasi factam sterilem, & ecce peperit multos, ità vt dilatata sint eius tentoria, Isai. 54. num. 2. & exiuit in omnes mundi partes, & in fines orbis terræ verba eorum exierunt.

Videbunt recti; Et ecce quomodò multi recti, & iusti facti sunt, & lætabuntur, & omnis iniquitas eorum opilabit os suum. Quia conuicta illorum iniquitas obmutescet, & opilabit os suum, iusti autem inter filios Dei computantur, Sap. dicto cap. 5. num. 4. vndè sequitur.

Quis sapiens, & custodiet hæc, & intelliget misericordias Domini? Ecce Psalmi conclusio, & quia totum pauperem adiuuit Dominus, quis ergo sapiens, & custodiet hæc? scilicet, vt sit pauper, & non dives, non superbus, non inflatus; quasi dicat, qui est sapiens, hæc custodiet: Quare custodiet? Quia intelliget, non glorians ob merita sua, non ob vires suas, sed ob misericordias Domini, quòd de errore sic liberat, & de consuetudine praua, & de tædio, & de naufragio; quòd denique constituit eum in populo; non vbi superbis resistit, sed vbi humilibus dat gratiam. Intelligit etiam, quòd Deus fecit, vt intus morans multiplicetur, non foras exiens minuatur; Hæc vident recti, & lætantur, & iniquitas os suum opilat. Sanctus verò Hieronymus hìc, Si sapienter consideres, & spiritaliter intelligas in hoc Psalmo 4. videbis misericordias petitas, & clementer indultas, quas & nobis pietate proflua dignetur quæsitas indulgere, pulsatas aperire, petitas non negare.

SOLILOQVIVM.

NOLI turbari anima mea, quia peccasti nimis in vita tua; Confitearis Domino, dum es in hoc sæculo; quia bonus est Dominus, & misericordiæ eius non est numerus; nec vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Quos congregauit de regionibus, à via recta errantes misericorditer de necessitatibus liberauit, quia ad ipsum clamauerunt, & inciui-

ciuitatem habitationis deduxit eos. Cum essent sedentes in tenebris, & in peccatis obstricti, sicut in ferro, & mendicitate. Deum exacerbauerunt, irritum consilium Domini facientes, ideòq. infirmi, nec inuenirent qui eos adiuuaret. Clamantes tamen ad Dominum, liberati sunt, vinculis peccatorum ab eodem Domino disruptis; portis æreis prauæ cõsuetudinis contritis, & vectibus ferreis confractis: sed quid amplius? omnem escam abominantibus, & retrorsum iterum abeuntibus, ità vt vsque ad mortis portas essent propinqui: confitentibus tamen Domino, & ad illum clamantibus mittere dignatus est filium suum, qui sanaret eos. Et quid de superbis, qui instar maris turbati habere se consueuerant, cum ascenderet vsque ad cælos superbia eorum, & simul vsque ad abyssos descenderet? Procellam in auram statuit, & ipsos confitentes deduxit in peroptatum quietis portum. Et quid dicam de misericordia, Gentili exhibita populo in terra deserta manenti? Ecce diuinæ gratiæ flumina in illo posita, & in stagna aquarum factus, cum è vestigio Iudæorum terra, quæ erat fructifera, facta sit in salsuginem propter eorum incredulitatem, & malitiam. Quos nescierat Deus vocauit, & in habitationis ciuitatem posuit, ità vt in Baptismi aqua renati, fecerint fructum natiuitatis: Iudæis sterilibus effectis, qui amiserint scientiæ flumina, quæ nationibus alijs cõmunicare solebant, vacuisq. redditis sine Sacerdotio, & Propheta. Quid turbaris anima, si ad Dominum conuersa confitearis peccata tua? Timorem Domini discas, & euadens sapiens custodiendo præcepta, intelliges misericordias Domini. Sed sine te, Virgo Maria, sine tui auxilio, quomodò me exule à Domino; propinqua illi erit oratio mea? quomodò clamor meus ad illum peruenire poterit, cui intermedia facta est nubes multorum peccatorum meorum? per Natiuitatem tuam Virgo benedicta, cuius hodie festum diem deuotè celebrando præuenimus; quæ ideò nata es, vt Christi mater facta, nostra esses aduocata: Succurre mihi misero, peccata mea Domino Iesu Christo, ac tibi confitenti, vt deleantur delicta mea, propter quæ deductus sum vsque ad mortis portas, exaudi me Virgo sacratissima, vt deleta culpa, valeam per misericordiam Dei ad te peruenire. Amen.

IN PSALMVM CVII.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psallam in gloria mea.

TITVLVS, Canticum Psalmi Dauid. Continuatur ad præcedentem, vbi visum de alleluia, alleluia, duplici scilicet pœnitentis, & ad Dominum conuersi lætitia; in terra, quæ sit ab Ecclesia, & in cælo, quæ ab Angelis: Verùm quia si in psallendo chorda deficiat, vel rupta remaneat, totus Psalterij sonus destruitur: propterea hìc Ecclesia Dei, quæ omnes docet suos fideles, vtrunque coniungens, paratum, & paratum requirit cor pœnitentis, hoc est ad psallendum, & ad practicandum, non solum nempè vt corde, & sensu, sed & opere.

Vel dicamus, Supra visum esse de publici alleluia, de gaudio scilicet, quod

Digitized by Google

pro illis fit in Ecclesia Dei, & in cælo. In isto verò præsenti Psalmo Ecclesiam docere, quid faciendum sit, vt fidelium orationes sint Deo acceptabiles, nimirum vt corde, & opere, corde cantantes, & opere psallentes seruiamus Deo, & hoc est canticum Psalmi Dauid, scilicet Christi, quod docet nos ipse Christus, & ideò anima fidelis præcepto respondens dicit. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, hoc est, paratum est cor meum, vt tibi Domino cantem ex toto corde meo: item paratum cor meum, vt ex toto corde meo psallam operando, & hæc est gloria mea, vt acceptabilis sit coram te oratio mea, & omnis operatio mea.

Quærit quidam ex expositoribus, cur quod suprà in duobus Psal. 56. & 59. dictum est, hìc in vno isto 107. repetatur, cum nihil illi addatur noui, hancq. is affert rationem, vt compleretur numerus 150. Psalmorum. Ego verò cum Euangelista Ioanne dicerem, ideò hanc factam in hoc Psalmo repetitionem, quia in dilectionis præcepto consistit salus nostra, Filioli, dicebat Ioannes, diligite alterutrum, 1. Ioan. 4. Diligite Deum, diligite proximum: Deum corde laudando diligimus; proximum opera pietatis in illum exercentes amamus; diliges, inquit, Deum ex toto corde tuo, &c. & dilige proximum tuum sicut teipsum.

Canticum Psalmi ipsi Dauid, habet titulus: sequitur, istiusmodi responsio fidelis, Domine Iesu, paratum cor meum, quia tu illuminasti: paratum cor meum, quia tu mundasti: cantabo, quia hæc est gloria mea: psallam, quia hæc est salus mea, quia hæc duo præcepta adimplendo, vitam mihi dabis in sæcula. Paratum cor meum Deus, iterum paratum cor meum, vt tibi Domino cantem ex corde, & proximo psallam adiuuando, in illumq. operando, sicut in memetipsum.

Porro ideò etiam in hoc vno continetur, quæ diuisim tractata fuere in duobus præcedentibus Psalmis. Vt tibi necessariam scias esse in aduersis patientiam; tum & humilem, hilaremq. gratiarum actionem, ità enim in illo primo 56. de tribulationibus Dauidis, idest Christi; Miserere, inquit, mei Deus, miserere mei, quia in te confidit anima mea; & in vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas, idcircò paratum cor meum, dicit num. 10. paratum cor meum; vbi de fuga Dauid à facie Saulis; In secundo verò 59. de fortitudine, & victoria Dauid, & de illius exultatione, Lætabor, & partibor Sichimam, &c. Paratum cor meum, sic inquit & Christus ad Patrem, vt scilicet faciam voluntatem tuam, & mortem pro humano genere patienter subeam ad sustinendum, iterum paratum ad gratias tibi Deo Patri agendum. Ideòq. secundò paratum cor meum, vt cantem, & tibi psallam.

Paratum sit & cor nostrum, ad patienter sustinendas tribulationes, sitquè iterum paratum cor nostrum, vt exaltati humiles simus cantando Domino, & illi psallendo in adimpletione omnium diuinorum præceptorum, qui enim in vno deficit, omnium factus est reus. Non deficiat vel vnica chorda, vt æqualiter sonum det cithara nostra; vt psallam in gloria mea. D. Hieronym. Hoc, ait, Domine, quod tibi psallo, quod tibi canto, non tibi gratiam facio, sed mihi, in alio enim Psalm. 15. inquit, Quia bonorum meorum non eges. Quod ergo facio, pro me facio, quod seruio tibi, gloria mea est; Iciuno, nunquid Deo aliquid dono? pro peccatis meis hoc facio; iacemus in sacco,

quid

Digitized by Google

quid ex hoc præſtamus Domino? hoc tantùm illi præſtamus, vt ſaluemus animas noſtras; ipſe enim hoc deſiderat, ſicut bonus Medicus, qui ità gaudet de ſanitate Ægroti ſicut ille.

Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cithara, exurgam diluculo. Quis loquitur hìc? qui gloriam ſuam quærit; quæ eſt gloria petentis? Qui pro Deo gloriatur in infirmitatibus ſuis, vt in ipſo maneat virtus Chriſti, 2. Corinth. 12. numer. 9. Eccleſia ergo inſtat, rogat, vt exurgat Dominus; vndè in alio loco habemus eamdem Eccleſiæ inſtantiam, Veni, inquit, Domine veni. Ad quid? relaxa facinora plebi tuæ; Quid hìc dicit Eccleſia? Exurge pſalterium, & cithara; hoc eſt, veni, & operare ſalutem populo tuo: ſed in cithara, carnem ſumendo, vt humanitatis noſtræ aſſumpta carne, valeas affligi, & crucifigi propter peccata noſtra, Iſai. cap. 53. per totum. Et quod reſponſum dat inſtantiæ petentis? exurgam diluculo; Habac. cap. 2. nu. 3. Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.

Vel exurge pſalterium, & cithara, ſecundum Auguſtinum vna caro Chriſti ſurrexit, & cum ea duo organa ſurrexerunt, in carne Chriſti duo genera ſunt factorum; ſcilicet miracula, quæ per pſalterium; & paſſiones, quæ per citharam; & hæc ſurrexerunt, quia vtraq. in gentibus prædicantur: ſurrexit ergo pſalteriũ, & cithara. Et confitebitur Domino, & hoc exurge pſalterium, ideſt caro, diuina operans, exurge cithara, ideſt caro humana patiens, exurgam dico, quia certus ſum de hora, quia exurgam diluculo, vt in Euangelio.

Vel dicamus nos, animam iuſti ſibimet in vita exiſtenti, ſed forſan iacenti, & non operanti dicere, exurge gloria mea, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quid ſtas otioſa? quare dormis? exurge pſalterium, cantando canticum nouum, exurge & cithara operando, voca operarios tecum in vinea mea, & patiendo. Haud maior tu es magiſtro tuo, quem ſi perſequuti ſunt maligni, & te perſequentur, Ioan. 15. nu. 20. Quid dicis Paule? quid reſpondes Spiritui, qui in te loquitur? Act. c. 20. nu. 24. Vado in Ieruſalem, quæ in ea ventura ſint mihi ignorans; niſi quòd Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens, quoniam vincula, & tribulationes Ieroſolymis me manent, ſed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem, quàm me, dummodò conſummem curſum meum, & myſterium verbi, quod accepi à Domino Ieſu, teſtificari Euangelium gratiæ Dei, &c. Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cithara, exurge pſallendo, & citharizando, quia non tibi deerunt vincula, & væ? Exurgam, inquit, diluculo; citò ſcilicet exurgam, vt annunciem Euangelium Dei; nec hominum tormenta timeo, exurgam, inquit, diluculo. Nàm quis ſeparabit nos à charitate Chriſti, tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? ſicut ſcriptum eſt Pſalm. 43. nu. 23. Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus, ſicut oues occiſionis; ſed in his ſuperamus propter eum, qui dilexit nos; Exurgam diluculo, ſtatim ſcilicet, & cito: quia certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro, ad Roman. cap. 8. nu. 34.

Confitebor tibi in populis Domine, & pſallam tibi in nationibus. Confitebor, inquit, quia vnus eſt Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus teſtimonium

tem-

Digitized by Google

temporibus ſuis. Veritatem dico, non mentior, Doctor gentium in fide, & veritate, 1. Timoth. cap.2. num.7.

Vel ſecundum D. Hieron. loquitur Dominus humanitati ſuæ, & ſibimet, pſalterio, & citharæ, Qui deſcendiſti in infernum, & iacuiſti, exurge, & lauda Dominum. Et vide quid dicat: non ipſe, qui mouet citharam, & pſalterium, laudat; ſed ipſa cithara, & pſalterium, ipſa benedicunt Patrem, ille enim Deus eſt, & ab alijs benedicitur, & laudatur, corpus autem eius, & homo, quem ſuſcepit, ipſe laudat Dominum, ideò ſequitur Dominus.

Confitebor tibi in populis Domine, & pſallam tibi in nationibus. Confitetur prius populis, hoc eſt Iudæis; & pſallam tibi in nationibus; ideſt in gentibus, non enim ipsũ Dominum nationibus prædicaſſe legimus, ſed per Apoſtolos ſuos; primùm enim Iudæis credentibus prædicatum eſt, & poſteà gentibus, vt patet in Actibus Apoſtolorum cap.2. & ſequen.cap.13.nu.46. Quid autem prædicauerint, declarat in ſequenti, dicens.

Quia magna eſt ſuper cælos miſericordia tua, & vſque ad nubes veritas tua, Pſalm.84. num.12. Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. Magna eſt, non dicit, quia fuit, ſed eſt, quia non ſolum deſcendit de cælis, & ex Virgine ſumpſit carnem, vt nos redimeret à morte; ſed eſt adhùc magna miſericordia, cum, & ſi in cælo ad dexteram Patris ſtet; eſt tamen ſemper nobiſcum, cum Eccleſia ſcilicet vſque ad conſummationem ſæculi. Et hæc veritas, quia filius Dei ex Maria natus ſit, nota eſt Iudæis, qui in illum crediderunt; ſed & vſque ad nubes peruenit, ideſt vſque ad Gentiles, qui ſub nube, ideò erant, quia in tenebris ambulabant. Congregamini, & venite, & accedite ſimul, qui ſaluati eſtis ex gentibus, Iſai.cap.45. n.20. Non eſt vltra Deus abſque me. Deus iuſtus, & ſaluans non eſt præter me: conuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines terræ, & in cap.49. nu.6. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ, &c. magna eſt gloria eius in ſalutari tuo, gloriam, & magnum decorem imponens ſuper eum, Pſalm.20. num.6. Magna eſt ſuper cælos miſericordia tua, quia ità Deus dilexit mundum, vt vnigenitum ſuum daret, Ioan.cap.3.nu.16. Vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Veritas tua vſque ad nubes, quia & ſi peccator ſit, & in tenebris diù permanſerit, filius Dei ità paratus ſit illum recipere, vt pœnitentem ſaluum faciat, Ezech. cap.33.num.18. Non enim recordabitur amplius Deus, quia peccauerit, ſi pœnitens ad Dominum conuerſus fuerit, num.14. Conuertimini, conuertimini à vijs veſtris peſſimis, & quare morie-mini? ideſt ſi non conuertamini.

Ideòq. exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua, vt liberentur dilecti tui. Vox Prophetæ, Chriſtum in Cruce pendentem videntis, cui vt homini dicebant Iudæi, ſi filius Dei es, deſcende de Cruce. Exaltare, Domine ſuper cælos, vt videant, & credant exaltatum te eſſe filium Dei, Marc. cap.16.nu.19. Luc.cap.24. nu.51. & ſedere ad dexteram Patris. Et ſuper omnem terram gloria tua, vt liberentur dilecti tui; non tàm enim quantùm ad ſe, quàm quantùm ad homines exaltatur; ſuper cælos exaltatur, quia ad Patris dexteram ſedet, & eſt ſuper omnes Angelos, quos habet ſubditos, & in omnem terram dilatatur nomen eius, gloria eius, nàm & ipſe dixit, Si exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum, Ioan.12.num.32.

Sal-

Digitized

Saluum me fac dextera tua, & exaudi me, Deus locutus eſt in ſancto ſuo. Hunc verſiculum declarat Ioannes cap. 17. vbi Ieſus loquitur ſuum erga Diſcipulos Patri exponens amorem, ait: Pater venit hora, ſaluum me fac, ideſt clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, clarifica me nunc tu Pater apud temetipſum, &c. Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum ſicut & nos. Cum eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo; quos dediſti mihi cuſtodiui. Non rogo, vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo, &c. non pro eis rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me.

Saluum ergo me fac dextera tua, & exaudi me, Deus locutus eſt in ſancto ſuo, vt liberentur dilecti tui: dextera tua, ideſt miſericordia tua. Deus locutus eſt in ſancto ſuo, ideſt in filio ſuo Ieſu Chriſto In ſancto ſuo dixit, quia Deus eſt in Chriſto per gratiam vnionis, in alijs verò per gratiam adoptionis; locutus eſt in ſancto ſuo, vt liberentur dilecti ſui: Hieron. hìc, Deus locutus eſt in ſancto ſuo, ſiue in templo. Auditur in Moyſe, auditur in Apoſtolis, verius dico locutus eſt in filio, & quid locutus ſit, ſequitur.

Exultabo, & diuidam Sichimam, & conuallem tabernaculorum dimetiar, latius de hoc locutus ſum in Pſalm. 59. verſ. 6. qui verſiculus eſt idem cum iſto. Quibus hæc addo, Sichima humerus interpretatur, ſequentes Chriſtum tollant crucem, ſicut ille: Verùm quia in Eccleſia diuerſa ſunt onera, & munera: alij enim Martyres, alij Confeſſores, & Virgines, alij Doctores, & Pontifices, &c. diuidam, inquit onera, & lætabor in eis; lætatur enim Eccleſia circumdata varietate Sanctorum, Pſalm. 44. nu. 10. Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate, & conuallem tabernaculorum metibor; omnes enim ſupradicti in humilitate poſiti accipient mercedem iuxtà laborum quorumlibet menſuram. Et conuallem tabernaculorum metibor, quia dabitur vnicuique ſecundum opera ſua; vel ſecundum D. Hieron. hìc: Et conuallem tabernaculorum dimetiar, in hac enim conualle noſtræ infirmitatis humanæ, atque humilitatis, & lacrymarum venit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, iuſtus inter peccatores, Deus inter homines, & conuallem, inquit, peccatorum dimetiar: ſed prius diuidam Sichimam, hoc eſt, eligam mihi fideles Apoſtolos, & alios Prædicatores, & Euangeliſtas; deindè conuallem tabernaculorum dimetiar, vt partem ex illis mihi in ſeruos, & Doctores eligam, Ambroſios, Auguſtinos, & alios ex gentibus, ex quibus omnibus vnâ fiet Eccleſia, vt credentes in filium Dei, verbum eius in omni terra euangelizare poſſint, & populis oſtendere, quia hæc eſt vera Eccleſia Dei, in qua vera ſalus prædicatur.

In Idumæam extendam calceamentum meum, Idipſum ſupra in Pſalm. 59. num. 10.

Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, & Ephraim fortitudo capitis mei. Tunc meus eſt Galaad, ideſt aceruus teſtimonij, quod ex vtriſque colligitur prædicantibus, nempè ex Iudæis Apoſtolis euangelizantibus, & ex populo gentili Doctoribus, ex quo tot Martyres, & Confeſſores, Epiſcopi, & Doctores orti ſunt, & qui de me teſtimonium perhibent, quia ſum ego Chriſtus filius Dei. Meus eſt Manaſſes, ſcilicet qui vitæ prioris confuſione obliti, ſecuti ſunt Dominum; Manaſſes enim oblitus dicitur, qui prioris vitæ oblitus ſit, & ſic de Gentilium Idolis, & ſuperſtitionibus; quibus relictis, & oblitis effecti ſunt

filij

Digitized by Google

filij Eccleſiæ Dei. Et Ephraim fortitudo capitis mei. Alius filius Ioſeph, quem creſcere fecit Deus in terra paupertatis meæ, dicebat Ioſeph, Geneſ.c.41.nu.51. Creſcere enim facit Deus Eccleſiam ſuam Prædicatorum prædicatione, qui verbum Dei prædicantes etiam fortes ſunt; vt dicitur Mich. cap.3. nu. 8. Veruntamen ego ſum repletus fortitudine ſpiritus Domini, iudicio, & virtute, vt annunciem Iacob ſcelus ſuum, & Iſrael peccatum ſuum. Quia fuſius in alio præallato Pſalmo 59. hæc tractauimus, ne bis idem repetamus, ad illum te remittimus. Deum tamen rogemus, vt nobiſcum pugnare dignetur, vt ipſe magis in nobis vincat. In Deo faciemus virtutem, & ſi fortes permanſerimus, ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros; ſicq. in nihilum deducet; vt ſpoliato veteri homine, indui & ipſi poſſint nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in ſanctitate, iuſtitia, & veritate.

SOLILOQVIVM.

PARATVM cor meum Deus, gloria mea, & ſalus mea; paratum cor meum tibi pſallere, & cum iubilo ad honorem Maieſtatis tuæ benè operando cantare. Confiteor, quia ſuper cælos, & in terra miſericordia tua eſt; fac Domine, vt illuc peruenire poſſim, quò tendit oratio mea; vt tibi ſit laus in ſæculorum ſæcula. Beata Virgo Maria, cuius Natiuitatis tuæ laus eſt in vniuerſa Eccleſia, ſuccurre miſero mihi peccatori ſeruo tuo pœnitenti, vt ſemper paratum ſit cor meum, te dignè laudare, & prædicare, & puro corde ſeruire: vt tui apud filium tuum Dominum interceſsione merear ab omni culpa peccati liberari; & ad te dignè valeam peruenire. Amen.

IN PSALMVM CVIII.

Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.

TITVLVS. In finem, Pſalmus Dauid. Ex præcipuis iſte eſt Pſalmus eorum, qui de Chriſto, & eius paſſione agunt; de quo in Actibus Apoſtolorum cap. 1.nu.16.Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid, de Iuda, qui fuit Dux eorum, qui comprehenderunt Ieſum, & num.20. Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum, Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit, qui inhabitet in ea, & Epiſcopatum eius accipiat alter. De quo tamen ſolo non omnia, quæ hìc dicuntur, poſſunt accipi; ſed de gente inimicorum Chriſti, ingratorumq. Iudæorum, vt enim Petrus typum Eccleſiæ gerit, ità & Iudas perſonam repræſentat inimicorum Chriſti, quibus congruunt etiam eæ, quæ de Iuda expreſſa ſunt, vt illud, & Epiſcopatum eius accipiat alter, quocircà poterit

Continuari iſte Pſalmus ad præcedentem, in quo de Chriſto, & de viro perfecto, cuius cor paratum eſt ad amandum Deum, & proximum, cantando, & pſallendo, & etiam de Chriſti perſecutoribus, & eidem corpori Chriſti inſidiantibus,

de

Digitized by Google

de quibus ibi versic.9. Moab lebes spei meæ; quos patienter sustinentes iusti auxilium à Deo merentur in tribulatione, eorum inimicis ad nihilum deductis. Verùm quia Iesus Christus, vt nos redimeret, tribulatorumq. caput est, & dux noster, sic enim propheratum est hìc à Spiritu sancto; & decet, vt eorum, qui illum sequuntur, sit eadem persecutio, idcircò consequenter Dauid hìc, Spiritu sancto dictante, posuit Christi filij Dei viui passionem, vt sequentes illum, lætantes ipsas suscipiant tribulationes; quia à dextris Dei sunt, vt saluam faciat à persequentibus animam ipsorum, quia digni facti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, facit Sap. cap. 3. & 5. & in Actibus Apostolorum per totum, & ideò positus est Psalmus præsens, vt persecutiones libenter patientes læti suscipiant, quia Dominus est cum illis, vt perducat eos in Paradisum exultationis, in locum tabernaculi admirabilis.

Antequam ad Psalmi declarationem deueniam notandum Psalmos, qui de Christi passione loquuntur, esse hucùsq. quinque, primum scilicet 21. incipit, Deus Deus meus: secundum est Psalm. 34. Iudica Domine nocentes me: tertium est Psalm. 54. Exaudi Deus orationem meam; quartum est 68. Saluum me fac: quintum præsentem Psalmum, Deus laudem meam, &c.

Deus laudem meam ne tacueris, laus Dei in Ecclesia sanctorum, Psalm. 149. numer. 1. sed quia Petrus illum negauit, cæteri Apostoli, Iesu relicto, omnes fugerunt; ideò ipsemet Iesus ait; Deus laus mea non cognoscitur, nisi tu Domine Pater sancte conuocando reduxeris, & congregaueris eos. Dicebant iniqui Iudæi; Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit, Ioan. 9. num. 16. Blasphemauit, quia se fecit filium Dei; quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Deus, solus relictus sum, tu qui verax es, laudem meam ne tacueris; Congrega Apostolos meos, vt in nomine tuo prædicent, me filium tuum esse, quod posteà factum, & crediderunt in eum, Act. 2. & per totum. Quamuis iniqui non taceant vituperium, os enim peccatoris, & os dolosi super me apertum est; notum tamen fecit Dominus me salutare suum, & in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam, Psal. 97. nu. 2. Act. Apost. cap. 13. nu. 46. Ecce quia repellitis illum, conuertimur ad gentes, quæ verbum Dei cum gaudio susceperunt.

Os peccatoris, & os dolosi super me apertum est, nàm quod prius dolosè dicebant; Magister scimus, quia verax es, & non est tibi acceptio personarum; licet ne censum dare Cæsari, an non? Iesus autem cognita illorum nequitia, qua ipsum tentabant, vt accusarent illum, dixit, Cuius est hæc imago? & audientes mirati sunt, & abierunt, Matth. cap. 22. nu. 22. Ioan. cap. 8.

Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis. Locuti sunt lingua dolosa, Ioan. cap. 8. nu. 31. Magister, modò mulier ista deprehensa est in adulterio, tu quid dicis? tentantes eum, vt possent accusare eum, &c. dolosè loquebantur, vt Matth. cap. 26. Iniquè etiam loquebantur, quando dæmonium eum habere dicebant, Ioan. d.c. 8. nu. 48. Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum, Ioan. cap. 18. nu. 30. Sermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis, sine iusta causa, tradidit enim eum Pilatus voluntati eorum, &c. Augustin. hìc. Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, tunc vtiq. quando eum tamquam Magistrum bonum captiosa adulatione laudabant, vndè Psalm. 101. num. 9.

Et

Et qui laudabant me,aduerſum me iurabant. Sermonibus odij circumdederunt me, dicentes, crucifige, crucifige, Ioan.cap.19. nu.6. Ego pro ipſis crucifigebar, & illi inſultabant mihi. Hieron. hìc. Vulnera mea erant eorum medicina, & videbar illis in deriſum, & ſermonibus odij circumdederunt me, non vt crederent, ſed vt expugnarent; Et expugnauerunt me gratis, ſine cauſa ſcilicet, quia non peccauerat, & debellauerunt eum.

Sed quomodò ſine cauſa, & gratis, Nonnè ideò venit, & humanam carnem ſuſcepit,vt patiendo mortem noſtram debellaret,vt morte ſua mortem noſtram deſtrueret? quomodò ergo gratis, & ſine cauſa mortuus, ſi ipſe omnium noſtrum in ſe peccata ſuſcepit? Iſai.cap.53. Moritur ſpontè, vt ſanet, odio occiditur, vt occidat: moritur, quia voluit, vt peccata noſtra deleret. Sine cauſa tamen fuit Iudæorum perſecutio, etenim ingrati propter inuidiam tradiderunt eum,quia ſanabat ægrotos,mortuos ſuſcitabat,leproſos mũdabat,& cæcis lumen reddebat. Quid facimus,dixere, quia hic homo multa ſigna facit,& totus mundus vadit poſt illum; Et iniquus Iudex ſciebat, quia propter inuidiam tradidiſſent eum: ò inique ſi ſciebas illorum malitiam, cur illis tradidiſti iuſtum, & violaſti iuſtitiam? Et vos iniqui, & ingrati Iudæi, ſi ſanabat vos: ſi paſcebat, & hortabatur omnes, vt Deum diligeretis, cur prædicantem Deum, & vos ſanantem tradidiſtis, vt crucifigeretur, & occidiſtis? Expugnabant me gratis, quo ad ipſos, qui teſtes falſos adducebant, nec illorum erat conueniens teſtimonium. Charitas verò filij Dei Ieſu Chriſti, vt gentes ſaluaret, impulit eum, vt iuſtitiæ Dei ſatisfaceret: laudabilis redemptio, ſed iniqua condemnatio, & falſiſſima accuſatio. Neceſſe eſt, vt veniant ſcandala, ſed væ illi, per quem ſcandala venient; inſurrexerunt teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.

Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam. Eijciebat dæmonia virtute ſua: ipſi verò in Beelzebub principe dæmoniorũ, dicebant eũ illa eijcere, Luc.cap.11. Ioan.cap.9. Nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt, & Matth.cap.11. Potator eſt vini,& Publicanorum amicus;malum pro bono reddebant; detrahebant, ego verò pro ipſis orabam. Si filius Dei es, aiebant, deſcende de Cruce; Vah, qui alios ſaluos facis, ſalua teipſum, orabat Dominus pro illis, Luc.cap.23. nu.34. Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt, Marc.cap.15.nu.29. Et prætereuntes blaſphemabant eum, mouentes capita ſua; Vah, qui deſtruis Templum Dei,&c. Pro eo vt me diligerent, pro bonis, ipſis à me collatis, detrahebant, quia ingrati erant. Ego verò orabam, non vt interficerentur; poteram enim omnes illos auctoritate mea perdere, Sap.cap.12. Non vt perderet, ſed vt conuerterentur,& ſanaret illos,ità dilexit nos Dominus, vt pro malo bonum illis optaret.

Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.5. Venit Dominus, & occidi voluit, quia nos diligebat, cauſa iuſta,& miſericordiæ plena. At illi malum pro bono reddentes, odio quærunt perdere eum, qui pro dilectione venerat ſaluare. Cauſa iuſta, ſed odio deteſtabilis per illos Iudæos facta eſt ſententia iniqua. Odio habuerunt illum gratis, quia non venit vt eſſet Rex Iudæorum, & illorum Regnum tolleret; venit, qui eſt Rex Regum, & Dominus dominantium; omnes credent in illum, aiebant, ſi eum ſic dimittimus, Ioan.c.11.nu.48.Ergo vt veſtra bona auferret à vobis? non vtique, quia ipſe eſt, qui dat affluenter alijs; quos perditos venit,vt ſaluaret: non bona,

ſed

Digitized by Google

ſed animas, non diuitias amabat, qui cum eſſet in omnibus diues, factus eſt pauper, paupertatem ità diligens, vt dixerit illi diuiti, Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, Matth.cap.19.num.21. qui prohibuit Diſcipulis, ne poſſiderent aurum, neque argentum, neque pecuniam, &c. Matth.cap.10. num.8. Gratis accepiſtis, inquit Dominus, gratis date, nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam, &c. Poſuerunt odium pro dilectione mea, & poſuerunt aduerſum me mala pro bonis; quanquam reuera mala pro ipſis, quia ſanguinẽ eius ſuper illos, & ſuper filios ſuos increduli poſuere, quæ fuerunt bona pro nobis; iuxtà illud, quod canit Eccleſia, O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.

Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris eius. Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? os peccatoris, & os doloſi apertum eſt ſuper Dominum. Poſtquam enim à Iuda proditore traditus eſt Dominus, locuti ſunt lingua doloſa Iudæi. Sed nonnè ante captum Ieſum, murmurantes cauſam quærebant? murmurarunt illi, & odium extrà iudicium erat, inter ipſos erat: timebant populum; primus verò, qui os ſuum aperuit, vt traderetur in iudicio fuit Iudas proditor, tum & in iudicio adhibiti ſunt teſtes falſi, accuſationes inualidæ, & cum illis Dominum expugnauerunt.

Conſtitue ſuper eum peccatorem, hoc eſt audiatur petitio Iudæorum clamantium, Baràbbam dimitte, & Ieſum crucifige; conſtituas illis Ducem Baràbbam, peccatorem, latronem, homicidam, ſeditioſum, talem enim petierũt ſuper eum populum, & Synagogam, quia Saluatorem neglexerunt. Et diabolus ſtet à dextris eius, vt ſemper illos infeſtando, gladius, & vſura, & dolus nunquã Synagogam deſerat. Simile habemus in Zach.3.in princ. Et oſtendit mihi Dominus Ieſum Sacerdotem magnum ſtantem coram Angelo Domini, & Satan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei; ſed cur ad dexteram ſtabat diabolus? quia Ieſus erat ſordidis veſtibus indutus. Hieronym. hìc. Quamdiù Dominus habet veſtimenta ſordida, tamdiù ſtat diabolus à dextris eius; quamdiù portat peccata noſtra, in peccatis noſtris aduerſatur illi diabolus. Quando autem dicitur in Zacharia, tollite veſtimenta eius ſordida, & induite eum mutatorijs, continuò dicit Ieſus ad diabolum, increpet Dominus in te Satan, increpet te, qui elegit Ieruſalèm: hoc totum ideò diximus, quia ſcriptum eſt, & diabolus ſtet à dextris eius; hæc Hieronym.

Conſtitue ergo peccatorem. Quare conſtitue? quia illum petierunt Iudæi. Et aduerte, quòd Pilatus miniſter diaboli æqualem fecit Baràbbam Domino Ieſu. Quem, inquit, vultis vobis dimittam, Baràbbam, ideſt filium patris diaboli, an Ieſum filium Dei? Baràbbam, inquiunt, volumus, quia & ipſi erant filij diaboli vnà cum Pilato, Ioan.8.num.44. Vos ex patre diabolo eſtis. Conſtituit ergo Pilatus ſuper eum populum, peccatorem Ducem Baràbbam filium diaboli, qui ſtat à dextris populi huius, vt nemo tollat illum de manu eius; vt peccatum ſemper ſit cum illo, iuxtà maledictiones, quæ à Domino ipſis inducuntur; Deuteronom.28.nu.18. cum ſequen. donec te Dominus conterat, num.61. Diabolus à dextris illorum ſtat. Sed vſquequò Domine? vſque ad conſummationem, & finem perſeuerabit deſolatio: propterea ſequitur Pſalm.

Cum iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum. Poſt

mortem non eſt pœnitentia, Eccleſ. cap. 17. nu. 27. & oratio ſit in peccatum: Quando te vidimus Domine eſurientem, & non pauimus te? fiat oratio eorum in peccatum, Ite in ignem æternum, quia, &c. Matth. 25. Auguſtin. Non eſt iuſta oratio, niſi per Chriſtum, quem vendidit immanitate peccati: oratio autem, quæ non fit per Chriſtum, non ſolum non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit in peccatum. Quomodò autem Iudas ità orare potuerit, vt oratio eius non fieret in peccatum, quæri poteſt. Credo antequam Dominum traderet, & de illo tradendo iàm cogitaret, non enim iàm poterat orare per Chriſtum, nàm poſteaquam illum tradidit, eumq. penituit, ſi per Chriſtum oraret, indulgentiam rogaret, ſi indulgentiam rogaret, ſpem haberet, ſi ſpem haberet, miſericordiam ſperaret, non ſibi deſperatione collum ligaret. Proinde cum dixiſſet. Cum iudicatur exeat condemnatus, ne ab imminente condemnatione putaretur ſe poſſe per orationem liberari, quam didicerat, cum Condiſcipulis ſuis, vbi dicitur, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris; & oratio, inquit, fiat in peccatum illi, quia non fit per Chriſtum, quem noluit ſequi, ſed perſequi, hucuſquè Auguſtin.

Et oratio eius fiat in peccatum, Quia non orant, vt ſaluentur, ſed vt nomen Chriſti deleatur. Seductor ille, hoc nomine Ieſum appellabãt, vide iſtorũ charitatẽ, quia & mortuum Chriſtum perſequuntur, & maledicũt illi. Audi vlterius; Iube cuſtodiri ſepulchrũ, ne veniant Diſcipuli eius, & corpus eius furẽtur, & erit error peior priore: occidiſſe Chriſtum errorem fuiſſe confitentur, peiorẽ verò futurum errorem aſſeruerunt, ſi dicant Diſcipuli eum viuere: Oratio iſtorum tota in peccato, vt Diſcipuli nec nominentur, & nomen Chriſti deleatur.

Cum iudicatur exeat condemnatus. Iudicatur Iudas in cœna à Domino. Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille, Matth. 26. num. 25. Nunquid ego ſum Domine? Tu dicis, inquit Ieſus. Acceptat ſententiam Iudas, & exiuit continuò. Poſtquam accepit buccellam, introiuit in eum Satanas; cum accepiſſet ille buccellam, exiuit continuò, Ioan. 13. nu. 30. & erat nox. Exijt ergo Iudas citò, quia ſciebat, in hortum Dominum venturum, iuxtà factam conuentionem cum Phariſæis, Matth. cap. 26. num. 15. Vt opportunè traderet Ieſum, citò cucurrit, & à Principibus accepit cohortem, & venit illùc cum laternis, & armis, &c. vt comprehenderent Ieſum; exinde enim quærebat opportunitatem, vt eum traderet, Matth. d. cap. 26. num. 15. Prius ergo conuenerat, vt traderet; indignè ſumpto corpore Chriſti, Satanas in illum introiuit, traditor tradit Chriſtum. Vide ergo, præcedit peccatum: ſequitur ſententia iudicantis, ſubſequitur obſtinatio delinquentis; citò enim exiuit, vocat cohortem, dans illis ſignum, quem ſcilicet oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, capitur Chriſtus, pœnitet traditorem, non in Chriſtum oratio eius fit, ſed in peccatum, & ſuſpenſus crepuit.

Fiant dies eius pauci, & Epiſcopatum eius accipiat alter. Hæc non indigent alia declaratione. Fuerunt enim Iudæ pauci dies in Epiſcopatu, quia ſtatim crepuit, poſtquam tradidit Ieſum, & in locum eius Matthias poſitus eſt, vt in Act. Apoſtol. cap. 1. ergo prius Epiſcopatu potiebatur; pro ſuo merito puniatur, ille verò numerus duodecim Apoſtolorum ſuppleatur.

Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. Vtique mortuo ipſo, & filij eius orphani, & vxor eius viduata eſt, habuit ergo ſecundum aliquos Iudas

vxo-

vxorem, & filias: Vtrum verò pœna ſit mortuis ſuorum afflictio parentum, in hoc remittimus vos ad Doctores. Vnum tamen dicam, quia ſi ſentiunt mortui triſtitiam ſuorum, quod hìc dicitur, cumulus eſt malorum; ſi verò non ſentiunt, formido eſt viuorum, poſſunt enim timere, ne pro peccatis ſuis, vel parentum ſimilia eis contingant. Ego verò opinioni D. Hieronymi aſſentio, quòd filij Iudæ ſint Iudæi, & Iudæi dicantur, non ab illo Iuda ſancto, ſed ab iſto Iuda proditore; ex illo Iuda Iacobi, dicit Hieronymus, nos dicimur Iudæi ſpirituales; ex iſto autem Iſcariote illi dicuntur Iudæi carnales; Vxor verò Iudæ Synagoga Iudæorum, vide latius hìc Hieronymum: Huic opinioni conſonant quæ ſubijciuntur in ſequenti verſiculo, vbi dicitur.

Nutantes transferantur filij eius, & mendicent, & eijciantur de habitationibus ſuis. Ex illorũ enim ruina tempore Romanorum ſuperſtites pauci remanſerũt. De habitationibus ſuis; nàm tota Ieruſalem deſtructa, ità vt nec lapis ſuper lapidem remanſerit: illi verò pauci incerti quò irent, captiui facti ſunt, & viliſſimo pretio venditi. Vidua Synagoga, quæ omnia amiſit etiam ſacrificia, & Prophetas. Non legitur, Iudam filios habuiſſe, neque vxorem; filij ergo eius Iudæi ſunt, quia ex eius traditione facti ſunt Iudæ participes, & conſocij delicti. Nàm vt dicit S. Hieronym. difficilia quæ ſequuntur, ex illo tempore, ex quo Dominus crucifixus eſt, ex tunc temporis mouentur Iudæi, non ſtant in loco ſuo; & ſicut Cain in terra Hod, in terra ſcilicet cõmotionis habitant, nutantes tranſlati ſunt, quia Dominum crucifixerunt: in omnẽ terram diuiſi, & mendici, quia ſpiritualibus ſunt penitus priuati. Iudas ergo Iſcariotes accepit pretiũ proditionis, & ideò Iſcariotes, quia de pretio nomẽ accepit, pretium reſtituit, poſtquam Ieſum tradidit, nolunt Iudæi accipere. O Iudæorum infelicitas, ò Phariſæorum diſſenſio; ſi bene emiſtis, cur non recepiſtis, ſi non recepiſtis, quia pretium ſanguinis, ergo iniuſtè emiſtis, & ſanguinem iniquè effundiſtis; in peregrinorum ſepulturam emitur ager, pretio ergo ſanguinis nos empti.

Vxor eius vidua. Quæ prius vxor Dei facta erat, de qua Ierem. cap. 3. cui repudij libellus datus eſt, & facta eſt vxor proditoris; accepit eam Iudas traditor, & pretium dotis vxoris eius recepit, iterum dotem reſtituit adulter vxori; cur autem? quia quod primo marito fecerat vxor tradimentum, vendendo, ne & ipſe venderetur ab ea, reſtituit dotem. Vidua remanſit Synagoga, & diſperſit vias ſuas alienis, & vocem Domini non audiuit; & adhùc vidua remanet, quia ad Dominum nec Iſrael ſe conuertit, & ideò ſequitur alia maledictio.

Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius, & diripiant alieni labores eius. Quid enim habent Iudæi, quod exactoribus Principum non ſubijciatur: vbicunque enim ſunt, ſoluunt tributa, & magnos redditus ſoluunt Principibus, & alijs; Serui enim ſunt, & Chriſtianorum mancipia.

Et diripiant alieni labores eius. De hoc Ioſeph lib. 6. de Bello Iudaico, cap. 15. Aurum etiam ſcrutabantur Romani in viſceribus hominum, ad hunc finem illos diſſecantes.

Non ſit illi adiutor, ſed cur in alijs veſtris captiuitatibus adiutores habuiſtis, nec Prophetæ vobis defuerunt, Daniel, Ezechiel, & alij; tunc Idola coluiſtis, nec defuit vnus ex ſupradictis, ſeptuaginta annis Regi Babyloniæ ſeruiſtis, nunc verò ſunt mille, & ſexcenti anni, nec vllus vobis eſt adiutor, nec vos Idolorum cultores fuiſtis, ſicut Patres veſtri; & cur vobis non eſt Propheta,

nec ſacrificium, nec holocauſtomata, nec oblationes? quia nempè Chriſtum occidiſtis, ideò nón eſt qui miſereatur pupillis veſtris, ità enim petiſtis, vt ſanguis Chriſti ſuper vos eſſet, & ſuper filios veſtros: ſanguis eius ſuper filios etiam noſtros dixiſtis, & durabit vſque ad conſummationem ſæculi, Daniel. cap. 9. in fine; latius diximus in Tract. noſtro contrà Iudæos.

Fiant nati eius in interitum, in generatione vna deleatur nomen eius. O Sacramentum Prophetiæ, fiant nati eius in interitum, in generatione vna deleatur nomen eius. Poſt paſſionem Domini quadraginta duo anni tranſierunt, & populus ille deletus eſt: ſiquidem perfecta ætas, quadrageſimo anno venit; poſt paſſionem ergo Domini quadrageſimo ſecundo anno deleta eſt Ieroſolyma; filij ergo omnes eius, & in generatione vna deletum eſt nomen eius: hæc Diuus Hieronymus. Quadraginta duobus annis dedit, vt pœniterent, omnes deleti, omnes occiſores Chriſti conſumpti, nec vllus eorum, qui crucifixerunt Dominum, remanſit; Iudas maledicitur, vt in Iuda omnes maledicantur.

In memoriam redeat iniquitas patrum eius, in conſpectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur. Quare in memoriam redeat iniquitas patrum eius? quia ipſe ſequitur infidelitatem maiorum eius, & illorum iniquitatem; tunc iniquitas patrum in filios redit, quia filij iniquitatem patrum imitantur, Exod. cap. 20. numer. 5. Ego ſum Deus fortis, Dominus tuus, Zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea; propterea benè dixit Auguſtin. hìc. Quod non in eis, qui mutati ſunt in Chriſto, qui iàm non ſunt filij iniquorum, nec mores illorum ſequuntur, Ezech. cap. 18. numer. 18. Filius non portabit iniquitatem patris, ſi ad Chriſtum conuerſus fuerit: hic non morietur in iniquitate patris ſui, ſed vita viuet, dicit Dominus; & reddit rationem, quare filius non portabit iniquitatem patris; videlicet quia filius iudicium, & iuſtitiam operatus eſt, ibidem numer. 19. Sed quomodò in memoriam redeat iniquitas patris eius, in conſpectu Domini: niſi quia & ipſe Iudas redijt in peccatum proditionis Domini; redijt, quando accepto pane in Cœna Domini, pro cohorte redijt ad Phariſæos, vt iniquitatem, de qua prius cum illis conuenerat, perficeret? ſimiliter & Iudæi, nàm ſicut patres eorum Prophetas, &c. occiderunt; redeat hoc in memoriam Domini, quia & nunc occiderunt filium eius Ieſum Chriſtum. Et peccatum matris eius, quæ mater, niſi Ieruſalem; vndè Dominus ei dixit, Ieruſalem, Ieruſalem quoties volui congregare filios tuos, &c. & noluiſti, Matth. cap. 23. numer. 37. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta, & peccatum eius non deleatur, quia dico vobis, non me videbitis amodò, donec dicatis, Benedictus, qui venit in nomine Domini, Matth. d. cap. 23. num. 37. Cui enim Dominus eſt abſens, non eſt illi lux, remanet in tenebris; non deleatur peccatum, quia extranei facti ſunt à Domino, & non amplius populus meus ſunt, Oſe. cap. 1. num. 9. immo peius operati ſunt, quàm patres eorum, Ierem. 7. num. 26. & Iacob. in cap. 2. num. 13. Iudicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam; propterea ſequitur verſiculus.

Fiant contrà Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum, pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam. Faciant, inquit, contrà Do-

Dominum ſemper, hoc eſt, in conſpectu Domini ſit ſemper iniquitas eorum, & deleantur de libro viuentium, vt portio illorum ſit cum iniquis, Pſalm.68.num.29. Iudicium ſit illis, qui non ſunt vſi miſericordia, ideſt ſine miſericordia condemnabuntur; iudicium enim ſignificat ſententiam, 4. Reg. cap.25.num.7. Apprehenſum Regem duxerunt ad Regem Babylonis, in Reblatha: qui locutus eſt cum eo iudicium, & Ierem. cap.1.num.16. Loquar iudicia mea cum eis ſuper omnem malitiam eorum. Fiant contrà Dominum ſemper, dicit, quia, vt dicit D. Thom. ibi in dicto cap. 2. Iacobi; Iudicium ſcilicet damnationis abſque miſericordia liberante, & abſoluente, ità & Lyran. ibi. Vide Auguſtin. in cap.21. 1. de Ciuitat. Dei cap.24. & in Pſalm.66. ibi, nunquid obliuiſcetur miſereri Deus, aut contînebit in ira miſericordias ſuas.

Et diſpereat de terra memoria eorum pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam. Si de Iuda dicatur, cœpit facere miſericordiam, quando cum alijs Apoſtolis connumeratus, prædicabat, infirmos ſanabat, &c. ſed quia oblitus eſt facere miſericordiam, immo ad iniquitatem conuerſus eſt, ideò omnes iuſtitiæ eius obliuioni traditæ, & in iniquitate, quam operatus eſt, mortuus eſt, Ezech. cap.33.num.13. Morte, inquit, morietur, ità vt memoria ipſius de terra deleatur: & pœnis æternis in alia vita condemnetur. Diſpereat memoria de illo, quod prius benefaciebat miſerando, & iniquitatis ſuæ perpetua ſit damnabilis memoria, vt illi ſemper pœna augeatur, Eccleſ.23.num.36. Diſpereat illius memoria in maledictum, dedecus tamen illius non deleatur.

Et perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare. De Iudæis poteſt intelligi, & quamuis in numero ſingulari dicat, & perſecutus eſt, hoc intelligitur de populo Iudaico, quem concitauerunt Phariſæi illi aduerſum Ieſum, vt peterent Baràbbam, Ieſum verò crucifigerent, Matth.cap.27.num.20. & 21. dicunt omnes crucifigatur. Nàm ſi benè conſideremus, omnes verſiculi vſque ad præſentem, & ſequentes de Iudæis Chriſtum perſequentibus intelligi poſſunt. Homo verò pauper, & mendicus Chriſtus noſter Dominus eſt; inops enim præ paupertate, qui vbi caput reclinaret, non habebat; & corde compunctum mortificare; non tibi ſatis compunctus videtur, quando dixit, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem? Matth. cap.26.num.30. Marc. cap.14.num.34. & iterum, Factus in agonia prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, Luc.cap.22.num.41. Quomodò compunctus corde? quia, vt dicit Hieronym. Dominus ſanguinem ſuum fundebat pro illis, nec voluerunt ſalutem ſuam, ideò dicebat, Ignoſce illis Domine, quia neſciunt quid faciunt.

Et dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Quando enim Pilatus innocentem Dominum voluit illis dimittere, dicens, Vos videbitis, & ego innocens ſum à ſanguine iuſti huius; reſponderunt ipſi, Super nos ſit ſanguis eius, & ſuper filios noſtros: vindicta ſcilicet ſit ſuper nos, quia innocentem tradidimus, illius benedictionem, & ſaluationem ab illo nolumus; veniat ſanguis illius ſuper nos, & ecce quia ab eo populo elongata eſt benedictio; quia occiſi, diſperſi, afflicti, & vſque adhùc ſunt, Deuter.28.num.67. timentes die, ac nocte, & non credent vitæ ſuæ.

Et induit maledictionem, ſicut veſtimentum, & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius. Quomodò induit maledictionem,

ſicut veſtimentum? Quia tamquam filius diaboli, eodem veſtimento, quo diabolus veſtiri debebat. Verùm quia pater diabolus eſt ſpiritus, ad extrà voluit maledictione veſtiri, vt omnibus illius iniquitas eſſet nota: ad intrà etiam, vt in corde, & in interioribus imbibat talem maledictionem, ſicut aquam, ſitquè eadem illi, ſicut oleum in oſſibus eius, ſcilicet Iudæ, vel eius, ideſt populi Iudaici, qui in obſtinatione remanſerunt, non in illis, qui ad Dominum conuerſi ſunt, iuxtà Ezech. dicto cap. 33. Quæ autem fuerit, & ſit illius maledictio intelligas, ſi legeris quæ hìc comminatæ in hoc ſæculo illis ſunt, Deuteronom. cap. 28. num. 16. Quæ verò in futuro eiſdem paratæ eſſent maledictiones, quis explicet? in inferno ignis æternus, conſummens eos, ſed nunquam finiens, vt ipſi continuò crementur, nunquam tamen deficientes, nec morientes. Hìc ergo in corpore patiuntur; ibi autem in inferno ſemper & cremantur. Vide quæ dicunt ibi permanentes, cap. 3. & 5. in Sap. & in Euangelio Matth. cap. 25. num. 41. Induat ergo maledictionem, ſicut veſtimentum in corpore ſcilicet, vt maledictus ſit vbique.

Et fiat ei ſicut veſtimentum, quo operitur. Vt etiam notum ſit omnibus, quia ipſe ſit filius diaboli, & illius miniſter, Ioan. cap. 8, numer. 41. Vos facitis opera patris veſtri diaboli, & deſideria patris veſtri vultis facere, ibid. num. 44. Matth. cap. 13. per totum; Clauditis enim, inquit, ò Phariſæi, ò hypocritæ Regnum cælorum ante homines, vos autem non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare, & numer. 15. Circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum Proſelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. Induit maledictionem ſicut veſtimentum, vt in conſpectu hominum de iniquitate glorientur, ideò veſtimentum, quo operiantur fiant, vt tales cognoſcantur.

Vel ſic, Fiat ei, ſicut veſtimentum, quo operitur, & ſicut zona, quâ ſemper præcingitur. Ideſt maledictio ſit ſemper cum ipſo, & in quocunque actu, vt quidquid facit ſit cum illo maledictum; & ſicut zona, qua præcingitur; vt loco veſtimenti, ſit illi maledictio, etiam loco zonæ, qua præcingitur, ità vt ſemper ſit maledictus, & maledictione plenus, provt latius explicantur omnes maledictiones in d. cap. 28. in Deuter. num. 16.

Hoc opus eorum. Quod opus? ex quo ſcilicet naſcuntur tot maledictiones, tot malorum mercedes, accipiendo opus pro mercede, ſicut in Leuitic. cap. 19. Non morabitur apud te opus mercenarij vſque mane; ideſt merces mercenarij, ità Septuaginta Interpretes verterunt. Hoc ergo opus, hoc eſt merces illorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala aduerſus animam meam, vt maledicentes maledicantur & illi perſequentes Dominum corripiantur in inferno, & tu Domine illos perſequaris, Pſalm. 17. numer. 38.

Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos, Pſalm. 34. num. 6. operiantur confuſione, & pudore, ſicut veſtimentum: vt confuſos ſic indutos, terra viuos illos operiat, Pſalm. 105. num. 17. & loco veſtium iniquitate operti, pareant omnibus, quòd ſunt maledicti, Pſalm. 72. num. 6. Quia tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua.

Hoc opus, quod faciunt, qui detrahunt Domino. Quod opus? nempè quidquid loquuntur aduerſum Dominum eſt: odio habent Dominum, quia eſt contrarius malignis operibus eorum: illos diligebat Dominus, ipſi verò mala retribue-

buebant ei; hoc opus, vt omne, quod agunt conuertatur illis in peccatum, & ideò ſuper illos veniat Dei indignatio.

Et tu Domine Domine fac mecum propter nomen tuum, quia ſuauis eſt miſericordia tua. Et tu Domine fac mecum propter nomen tuum, vt tu me clarifices, quia iàm clarificaui te, opus conſummaui, quod dediſti mihi, vt faciam; & tu nunc fac mecum, vt & tu clarifices me, apud temetipſum claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet apud te propter nomen tuum, quod manifeſtaui eis. Suauis enim eſt miſericordia tua. Sicut iniquos odio habes, ità fideles, quos dediſti mihi, & tui ſunt, ſerua in nomine tuo, vt in nobis ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Serua eos, quia ſuauis eſt miſericordia tua, Auguſtin. Fac mecum vt benè intelligamus, & Patrem, & Filium ſimul facere miſericordiam in vaſa miſericordiæ, Ioan. cap. 17. per totum, ſequitur Auguſtin. Fac mecum, ideſt filius dixit Patri, fac mecum, quia eadem ſunt opera Patris, & Filij.

Quia ſuauis eſt miſericordia tua. Non dixit, fac in me, vel ſuper me, vel aliquid huiuſmodi, ideſt adiuua me, Pater quippè adiuuat filium, in quantum hominem propter formam ſerui, nàm in forma Dei filius adiutorio non indiget; æqualiter enim cum Patre omnipotens eſt, ex quo & ipſe adiutor eſt hominis, vndè Ioan. c. 5. Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius quos vult, viuificat, nec aliud Pater, aliud filius, aut aliter Pater, aliter filius, quia & eadem facit, & ſimiliter facit, vndè in quantum homo, eſt filius Dei, Deus ſuſcitauit eum à mortuis, hoc eſt Pater, cui dicit Pſalm. 40. Suſcita me, & reddam illis; in quantum autem Deus eſt, etiam ipſe ſe ſuſcitauit, Ioan. cap. 2. Soluite templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud. Et tu Domine Domine dicit, vt oſtendat orantis affectum. Item ait, Et tu, Quid eſt, Et tu. Niſi ego & tu? fac mecum propter nomen tuum, gratiam commendo; nullis enim operum meritis præcedentibus in tantam celſitudinem ſubuecta eſt humana natura, vt totum ſimul Verbum, & Caro, hoc eſt Deus, & homo, Vnigenitus filius Dei diceretur; hoc autem factum eſt, vt ab illo, qui creauerat, per id quod non perierat, id quod perierat, quæreretur, quia ſuauis eſt miſericordia eius.

Libera me, quia egenus, & pauper ego ſum, & cor meum conturbatum eſt intra me; ideſt fac mecum, ſi poſſibile eſt, tranſeat calix iſte à me; libera me, quia egenus, & pauper ſum, quia triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Cor meum conturbatum eſt intra me, & dereliquit me virtus mea, Pſal. 108. num. 22. & Pſalm. 39. num. 18. Ego autem mendicus ſum, & pauper, Dominus ſolicitus eſt mei.

Libera me, quia egenus, & pauper ſum, nàm ſpoliauerunt Dominum, & flagellantes dinumerauerunt omnia oſſa eius, Matth. vt ſup. Cor meum conturbatum eſt intra me, quia omnium factus ſum peripſema, clamantium, crucifige; Quid enim mali feci illis? Thren. cap. 1. nu. 1. Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis; non eſt qui cõſoletur eum ex omnibus charis eius; omnes amici eius ſpreuerunt eum, & facti ſunt ei inimici.

Sicut vmbra cum declinat ablatus ſum, & excuſſus ſum, ſicut locuſtæ. Sicut vmbra cum declinat: ex ſe enim vmbra declinat, Dominus ablatus eſt ab eis, quia voluit; non enim occideretur, niſi voluiſſet: non moreretur, niſi conſenſiſſet; non à Iudæis caperetur, niſi permiſiſſet. Sicut vmbra, citò enim mortem

illi

illi dederunt, & indefenſum occiderunt. Sicut vmbra, nàm captus, interrogatus, condemnatus, crucifixus, & mortuus. Quid amplius inimici potuerunt facere? Corpus occiderunt, ſed poſtquam vmbra declinauit, lux matutina ſurrexit, & ceſſauit vmbra; ſurrexit Chriſtus à mortis vmbra, & ſplendor eius omnibus prædeſtinatis ab illo; poſtquam ſurrexit viſus eſt.

Excuſſus ſum ſicut locuſtæ. Venerat Dominus miſſus ad oues, quæ perierant domus Iſrael, & ab illis excuſſus ſum, expulſus ſum, crucifixus ſum, & ſicut locuſtæ de loco ad locum me perſecuti ſunt; fleui ſuper Ieruſalem, quia aduentum filij Dei non cognouerat; volui illam congregare, ſicut gallina pullos ſuos ſub alis congregat, & tu noluiſti, Matth.cap.23.num.37.Luc.cap.19. num.41.

Genua mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea immutata eſt propter oleũ. Quomodò non Chriſti Ieſu genua infirmata, cũ in paſſionis tribulatione sẽper ieiunus, nec dormiſſe, nec carni ſuæ aliquam requiem ſibi permiſſam fuiſſe legatur; ideò crux humeri ſuo appoſita, nec potuit ab illo leuari, ſed adhibitus Simon Cyrenæus, qui de Villa venerat, vt illam portaret. Genua infirmata, & caro immutata defectu olei; nàm nec reputauimus eum, Iſai.cap.53. Vidimus eum, & non erat aſpectus, quaſi abſconditus vultus eius, nu.2. cum ſequen.

Et ego factus ſum opprobrium illis, Marc.cap.14.num.67. & cœperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, dicentes ei, prophetiza, miniſtri alapis eum cædebant, Matth.26.nu.67. Et ego factus ſum opprobrium illis, viderunt me, & mouerunt capita ſua. Ecce homo, dicebat Pilatus; viderunt illi, & tamquam illis opprobrium clamantes dixerunt, crucifigatur, crucifigatur: opprobrium, quia flagellatum, totum ſanguine perfuſum, corona ſpinea coronatum: opprobrium factum illis tàm deforme, nec hominis effigiem habens: ò patientiam Domini, ò illius magnam miſericordiam. Genua eius infirmata propter ieiunium; ieiunus enim, quia pro quo ille venit, vt ſaluaret populum ſuum, nec in fine ouem inuenit, omnes dereliquerunt eum; diſperſi ſunt & paſtores, ideſt Apoſtoli; ſola Mater doloroſa, ſtabat iuxtà crucem lacrymoſa, dum pendebat filius. Videbant Iudæi impij, non compatientes, ſed ridentes, & capita ſua mouentes, dicebant, Vah, qui deſtruis Templum Dei, & in triduo reædificas illud, ſalua teipſum, ſi filius Dei es. O impietas indicibilis, ò rabie plena crudelitas, etiam contrà crucifixum inſtatis, etiam mortuum perſequimini? Iàm non ſunt amplius genua infirmata, quia de inferno aſcendens, iterum venit in mundum, & de terra aſcendit in cælum, caro iàm immutata, quia ſurrexit à mortuis, & triumphat in cælis. Act. cap.1.num.9.

Adiuua me Domine Deus meus, & ſaluum me fac ſecundum miſericordiam tuam. Quomodò miſericordiam petit, qui ipſe facit miſericordiam alijs, qui ideò paſſus eſt, quia miſericors eſt, qui habet poteſtatem animam ponendi ſuam, Ioan.cap.16.num.18. & iterum reaſſumendi eam; ipſe miſericordiam petit, & ipſe tribuit: ipſe vt homo rogat, & vt Deus tribuit. Hieronym. hoc ad caput, & ad corpus referri poteſt; dicit Auguſtin. ad caput propter formam ſerui, ad corpus propter ipſos ſeruos.

Et ſciant, quia manus tua hæc, & tu Domine feciſti eam; De qua re loquitur, quia manus tua hæc; an de paſſione? at de hac Iſai. cap.53.numer.6

obla-

oblatus, quia voluit, Isai. dicto cap. 53. num. 6. & Dominus voluit conterere eum in infirmitate, Isai. dicto cap. 53. num. 10. Matth. cap. 22. numer. 52. & 53. Conuerte gladium tuum in locum suum. An putas, quia rogare non possum Patrem, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? Et sciant, quia manus tua hæc; Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis, Zach. cap. 13. num. 8. Matth. cap. 26. num. 31. Postquam verò resurrexero, præcedam vos in Galilæam; crucifixus ergo, quia voluit, resurrexit, quia potuit sua potestate tamquam Deus. Intelligant Iudæi, quòd ipsi non præualuerunt, & Ioan. cap. 18. num. 11. dixit Iesus Petro, Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? ergo manus Domini, calix Domini, passio Iesu Christi: vel secundum Augustin. Manus tua, idest filius tuus, quòd ego sim, homines sciant, vndè Isai. d. c. 53. Et brachium Domini cui reuelatum est. Manus ergo Dei Christus est, hæc manus & erat, & fecit eam, quia in principio erat Verbum, & Verbum caro factum est, & erat sine tempore secundum Diuinitatem, & factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, hæc Augustin.

Maledicent illi, & tu benedices, qui insurgunt in me confundantur, seruus autem tuus lætabitur. Quid nocere poterit iniquorum maledictio, vbi est Dei iustorum benedictio? quæramus Dominum, & confortemur; quæramus Dominum semper, Psalm. 104. nu. 4. Maledicunt illi iniqui in eorum Synagoga, benedicitur Christus in tota eius Ecclesia. Insurgant illi in Dominum, & confundantur, humilientur iusti in Ecclesia, & exaltabuntur.

Induantur, qui mihi detrahunt, pudore, & operiantur sicut diploide confusione sua. Pudor apprehendat illos, qui Domino detrahere tentant, ità vt dolentes, & pœnitentes reuertantur ad Dominum. Magna Dei clementia, quia non dicit peccantes in illum, moriantur, destruantur, sed induantur, dans locum pœnitentiæ, pudor enim peccantis est bona pars salutis obtinendæ, Hieron. Si quis verè confunditur, incipit pœnitere. Exemplum nobis relinquit, vt pro inimicis oremus, vt erubescant, & conuertantur, & sicut diploide operiantur confusione sua. Diplois vestis, seu pallium duplex: hoc est confundantur dupliciter, intus; in corde scilicet, & extra, vt etiam corporaliter confusi remaneant, pœnitentiam agentes. Orauit Dominus pro suis persecutoribus, & misertus est illorum, vt & nos nostris inimicis conuersionem imploremus à Domino, vt exemplum Domini sequamur, qui dixit, Orate pro persequentibus vos, & calumniantibus. Nudauerunt Dominum tunica eius, & suam perdiderunt. Da, inquit, illis confusionem, & ignominiam, vt habeant duplex pallium, hoc est, ne simplicem habeant confusionem, sed duplicem, vt magis agant pœnitentiam, & ità pro Iudæis orat, ne radix, in quam nos inserti sumus, eradicetur, & sicca fiat, vt & reliquiæ Israel in fine saluæ fiant, ad Rom. cap. 8.

Confitebor Domino nimis, idest valdè, in ore meo, & in medio multorum laudabo eum. Ore enim fit confessio ad salutem, ad Rom. cap. 10. nu. 9. & 10. Nàm si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & corde tuo credideris, quòd Deus suscitauit eum à mortuis, saluus eris. Confitebor ergo in ore meo valdè, & in medio multorum laudabo eum; in vniuerso Orbe, in medio Ecclesiæ laudabo te. Quid est confitebor tibi valdè in ore meo? nisi documentum Prædicatoribus, vt si laudem Domini in medio, idest in corda multorum, cupiunt ingredi, & proficere, non indoctas fabulas, non vt videantur sapientes,

moliantur pruritum aurium : ſed verbum Domini prædicantes , ipſi prius in corde perfecto, hoc eſt, nimis in ore, quod verbum procedat ex corde,& tunc in medio Eccleſiæ aperiant os ſuum, & implebit os eorum Dominus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus, & ſtolam gloriæ induet eos, quia multos filios, & ſeruos Domino Deo acquirent, & ſaluabunt illos.

Vndè ſequitur; Qui adſtitit à dextris pauperis,vt ſaluam faceret à perſequentibus animam meam. Stat enim à dextris Dominus pauperum audientium laudes eius: ſi tu Prædicator ore confitearis, & corde credideris; quia ipſe Dominus eſt, qui loquitur in te, vt ſalues ſimul audientes vnà tecum. Non ergo tu Prædicator, vt diuitias conſequaris, prædicare debes Euangelium, quia tunc diabolus erit à dextris tuis, ſicut fuit à dextris Iudæ, vt recepta pecunia traderet Chriſtum : ſed cum Chriſto tu à dextris pauperis ſtabis, vt ſint tibi, & pauperi diuitiæ Dominus Ieſus Chriſtus. Adſtitit Dominus,vt animam pauperis à perſequentibus liberet; & tu fac ſimiliter, vt ſaluum facias fratrem, quem lucratus eris ; Adſtitit ille à dextris pauperis, quia illius anima pro te triſtis fuit vſque ad mortem; & tu anima, quæ peccatorum abundantia repleta es, non eris triſtis, vt pœnitens,& dolens Dominus ſit à dextris tuis ? ille impeccabilis, in ſe ſuſcepit peccata tua, & tu anima in delicijs permanebis, vt diabolus ſtet à dextris tuis, vt cum Iuda perdas animam tuam, & bona? Triſtis ſis & tu anima mea, quia nimis peccaſti in Deum tuum in vita tua, lacrymis lectulum tui corporis laua, vt Dominus dignetur lauare crimina tua, fiat Domine.

SOLILOQVIVM.

DEVS laudem meam ne tacueris, quia cum ad te pœnitens venio,os peccatoris, Diaboli doloſi ſuper me apertum eſt. Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non eſt mecum, quia in tentationibus omnes derelinquentes me,poſuerunt malũ ante me pro bono,& odium pro dilectione mea. Expugna Domine Diabolum, me perſequentem,vt cum venerit dies illa miſeriæ,non ſit mihi oratio mea in peccatum,ſed paſſio tua in redemptionem. Dirige Domine ſenſus, & actus meos in viam tuam, vt tenebræ peccatorum meorum non comprehendant me. Nutantes transferantur ſenſus mali à me, & eijciantur de meo corpore mortis huius, & deleantur nomina peccatorum de anima mea. Perſequuntur enim me inopem, & pauperem, & compunctum cor meum mortificare contendunt. Veniat Domine Ieſu ſuper me benedictio tua, & in tribulationibus meis propè ſis mihi. Aqua benedictionis tuæ intret in cor meum, vt lauans crimina mea, oleo tuæ miſericordiæ impleantur omnia oſſa mea, & illa ſicut diploide accinctus ſecurus incedam in hac tenebroſa vita. Et tu Domine Domine fac mecum iſta, quia ſuauis eſt miſericordia tua. Cor meum conturbatum eſt, ſed tu Domine libera me. Immutetur caro mea ad oleum miſericordiæ tuæ, & genua mea roborentur, vt iter tuum perficiam ſecurus,dum veniam ad te; Adiuua me Domine Deus meus, & ſaluum me fac ſecundum miſericordiam tuam, vt ſciant, quia opus manuum tuarum ſum ego redemptus ſanguine tuo. Confiteor Domine, quia tu es filius Dei viui, qui vt me redimeres, in mundum veniſti, & à dextris ſtas pauperis, vt ſalues animam meam. Et tu Pontifex, & Martyr Beate Lini, qui poſt Petrum Apoſtolum

gitized Google

ſtolum primus Eccleſiam Dei gubernaſti, cuius virtus, & ſanctitas tanta fuit in eijciendis dæmonibus, & mortuis ſuſcitandis; intercede pro me, vt interceſſione tua à me tollátur omnes diabolici incurſus,& tribulationes. Tuum enim hodie obitus feſtum agimus,qui pro Chriſti nomine ab ingratiſſimo Saturnino Conſule martyrij palmam habere meruiſti. Et tu Glorioſiſſima Maria Mater Chriſti,& Domina mea ſuccurre mihi indigno ſeruo, vt liberatus ab omnibus tentationibus, & peccatis meis, tuam valeam dignè laudare virginitatem. Amen.

IN PSALMVM CIX.

Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.

TITVLVS. Pſalmus Dauid. Et eſt ſeptimus, qui de duabus naturis in Chriſto plenè, & breuiter tractat, ſicut Ioan. in cap. 1. In principio erat Verbum, & Verbum caro factum eſt.

Continuari poteſt ad præcedentem, vbi de perſecutione Chriſti, & iniuſta expugnatione eius. Cum autem,qui adſtitit à dextris pauperis, ſaluam fecerit animam eius, effeceritque,vt eius corpus à mortuis reſurgeret; ideò hìc Propheta per os Dei loquens, declarat, eum ipſum quem occiderunt Iudæi Chriſtum, eſſe Filium Dei, & ſedere ad dexteram Patris, & quòd vbi ille eſt, ibi & nos erimus, ſi veſtigia illius ſequamur.

Incipit ergo Dauid Propheta, cui antè futura demonſtrata fuere. Dixit Dominus Deus Pater Domino meo, Sede à dextris meis; Sed ſi Pater,& filius vnus eſt Deus, quomodò, inquit Pater filio, Sede à dextris meis, niſi quia filius Verbum caro factum eſt, quod erat in principio apud Deum, & Deus erat Verbum? ergo filio caro facto, qui certamen ſuſtinuit cum inimicis, vt laboris acciperet mercedem poſtquam reſurrexit, & ad cælos aſcendit, dixit Deus, Sede à dextris meis,donec ponam inimicos tuos,ſcabellum pedum tuorũ. Expoſitum à Chriſto Ieſu reperimus Pſalmum iſtũ, quod de filio Dei ſermo ſit in eo,ſic quippè Matth.22.legimus eumdẽ Ieſum Scribis,& Phariſæis dixiſſe, Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? Dicunt ei,Dauid; ait illis; Quomodò ergo Dauid in ſpiritu vocat eũ Dominum,dicẽs: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis,&c. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodò filius eius eſt? Subditq. Euangeliſta. Et nemo poterat reſpondere ei verbum, neque auſus fuit quiſquam ex illo die eum amplius interrogare. De filio ergo Dei incarnato loquitur Pſalm. Domino ſicut & Pater, de quibus 1.Corinth.c.8.nu.6. Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum: ſimiliter 2. Corinth.c.1.nu.2. Gratia vobis,& pax à Deo Patre noſtro,& Domino Ieſu Chriſto;& in Euangelio Matth. cap.21. Dicite; quia Dominus his opus habet, & ad Epheſ.cap.6. num. 23. Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto; ſimiliter in mille alijs locis Euangelij, & Epiſtolarum. Cæterum nomen Domini ſecundum vtramque naturam conuenit Ieſu Chriſto. Nomen verò Dei ſolum ratione diuinæ naturæ conuenit eidem.

Dixit ergo Dominus Domino meo, Sede, quia tuum eſt iudicare viuos, & mortuos, Ioan.cap.5.nu.22. Omne enim iudicium dedit filio, ipſe enim Pater nemi-

Digitized by Google

neminem iudicat. Vndè ipſe dixit, Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra; Matth.c.28.nu.18. Et tunc parebit ſignum hominis in cælo,&c. & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute magna, & maieſtate, & mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, Matth.c.24.nu.30.

Dixit Dominus. Vt homo ſciret, quid fecerit Deus,& decreuerit. Auguſtin. Audiuit hoc Dauid, audiuit in ſpiritu, vbi nos quando audiuit, non audiuimus, ſed loquenti quod audiuit, & ſcribenti credimus. Audiuit in occulto, quod in aperto prædicauit. Quid audiuit? Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis,donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Nouimus Chriſtum ſedere ad dexteram Patris poſt reſurrectionem à mortuis, & in cælos aſcenſionem. Factum eſt iàm, nec vidimus, ſed credimus, in libris legimus, prædicatum audimus, fide retinemus. Si ergo Ieſus Chriſtus filius eſt Dei, & Deus de Deo, cur non rectè Dominum vocat illum Dauid, inquiens, Dixit Dominus Domino meo? de illo intelligens etiam vt homine ex ipſius ſemine. Si Rex eſt regum, & dominus dominantium, cui data eſt à Patre, vt homini omnis poteſtas in cælo, & in terra, & qui etiam vt homo ſedet ad dexteram Patris.

Dixit ergo Dominus Domino meo, Sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum, aduerbium donec hìc non ſignificat tempus præfinitum. Donec ideſt, quandoquidem ſemper erunt & mali in inferno ſubiecti Domino Ieſu Chriſto, & boni in cælo, vel ad cælum pertinentes fruentes gratia, & gloria illius; prout etiam in Euangelio Matth.cap.1. Donec peperit filium ſuum; quia nec etiam poſt partum ab illo cognita fuit, ſemper namq. erunt ſub pedibus inimici Domini Ieſu,quia ſemper in æternum Regnũ illius duraturum eſt.

Donec ponam, quis ponit? Pater; ſed filio etiam hæc poteſtas conuenit, à Patre illi communicata; & filio vt Deus eſt,per generationem æternã: eidemq. filio, vt homo eſt, per gratiam vnionis hypoſtaticæ; tribuitur autem enim hæc actio Patri, quia per eam redditur merces obedientiæ filij; propter quam ad Philip. c.2. Exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Virga virtutis Dei, potentia, & ſceptrum Verbi, per quod omnia facta ſunt, cuius virtus ex Sion, Zach.cap.2. num.10. Lauda, & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Quia Dominus in Sion carnem accepit ex Virgine. Ierem.c.25. num.30. Ioel c.3. num.16. Amos c.1.nu.2. Et ex Sion exiuit Euangelium, & verbum Domini de Ieruſalem, Iſai.c.2. num.3. Verbum in principio apud Deum, virtusq. diuina, quæ illi ab æterno erat communicata à Deo Patre, eademq. quando carnem ſuſcepit, vna cum eius humanitate emiſſa eſt in mundum, vt quæcumque facit Pater, & ipſe faceret filius, Ioan. d.cap.5.nu.19. Senſus itaq. erit, Imperium, & poteſtas, quam habes à principio, & ab æterno erit,& in terris,vt domineris in medio inimicorum tuorum. Quæ virga Domini, forſan Regale ſceptrum aureum? Non, ſed Crux humilis, gentibus ſtultitia, & Iudæis ſcandalum,

1. Co-

Digitized by Google

1.Corinth.1.n.23. hæc quæ in opprobrium erat omnibus,facta est in frontibus Regum venerabilis, & magnæ virtutis, & potentiæ. Fugantur enim per illam dæmones, vincuntur inimici, & dominatur in medio inimicorum huius sæculi. Non de illo Christi regno loquitur Propheta, quo Christus semper cum Patre regnat, sed de illo dispensatorio, & temporali, quo nos medio Incarnationis suæ vocauit in æternitatem, & in nobis regnat, cuius tamen non erit finis: & incepit à Ierusalem, Luc.24.num.45. & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo ab Ieroſolyma.

Dominare ergo, inquit, in medio inimicorum tuorum, quia tua est potestas, tuum imperium. Iàm virgam tuam, & baculum tuum, quo me consolatus es, in spiritu vidi, emisso Crucis ligno; vndè canit Ecclesia, Crucem sanctam subijt, qui infernum confregit, accinctus est potentia, surrexit die tertia, Dominare in medio inimicorum tuorum, quod enim apud homines vile, hoc elegit Deus Dominus, vt fortia quæque confundat.

Dominare in medio inimicorum tuorum, qui in via tua ambulare nolunt. Etenim quamuis via ipsa tua sit in medio laqueorum, non peribit tamen, qui in via ipsa ambulat. Hinc sanè in illa laquei, & hinc laquei; laquei à dextris, laquei à sinistris; prosperitas scilicet sæculi à dextris,aduersitas sæculi à sinistris: laquei à dextris promissiones, laquei à sinistris terrores. Tu qui in via Crucis ambulas,in medio laqueorũ ingressus noli à via discedere; nec promissio te capiat,nec terror elidat;sta in Cruce,& dominaberis in medio inimicorũ tuorum. Non erubescas ergo Crucem Christi in fronte,si secum in via humilitatis vis ambulare; & videbis te auxiliantem in infirmitate,in tribulatione; scriptum est enim, Beati humiles corde,quoniam ipsi Deum videbunt: dominaberis in medio inimicorũ tuorum,si signo Crucis fulcitus in via humilitatis ambulaueris. Augustſ. Psal.141. lit. G. Dominare in medio inimicorum tuorum,quia emissa iàm virga Crucis in terram,ascendens in cælum sedet ad dexterã Patris. Idem Augustſ. hìc. Te itaque sedente ad dexteram Patris implentur tempora gẽtium: ponuntur inimici omnes scabellum pedum tuorum,& ad hoc vt perueniatur, prius dominaberis in medio inimicorum tuorum. Ad hoc enim virgã virtutis suæ emittet Dominus ex Sion. Vt autem morereris,& per mortem tuam deleretur Chirographum peccatorum, & prædicaretur pœnitentia, & remissio delictorũ per omnes gentes,incipientibus à Ierusalem,cęcitas Iudæorum fecit. Alijs illuminandis,aliorũ cæcitas militauit: cæcitas enim ex parte Israel contigit,donec plenitudo gentium intraret,& sic omnis Israel saluus fieret, ad Roman.11.

Dominare in medio inimicorum tuorum. Reddit rationem,dicens,quia tecũ principiũ in die virtutis tuæ in splẽdoribus sanctorum,ex vtero ante Luciferum genui te. Mundus etenim ante aduentũ Domini per peccatũ Adæ totus in peccato,totus perditus erat,ex diaboli suggestione. Principium salutis aduentus Domini,ideò tecum principium virtutis tuæ,tuæ potentiæ,tui sceptri, Regni tui in mundo: Princeps enim mundi huius diabolus foras tunc eiectus est, Ioan.12. Tecũ principium,quia per te omnia facta sunt,& in puritate gratiæ creata sunt. Venit diabolus,& mulierem decepit; sed qui fuit principium creationis, filius Dei,principium est etiam redemptionis. Tecum principium ex die qua incarnatus de Virgine virtute tua: Virtus enim Altissimi, dictum est Mariæ,obum-

brabit tibi, ideoquè quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei, Luc. cap. 1. nu. 32. ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, Matth. cap. 1. nu. 22. Tecum principium in die virtutis tuæ, quia per paſſionem ſuam factus eſt nobiſcum, Emmanuel enim dictus eſt Iſai. 7. nu. 14. quod interpretatur nobiſcum Deus: ſi nobiſcum eſt ipſe Deus, ergo ſecum rectè dicitur populus ab ipſo redemptus. Tecum ergo principium, quia iunctus eſt cum illo populus electus, populus Chriſtianus fidelis: vide quia vnus ſumus cum ipſo, quia ipſe nos fecit, ſanguineq. ſuo redemit, Ioan. 17. propè finem.

Hic enim in ſplendoribus ſanctorum ex vtero Virginis natus. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, cantabant Angeli in eius natiuitate: & claritas Dei circumfulſit paſtores, & ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo cæleſtis militiæ, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in Altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, Luc. 2. num. 13. In ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante Luciferum genui te, Media quippè nocte ecce ſponſus venit, exite obuiam ei, Matth. c. 25. & erant paſtores in regione eadem cuſtodientes vigilias noctis, &c. & ecce Angelus Domini ſtetit iuxtà illos, & claritas Dei circumfulſit eos, Luc. d. c. 2. nu. 9. Ante ergo lucem genitus ex vtero Virginis, de Spiritu ſancto conceptus, non ex hominis commixtione. Vel ante Luciferum; quia ab initio, & ante ſæcula hæc ordinata ſunt, Eccleſ. 14. num. 15. Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam, & num. 14.

Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundũ ordinem Melchiſedech. Ex iſta tertia parte Pſalmi colligitur, quia quod ſupradictũ eſt, de humanitate eſt dictũ; illi ergo Deo humanato iurauit Dominus, ideſt promiſit, & erit validiſſima promiſsio in æternũ duratura, quòd ſcilicet Dominus Ieſus Chriſtus homo factus, eſt Sacerdos in æternum, non ſecundum Aaron, quia Sacerdotium illud finitum eſt; ſed ſecundũ ordinem Melchiſedech, qui panem, & vinum obtulit, quando Abrahæ victori obuius factus eſt, panẽ, & vinum offerens, vt latius diximus in quadam noſtra Apologia, contrà quoſdam recentiores. Chriſtus ergo noſter panem Deo Patri obtulit carnem ſuam, & ſanguinem ſuum, de quo pane Matth. 26. num. 26. ſcriptum eſt, Cœnantibus illis accepit Ieſus panem, & benedixit, & fregit, deditq. Diſcipulis ſuis dicens, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes; Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Idem Luc. 22. num. 19. & Ioan. cap. 6. numer. 48. Ego ſum panis vitæ, &c. & num. 56. obtulit ergo Dominus Patri ſuo carnem, & ſanguinem, Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech.

Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ Reges. De Domino Ieſu Chriſto hoc intelligi, qui ſedet ad dexteram Patris, ſicut in principio dictum eſt ibi, Sede à dextris meis; vult Auguſtin. hìc, & non de Patre: & tunc continuatur Textus verborum Prophetæ. Qui pronuntiatus à Deo Patre Sacerdos in æternum; à dextris illius ſedens confregit in die iræ ſuæ Reges. Quando iratus erit in inimicos ſuos Reges terræ, & eos, qui Eccleſiam perſecuti ſunt: Vt ſit prophetia, quam Propheta præuidit in ſpiritu. Herodes enim ab Angelo percuſſus, Nero ſibi manus iniecit, ſic & Domitianus, alijq. Tyranni vitam peſsimè finierunt, ac demum in inferno detruſi æternas luunt pœnas; vndè Auguſtin.

Con-

Digitized by

Conquaſſabit in die iræ ſuæ Reges, ipſe vtique Chriſtus Dominus à dextris tuis, cui iuraſti & non pœnitebit te: quid agit Sacerdos in æternũ? quid agit, qui eſt ad dexteram Dei, interpellat pro nobis tamquã Sacerdos, intrans in interiora, & Sancta Sanctorum, & ſecreta cælorum, ille ſolus non habens peccatũ, & ideò facilè mundans à peccatis; ille conquaſſabit, qui ſtat à dextris tuis, in die iræ ſuæ Reges. Quos Reges? Pſalm. 2. Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Delere nomen Chriſti conati ſunt illi, ſed contrarium accidit eis, quia ipſi deleti de terra viuentium, & in inferno ſepulti ſunt: nomen Chriſti Ieſus manet in æternum, in quo nomine omne genu flectitur, cæleſtium terreſtrium, & infernorum. Lapis eſt ante pedes tuos, quaſi viliter, & humiliter iacens, ideò cõtemnendo offendis, offendendo cadis, cadẽdo quaſſaris. Si ergo tanta eſt ira occulti, quid erit iudiciũ manifeſti? Nonus Pſalmus habet Titulum, Pro occultis filij, & ideò oſtendit ibi iudicium occultũ iræ occultæ. Irato Deo viuunt, qui in lapidẽ illum offendunt, conquaſſantur. Et quò valet, quod conquaſſantur. Audi, qui offenderit in lapidem illũ, conquaſſabitur, ſuper quem verò ceciderit lapis ille, conteret eum; cũ ergo offenditur in eum, quaſi humilis iacet, & tunc cõquaſſat, cum autẽ conteret, deſuper veniet. Vide quemadmodũ hìc binis verbis cõquaſſabit, & cõteret; offendit in eum, & veniet ſuper eum, diſtributa ſint duo tẽpora, humilitatis, & claritatis Chriſti: occultæ pœnæ, & iudicij futuri: eũ non cõteret veniens, quem non conquaſſat iacens; iacens tamquã contemptibilis apparens; nã ille ex occulto validè clamauit, Saule quid me perſequeris? ſed tamen, quãuis de cælo non diceret, quid me perſequeris, quem nemo tangebat, niſi ità in cælo ad dexteram Patris ſederet, vt & in terra in nobis quaſi iaceret, hæc Auguſtin.

Si S. Ioannis Chryſoſtomi, & Græcorum ſequentium opinionem tenere velimus, vt per id quod dicitur, Dominus à dextris tuis, Propheta intelligat de Patre, qui ad dexteram ſtet filij in conquaſſatione inimicorum eius, iuxtà illud Deuter. 18. num. 19. qui autem verba eius ſcilicet Prophetæ, quem promiſit ſuſcitare, audire noluerit, ego vltor exiſtam, erit ſenſus, vt æqualitas demonſtretur in Diuinitate, Qualis enim Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus; & ſedet à dextris filij Pater, quia in potentia ſimul ſtant Pater, & filius, in ira contrà Reges, & potentes concurrit Pater cum filio, vt illos deleat, volens Propheta demonſtrare, quòd nemo potentiæ Dei poſſit reſiſtere. Tuum enim, dicit alibi Propheta, eſt regnum, tua eſt potentia, qui fabricatus es Auroram, & Solem, Pſalm. 37. num. 16. Fremuiſtis Reges contrà Regem veſtrum Chriſtum, conuentum feciſtis contrà Chriſtum Dominum; homo vobis videbatur, ſed eſt Deus occultus, & homo. Et qui habitat in cælis, irriſit vos, quia ipſe eſt qui aufert ſpiritum Principum; & quamuis homo videretur vobis, Deus Pater ſemper eſt cum illo, & ſedet à dextris illius, quia vnica eſt Patris, & filij potentia, vna diuinitas.

Hieron. Quando enim dicitur, Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, manifeſtiſſimè dicitur, quòd ad dexteram Patris ſedet filius, quando autem dicitur, Dominus à dextris tuis, hoc dicitur, quod ad dexterã filij ſedeat Pater; hoc totum propterea dicitur, vt æqualis ſit filius Patri. Peccatori autem diabolus ſtat à dextris, nàm quicumque peccator eſt, ſtat diabolus ad dexteram eius. Nec mireris, cum in Zachar. cap. 3. in princ. dicatur diabolum ſtare ad

dexteram Iesu filio Iosedech ; & diabolus steterit à dextris Saluatoris? sed eo tempore quando stabat diabolus ad dexteram Saluatoris, Iesus habebat vestimenta sordida, Isai. cap. 53. nostra peccata portabat, nostris vitijs inuolutus, propterea diabolus stabat à dextris eius.

Confregit in die iræ suæ Reges; iàm supra satis dictum est. Addit tamen D. Hieron. hìc illud Matth. cap. 4. quando diabolus Iesu Christo, in pinnaculo Templi ducto, monstrauit omnia regna mundi, quæ, si cadens adorasset illum; dare illi volebat; confregit in die certaminis fallaciam illius, ac potentiam. Supradicta Græcorum, & Hieronymi opinio, quod hic sermo sit de Patre sedente à dextris, non mihi displicet, quia nec impropria existunt verba Psalmi, nec quidquam facit in oppositum, quod in sequenti versiculo habetur.

De torrente in via bibit, qui loquitur de Iesu Christo, pro vt in principio Psalmi, quia hoc est proprium Prophetarum, vt in eodem capite, eodemq. & Psalmo varia, & diuersa congerant, sic in principio huius Psalmi actum vidimus de Patre, & de filio; tum in præhabito versiculo, de Patre; & in fine de filio solo, qui in via mundi veniens, aquam de torrente, hoc est tribulationes passus est, propterea exaltauit caput, pro vt in fine.

De torrente in via bibet, propterea exaltauit caput. Via accipitur pro hoc mundo, in quo incedunt homines, & tribulantes, & turbati; quocirca Matth. 5. Esto consentiens aduersario tuo, in via ambulanti, idest, dum habitas in hoc sæculo, ambulans per viam Domini. Beati immaculati in via, Psal. 118. qui ambulant in lege Domini; in hoc autem sæculo ambulãt & immaculati, & peruersi.

De torrente in via bibet, ponam hìc, quæ S. August. deuotissimè scripsit. Videamus, inquit, & in via bibentẽ de torrente primo, Quis est torrens? profluxio mortalitatis humanæ; sicut enim torrens pluuialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit, & currendo decurrit, idest cursũ fixit. Sic est omnis iste cursus mortalitatis; nascuntur homines, viuunt, moriuntur; & alijs morientibus, alij nascuntur; rursusq. illis nascentibus, alij moriuntur; & illis morientibus, alij oriuntur, succedunt, accedunt, decedunt, nec manebunt. Quid hìc tenetur? quid non decurrit? quid non quasi de pluuia collectum it in abyssum? quomodò enim fluuius repente collectus de pluuia, de guttis imbrium it in mare, nec apparet, quia nec apparebat antequam de pluuia colligeretur. Sic hìc genus humanum de occultis colligitur, & profluit in mortem: rursumq. in occultum vergit, medium hoc sonat, & transit. De hoc torrente bibit ille, non est dedignatus bibere de hoc torrente: bibere enim de hoc torrente, illi erat nasci, & mori: hoc habet & torrens iste, natiuitatem, & mortem. Suscepit hanc Christus, natus est, mortuus est, ità enim de torrente in via bibit, exultauit vt Gigas ad currendam viam. De torrente ergo in via bibit, quia in via peccatorum non stetit. Quia ergo de torrente bibit, propterea exaltauit caput, idest quia humiliatus est, & factus est subditus vsque ad mortem, mortem autem Crucis, Propterea eum Deus exaltauit à mortuis, & donauit ei nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorũ, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris, hæc August. digna Augustino. De torrente ergo bibit, cui dictum est à Deo Patre, Sede à dextris meis; de torrente in via, qui semper ex quo natus fuit, & vixit, tribulatus incessit; & ideò dixit, Tristis est

ani-

anima mea vſque ad mortem. De torrente in via bibit, qui in torrente Cedron, quod tenebræ interpretatur, vbi captus fuit, vt crucifigeretur, Ioan. 18. numer. 1. Egreſſus eſt cum Diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, vt in tenebris illo incedente, lux eſſet tibi, ſi ſequaris ipſum in hac vita. De torrente in via, quia de cælo ad terram, de terra ad ſepulchrum, de ſepulchro ad inferos, & de inferis iterum in terram, & poſteà in cælos; propterea exaltauit caput, non dixit, exaltatum eſt caput, quia ipſe ſe exaltauit, qui habet poteſtatem animam ſuam ponẽdi, & iterum illam ſumendi, Ioan. 10. Et propter quid hæc paſſus eſt filius Dei? niſi vt illos redimeret, quos dedit ei Pater, & viam ſalutis illos docendo ſecum duceret, vbi quies, & pax in ęternũ.

SOLILOQVIVM.

NVNQVID anima mea in delicijs poſitam te arbitraberis in vita præſenti? quid cogitas? quid turbaris, ſi tibi moleſtiæ fuerint vndique? Pauper fuiſti, & in laboribus à iuuentute tua, nunc autem exaltata, ſed humiliata, & conturbata. Non ſunt condignæ paſſiones huius ſæculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Suſtine libenter, vt ſuſtinearis æternaliter, donec & tibi dicatur à Domino, Quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam. Donec tibi dicatur à Ieſu Chriſto ſedente à dextris Patris; Sede & tu à dextris meis, quia inimicos te tribulantes, & diabolicas verſutias, vt caderes ſupponentes, poſui ſcabellum pedum tuorum. Virga directionis, Virga virtutis Dei te conſolabitur, quia dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, virtute tibi à Deo data. Tecum principium ego fui, in die qua liberaui te, dicit Dominus, in ſplendoribus Sanctorum ex vtero, ſpirituq. meo genui te. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum; quia tu confeſſa es nomen Ieſu Chriſti, dabit tibi vitam æternam. De torrente ærumnarũ bibiſti in hac mundi via, propterea exaltabit te Dominus Ieſus Chriſtus caput, & via Chriſtianorum fidelium.

Occurrant tibi, quæ leguntur de Beato Franciſco Aſſiſinate, cuius feſtum hodie agitur in vniuerſa Eccleſia Dei, cuius paupertas veneratur ab omnibus, cuius prolẽ ſemper nouo fœtu Deus multiplicat. De torrente in via bibit & ille, qui, vt facilius Deo dicere poſſet Pater noſter, carnali Patri ſuo inſtanti, vt facultatum terrenarum ſuæ renunciaret parti, ne in pauperes illá erogaret, omnia illi dimiſit, omnia illi reliquit, nudus euaſit, vt ſolum paupertatẽ Chriſti imitaretur, magnam partem mundi peragrauit, in omnibus locis filios reliquit Diſcipulos Chriſti, ità vt & in partibus infidelium adhùc multiplicati ſumma habeantur in veneratione.

Sancte Franciſce ora pro me, vt & ego tui nominis deuotus, ſub vmbra alarũ tuarum valeam protegi. Et tu ò Virgo ſanctiſſima Mater Dei, gratia plena, Sabbati dies eſt, quæ tibi à deuotis tuis eſt dicata, ſuccurre mihi pauperi, & indigno ſeruo tuo, vt tecum partẽ aliquam in regno cælorum, vbi habitas, & ego habere poſſim per merita paſſionis filij tui Domini mei Ieſu Chriſti, & per interceſſionem Beati Franciſci: Inclina Domine aurem tuam ad dilectiſſimam Matrem tuam, dilectumquè ſeruum tuum pro me deprecantes, vt ego in torrentis via bibens, ſecurus ad te tranſeam. Amen.

IN PSALMVM CX.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: in consilio iustorum, & congregatione.

TITVLVS, Alleluia. Continuatur ad præcedentem, in quo de Christo Iesu, & de eius in cælum Ascensione, & dominio contrà inimicos, quorum capita conquassauit in terra, & quia de torrente bibit, dum erat in hac vita, humiliauit enim se, propterea exaltauit caput suum: Verùm quia omnis actio Christi nostra est institutio, D. Gregor. Papa homil. 17. in Euangel. Propterea in Psalmo isto fidelibus Titulus. Alleluia proponitur, vt sequentes caput Christum in humilitate, & patientia, inimicorum nostrorum & nos capita conquassasse sciremus; & quia per viam torrentis transimus, & bibimus, Dominus exaltabit in humilitate iacentes seruos suos; adeòq. æternæ lætitiæ, & felicitatis alleluia illis promittitur in consilio iustorum confitentibus Dominum.

Confitebor ergo Domino in toto corde meo. Sed quomodò in toto corde meo confitebor Domino, si macula erit in corde meo? si per peccatum longè factus fuero ab eo? si duplici corde fuero? simplices enim, & mundi corde, laudabunt Dominum. Vt iustè ergo confitearis prius lauato crimina cordis: hæc enim per dolorem de præteritis offensionibus Deo factis, lacrymis illas abstergendo cum Dauide, & confitendo dicas, quia tibi soli peccaui Domine, & malum coram te feci, & lacrymis meis stratum meum, corpus meum rigabo, & tunc, qui operabantur iniquitatem discedent à te, vt rectè confiteri possis Domino in toto corde tuo, in consilio iustorum, & congregatione.

Confitebor. Sed cur non dicit confiteor in præsenti? Credo, quia præcedere debet prius confessio peccatorum, vt sequatur coram sanctis, & iustis confessio laudis Dei in Ecclesia sanctorum. Lugeat prius confessio, & sequatur laudis iubilatio: præcedat infirmitatis ostensio, vt sequatur Medici sanatio: præcedat sanitas, & sequatur gratiarum actio. In toto corde meo dicit; quia totus sanus factus sis, per id, quòd tibi omnia peccata dimissa fuere post integram peccatorum confessionem: totum enim fecit Dominus sanum hominem, Ioan. cap. 7. num. 23. quia totum illum requirit, vt ex toto corde, & ex tota anima sua benedicat Dominum, Matth. cap. 22. nu. 37. In consilio iustorum, & congregatione, & palam scilicet, & in occulto: & loco secretiori, in publico ad aliorum ædificationem: in occulto, iuxtà Domini præceptum, Matth. cap. 6. num. 18. & Pater vester, qui videt in abscondito, reddet tibi, & numer. 6. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, &c.

Sed si in congregatione, quomodò erit in abscondito? Ideò in congregatione, vt in toto spiritu tuo in te congregato, in tota mente tua laudes etiam dicas Domino. Tunc enim vox tonitrui vocis tuæ verberabit terram, vt contrà te terrena sapientes, non te offendant; immo illos tuo exemplo reducere poteris ad viam rectam; simile habemus Eccles. c. 43. num. 17. Vox tonitrui

eius

Digitized by Google

eius ſcilicet Domini, verberabit terram tempeſtas Aquilonis, & congregatio ſpiritus. Benedicamus ergo Dominum in omni tempore, ſemper ſit laus eius in ore noſtro, vt terram ſequèntes verberentur ex ore noſtro: Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt nomini ſancto eius, Pſal.104. numer. 1.

Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius. Perfecta omnia Dei opera, ideò exquiſita in omnes voluntates eius; exquiſita igitur, ideſt perfecta, & valdè bona; viderat Dominus quòd omnia, quæ fecerat, erant valdè bona, Geneſ.1. nu.31. Prius dixerat, fiat lux, & facta eſt lux, & vidit quod eſſet bona: ideòque tres Sancti illi pueri cecinere: Benedicite omnia opera Domini Domino, laudabili, & ſuperexaltato in ſæcula, Daniel.cap.3. Magna opera Domini, quia omnia, quæ in cælo, & in terra, & ſubtus terram, & in mari, opera manuum ſuarum ſunt; & exquiſita, quia nec meliorem habere perfectionem poterant, & omnia iuxtà voluntatem eius facta ſunt. Exquiſita in omnes voluntates eius, quia ſcilicet talis eſt Domini potentia, talis eſt voluntas eius. Ibi enim eſt potentia, vbi eſt illius voluntas, & è contrà, vbi illius voluntas, ibi illius potentia; Dixit enim, & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt, Pſalm.148. num.6. Si verò ſcire cupis, quare ſic fuit voluntas eius, vide Auguſt. 83. q. art. 28. Quid maius voluntate Dei? & hæc tibi ſufficiat cauſa, quia ſcilicet Deus ità voluit.

Exquiſita in omnes voluntates eius. Si iuſti fuerint homines, exquiſita ſunt, quæ promiſſa ſunt eis; Venite, inquiet, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod paratum eſt vobis, Matth.cap.25. num.34. quatenus verò mali ſint, & iniqui, exquiſita item ſunt, quæ mala ipſis debentur, quia in ignem æternum, non enim vlla humanitate compatientur electi damnatis; vndè Iob c.5. n.22. In vaſtitate, & fame ridebis, quamuis cum miſericordia non ſecundum merita, puniantur à Deo, vndè dicitur in Iſai. cap.26. lit. B. Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Gregor. lib. Moral. 6. cap.26. Simul eos vaſtitas, famesq. cruciat, quoniam non ſolum foris tormẽta ſentiunt, ſed intus etiam inediæ peſte moriuntur, vaſtat gehenna, quia concremat; fames interficit, quia ſuam illis faciem Saluator abſcondit, & in Pſalm.20. ibi. Pones eos, vt clibanum ignis in tempore vultus tui. In tempore vultus Domini, iniuſti omnes vt clibanus ponuntur, & ab igne deuorantur, quia apparente Iudice, cum à viſione illius, eorum multitudo repellitur, & intus per deſiderium ardet conſcientia, & foris carnem cruciat gehenna, hæc Gregor.

Exquiſita in omnes voluntates eius, quia de impio facit pium, ideò magna opera eius, & ideò exquiſita in omnes voluntates eius. Et poterit ſenſus eſſe, ſi quærant iuſti, & fideles, exquirat & Eccleſia Dei ſimul, quæ ſint opera eius, inuenient omnes quærentes, quia mirabilia opera Domini, ideò Dauid, Et anima mea cognoſcet nimis, nec ſunt occultata à filijs hominum, qui confitentur Domino in toto corde ipſorum, Pſalm.77. nu.4.

Confeſſio, inquit, & magnificentia opus eius, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Confeſſio ſcilicet delictorum, magnificentia verò Domini in iuſtificatione, & ſanctificatione, quia confitenti parcit Dominus, & iniuſtitiæ illius amplius non recordabitur, Ezech. cap.18. & cap.33. Opus eius, nàm ad hoc venit in mundum, vt peccata omnium in ſe portando, paſſione ſua deleret;

ideò,

Digitized by Google

ideò, inquit, opus conſummaui, quod dediſti mihi, Ioan. cap. 17. num. 4. & in alio loco, Vnum opus feci, quia totum hominem ſanum feci in Sabbato, & indignamini, Ioan. cap. 7. nu. 23. Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, iuſtitia enim manet in ſæculum, & manet incommutabilis, quia pœnitentibus dat gratiam, & iniquis ignem æternum.

Magna opera Domini, quæ non ſunt ſicut opera manuum hominum, ſimulachra, argentum, & aurum, quæ os habent, & non loquuntur, oculos habent, & non vident, Pſalm. 113. num. 4. Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius, in omnes voluntates Patris ſcilicet, & filij, & Spiritus ſancti, eius quia vnus eſt Dominus, vnus eſt Deus. Exquiſita, præclara, & mirabilia; nàm quid mirabilius cælo, & terra, & mari, & omnibus, quæ monentur in eis? ſed quod magis ſtupendum eſt, & per quod laudes Deo ſemper dicere debemus creatio eſt hominis, Faciamus, inquit, hominem, ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, cui omnia obedire debeant, & ipſe præſit omnibus, Geneſ. 1. nu. 27. & quid amplius? vt & ipſi in nobis vnum ſint, & vt vbi ſum ego, illi ſint mecum, & qui credituri ſunt per verbum illorum, Ioan. cap. 17.

Confeſſio, & magnificentia opus eius; magna opera Domini, vt homo vilis creatura de limo terræ creatus, ad cælum ſit exaltatus, & vnus cum filio Dei hæres factus in cælo. Sed hoc propter quid? niſi quia confitetur id, quod confiteri tenetur: Confeſſio, & magnificentia opus eius, quia & ſi homo perditus propter peccatum, redemptus tamen ſanguine Chriſti, vt opus ſuum faceret, ideò ſequitur.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus, eſcã dedit timentibus ſe. Ità enim Dominus Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, Ioan. cap. 3. num. 16.

Confeſſio, & magnificentia opus eius, confitearis tu, quia es peccator, & laudes dicas Domino, quia ipſe eſt Redemptor tuus, vt opus & tu magnificum dicaris Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui miſericors, & miſerator tecum fuit. Et cum timentibus eum eſcam illius manducare dignus efficiaris. Magnificum opus Dei diceris, cum gratia Dei augeatur in te, & virtutis augmentum. Confeſſio ergo eſt quoad initium boni operis, quam ſequitur augmentum virtutis, ideò & magnificentia dicitur, augmentum autem boni operis ſequitur retributio æternitatis, ideò dicitur, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus, eſcã dedit timentibus ſe. Fecit, inquit, memoriam, quia de cælo deſcendit, & carnem noſtram ſuſcepit; fecit, quia miſericors in habitu, vt pati poſſet, & ità redimere; & ità homo factus, paſſus eſt, quia miſerator eſt, & venit ad actum, vt permitteret, ſe pati, & ab iniquis crucifigi. Fecit, ideſt reliquit, mirabilium ſuorum memoriam, vt ideò illa Chriſtiani fidelesq. ſcrutantes confiterentur, dolentes, quia pro nobis paſſus eſt Chriſtus filius Dei, Deus verus de Deo vero, vt à peccatis, ſatisfaciendo Patri, nos redimeret, & nos redempti omni tempore, gratias illi exhibentes in futurum à peccatis abſtineremus, laudantes, & benedicentes Dominum, qui nos redimendo, liberauit à morte. Memoriam mirabilium ſuorum, vt pro amicis, immo & pro inimicis ſuis, ne morerentur perpetua morte, ipſe mortem crucis ſubire voluit.

Quin

Digitized by Google

Quin & ò res mirabilis, vt ſemper nobiſcum eſſet, dedit nobis eſcam, carnem ſcilicet, Corpusq. ſuum, & Sanguinem in memoriam mirabilium ſuorum. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo. Hoc facite in meam commemorationem. Pluit manna in deſerto, ſed ad certum tempus; manet hìc Chriſtus in via, in deſerto, ſed in perpetuum, donec viatores nos deducat ſecum in cælum; Et ecce, inquit, ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi. Ibi Iudæi comedentes mortui ſunt, hìc in Eccleſia timentes Dominum, ac manducantes hunc panem, mortem non guſtabunt in æternum; Verè cibus viatorum, non tradendus canibus ideſt iniquis, & peccatoribus impœnitentibus.

Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui, virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo. Quod pactum, quod teſtamentum intelligit hìc? Recordare, quid Apoſtoli, qui Dominum ſunt ſecuti, à Domino requirant; ecce, inquiunt, reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, Quid ergo erit nobis? Quid ad hoc reſpondit Dominus? quid promiſit, quid conteſtatus eſt, Matth. capit. 19. num. 27. & 28. Ieſus autem dixit illis; Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filium hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Iſrael; & omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, &c. aut patrem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui, ſequitur.

Et virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo, Ite renuntiate Ioanni, quæ vidiſtis, cæci vident, mortui reſurgunt, claudi ambulant, pauperes euangelizantur, Matth. cap. 11. nu. 5. Virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo, quia maiora horum facietis, ſi fidem quantum granum ſinapis habueritis, Matth. cap. 17. nu. 19. & dicetis monti huic, tranſi hinc illùc, & tranſibit; nonnè hæc legimus feciſſe in Sanctis ſuis? Lege vitam S. Gregorij Thaumaturgi. Nonnè inter cæteros Staniſlaum in teſtem mortuum vocaſſe legimus, vt empti prædioli pretium ab ipſo habuiſſe teſtificaretur; dicat Boleſlaus impius, & ingratus Rex, qui enim triennio ante mortuus fuerat, ſuſcitatus coram illo, teſtimonium in iudicio perhibuit.

Virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo, Non de iàm mirabilibus factis populo ſuo intellexiſſe Propheta videtur, nàm hæc omnia prius per Moyſen annunciata erant, vt in Geneſi, in Numeris, in Deuteronomio, & in alijs Propheus legimus, nota facta fuiſſe populo illi, vt & illa generationi alteri, populo, qui naſcetur, quem fecit Dominus, annunciarentur, Pſal. 77. n. 4. Non ſunt occultata à filijs hominum in generatione altera, narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit, & num. 6. Quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera, &c. Vide quæ ibi diximus; ibi enim enarrantur omnia mirabilia, quæ fecit Dominus populo illi ingrato: quæ mirabilia omnia in figura cõtingebant illis. Nunc virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo: quando ſcilicet Chriſtus pati debuerat, vt populum redimeret. Annunciabit populo ſuo; ſed quis populus eius? qui naſcetur ſcilicet, & quem fecit Dominus: ſed numquid populus natus non erat tempore Dauid, & Prophetarum? Ergo de populo qui iterum renaſcetur intelligit, Ioan. c. 3. nu. 3. Niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre

Regnum Dei, & num.5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto,&c. Populo qui nascetur, idest credenti in Christum Iesum, vndè Dominus per Ose. c.2.nu.23. Et miserebor ei, qui fuit absque misericordia, idest Gentilitati, & dicam non populo meo, populus meus es tu,& ipse dicet, Deus meus es tu. Hinc Psalm.34. In Ecclesia magna in populo graui laudabo te. Memor erit testamenti sui, scilicet, vt daret filium suum in lucem gentium, Isai.cap.49.nu.6. Cui dabit hæreditates dissipatas, de quibus vestietur, & in nihilum rediget Synagogam Hebræorum, Ezech.cap.26. in fine, Porrò, inquit, cum dedero gloriam meam in terra viuentium, idest filium meum, qui est gloria Patris, ad nihilum redigam te,& non eris; & requisita non inuenieris vltra in sempiternum.

Memor ergo erit in sæculum testamenti sui, de testamento nouo loquitur, nec est intelligendum de veteri, nàm Ierem.cap.31.nu.31. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti; pactum, quod irritum fecerunt, &c. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel; post dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus eorum, idest Euangelium, & testamentum nouum, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.

Virtutem operum suorum annunciabit populo suo, Non ergo de illis veteribus, sed de ijs, quæ Dominus Iesus fecit, & per seruos suos facturus est, & populo suo fideli annunciabit.

Vt det illis hæreditatem gentium, opera manuum eius veritas, & iudicium. Quæ est hæreditas gentium, nisi ipsæ gentes? Psalm.2. num.8. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, Isai. d. c.49. num.8. Dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas,& nu.22. populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit, Isai.c 43. nu. 21. Et semen tuum gentes hæreditabit, Isai.cap.54. nu.3. Sed quis populus Domini? omnes iusti, dicit Dominus, Isai.cap.60. nu.21. Populus autem tuos omnes iusti in perpetuum hæreditabunt terram, idem Isai. cap.43.nu.7. Et qui iusti? Dicam Aquiloni, da, & Austro, noli prohibere: affer filios meos de longinquos, & filias meas ab extremis terræ; & omnem, qui inuocat nomen meum in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum; omnes gentes congregatæ sunt simul. Quæ sunt istæ gentes? audi Isai. d.c. 49. nu. 6. Ecce dedi te in lucem gentium. Sed quando factum est ità? Audi Apost.in Act.Apost.cap.13.nu.45. Videntes autem turbas Iudæi repleti sunt zelo,& contradicebant his,quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes. Contemptibiles Iudæi; abominata gens, Isai.d.c.49.nu.7. Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt, &c. Et quid dicit Paul. in d. c. 13.nu.46. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus. Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam; Diseminabatur autem verbum Domini per vniuersam Regionem.

Vt det illis hæreditatem gentium. Vides cui data sit hæreditas gentium, Iesu Christo pauperi, & Apostolis, nomen eius prædicantibus in vniuerso mundo;

in

In omnem enim terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum, Pſalm. 18. nu. 3. Opera manuum eius veritas, & iudicium. Verum Domini iudicium, cui omnia præſentia, & futura nota ſunt. Propterea dedi, inquit, te in lucem gentium, dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, longos fac funiculos tuos, &c. Et ſemen tuum gentes hæreditabit, Iſai. d.c. 54. nu. 3. Veritas, & iudicium ſunt opera manuum Domini. Veritas, quæ longè erat à Phariſæis, & Iudæis, labijs enim honorabant Deum, cor autem eorum longè erat ab eo, Matth. cap. 15. nu. 8. Marc. cap. 7. nu. 6. Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. Veritas, & iudicium, hoc eſt, iudicium à veritate emanans, Matth. cap. 23. per totum: Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, hypocritæ, qui clauditis Regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare, &c. & numer. 25. Mundatis quod deforis eſt calicis, & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina, & immunditia. Serpentes, genimina viperarum quomodò fugietis à iudicio gehennæ, num. 34.

Propterea miſericors, & miſerator Dominus, qui à non quærentibus fuit inuentus, gratia gentilitatem præueniente, miſſisq. ad illam Apoſtolis, vt illorum prædicatione in Eccleſiæ ſanctæ rete caperentur, vt piſces, iuxtà illud, Faciam vos piſcatores hominum, Matth 4. nu. 19. & Ierem. 16. nu. 16. Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos, &c. & nu. 19. Ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent, Verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem quæ eis non profuit; Ezech. cap. 47. num. 9. Et erunt piſces multi ſatis, poſtquam venerint illùc aquæ iſtæ, & ſtabunt ſuper illas piſcatores: Conculcabit eam ſcilicet gentilitatem pes, pedes pauperis, greſſus egenorum, Iſai. cap. 26. nu. 6.

Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſæculum ſæculi, facta in veritate, & æquitate, Auguſtin. Non fallit; exhibet, quod promiſit; non tamen quod promiſit, eſt hìc expectandum, non hìc ſperandum; ſed confirmata ſunt in ſæculum ſæculi, facta in veritate, & iuſtitia. Hoc eſt verum & iuſtum, vt hìc laborent, illic requieſcant; Fidelia omnia mandata eius; nàm cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt, Matth. cap. 24. numer. 35. Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis, Pſalm. 18. numer. 8. 1. Corinth. 1. Sicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis, itàvt nihil vobis deſit in vlla gratia expectantibus reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui & confirmabit vos vſque in finem ſine crimine in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius Ieſu Chriſti Domini noſtri.

Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſæculum ſæculi, facta in veritate, & æquitate. Fidelia, quia verum eſt teſtimonium, teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis, Pſalm. 92. nu. 5. & Pſalm. 118. nu. 8. Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Fidelia, quia quæ audiuit à Patre, nota fecit nobis. Fidelia omnia mandata eius, nàm quod in veteri ſcriptum eſt teſtamento, omne per Ieſum Chriſtum completum eſt. Scrutamini ſcripturas, quia illæ perhibent teſtimonium, quòd ipſe eſt filius Dei. Audite teſtimonium Dei, Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite, quia ſeruantibus mandata ſua dat præmium vitæ æternæ. Et confirmata erunt, quæ ipſe promiſit in ſæculum

ſæculi.

Digitized b

sæculi. Et facta in veritate, quia ab ipso procedunt, qui est veritas, æquitas, & iudicium; quia cum venerit, vt saluet quod perditum erat, omnium peccata dissimulans dat tempus acceptabile, vt pœnitentibus, & peccata confitentibus det salutem. Audi miserantem Dominum, quæ dicat mihi miserimo peccatori, Ierem.cap.18.n.8. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Et quoties dimittam fratri meo? Septies? non dico tibi septies, sed septuagies septies, Matth.cap.18.nu.22. Misericors, & miserator Dominus; magna æquitas tua. Quid est homo, quia magnificas eum? Iob cap.7. num.17. Caro est, Genes.cap.6.nu.3. Psalm.88.nu.49. Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem, eruet manum suam de manu inferi? Non permanebit spiritus tuus in illo in æternum. Sed cur septuagies septies? Quia æquitas iudicia tua, vt salues illum, ideò parcis illi.

Cognoui Domine, quia æquitas omnia iudicia iustitiæ tuæ, dissimulas, vt parcas; parcis, vt dimittas; dimittis, vt eum tecum trahas in cælum; ideò in veritate tua humilias, vt humiliatos te sequentes, tu nos exaltes; æquitatem vidit vultus tuus, Psalm.10.num.7. Quoniam iustus es Domine, & iustitiam diligis: fiat manus tua Domine, vt saluet me, quia mandata tua diligo, Psal.118. num.173. & num.166. Paratus enim sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua, quia omnia mandata veritas, ibid. num.86. Vides, quia mandata dilexi, in misericordia tua viuifica me, num.159. ibid. Facta in veritate, quia Verbum caro factum est, quod est veritas. Et æquitate, nàm æquum videbatur, vt quem ad similitudinem suam fecerat, & creauerat, malitia diaboli perditum non relinqueret, neque sub potestate diaboli, quem ad similitudinem Dei creauerat, & vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur per Christum Dominum nostrum.

Quocircà sequitur. Redemptionem misit Dominus populo suo, mandauit in æternum testamentum suum, Vt in æternum esset Redemptio fidelium; vt semper & quandocunque ingemuerit peccator, & confiteretur, etiamsi septuagies septies, idest si semper peccasset, quotiescumque pœniteret, semper paratum se exhiberet vt illi parceret, eumq. redimeret. Mandauit in æternum duraturum hoc suum testamentum nouum. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius; mandauit in æternum redemptionem duraturam, Et quid à nobis requirit, qui tanta pro nobis passus est? Confessionem, quia tu homo reus es, peccator es, sed ex toto corde tuo; & magnificentia opus eius, qui & bonorum nostrorum non indiget, & saluat nihilominus gratis.

Sanctum, & terribile nomen eius. Quia cum Sancto Sanctus est, sed cum peruerso peruertitur, vt puniat, vt ædificet, & destruat, & dissipet, & disperdat. Et terribile nomen eius; initium sapientiæ est timor Domini. Sanctus bonis, terribilis impijs, Ite maledicti in ignem æternum. Ametur, dum apud Patrem est viuorum aduocatus; timeatur, cum vt Iudex ad iudicandum venturus est viuos, & mortuos. Timeas ergo dum prodest, vt ædifices; initium enim sapientiæ est timor Domini. Venite, inquit, filij, audite me, timorem Domini docebo vos, Psalm.33. num.12. Non est inopia timentibus eum; Psalm.33.nu.10. Timentes autem Dominum glorificat, Psalm.14 nu.4. & Psalm.24. num.14. Propè est Dominus timentibus eum, Psalm.84. num.10.

Et

Digitized by

Et voluntatem timentium se faciet, Psalm. 144. nu. 19. Initium ergo sapientiæ est timor Domini. Rationem ponit, quia, si timet, est sapiens, & si sapiens est, declinat à malo, Prouerb. 14. num. 16. Stultus verò transilit, & confidit.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in sæculum sæculi. Ad quid intellectus, nisi bonus sit? bonus autem erit, si timorem Domini intellexerit; quia tunc sapiens peccata euitabit, ab illis recedet; bonus ergo sit tibi intellectus, sed eum sequatur bona operatio; quid enim prodest intelligere bonum, si bono careas, quia non facis? Augustin. Concupisce sapientiam, cuius initium est timor Domini: delectabit illa, & ineffabiliter proculdubio delectabit castis, atque æternis veritatis amplexibus, sed prius tibi donanda sunt debita, quàm præmia flagitanda. Bonus est intellectus, sed intelligere, & non facere periculosum est: bonis ergo facientibus, nec extollat mentem in superbiam. Cuius enim timor est, initium sapientiæ, laus eius manet in sæculum sæculi, & hoc erit præmium, hic finis, hæc statio, sedesq. perpetua. Illìc enim inueniuntur mandata fidelia, confirmata in sæculum sæculi; ipsa est hæreditas noui testamenti, mandata in æternum. Vnam petij à Domino, inquit Psalm. 26. hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Beati enim, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te, quoniam laus eius manet in sæculum sæculi. Amen.

SOLILOQVIVM.

NON sit tibi animæ meæ macula, vt laudes Domino dicas in congregatione, & iustorum consilio. Prius cordis, & corporis per confessionem iniquitates tuas laua, & tunc erit Deo digna tua laudatio, & longè fiet à te iniquorum operatio, & terrenorum illusio. Magna opera Domini, & exquisita in omnes voluntates eius. Si præcesserit peccatorum tuorum confessio, sequetur te opus magnificentiæ eius, & alba fies sicut nix in conspectu eius. Timeas Dominum, quia hoc sapientiæ initium; & esca, quam dat tibi Dominus, erit in vitam æternam. Confitearis ergo Domino, quia confessio est initium boni operis, quam sequitur augmentum virtutis, quam comitatur retributio æternitatis; iustitia enim eius manet in sæculum sæculi. Redemptionem misit Dominus, vt tu benedicaris vnà cum populo suo. Sanctum, & terribile nomen eius. Sit ergo tibi intellectus, vt fugias furorem iræ eius; sitq. in omni tempore laus eius in ore tuo. Tu Domine, qui venisti, vt curares vulnera mea ecce confiteor, quia tibi soli peccaui; remittas quæso, remittas impietatem peccati mei. Virgo glorioſa Maria Mater Dei, & Domina mea iubeas hanc meam humilitatem, & confessionem per manus Angeli custodis, cuius memoriam agimus hodie, te interueniente, ante tribunal filij tui perferri, vt omni replear benedictione cælesti. Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, salua, rege, & guberna. Amen.

Digitized by Google

IN PSALMVM CXI.

Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis.

TITVLVS huius est: Alleluia, reuersionis Aggæi, & Zachariæ.

Cur verò addita sint hæc duorum Prophetarum nomina, qui vltra septuaginta annos fuerunt post Dauidem, dicunt aliqui ad ostendendum gaudium, quod habent fideles redempti à Domino per passionem eius, sicut habuerunt illi gaudium magnum, quando à Dario Persarum Rege concessum fuit, destructum Templum iterum ædificandi; vt sicut illi de Templo materiali gauisi sunt, ità Christiani de Templo ipsorum lætentur spirituali, 1. Corinth. cap. 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos: illa ergo actualis Templi renouatio, noui Templi, noui populi, renouationem designauit, quanquam & hanc spiritualem reparationem spiritualis Templi, prædicti pariter Prophetæ intellexerunt, de qua tantum gaudium habuerunt.

Continuatur itaque Psalmus iste cum præcedente, quòd cum ibi actum sit de laude Dei, quam præcedere debet fidelium confessio peccatorum; cæterum quia per eamdem confessionem reædificatur Templum nostrum spirituale, quod nos sumus, consequenter de ipsa in Psalmo isto agitur reædificatione, dequè gaudio, quo gaudendum nobis est, qui cum essemus mortui, per redemptionem vitam à Domino habemus in æternum: cum autem sapientia ædificauit sibi Templum nostrum; vt ad illius cognitionem nos perducat Propheta, incipiens à Domini laude, docet nos timorem Domini habere, & incipit dicens.

Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius cupit, seù volet nimis. Et erit argumentum, quòd exortum est in tenebris lumen rectis, quia natus est Dominus, ac si dicatur. Si vis inter beatos esse, timorem illius habeas, quia etsi misericors, & miserator sit Dominus, iustus tamen quoque est, & iustitiam diligit; Alleluia ergo laudes cantemus Domino nostro Iesu Christo, qui redemit nos à morte, & reædificauit Templum nostrum, nos ipsos in eum credentes.

Melius autem Psalmum istum continuabis ad præcedentem, quòd cum in illo tractatum sit de summa Dei misericordia in liberando genus humanum de captiuitate mortis æternæ per suam passionem; ad excitandam obseruationem primi præcepti de dilectione Dei, consequenter cum sit obseruandum & secundum præceptum de dilectione proximi, & de misericordia erga illum, ideò in hoc Psalmo de operibus misericordiæ erga hominem tractandum meritò erat; nàm sicut miseratio Dei est maximum opus inter omnia opera eius, ità opera misericordiæ sunt maiora inter omnia opera hominis, & maioris meriti, excepta latria, quæ debetur Deo, ideò, Iucundus homo, quia dispersit, dedit pauperibus, &c.

Beatus vir, qui timet Dominum; quia timore reuerentiali, seù filiali timendo abstinet à peccatis; & in mandatis eius volet nimis, quia etiam

cum

Digitized by Google

cum tali timore concurrit amor: hoc est enim primum præceptum, dilectio Dei ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus tuis. In mandatis eius volet nimis, quia siquidem plenitudo legis est dilectio, adeòq. diligenti nimis summa simul etiam in mandatis Dei obseruandis est cura, ac diligentia; quantò enim quis alium plus diligit, tantò amplius mandata eius satagit custodire. Volet, inquit, nimis: voluntas enim apud Deum valet in bonis, ideò dicitur, Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine.

Potens in terra erit semen eius; generatio rectorum benedicetur. Fructus ex semine obseruationis mandatorum Dei, quem percipit, ità potens est, ac efficax, quia contrà semen illud non valent diabolicæ inuentiones, quin fructum colligat centuplum in tempore suo. Potens est semen illius, quia quamuis paruum id etiam sit, colliget ex eo nihilominus magna in Regno cælorum. Considerat enim Deus non donum, sed liberum arbitrium, non potentiam, sed voluntatem. Exhibebat dimidium bonorum Zacchæus ille, nec plus recepit mercedis, quàm vidua illa, & illius, qui potum aquæ frigidæ dederat, Matth. cap. 10. numer. 42. Luc. cap. 21. num. 2. vidit quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo, & dixit, Verè dico vobis, quia hæc pauper, plus quàm omnes misit, quia omnem victum, quem habuit, misit. Potens in terra erit semen eius, affectus eius, & amor erga proximum: potens semen eius, quia fecit fructum magnum in cælo; in mandatis eius volet nimis, idest valde.

Potens erit semen eius. Lege quæ de sanctis Martyribus dicuntur, de Laurentijs, de mulierculis, Catharinis, & Lucijs, quia mandata Dei dilexerunt valde, in tormentis patientes, & in cruciatibus constantes, qui mandata Dei dilexerunt nimis, martyrium contrà diabolicos Tyrannos sustinentes, etsi in tenera ætate. Potens in terra fuit semen eorum, nàm quot ad fidem Dei per eos conuersi sunt? quot millia millium Gentilium discipulos audientes ad fidem conuersi per eos sunt? Potens in terra semen eorum, & generatio Apostolorum, & Ecclesiæ Doctorum, & Confessorum, atque Virginum, qua tot iterum in fide generasse dicuntur, benedicetur: lucrati enim sunt fratres, & sorores, & totus mundus post eos vadit. Potens in terra semen eius; quia in omnem terram exiuit sonus verborum ipsorum, & gentilitas ad fidem conuersa laudat Dominum. Potens in terra semen eorum; quia diabolicos spiritus effugarunt, Idola gentium per eos deleta sunt, & Reges, ac Principes ad fidem reducti, ad Crucem Christi etiam in frontibus eorum portandam inducti, vt ea, quæ prius erat in dedecus, & vituperium, pro ornatu se induerentur, glorificabant Dominum.

Potens ergo in terra Ecclesiæ sanctæ semen; decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas, dilata locum tentorij tui, longos fac funiculos tuos, &c. & semen tuum gentes hæreditabit, Isai. cap. 54. numer. 1. Potens in terra semen eius hæreditabit gentes, non in vna Synagoga Iudæorum, nec in vna ciuitate Ierusalem; sed à Solis Ortu vsque ad Occasum semen suum, omnes gentes hæreditauit, & in omnibus locis est Ecclesia Dei.

Gloria, & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi, Psalm. 44. numer. 14. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus. Hæc enim de Ecclesia intelliguntur, vt latius ibi

diximus. Magna est gloria eius, adducentur Regi Virgines post eam, adducentur cum lætitia, & exultatione in templum Regis. Generatio rectorum benedicetur; Pro patribus suis nati sunt ei filij, constituit eos Principes super omnem terram.

Gloria, & diuitiæ in domo eius; & iustitia eius manet in sæculum sæculi. Gloria, quia semper nobiscum est filius Dei vsque ad consummationem sæculi. Quæ est enim alia natio, quæ habeat Deo appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis Ecclesiæ suæ? Gloria, & diuitiæ in domo eius, in Ecclesia eius, cuius caput ipse est, & Dominus. Non eripit mortalia, qui Regna dat cælestia. Hanc eamdem auctoritatem in Ecclesia sua Dominus reliquit Apostolis suis, & successoribus. Et tibi dabo, inquit, claues Regni cælorum, vt quodcumque solueris super terram sit solutum & in cælis, & quodcumque ligaueris in terra, sit ligatum & in cælis. Et quid habet in cælis qui solutus est in terra? audi filium Dei: Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: Quas verò diuitias habent ligati? Ignem, sulphur, spiritus procellarum, ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.

Exortum est in tenebris lumen rectis corde; misericors, & miserator, & iustus. Exortum est lumen eis, qui in tenebris erant, non tamen omnibus tenebricosis, sed ijs, qui recto sunt corde: sed qui sunt recto corde? Isai. dicto cap. 66. numer. 2. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? idest ad humilem? Septuaginta. Lumen est Christus, qui humiles respicit, & alta à longè cognoscit, Psalm. 137. numer. 6. Exortum est ergo lumen Christi ad rectos corde: rectorum enim corde, recta sunt opera: cum autem cor rectum non est, opera recta non sunt, tametsi recta videantur. Quid sit autem cor prauum, & praua generatio, expositum est per id, quod dictum est Psal. 77. Et non est creditus cum Deo spiritus eius, vbi Augustin. litera A. Rectus est enim Deus, & ideò rectè adhærens tamquam incommutabili regulæ, potest fieri rectum, quod in se fuit prauum cor hominis. Vt autem cor cum illo sit, & per hoc rectum esse possit, acceditur ad eum non pede, sed fide, &c. Voluntas igitur, quæ est in corde recto paratur à Domino, fide præcedente, qua acceditur ad Deum directum, vt cor fiat rectum.

Exortum ergo est in tenebris lumen rectis, in tenebris ad populum non credentem, nec Deum scientem. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis, Isai. cap. 9. num. 2. & Psalm. 17. numer. 45. Populus autem, quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi; Auditus ergo per verbum Dei, fecit illos rectos corde, in quos lumen Dei refulsit, ideò exortum est in tenebris lumen rectis corde. Rectis corde, quia audientes verba Petri, & aliorum compuncti sunt corde, & illuminati pœnitentiam egerunt, Act. Apost. cap. 1. & c. 13. num. 48. Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt, &c. Misericors Dominus, cuius natura bonitas, dum expectat: & miserator exhibitione, dum iustificat, & iustus remunerando. Augustin. hìc. Exortum est in tenebris lumen rectis corde: Meritò dirigunt cor in Deum suum, meritò ambulant recti cum Deo suo, præponentes eius

volun-

Digitized by Google

voluntatem ſibi, neque de ſua, quidquam ſuperbè præſumentes: Meminerunt enim fuiſſe aliquando tenebras, nunc autem lucem in Domino. Miſericors, miſerator, & iuſtus Dominus Deus. Delectat, quòd miſericors, & miſerator; ſed terret fortaſſe, quòd iuſtus Dominus Deus; Nullà formides deſperatione beate vir, qui times Dominum, & in mandatis eius vis nimis: eſto ſuauis, miſerere, & commoda; Etenim ità iuſtus eſt Dominus Deus, vt iudicium illi ſine miſericordia faciat, qui non fecit miſericordiam, &c.

Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat: diſponet ſermones ſuos in iudicio, quia in æternum non commouebitur. Vera mihi Hieronymi, & Auguſtini iſtius verſiculi videtur declaratio; nempè, quòd dimittamus, vt nobis dimittatur. In eo quòd dimittimus, vt dimittatur nobis, miſeremur: in eo verò quòd damus, vt detur nobis, commodamus: duo ergo comprehendit verſiculus, iniuriæ ſcilicet remiſſionem, & largitionem pecuniæ indigenti: hanc largitionem multi ex iuſtis, & ſanctis non habuerunt, quia iuxtà Euangelium aliquid ſecum non portabant, Matth. cap. 10. numer. 10. Quid habebat Petrus, quod egenti illi, & claudo in porta Templi ſtanti daret, cui quid ab illo, & Ioanne Templum introeuntibus expectanti. Petrus argentum, inquit, & aurum non habeo, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu, tibi dico ſurge, Act. cap. 3. num. 6. & apprehenſà manu eius dextera alleuauit eum, & conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ. Hieronym. Eleemoſynam non facere, crimen habentis eſt: Cæterum, qui non habet vndè faciat eleemoſynam, liber eſt. Quid eſt maius pecuniam dare, an debilem ſanum facere? Quid verò ſit, quod iuſtus accommodat, oſtendit ſequens verſiculus.

Diſponet ſermones ſuos in iudicio. Non dixit pecuniam: ſed ſermones ſuos diſponit in iudicio. Miſericordia hæc eſt, ſanctos docere proximos, vt ſint ſancti. Diſponit ſermones ſuos in iudicio. Hieronym. Hoc eſt, quod in Matth. cap. 7. ne mittamus margaritas noſtras ante porcos: hoc eſt, Vt ſciat vnuſquiſque cui tribuit, quid poſſit accipere, quid non poſſit: vndè Pſal. 118. Abſcondi in corde meo eloquia mea, vt non peccem tibi. Non ea dedi quibus libuit; non ſanctum tuum miſi canibus, & margaritas dedi porcis: Grande igitur periculum eſt Doctoris, verba Domini porcis effundere, &c. Miſeretur in corde, & credit in opere. Bonum eſt tribuere ſubſtantiam terrenam, ſed melius eſt ad annunciandam miſericordiam, ideſt vt tradas in obliuionem, quæ tibi malè fecit, hoc eſt, vt indulgeas ei, qui in te peccauit; hæc Hieronym. Iſte ergo verſiculus continet & peccatori indulgentiam, & eſurienti eleemoſynam, vndè Prouerb. cap. 16. numer. 32. Melior eſt, qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem; vndè Auguſtin. hìc. Non ergo eris inglorius in ignoſcendo, quia de ira victa laudabilius triumphatur. Non egemus tribuendo, quia thesaurus cæleſtis certius poſſidetur. Gloria quippè, & diuitiæ in domo eius, quia qui hìc ſic facit, diſpoſuit ſermones ſuos in iudicio: facta ipſa ſermones ſunt, quibus in iudicio defendetur, quod ei non erit ſine miſericordia, quia & ipſe fecit miſericordiam. Quia in æternum non commouebitur. Non enim à gloria Domini ſeparabitur, quando Dominus ad iudicandum venerit. Si verò ante iuſtus commoueri contingat, diſcat à Petro, qui Dominum negauit ter: in primis duabus negationibus is non cogitauit periculum, adeòq. nec illum reſpexit Dominus; ſed tunc fleuit amarè, quod

negandó peccauit, quando Dominus illum reſpexit, & quia ipſum pœnituit, ac fleuit amarè, dimiſit illi Dominus eius peccatum.

Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat, Sed cui iucundus, Deo, an ſibi? & Deo, & ſibi: Deo, quia iuxtà præceptum miſertus eſt conſerui ſui: ſibi verò beatus, quia timuit Dominum, & in mandatis eius cupit nimis: iucundus ſibi, quia Dominus retribuet illi, dicens, Serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui, quia miſeratus inopem benè conſuluiſti: iniuriam illi remiſiſti, nudum, & pauperem operuiſti, quod illi feciſti, mihi feciſti, Matth.cap.25. Iucundus homo, qui talia miſericordiæ dona in ſeruum Dei egenum, & ipſimet Deo commodare meruiſti, ſermones tuos in iudicio, & operationes effudiſti, tranſtuliſti, quando Dominus ad cuius dexteram ſedebis, dicet tibi, Veni benedicte Patris mei, nudus eram, & me operuiſti, &c. Diſpones ſermones tuos in iudicio, quia dices Domino; Quando te vidi nudum, & operui te? & ipſe dicet, Quod vni ex meis minimis feciſti, mihi feciſti. Diſpones ſermones tuos in iudicio, & in æternum non commoueberis; quia in æternum in gloria cæleſti permanebis.

O magnum pietatis opus, iucundus homo, qui miſeretur, & commodat, in memoria æterna erit, & iuſtus vocabitur, ab auditione mala non timebit, ab illa ſcilicet, quando dicetur à ſiniſtris poſitis; diſcedite à me maledicti: non timebit iuſtus, quia nomen eius ſcriptum eſt in cælis. Et ideò in memoria æterna erit, vt in æternum fruatur cæleſtibus bonis. In memoria æterna ad differentiam alterius memoriæ iniquorum, & peccatorum, quæ ſicut puluis proiecta eſt à vento. Oculi Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum, Eccleſ.11.num.21. Memoriam ſuperborum perdidit Deus, & relinquet memoriam humilium ſenſu, &c. & qui timet Dominum, erit in oculis eius, ibidem numer.24. Sacrificium iuſti acceptum eſt, & memoriæ eius non obliuiſcetur Deus, Eccleſ.35.num.9.

Hinc Iob capit.13. numer.12. Memoria veſtra comparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices veſtræ: vbi Gregor. lib.11. Moral. capit.14. fol.574. litera B. Omnes, qui cogitatione terrena huic ſæculo conformantur, per omne, quod agunt, huic mundo relinquere ſui memoriam conantur. Et poſt hæc, & multa alia; Rectè, inquit, ſtultorum memoria cineri comparatur, quia illic ponitur, vbi ab aura rapiatur. Quantumlibet enim quiſque pro facienda gloria ſui nominis elaboret, memoriam ſuam quaſi cinerem ponit; quia hanc citius ventus mortalitatis rapit. De iuſto verò ſcribitur, in memoria æterna erit iuſtus; eo enim ipſo, quo facta ſolius Dei oculis imprimit, nomen ſuæ memoriæ in æternitate figit, &c. Vndè Prouerb. cap.10.num.6. dicitur, Memoria iuſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet, Eccleſ.cap.9.num.5. mortui verò nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem, quia obliuioni tradita eſt memoria eorum, & in Sap.cap.2. num.4. Nomen noſtrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo habebit memoriam operum noſtrorum tamquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis, Sap.cap.5.num.15.

Ab auditione mala non timebit. Sed quomodò Iob timere videtur, qui ſe iuſtum dixit, d.cap.13.nu.21. & tamen, inquit, Longè manum tuam fac à me, & formido tua non me terreat? De tribulationibus carnis loquitur ibi

Iob

Iob laceratus, & percuſſus, & patiens; Vndè nu. 25. Tacete pauliſper, inquit, vt loquar quodcumque mihi mens ſuggeſſerit. Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam portо in manibus meis? ecce ſi occiderit me, in ipſo ſperabo, veruntamen in conſpectu eius arguam, & ipſe erit Saluator meus: ſi fuero iudicatus, ſcio quòd iuſtus inueniar. Non ergo de iudicio vniuerſali, ſed de tribulationibus, & afflictionibus ſibi à Deo illatis, vt probaret illum, Sap. cap. 3. & nihilominus aiebat, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.

Paratum cor eius ſperare in Domino, confirmatum eſt cor eius, non commouebitur, donec deſpiciat inimicos ſuos. Si Dominus eſt illuminatio eius, exortum enim eſt in tenebris lumen ei, à quo trepidabit? & quem timebit; cuius ſpes eſt in Domino? Pſalm. 26. vbi vide, quæ diximus. Confirmatum eſt cor eius, quia ſpes ei in Domino repoſita eſt. Si ergo, inquit, conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum, Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, Pſalm. vt ſupra nu. 4. Donec ergo veniat dies illa, quando venerit ad te Domine, ſemper deſpiciet inimicos ſuos. Si petræ, quæ eſt Chriſtus, adhæreo, cur mobilium, vel mutabilium perſonarum, quæ ſicut fœnum tranſeunt, minas, vel inſidias timebo? quomodò à petra commouebor; quæ ſemper firma manet in auxilio meo? ſed quis te docuit ò iuſte? Dominus illuminatio mea, Dominus Deus illuxit nobis, Pſalm. 117. num. 17. Nàm viſibilia, quæ terrenis hominibus bona videntur, dicentibus; quis oſtendit nobis bona? Pſalm. 4. num. 6. Iuſtus peritura arbitratur, vt ſtercora: Confirmatum eſt enim cor eius, & non commouebitur, quia ſignatum eſt ſuper eum lumen vultus Domini: & in ope illius confirmatus, ſemper ſperans permanet in Domino: & ideò

Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, cornu eius exaltabitur in gloria. Diſperſit, ideſt diſtribuit bona ſua, Non vni, dicit Hieron. ſed dixit Dominus, Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, Marc. cap. 10. nu. 2. Luc. cap. 18. nu. 22. Quia, inquit, plus eſt oratio multorum, quàm vnius hominis, & hæc eſt iuſtitia, quæ ex diſtributione pauperibus facta manet in ſæculum ſæculi: & cornu eius, ideſt, regnum eius in gloria cum Deo erit.

Et iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Quomodò iuſtitia? quia diſtribuit bona ſua, iuxtà præceptum Domini, qui promiſit omnia diſtribuenti, Theſaurum in cælo, Marc. d. cap. 10. num. 20. De iuſtitia ei debetur, qui executus eſt totum, quod illi Dominus promiſit: bona ergo enumerata ſupra iuſtis debentur, malis verò mala; Vndè ſequitur.

Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit. Humilem exaltatum videbit ſuperbus; ſed quid illi proderit ira, & fremitus, qui iraſcendo magis tribulantur, & magis in pœnis, & doloribus conſummitur? Poſt mortem enim non eſt pœnitentia, ſed pœna, Sap. cap. 5. in princ. & num. 13. Sic & nos nati continuò deſiuimus eſſe, & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere, in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt, quoniam ſpes impij tamquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, &c. Deſiderium peccatorum peribit. Peccator videbit, & iraſcetur; Sed dicere poteris, quomodò impius gloriam iuſti videbit, cum ſcriptum ſit, Tollatur impius, ne videat gloriam

riam Dei? Zach. cap. 12. nu. 10. Videbunt in quem compunxerunt, ideſt inquit Hieronym. Viſuri erunt illam formam ſerui, & hominis, quam dignatus eſt ſuſcipere de noſtra humanitate, ſed illam gloriam, quam Sancti habebunt, nec habebunt, nec videbunt, & quantum videbunt, ad illorum pœnam videbunt; iraſcentur ergo, ſed contrà ſemet, qui bona non fecerunt, vt in d. cap. 5. in Sap.

SOLILOQVIVM.

FORAS mitte timorem ſeruilem, ò anima mea, ſi Dominum diligis: Is tamen ſit tibi timor, qui cum eiuſdem Dei dilectione eſt, vt mandata eius libenter impleas, non timore pœnæ, ſed illius amore, quò tibi ſit gloria maior, & valeas eſſe rector fidelium in terra. Lux tibi ortus eſt Chriſtus, quando in terra ſedebas, cur in eius miſericordia non ſperabis, tametſi aliquando peccaueris? Dimittet certè, ſi tu & proximo tuo dimittas. Iucundus eſt, qui miſeretur, & commodat. In iudicio non erit, qui te accuſet, & ab auditione mala ſententiæ damnationis in extremo iudicio non timebis. Spera anima mea in Domino; para cor tuum, vt illi ſemper ſeruias, donec deſpicias inimicos tuos. Cornu tuum exaltabitur in gloria, ſi bona pauperibus diſtribueris in vita tua. Fremet dentibus peccator, quia bona tua non dabis illi, quia te exaltatum in gloria Dei in pœnæ ſuæ augmentum videbit; deſiderium enim illius peribit, & in igne æterno permanebit. Sancte Luca Euangeliſta, qui fidelem Verbi Dei eſcam, mihi pauperi hodie dediſti, diſponens ſermones tuos, intercede, vt implens corde, & opere, quæ me docuiſti, inoffenſus & euadam à pœnis, & periculis huius, ac futuri ſæculi: Domina mea Maria Virgo, Dei Genitrix ſuccurre & tu mihi, vt interceſſione tua fide Ieſu Chriſti congrua deuotione ſuſcepta, in mandatis Domini velim, & cupiam nimis: vt inter Sanctos, & electos filij tui valeam & ego adnumerari. Fiat, fiat. Amen.

IN PSALMVM CXII.

Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

TITVLVS, Alleluia, quod ſignificat laudate Deum, vt aliàs ſupra diximus.

Continuatur ad præcedentem; In eo quippè actum de diligendo proximo, & de charitate in illum exercenda: in iſto autem de laudatione Dei agitur vera cum humilitate, quia non eſt vera charitas, nec Dei laudatio vbi regnat ſuperbia, & quatenus laudes Deo dicere parati ſumus, etiam ſuperbiam deponere debemus, & humilitatem amplecti. Vndè ſcriptum eſt in Euangelio, Sinite paruulos venire ad me; Angeli enim eorum ſemper vident faciem Patris mei, & talium eſt Regnum cælorum, & in Matth. cap. 18. nu. 3. & nu. 10. Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in Regnum cælorum. Quid verò per paruulum intelligat, ipſe Dominus declarat in d. c. num. 4. dicens, Quicumque ergo humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in Regno cælorum, &

qui

Digitized by Google

qui ſuſcipit vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit. Humilitas ergo requiritur: ò magna humilitatis dignitas, ò ineffabilis eiuſdem vtilitas, ſuſcipiendo humilem, Chriſtum ſuſcipere.

Quocircà Propheta continuat ad præcedentem, & illi annectit præſentem, dicens. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Vos ſcilicet ſenes cum iunioribus, quatenus humiles, & pueri, ſcitote, quia laus veſtra acceptabilis erit Deo, quatenus in humilitate, & ſimplicitate cordis manentes laudaueritis Dominum. Nolite fieri pueri ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote, dicit Auguſtin. vt mentibus perfecti ſitis. Cum ergo cantari auditis in Pſalmis, Laudate pueri Dominum: ne arbitremini ad vos iſtam exhortationem non pertinere, quia iàm corporis pueritiam ſupergreſſi eſtis, vel iuuenili decore vireſcitis, vel ſenili honore caneſcitis; in omnibus enim humilitatem requirit Dominus, & cordis ſimplicitatẽ, quam in ſimilitudinẽ puerilis ætatis deſignat; Humilibus enim dat gratiã Dominus, & ſuperbis reſiſtit, Iacob. c. 4. Dei enim habitaculum eſſe animam fidelẽ, dixit Auguſt. in lib. de Virginit. Tom. 6. lit. C. & in alio loco homil. 50. lib. 10. de Vtilitate, & Neceſſitate Pœnitentiæ c. 1. litera F. Deus cum ſit omnium excellentiſſimus, non elatione, ſed humilitate contingitur, & Pſalm. 33. num. 19. Humiles ſpiritu ſaluabit, & Pſalm. 137. nu. 6. Excelſus Deus humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.

Laudate ergo pueri Dominum, laudate nomen Domini. Non enim eſt laudare Deum, & maledicere proximo; Nunquid dicit Iacob. in ſua Epiſtol. cap. 3. num. 11. Fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam? nunquid fratres mei poteſt ficus vuas facere, aut vitis ficus? ſic neque aqua ſalſa dulcem poteſt facere, & num. 16. Vbi enim zelus, & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus malum; quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiæ, & fructibus bonis, non iudicans, ſine ſimulatione; fructus autem iuſtitiæ in pace ſeminatur, facientibus pacem, hæc Iacob. Cui benè adſtipulantur, quæ dicta ſunt à D. Hieronymo in Epiſtola ad Amicum ægrotum de Viro perfecto, Tom. 9. Hæc ſapientia, inquit, vocatorum cogitare ſemper in corde, Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? ipſum habere ſemper in ore, quoniam Verbum eſt: ipſum eſurire, quoniam panis: illum loqui omni tempore, quoniam linguas nobis nouas ſpiritus eius aduexit; abuſus eſt enim linguæ, ſi ipſam, quæ ad laudem Dei condita eſt, ad maledictionem exeramus, adeòq. hoc eſt proprium linguæ officium, vt etiam ſi quis plures haberet, non ſufficeret ad illud implendum. Athanaſ. Oratione contrà Idola, Chryſoſtom. homil. 14. in Epiſtol. ad Epheſ. Loquebantur Apoſtoli varijs linguis, Act. cap. 2. prouidentia enim hoc diuinitatis factum, vt quia ad magnificandum Deum vna lingua non ſufficit, per plures linguas mentis deuotio ſolueretur; ità Ambroſ. Serm. 73.

Tota ergo vita laudandus eſt Deus. Auguſtin. in Pſalm. 148. litera G. Fratres exhortamur vos, vt laudetis Deum, & hoc eſt, quod omnes vobis dicimus, quando dicimus, alleluia laudate Deum, ſed laudate totis vocis, de totis vobis, ideſt, vt non ſolum lingua, & vox veſtra laudet Deum, ſed & conſcientia veſtra, vita veſtra, facta veſtra: etenim laudamus modò in Eccleſijs, quando congregamur; cum quiſque diſcedit ad propria, quaſi ceſſat laudare

Deum;

Deum ; non ceſſet benè viuere, & ſemper laudat Deum : tunc deſinis laudare Deum, quando à iuſtitia, & ab eo, quod illi placet, declinas ; nàm ſi à vita bona nunquam declines, lingua tua tacet, vita tua clamat, & aures Dei ad cor tuum ; quomodò enim aures noſtræ ad voces noſtras, ſic aures Dei ad cogitationes noſtras. Non poteſt tale fieri, vt habeat mala facta, qui habet bonas cogitationes ; facta enim de cogitatione procedunt, nec quiſquam poteſt facere aliquid, aut ad aliquid agendum membra mouere, niſi primo præceſſerit iuſſio cogitationis. Mouet ſolum labia Imperator, & omnis Prouincia mouetur, cum fit quod loquitur. Sic & in vno quoque noſtrum, intus eſt Imperator, intus in corde ſedet ; ſi bonus, bona iubet, bona ſunt ; & ſi malus, mala iubet, & mala ſunt. Cum ibi ſedet Chriſtus, quid poteſt iubere niſi bona ? cum poſſidet diabolus, quid poteſt iubere niſi mala ? In tuo autem arbitrio Deus te eſſe voluit. Cui paras locum, Deo, an diabolo ? cum paraueris, qui poſſidebit, ipſe imperabit. Ergo fratres non tantùm ad ſonum attendite, cum laudatis Deum, toti laudate, cantet vox, & vita, cantent facta : & ſi eſt adhùc gemitus, tribulatio, tentatio, ſperate tranſitura omnia, & illum diem venturum, quo ſine defectu laudabimus, &c.

Laudate pueri Dominum, ſtricta eſt via, quæ ducit ad ſalutem, Matth. 7. num. 14. Pueri per ſtrictam hanc viam intrant : fias puer & tu, & ingredieris per viam anguſtam ; quomodò ſuperbi inflati intrare poterunt, ſi anguſta eſt via, & ipſi inflati, ſi à Deo ſunt apoſtatati, Eccleſ. 10. num. 14. Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo. Auguſtin. Sit ſenectus veſtra puerilis, & ſit pueritia ſenilis, ideſt vt nec ſapientia veſtra ſit cum ſuperbia, nec humilitas ſine ſapientia, vt laudetis Dominum ex hoc, & vſque in ſæculum, A Solis Ortu, vſque ad Occaſum.

Laudate pueri Dominum, de quibus Iſai. cap. 8. num. 18. Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum, &c. & de quibus Ioan. 21. num. 5. Pueri nunquid pulmentarium habetis.

Sit nomen Domini benedictum. Cui omnis creatura benedicit, forſan non fuit anteà benedictum ? Hieronym. Fuit ſemper ; ſed tamen anteà in vna gente Iudæorum tantummodò illi benedicebant, & credebant ; ſed modò in omnibus gentibus, & creditur, & benedicitur, ex hoc, ideſt ex quo inceperunt homines, & credere, & laudare ; & nunc, hoc eſt in præſenti, & vſque in ſæculum, ideſt ſine fine. Vel dicamus, ex hoc nunc, ideſt à nobis laudandus, qui in præſenti tempore viuimus, iterum vſque in ſæculum ab illis, ideſt vſque in generationem, & generationem, vſque in ſæculum duraturas. Vel ex hoc nunc, ab his, qui ſunt in ſæculo iſto, ab hominibus ſcilicet, & vſque in ſæculum, ideſt & ab Angelis, quorum ſæculum erit æternum.

Sit nomen Domini benedictum, ſiuè in rebus ſecundis, ſiuè in aduerſis : Dominus enim dat, Dominus aufert, ſit nomen Domini benedictum, Iob 1. numer. 21. Vel ſit nomen Domini benedictum, ex hoc, quia gratia ſua humiles, & pueri eſtis, & hanc miſericordiam Domini in æternum cantandam aſſumite, à Solis Ortu vſque ad Occaſum, quia miſericordia Domini plena eſt terra, ideò laudate nomen Domini.

A Solis Ortu vſque ad Occaſum, laudabile nomen Domini, quia venit Dominus ſaluare quod perierat, in qualibet mundi parte, quia in quolibet loco

Digitized by

loco prædicantes Euangelium Ieſu Chriſti prædicauerunt omnibus illud acceptantibus ſalutem. Ite, inquit Dominus, & prædicate Euangelium in toto mundo, omni creaturæ, ſiuè Iudæo, ſiuè Gentili, & quicumque crediderit, ſaluus erit.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cælos gloria eius. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera eius annunciat firmamentum, Pſalm. 18. quaſi dicat pueris ijs, qui inuitantur ad laudandum Dominum. Vos pueri, qui in terra exiſtitis, opere, & lingua laudate Dominum, qui in firmamento huius ſæculi poſiti eſtis, quia gloria Domini eſt in excelſis, & ſuper cælos gloria eius. In firmamento huius ſæculi vos ideò poſiti eſtis, vt operemini in illo; benè enim operari eſt laudare Dominum. Ex miſericordia Dei humiles facti eſtis; laudate Dominum; quia etſi ſuper omnes gentes excelſus ſit, & omnium Dominus, non tamen vos in contumeliam fecit, ſed in honorem, quia ſimiles illi facti eſtis, quia ſimplices eſtis & humiles.

Domini gloria eſt ſuper omnes cælos, ſuper omnes Angelos, & poteſtates, qui vno ore clamant ſemper, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth; Iſai. cap. 6. Vos verò humiles, quos tales Dominus creauit, fecit, & redemit, laudate Dominum pueri, laudate nomen Domini Ieſu Chriſti benè operando, & ore, & corde laudando; qui in carne poſiti certamen habuiſtis, & Regnum Dei percipietis, laudate nomen Domini Ieſu Chriſti, qui & vos in honorem ſicut figulus vas fecit, vos redemit ſanguine ſuo, dicite; ſit nomen Domini benedictum, ex quo nos redemit, ex nunc, & vſque in ſæculum; quia Excelſus Dominus, humilia tamen reſpexit, & alta à longè cognoſcit, Pſalm. 137. nu. 6. Laudate pueri Dominum, quia vos elegit, & non alios; laudate nomen Domini, quia vos ſaluos faciet, ſi in humilitate permanſeritis; vos enim Deus filio ſuo dedit. Excelſus ſuper omnes gentes Dominus; Laudate eum cum Angelis, qui ſupra cælos ſunt, in ſæcula.

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, Vt humiles in terra iacentes, ad cælos cum Angelis humilibus exaltet, vt ſimul laudes Domini cantantes in Patre, Filio, & Spiritu ſancto cum fratribus fiant vnum, ſicut & illa beata Trinitas, vnum eſt, ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum, Ioan. cap. 3. Vt vnus chorus fiat cæleſtium, ac terreſtrium laudantium Deum.

Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus; cum principibus populi ſui. Quis populus Domini? omnes iuſti, Iſai. cap. 60. num. 21. Non illi ſatis fuit humilem erigere de terra, neque cum iuſtis ſolum illum collocare, ſed cum principibus populi ſui. Magna humilitatis virtus, maior Chriſti erga nos dilectio, qui ſe fecit humilem, de cælo deſcendens, & tamquam vnus ex nobis carnem ſuſcipiens, vt tu homo de terra factus, & inops, ſcias filium Dei hominem factum, vt te humilem cognoſcens, & pauperem, cum illo excelſus fieres, & diues, & te de ſtercore natum inter populi ſui principes collocaret.

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo, & in terra. Facto docet nos Dominus, vt humilitatem ab illo diſcamus. In altis habitans cum Angelis, quos humiles ſeruauit, in terram reſpexit, & homi-

hominem ſe fecit, vt te hominem doceat humilitatem. Ipſe Deus, & humilis, & tu homo ex ſtercore natus, in ſtercore tuo inuolutus, ſuperbus eris? Depoſuit ſuperbos de ſede, & exaltauit humiles; & tu, qui in ſtercore totus es, quid eris, ſi ſuperbiens dies tuos finieris? In ſede cæleſtis gloriæ conditi Angeli erant illi apoſtatæ, & depoſiti ſunt, quia ſuperbi: & tu de terra, & de ſtercore ſi ſuperbis, vbi habitabis? In terram conuerteris, & in profundum inferni collocaberis.

Suſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperẽ. De carnalis namq. voluptatis ſtercore is erigitur, cui anteà carnis vitia dominabantur; & erigitur cum principibus populi, Apoſtolis ſcilicet, quorum prædicatione filij Eccleſiæ gignuntur; cum illis ergo & tu fidelis, ac humilis habitare feſtina.

Qui habitare facit ſterilem in domo: matrem filiorum lætantem. Gaudebit Eccleſia Dei, quæ ideò ſterilis, cum te adhùc non genuerat. Sed iàm quæ ſterilis erat, habitat; & mater effecta Chriſtianorum filiorum lætatur, quia peperit, Iſai. cap. 54. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, Iſai. d. c. 54. Qui ſunt iſti, aut quis genuit mihi iſtos? Iſai. cap. 49. num. 21. Quis genuit mihi iſtos? ego ſterilis, & non pariens; iſtos quis enutriuit? ego deſtituta, & ſola; & iſti vbi erant? ad gentes leuauit Dominus manum ſuam, inter quas & tu fidelis, & humilis comprehenſus es, ſi in fidelitate, & humilitate permanſeris.

SOLILOQVIVM.

VIDE anima mea Hilarionem, cuius hodie feſtum colimus humilitatem puerum, & in terra per ſeptuaginta annos iacentem in cripta, vnica tunica contentum, & nunquam lota: & in dormitione mortis dicentem, quid times anima mea? Domino ſeruiſti ſeptuaginta annis, & dubitas?

Et tu, quæ in delicijs es inter imperfectos poſita, non timebis, quando in iudicium cum alijs vocaberis, vt rationem reddas villicationis tuæ? Quid moraris in terrenis? præpara te anima mea, vt læta, & iucunda laudes Deo, & nomini eius ſancto dicas, qui miſericors eſt, & propitius erit peccatis tuis, ſi tu propitiaberis tibi in cordis munditia; & pœnitentia confitens, quòd ipſi ſoli peccaſti. Eia ergo, quamuis annorum plena, Puer & tu fias cum iunioribus humilis, & munda; ſurge læta, & dicas laudes cum pueris Domino, & nomini ſancto eius in ſæcula, qui ſolus ad ſe venientes ſaluat, & recipit libenter ad ſuas nuptias cum alijs inuitatis. A ſolis ortu natiuitatis meæ, vſque ad occaſum mortis meæ laudans inuocabo nomen tuum Domine: tu enim ſuper omnes gentes, & ſuper cælos gloria eſt tua. Quis ſimilis tui Domine, qui excelſior cælis terrena, & humilia adiuuando reſpicis, vt ad te venientes humiles, fiant tui ſimiles? Et quis ego Domine? inops, & de ſtercore eleuatus, vt colloces me cum principibus populi tui electi. Gaude & tu Mater Eccleſia, quæ reſpectu mei eras ſterilis, & nunc reuertentis ad te facta es mei Genitrix. O beata Vrſula & tu cum ſociabus tuis, vnà cum Matre noſtra Maria Virgine intercedite, vt vſque ad finem ſit in Domino meo laus plena, & ſonora, ſit ſalutis meæ ſpes in illo firma, vt vobiſcum & ego dignus efficiar laudare Dominum in ſæculorum ſæcula. Amen.

IN

Digitiz by Google

IN PSALMVM CXIII.

In exitu Israel de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro.

ITVLVS; Alleluia, de quo aliàs dictum est.

Cum in proximo Psalmo ad Dei laudes decantandas inuitati sint pueri, & mundo corde; qui sint isti pueri, & mundi corde, consequenter declarat in hoc præsenti Psalmo Propheta, quòd illi sint, qui de Ægypto exeuntes credunt in Iesum Christum, ideſt qui per lauacrum Baptismi, in Christum credentes, redempti sunt in sanguine Agni. Ideò agitur hìc de ista Gentilis populi sanguine Christi redempti vocatione, plus enim fuit Deo redimere, quàm creare; Vnico namque verbo fecit, ac creauit, sanguinis verò effusione redemit, quum humilis factus est vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Quocircà positus est hìc Psalmus de exitu Israel ex Ægypto, de filijs Dei redemptis, & illuminatis, vt nec tenebræ eum comprehendant, si perseuerauerint ambulare in lumine Christi vsque ad finem itineris, & ad hunc exitum ab Ægypto inuitantur omnes, vt fide Christi illuminati, in via tenebrarum non ambulent, sed in via Domini Iesu. Ingressi itaque per fidem in hanc viam, cognoscamus veritatem, & in veritate ambulantes, perueniamus ad vitam æternam, quæ est cognitio Dei, & Christi Iesus. O vera lux, quæ illuminat omnem ad illum accedentem, ò vere beata gens, cuius Dominus est Iesus Christus, qui est & Via, Veritas, & Vita. O vos pueri felices, qui in humilitate positi sequimini lumen, à quo tenebræ excluduntur terrenorum, & inferorum. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, sicut filij lucis ambulate, ad Thessalonicens. 1. capit. 5. numer. 4. & ad Ephes. capit. 4. numer. 8.

In exitu ergo Israel de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro. Iacob, & Israel idem est. Qui enim primò vocabatur Iacob, mutauit nomen, quando cum Angelo luctatus est vsque mane, Genes. 32. nu. 24. Quod nomen est tibi, dixit illi Angelus, & is respondit, Iacob: & Angelus illi, Nequaquam appellabitur nomen tuum Iacob, sed Israel. Iustè prius vocabatur Iacob; supplantauit en altera vice, dicebat Esau patri suo Isaac, Genes. cap. 27. numer. 36. Per domum Iacob supplantatores vitiorum intelliguntur; Ægyptus verò tenebræ dicitur: Nos spiritualis domus Iacob, à tenebris infidelium, à populo barbaro, à tenebris peccatorum illorum per Baptismum liberati sumus: Populus verè primò barbarus, & nunc sunt, qui in infidelitate permanserunt, Nos prius Iacob fuimus, ideſt vitiorum supplantatores, & postea Israel facti videbimus Deum, quin & interim oculis cordis illum contemplamur, Matth. c. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. In exitu populi Gentilis, & aliorum credentium de peccatorum tenebris, quum lumen illuxit illis Iesus Christus, Israel videns Deum vocatus est; iàm enim tenebræ recesserunt, quia mane factum est, & multitudo credentium per verbum Dei accessit ad Deum, & in illum credidit, Act. Apostol. 1. cum sequen.

Digitized by Google

In exitu igitur de Ægypto de populo barbaro, quia Iſrael redemptus eſt à Domino Ieſu Chriſto: Captiua enim erat in populo barbaro Gentilitas, & ex Iudæis multi: ſed quomodò captiua erat Gentilitas, quæ dominabatur alijs nationibus? captiua erat, quia tota in peccatis immerſa erat, debebatur illi pœna, ſed data eſt ei gratia; debebatur gehenna, data eſt vita æterna; conuerſa eſt ad Deum, quæ prius erat in infidelitate. Quomodò diceretur redempta, niſi fuiſſet in captiuitate? diuerterat ad deſertorem, ſtatim poſt ipſius creationem per peccatum Adæ, & reliquerat, deſerueratquè Imperatorem. Quis Imperator, niſi Deus? Præceptum is dedit, fraudem ſuggeſſit diabolus: Captiua Gentilitas, quæ magis diabolo credidit, quàm Deo: factorem ipſa reliquit, & infecta cum diabolo remanſit. Nonnè exitus de Ægypto, quum Ieſus captiuam duxit captiuitatem, vt dona daret hominibus Chriſtianis redemptis? Pſalm.67. numer.19. Aſcendiſti, inquit, in altum, cepiſti captiuitatem: accepiſti dona in hominibus, Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum.

Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius. Nàm cum Iudæa confeſſio interpretetur, dicit D. Hieronym. poſtquam populus Gentilis, & ex Iudæis multi confeſſi ſunt nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctiſſimæ Trinitatis, facta eſt ſanctificatio eius, ideſt in eodem populo tranſlata eſt Eccleſia Dei, & in illo facta eſt ſanctificatio, quæ prius in Synagoga erat, & ex virtute paſſionis Ieſu Chriſti factum eſt, vt Iſrael eſſe mereantur, qui crediderint, & ex aqua Baptiſmi renati ſint. Ideò ſanctificatio, quia ex vtraque vna facta eſt Eccleſia Dei, vt videamus iuſtum Domini, Iſai.62.nu.2. Donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur, & videbunt gentes iuſtum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum, &c.

Nec velim, hæc tibi diuinationes videri ad Pſalmum iſtum, ex eo quòd in illo aliqua narrantur, quæ ſecundum veram hiſtoriam contigiſſe legimus in Exod. cap.14. & Ioſue cap.3.num.11. & cap.24. per totum, nempè quòd ab iniqua captiuitate, & ſeruitute Ægyptiaca fuerint liberati, Ægyptiorum exercitu mirabiliter in mari rubro demerſo, vt in Exod. & ad tactum pedum Sacerdotum aqua Iordanis ſteterit, donec populus ſicco pede tranſiret flumen: Illa enim in figura contigerunt illis, ſcripta tamen ſunt ad doctrinam noſtram; in quos finis ſæculorum venit, & hoc facilè demonſtratur. Ne putaretur, dicit Auguſtin. tranſacta recolere, potius quàm ventura prædicere. Vbi enim legimus Iordanem retrorſum abijſſe? nullibi; ſed tantùm ſtetiſſe, ab ea parte, qua aquæ deſuper influebant. Vbi etiam quòd montes exultauerint, ſicut Arietes; neque colles geſtientes legimus, vbi etiam mare vidit, & fugit? hæc enim in figura in his inſenſibilibus narrantur facta, & quæ in figuris illis contingebant, veniente redemptionis tempore, intelligeremus, quid per fidem ſuſceptam euenturum eſſet, quando & nos à peccatis abſoluti, & à Domino redempti fuerimus. Quatenus in innocentia cordis, & fidei puritate permaneamus.

Quis ergo exitus de Ægypto, niſi populi Gentilis, & aliorum ad fidem Chriſti conuerſio, ab infidelitate redemptio? Auguſt. de verb. Apoſt. Serm.3. Tom.10.lit.B. Recolite captiuitatem, vbi anteà fuerimus, quando totum mũdum velut maſſam infidelium diabolus poſſidebat; propter hanc captiuitatem

Re-

Redemptor venit, pretium noſtrum, ſanguinem ſuum fudit; fuſo ſuo ſanguine captiuitatis noſtræ inſtrumenta deleuit, anteà ſub peccato venundati, ſed poſteà gratia liberati, ad Roman.7.nu.14. Vide ibi Auguſtin. & quæ diximus in Pſalm.95. Facta, inquit, eſt Iudæa ſanctificatio eius; quid niſi Eccleſiæ tranſlatio in confitentes Saluatorem Chriſtum; Iudæa enim, vt dixi, confeſſio interpretatur, & Ità Iſrael poteſtas eius, potens enim fuit Deus, vt nos Chriſtiani Iſrael, ideſt videntes Ieſum, illiq. credentes eſſemus; eſt enim nobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi, & quotidie in Sacerdotum manibus tractatur.

Mare vidit, & fugit. Poſtquam fidem ſuſcepit populus, mare peccatorum fugit, vt ſoli Deo ſeruiret. Deſcenſus interpretatur Iordanis, qui retrorſum cõuerſus eſt, qui ad Deum, à quo ortũ habuit, & redemptus, redierit, fidẽ amplexus eſt, & retrorſum in viam Chriſti ſe conuertit. Bonum ergo eſt illis, vt retrorſum conuertantur; fiatq. Deus illis ante faciem, quem ſibi à tergo poſuerant. In mare magnum decurrebat Iordanis, quando per varia deſideria rapiebantur in huius ſæculi amaricantem malitiam; conuerſi ſunt retrorſum, quia ceſſauerunt ab iniquitate, vt ſeruirent Deo; hoc enim totum ad prædicationem Apoſtolorum factum eſt, qui montes dicuntur, & ideò ſequitur verſic.4.

Montes exultauerunt vt arietes: Gaudium magnum factum viderunt, quia Gentilitas, & multi ex Iudæis ſuſceperunt verbum Dei, Act.2. Colles dicuntur à colendo, ideſt mediocres exultauerunt, qui ſemen fidei receperunt, ſicut ergo arietes montes, ideò arietes, quia Duces populi ſunt Apoſtoli, qui cornibus vtriuſque teſtamenti hæreticos debellant, & ſuperſtitiones diruunt, vndè Pſal.28. Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum. Sic colles ſicut Agni ouium, ideſt per Euangelium ab arietibus geniti, innocentes, non inuidi, per arietes in fide generati. Auguſtin. Montes geſtierunt velut arietes, fideles diſpenſatores verbi veritatis, ſancti Apoſtoli, ſancti Euangelij Prædicatores. Et colles ſicut Agni ouium; hi ſunt, quibus dicitur, in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui; hi ſunt, quibus dicitur, Non vt confundam vos hæc ſcribo, ſed vt filios meos cariſſimos moneo, 1.Corinth.4.

Quid eſt tibi mare, quòd fugiſti, & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum? Quando fugit mare? Auguſtin. quid eſt, ò ſæculum, quòd tua impedimenta ceſſerunt? quid eſt, ò tot millia hominum toto Orbe fidelium huic mũdo renunciantium quòd ad veſtrum Dominum conuertimini? Fugiſti mare, & ſecutus es Deum, vt in paucis fidelis ſupra multa conſtituaris; vt parato tibi in regno gauderes cum iuſtis; quia venit Dominus, à cuius facie commota eſt terra, quia nobiſcum erit vſque ad conſummationem ſæculi. Commota eſt terra, quæ prius in peccatis immobilis erat; commoueatur mare, & plenitudo eius: lætentur cæli, & exultet terra, gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis ſunt, tunc exultabunt omnia ligna ſiluarum à facie Domini, quia venit, quoniam venit vocare peccatores, Pſalm.95.num.11. Iudicabit Orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua.

Commota eſt terra. Non videtis, quia totus mundus vadit poſt eum, Ioan. cap.12.nu.19. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, Ioan.11.nu.48. & idem Ioan.12.nu.19. Commota eſt omnis terra ab Idolorum adoratione: Chriſto enim apparente, moti ſunt à ſua ſuperſtitione homines ad Domini cultum: terra mota eſt; nàm quod terrenum erat in illis inuolutum, per verbum

Dei, per operarios in meſſem miſſos, commotum eſt. Cecidit ſemen in bonam terram, & fructum centuplũ produxit, quia de mortalibus facti ſunt, fidẽ ſuſcipientes, immortales: de poſſeſſoribus terrenorum facti ſunt poſſeſſores Regni cælorum. Commota eſt terra. Quæ prius ſterilis, & arida, facta eſt fertilis, & per Baptiſmum irrigua, & fructifera. A facie Domini, à facie Dei Iacob, producat terra fructum ſuum in genere ſuo. Geneſ. c. 1. quæ prius per peccatum producebat ſpinas, & vepres. A facie Dei, quia vt dixi, ſemper nobiſcum erit vſque ad conſummationem ſæculi. Commota eſt terra à facie Domini, à facie Chriſti, quem petram appellauit Apoſtolus 1. Corinth. cap. 10. nu. 4. & hanc petram conuertit Deus in ſtagna aquarum, vt aqua Baptiſmi aridam irrigaret terram, vt fieret in fidelibus fons aquæ ſalientis in vitam æternam, Ioan. cap. 4. num. 14. & rupem in fontes aquarum. Rupis fragmentum, ſaxum prædurum, ſilici ſimile; qui vix ferro frangi poteſt; hìc Gentilitas repreſentatur, quæ nec Deum cognoſcebat, nec in eum credere par illi videbatur propter ipſius ignorantiam craſſam, & in vitijs, & in iniquitatibus ſubmerſionem.

Rupem Dominus Deus conuertit in aquarum fontes, nàm poſtquam ſuſceperunt Verbum Dei, ex illis tot Martyrum, tot Confeſſorum, & Pontificum, flumina de ventre exibant charitatis, vt prædicatione illorum totus ad Deum conuerteretur Orbis. Et rupem in fontes aquarum, extinxerunt enim impetum ignis, ad Hebr. cap. 11. num. 24. Rupem in fontes, nàm lapidati ſunt, ſecti ſunt, &c. & 2. Corinth. cap. 11.

Et rupem in fontes aquarũ, corda peccantium, in fontes, & riuos lacrymarum vt pro illorum, & aliorum peccatis, veniam recipere mererentur. Sed quia hæc gratia Dei facta ſunt, cuius gloria in ſæculorum ſæcula, ideò ſequitur.

Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Cur de petra aquam eduxit, niſi quia miſerator, & miſericors eſt Dominus, & miſertus eſt nobis? Tua eſt gloria, qui potens es educere aquam de cordis noſtri duritia, vt compuncti, quia peccauimus, & deliquimus tibi, ex lacrymarum lotione, lauarentur noſtra peccata. Pro nobis peccatoribus, ideò à te hæc facta ſunt, ne perditi in infernum perduceremur, tua eſt gloria Domine, qui ſaluare dignatus es ſanguine tuo omnes ſe conuertentes ad te. Non nobis, non ex noſtris præcedentibus meritis, quæ nulla ſunt, ſed te miſerante Domine, qui iuſtificas impium, pro quo mori dignatus es: ne noſtrã putaremus, ſed tuã confiteremur eſſe gloriam; Niſi enim petram percuſſiſſes, quomodò aqua de duritia cordis noſtri emanaſſet, atque efflueret? Non nobis Domine, ſed nomini tuo da gloriam. Sed cur bis, non nobis; niſi quia, & Iudæos, & Gentiles, vt ſaluares veniſti?

Super miſericordia tua, & veritate tua, nequando dicant gentes, vbi eſt Deus eorum? Non nobis Domine non nobis, ſed pro gloria tua, quia populus tuus ſumus, ideò aquam de petra, & de rupe fontes eduxiſti, vt potentiam tuam & exteris demonſtrares, quòd non ſit alius, niſi tu ſolus Deus, tu ſolus omnipotens. Super miſericordia tua, & veritate tua, hæc nobis feciſti. Nequando dicant gentes, vbi eſt Deus eorum? Qui gloriamur te Deum habentes defenſorem noſtrum, & nobis appropinquantem, niſi hæc ſigna feciſſes, perditi eramus, at tua virtute ſaluati ſumus. Sed ò Propheta Dei, quis diciſſet, cur ità facis Deo noſtro, ſi omnes perdidiſſet gentes, aut quis contrà eius iudicium ſtare poſſet? aut quis in conſpectu Dei vindicis iniquorum hominum veniſſet?

vel

vel quis imputaſſet illi,ſi nationes,quas ipſe fecit perijſsēt? Sap. 12. Miſericordiæ Domini,quia non ſumus conſumpti, Thren. 3. n. 22. Non eſt alius Deus,quàm ipſe, cui cura eſt de omnibus, non enim perdit iniquos, vt oſtendat, quoniam non iniuſtè iudicat iudicium; neque Rex, neque Tyrannus in conſpectu eius inquirent de his, quos perdidit. Ipſe dominator virtutis cum tranquillitate iudicat. Docet enim Deus per talia opera, quoniam oportet iuſtum eſſe, & humanum, & bonæ ſpei facit filios ſuos: quoniam iudicans dat locum in peccatis pœnitentiæ. Si enim inimicos cum tanta cruciat attentione, dans tempus, & locum, per quæ poſſent mutari à malitia, vt nobis oſtenderet,quia patiens eſt, & flagellat, vt ad illum conuertamur pœnitentes, quando contrà illius præcepta venimus. Dat tempus inimicis, vt illos non perdat, vt & nos, cum tempus habemus, operemur bonum; nec cum impijs damnemur. Super miſericordia Domini, quia nos expectat ad pœnitentiam; ſuper veritate verò ſua, quia poſt mortem non eſt pœnitentia, & iudicium illius erit contrà malos, & iniquos Chriſtianos, & contrà impios, & obſtinatos Iudæos, & Hæreticos.

Super miſericordia tua, quia promiſiſti filium tuum Redemptorem mittere; & quia promiſiſti, hæc eſt veritas tua, qua nullus fallitur. Mitte ergo Domine quem miſſurus es, Exod. cap. 4. num. 13. reſpondit, ecce veniet, & non tardabit, Habac. cap. 2. numer. 3. Ne aliquando dicere poſſint gentes, vbi eſt Deus veſter? quem expectatis, & quem Moyſes venturum dixit, Deuter. 18. num. 15. & 18. Suſcitabo eis Prophetam de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, &c. ſimilem tui, nàm Moyſi data eſt lex in tabulis, & Ieſus Chriſtus, qui de fratribus Iudæis Propheta magnus, filius Dei legem nouam dedit in cordibus noſtris,per quam ſaluari poſſumus: Gentes ergo dicebant, vbi eſt Deus veſter? quibus reſpondit Propheta.

Deus autem noſter in cælo, omnia quæcumque voluit, fecit. Nunquid Deus noſter eſt ſicut Idola veſtra, manufacta, os habentia, & non loquentia? Deus noſter eſt veritas, & eſt in cælo ſurſum, & Dominus omnium: & omnia quæcumque vult facit. Verax eſt, & miſericors, & quando temporis plenitudo venit, mittet filium ſuum, & ſalutem mundo afferet. Non eſt Deus noſter, ſicut veſtra ſimulachra, Dij falſi, &c. habitat in cælo, vbi ſedes eius eſt; habitat in terra, quæ eſt ſcabellum pedum eius, Iſai. 66. num. 1. quæcumque vult facit, non ſic Dij veſtri. An putatis, quòd qui eduxit Iudæos de Ægypto, & illis in columna ignis in nocte, & in die in nube, Dux eorum fuit, non poſſit etiam humanam naturam aſſumere, & cum hominibus conuerſari? In cælo eſt, ſed humilians ſe, & in terram venit, Ioan. cap. 1. In propria venit, quamuis ſui, ideſt Iudæi illum non receperint. Verbum, quod à principio eſt apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis; Quare ergo hoc? quia omnia quæcumque voluit fecit.

Simulachra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. Simulachrum, quia ad ſimilitudinem alicuius hominis mortui factum ſit. Non dixit lignum, vel lapidem, & quid ſimile, vt magis Spiritus ſanctus ſtultitiam ipſorum demonſtraret: argentum enim, & aurum fecit Deus; diuites autem

Digitized by Google

erant, qui talia ex illis ſimulachra faciebant. Si illi Idololatri, & ſtulti, vos qui pauperes, & inferioris fortunæ, ſi lignea, & lapidea, &c. feceritis, quantò plus ſtulti, & illis imbecilliores, atque dementiores: ſed de vtriſque, & diuitibus, & pauperibus eſt ſermo Prophetæ, qui Deos manuum veſtrarum facitis, & illos adoratis. Qui ſunt Dij, opus manuum veſtrarum? Audi Spiritum ſanctum Pſalm.95. Omnes Dij gentium dæmonia; ergo Dæmonium adoras? Auguſtin. & Hieronym. Quid oſtenditis ſtulti, niſi aurum, & argentum? Habent quidem & ærea,& lignea,& fictilia ſimulachra,& huiuſmodi alterius materiæ, ſed pretioſum eorum maluit commemorare Spiritus ſanctus, quia cum in eo quiſque, quod illi charius eſt, erubuerit, multò facilius auertetur à veneratione viliorum, & qui lignea, vel viliora faciunt, magis confundantur, cum argentea, & aurea facientes confuſi remaneant. Audi Dominum per Ierem. dicentem cap.2.num.26. Quomodò confunditur fur, quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſrael, ipſi, & Reges eorum, Principes, & Sacerdotes eorum, dicentes ligno, Pater meus es tu, & lapidi, tu me genuiſti. Verterunt ad me tergum, & non faciem, & in tempore afflictionis dicent, Surge, & libera nos. Vbi ſunt Dij tui, quos feciſti tibi? ſurgant, & liberent te in tempore afflictionis tuæ: ſecundum numerum quippè ciuitatum tuarum erant Dij tui Iuda, &c. O infelicitas temporum illorum, Benedictus Deus, & Dominus noſter, in cuius aduentu omnia genera Idolorum diſrupta, & deleta ſunt. Cætera videas per te in Hieronymo, Solem, & Lunam, & de alijs dementibus adorantibus, & in Auguſtin. ſequitur ergo Pſalm.

Os habent, & non loquentur; oculos habent, & non videbunt. Sunt ergo fabricantes talia illis meliores, quia ipſi loquuntur, & vident. Aures habent, & non audiunt; nares habent, & non odorabunt; manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt; ſunt enim iſta Dij gentium, ideſt illorum, qui talibus, & beſtijs ſimiles ſunt. Videant iſti Deos ſuos, qui ſimulachra ſunt, nec proſunt adorantibus niſi ad perditionem illorum. Deus autem noſter in cælo eſt, qui omnia quæ voluit, fecit verbo ſuo, & creauit; qui propè eſt omnibus inuocantibus eum in fide, & veritate, Pſalm.144.num.18. Voluntatem timentium ſe facit, & deprecationem eorum exaudit, & ſaluos faciet eos: ipſe enim eſt Dominus, qui mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit, pauperem facit, & ditat, humiliat, & ſubleuat, 1.Reg.cap.2. num.6. & 7.

Os habent, & non loquentur, & quæ vſque ad pedes dixit, & non ambulabunt. Sequitur ponens, quæ ad beſtias pertinent, ſuperiora enim ad homines; vt omnia comprehenderet, dicens, Non clamabunt in gutture ſuo; Vt cognoſcas, inquit Auguſtin. quia pudendum eſt adorare, quæ hominis ſunt ſupra narrata; vt ſi pudet adorare beſtiam, quam fecit Dominus videntem, audientem, &c. clamantem in faucibus ſuis, viderent, quàm pudendum eſſet, adorare mutũ, & carens vita, ſenſuq. ſimulachrũ. Hieron. Neque eſt ſpiritus in ore ipſorum, ſi beſtiam adoraſſes, licet malum eſſet, tamen vel oculos habet, vel pedes; ſed iſtud, quod adoras, nec videt, nec audit. Non clamabunt in gutture ſuo, quia beſtiæ clamant voce, ſed confuſus eſt clamor eorum, non intelligis, neque potes per literas, vel per ſyllabas comprehendere, quomodò vocem hominis comprehendis. De viribus iſtorum Idolorum cuiuſcunque

gene-

generis, vide Baruch cap.6. per totum, & num.58. Melius eſt oſtium in domo, quod cuſtodit quæ in ipſa ſunt, quàm falſi Dij.

Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Similes illis fiant, vt eorum muta ſint labia doloſa, Pſalm.30.num.19. oculos habeant, & non videant, neque audiant, & ſi aures eis ſint, Iſai.cap.6.numer.9. Similes etiam illis fiant, qui confidunt in eis: Auguſtin. Videant ergo iſti apertis, & ſentientibus oculis, & adorent clauſis, & mortuis mentibus, nec vidientia, nec viuentia ſimulachra. Quod profuit ſculptili, proſit & fictori, atque in illum ſperanti, Habac.cap.2.nu.18. Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus, conflatile, & imaginem falſam? quia ſperauit in figmento fictor eius, vt faceret ſimulachra muta. Væ qui dicit ligno, expergiſcere, ſurge lapidi tacenti; nunquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro, & argento, & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius; ſileat à facie Domini omnis terra.

Similes illis fiant, qui faciunt ea; vt per quæ peccat quis, per hæc & torqueatur, Sap.cap.11.num.17. Similes enim ſunt Dij eorum mortuo proiecto in tenebris, lignei, inaurati, & inargentati, Baruch cap.6.num.70. Sint & ſperantes in illis mortui, in tenebris conſepulti cum illis. Verùm illi inſenſati non ſentient pœnas inferni; ſperantes verò homines in illis ſentient, quidquid importet in falſis Dijs ſpem ipſorum ponere, quæ verò iſtorum pœnæ ſint, vide in Epiſtol. Canonic. Iudæ num.11. cum ſequen.

Domus Iſrael ſperauit in Domino; domus Aaron ſperauit in Domino: Domus Chriſtianorum, omnes ſcilicet videntes Dominum, & qui in illum credunt, ſperant in Domino, qui ſaluabit eos à ſpiritu maligno. Similiter & domus Aaron ſpem habet eamdem. Sed cur diuiſit Propheta ſperantes filios Iſrael à domo Aaron? nonnè vnus populus Dei? Crederem ego, vt intelligeremus, nedum Sacerdotum, ſed & omnium fidelium eſſe Deum. Quamuis Aaron Sacerdos, & alij Deo ſeruientes, quorum pars ab alijs filijs Iſrael diuiſa eſt, quia de decimis oblatis illi Sacerdotes veſcebantur, filijs verò Iſrael ſpiritualia miniſtrabant; qui accipiebant ſpiritualia, & illis reddebant carnalia, accipiebant Pſalmum, plebs verò dabat Tympanum, Pſalm.79. vbi vide Auguſtin. propterea filiorum Iſrael, ideſt Chriſtianorum, vt eſſet eadem ſpes in Domino, & omnes ſine exceptione perſonarum ſcirent Deum eſſe Dominum, Numer.cap.19. per totum, & Eccleſ.cap.45.num.27. Domus ergo Iſrael ſperabit in Domino, ſicut & domus Sacerdotum, & Eccleſiaſticorum: Deus enim eſt Dominus omnium ſperantium in ſe. Sperate ergo in Domino, ò vos omnes fideles Chriſtiani, ſicut & vos omnes Sacerdotes, qui Domino ſeruitis in ſacrificijs, omnes ſperent, quia omnium eſt Deus.

Domus ergo Iſrael, populus Chriſtianus in tribulationibus huius mundi poſitus, ſuſtinens patienter ſperet in Domino adiutore ſuo; ſimiliter & Eccleſiaſtici Rectores, cæteriq. Sacerdotes ſperent in Domino, qui liberabit eos de malis hominibus, de tempore malo. Auguſtin. Spes quæ videtur, non eſt ſpes, quod enim videt quis, quid ſperat? ſi autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus. Sed vt perduret vſque in finem ipſa patientia, adiutor eorum, & protector eorum eſt. An fortaſſe ſpiritales, à quibus carnales inſtruuntur in ſpiritu manſuetudinis, quia ipſi tamquam ſuperiores pro inferioribus ſupplicant, iàm vident, & illis iàm res eſt, quæ adhùc

in-

inferioribus ſpes eſt? Non eſt ità, nàm domus Aaron ſperauit in Domino; ergo vt ipſi perſeueranter etiam extendantur in ea, quæ ſunt, & perſeueranter currant, donec apprehendant, in quo apprehenſi ſunt, & cognoſcant, ſicut & cogniti ſunt; vtriq. enim timenti Dominum adiutor, & protector eorum eſt.

Domus ergo Aaron, ſicut domus Iſrael ſperauit in Domino; perſeueranter ergo & Sacerdotum ordo ſperans in Domino, & Dominus adiutor eorum erit, vt nec illis noceat; maiores ergo, & minores timeant Dominum, quia vtriſque illorum Dominus adiutor eſt. Spes ſit, & timor nobis, & adiutor noſter factus eſt nobis; miſericordia Dei præueniat nos, vt timentes, & in illum ſperantes gratiam illius conſequi mereamur.

Dominus memor fuit noſtri, & benedixit nobis, benedixit domui Iſrael, benedixit domui Aaron, Luc. cap. 22. num. 29. Ego diſpono vobis, ideſt promitto, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam, ideſt fruamini ſummis delicijs, & num. 32. Ego rogaui pro te Petre, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Benedixit domui Iſrael, benedixit domui Aaron, Ioan. cap. 17. numer. 9. Ego pro eis rogo, quos dediſti mihi, & num. 11. Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, &c. rogo vt ſerues eos à malo, num. 15. Benedixit omnibus, qui timent Dominum, puſillis cum maioribus, Iſraelitis ſcilicet Chriſtianis, & Sacerdotum Ordini, fidem in Domino habentium, & Ioan. dicto cap. 17. num. 20. qui credituri ſunt in me, Apoſtol. ad Epheſ. cap. 1. num. 3. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, &c. in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ ipſius, quæ ſuperabundauit in nobis, &c.

Adijciat Dominus ſuper vos, ſuper vos, & ſuper filios veſtros. Benedictionem, inquit, adijciat ſuper vos, & ſuper filios veſtros, vt in fide, & in numero credentium creſcentes cognoſcat generatio altera, quia Ieſus Chriſtus filius eſt Dei, & Redemptor noſter, ſine cuius nomine nemo ſaluus eſſe poteſt. Mittat adijciens operarios, vt quæ ſterilis videbatur Eccleſia, fiat mater multorum, Iſai. dicto cap. 54. Vt reliquiæ Iſrael ſaluæ fiant, Iſai. cap. 10. nu. 22. ad Roman. cap. 9. num. 27. Adijciat Dominus ſuper vos; ideſt ad numerum veſtrum, ù Patres, ò Magiſtri, ad numerum veſtrum adijciat alios, & ità factum eſt, quia creuit numerus magiſtrorum, & ſequacium, ideſt filiorum illorum, acceſſit enim omnium gentium fides, & creuit numerus Antiſtitum, & obedientia populorum.

Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum, & terram, vos ſcilicet omnes, & puſilli, & maiores, qui fidem Domini ſuſcepiſtis, & veſtigia eius ſecuti eſtis.

Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum. Et cælum quidem, & terra Domini eſt, ſed tamen terram dedit filijs hominum; non vt homines ſint illius Domini, ſed vt eſſent illius cultores, vt operarentur in ea: operarij ergo ſunt homines, vt ſecundum Dei voluntatem, iuxtà illius præceptum operarentur, vt veniente Domino, is cui decem dedit talenta, alia decem ſuperlucraretur pro Domino, Matth. 25. num. 13. Quomodò verò lucraremur Domino, docet nos idem Dominus, dicens, Dare eleemoſynam, &

hæc

Digitized by Google

hæc omnia adijcientur vobis, Luc.cap.11.num.41. Vt fructus veſter maneat in æternum, Ioan.cap.15.num.16. Et Pater veſter, qui videt in abſcondito, reddet vobis, Cælum ſcilicet, vt cum Deo fruamini illo in æternum. Audi Dominum per Ioan. loquentem d. cap.15. nu.8. Poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat, &c. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret, quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus, &c. Si non ſunt de mundo, Deo ſeruientes, ergo ſedes eorum eſt in cælo, vbi ſtabunt Apoſtoli iudicantes duodecim Tribus Iſrael. Ad quos hos ſermones direxit Dominus? ad ipſum ſequentes: Matth. cap.19. num.28. Luc.cap.22.num.30. Vos, qui ſecuti eſtis me, ſedebitis, &c.

Cælum inſuper ipſi ſunt Apoſtoli, cælum omnes iuſti, 1. Corinth. c.3.n.16. Neſcitis, quia Templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis, & poſteà, Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos, num.17. Et cæli enarrant gloriam Dei, Pſal.18. Cælum ergo cæli Domino, hoc eſt, qui Verbum Dei ex verbis Apoſtolorum ſuſceperunt, & ipſi Apoſtoli, qui cælum dicuntur, & qui ex illorum lacte ſpirituali geniti ſunt, & vocantur cæli, quia illis etiam cælum debetur: hi omnes Domini ſunt. Terra autem terrenis filijs hominum. Qui tantùm terrena ſapiunt; homines dicuntur,& mortui ſunt Eccleſiæ Dei, ideò tamquam mortui non laudant Dominum,quia poſt mortem non eſt locus illis pœnitentiæ: à mortuo enim quaſi qui non ſit, perit confeſſio, Eccleſ. cap.17. & Prouer.18. Ideò non laudant Dominũ,neque omnes,qui deſcendunt in infernũ.

Cælum cæli Domino, ideſt vos Chriſti fideles,qui Dij eſtis,& filij excelſi omnes, Pſal.80.nu.6. Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine, etenim veritatem tuam in Eccleſia Sanctorum, Pſalm.88. nu.6.vbi dixi; hinc Auguſtin. hìc lit.N. Cælum cæli Domino, qui erexit, & ſublimauit quorumdam ſanctorum mentes in tantum, vt nulli hominum,ſed ipſi Deo ſuo docibiles fierent. In cuius cæli docibilis comparatione,quidquid carneis oculis cernitur,terra dicenda eſt, quã dedit filijs hominum, vt eius conſideratione, ſiuè ab ea parte, quæ ſuperilluſtrat, ſicut eſt hoc, quod dicitur cælum, ſiuè ab ea parte, quæ ſubter illuſtratur, cui propriè terra nomen eſt, cum totum, ſicut commemorauimus, in illius comparatione,quod cælum cæli dicitur, terra ſit. Terram ergo iſtam totam dedit filijs hominum, vt eius conſideratione, quantum poſſunt, conijciant Creatorem,quem infirmis adhùc cordibus ſine iſto coniecturæ adminiculo videre nõ poſſunt.Alium etiam dat intellectum Auguſt.quẽ per te videre poteris.

Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum. Mortui dicuntur peccatores in peccato permanentes; ideò non laudant Dominum, quia cum longè facti ſint à Domino, non recipiunt gratiam, quæ & longè ab ipſis facta eſt. Ideò mortui non laudabunt te, quia cum in profundum vitiorum venerit peccator, contemnit, vocem prædicantium audire ſpernit, Prouerb.cap.18.nu.3. Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, ſequitur eum ignominia, & opprobrium. Neque qui deſcendunt, & habitant in infernum.

Sed nos, qui viuimus benedicimus Dominum ex hoc nunc, & vſque in ſæculum. Nos ſcilicet, qui Chriſti fidem ſequimur,& bonum operamur,laudes Deo dare debemus, ex hoc quo incipimus intelligere, nunc modò, vſque in ſæculum, ſine fine. Nàm ſi Dominum laudabimus nunc & in ſæculum,neceſſe

erit,

erit, vt & nos præcepta ſua ſequentes, & in viam ipſius ambulantes, benè viuamus, vt Domino benedicamus. Quomodò autem poteſt benedicere Dominum, qui malè ambulat viuendo? quomodò per os noſtrum aſſumere Dei teſtamentum poterimus? Peccatori enim dixit Deus, quare aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Pſalm. 45. num. 16.

SOLILOQVIVM.

IN exitu de Ægypti tenebris, anima mea, confitearis, quia peccaſti nimis Deo, & proximo tuo in vita tua; & cognoſcens quæ Dei ſunt, fuge huius mundi laqueos, vt gaudium ſit in cælo ſuper te pœnitentiam agente. Ecce Dominus vocauit te: quia clemens reſpexit te, vt fugeres omnia terrena. Præbeas illi cor tuum durum, qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum, vt lacrymarum flumina de corde tuo erumpant, & lauent crimina, & delicta tua. Pœnitens ſis, quia peccaſti, non tamen glorieris, quia à tenebris peccati exiſti. Sed gloria ſit Domino in ſæcula, qui te peccatorem reſpexit in humilitate tua. Potens eſt Dominus, quia voluit, ſit ergo illi gloria ſempiterna, qui me reſpexit; qui me vocauit; ipſius enim ſunt cæli, ipſius eſt terra. Cætera extra illum vana, & manuum hominum opera tranſitoria. Sit, anima mea, ſpes tua ſemper in Domino, qui in mundum venit, vt te redimeret à morte ſanguine ſuo. Iuſtus eſt Dominus, ideò illum diligas cum timore, & tremore; & gratiam ſuam ſuper te adijciet, vt facta dignum eius Tabernaculum, fruaris illo in gloria, in cælo, ſedente ipſo in te, quatenus ſedes ſapientiæ es. Fugiant à te, qui tibi mala cupiunt, ne cum mortuis in infernum te trahant. Non enim ibi eſt laus Domino, quia ij longè facti ſunt à Deo; ſed cum viuentibus, & ambulantibus in via Domini benedicas & tu Dominum in ſæculorum ſæcula.

Vos Sancti omnes, quorũ hodie feſtum præuenimus, orationibus veſtris mihi peccatori ſuccurrite, vt Chriſtus Redemptor omnium, reſpiciat me ſuum famulum, Beatæ ſemper Virginis, & veſtris precibus placatus, recipiat me vobiſcum in Tabernaculum ſuum. Sancti Apoſtoli Dei, omnes ſancti Patriarchæ, & Prophetæ, omnes ſancti Pontifices, & Confeſſores Domini, omnes ſancti Doctores, & Martyres, ſancta Anna, Catharina, omnes ſanctæ Virgines, & Viduæ, omnes ſancti, & ſanctæ Dei orate pro me, & pro omnibus charis meis, qui adhærent mihi, vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Amen.

IN PSALMVM CXIV.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem deprecationis meæ.

TITVLVS. Alleluia: In præcedenti Pſalmo ad laudes Domini humiles, tàm Iudæi, quàm Gentiles credentes ſimul inuitati fuere; verùm quia non omnes ſciunt, quomodò laudandus ſit Dominus; ideò Dauid hìc id nos docet, dicens: Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem deprecationis meæ. Non dixit, Dilexi, quia exaudiuit, ſed, quia exaudiet: dilexit ergo, quia exaudiet. Cantet hoc

Digitized by Google

hoc Gentilitas, quæ mortua erat: cantent hoc Iudæi, qui non crediderant: cantet hoc peccator, qui longè à Deo per peccatum factus fuerat: cantet hoc anima noſtra, dicit Auguſtin. erudiamur, & permaneamus; & cum Sanctis, vt iuſta cantemus, docet Propheta. Dilexi, quoniam exaudiet Dominus, dilexi, quoniam aurem ſuam inclinauit Dominus mihi. Sed vndè ſcis, quòd inclinauit aurem ſuam? quia, inquit, credidi; manent igitur tria hæc, Fides, Spes, & Charitas; quia credidiſti, ſperaſti, quia ſperaſti, iàm dilexiſti; qui ergo laudes dare Deo vult, prius fidem, ſpem, & charitatem habere debet; ideò pro noſtri documento poſitus eſt præſens Pſalmus, vt ſciamus quòd Dei laudes præcedere debent prædicta tria hæc. Ideò dicit Auguſtin. quia credidiſti ſperaſti, quia ſperaſti, iàm dilexiſti; inclinauit autem Dominus aurem ſuam tibi, quia prius dilexit te, & filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, ad Rom. cap. 8. num. 32. Alleluia ergo cantemus, qui de exitu ab Ægypto, de populo barbaro, à tenebris liberi facti ſumus, ſed fidem firmam teneamus, quia Dominus Ieſus eſt filius Dei viui, qui ſanguine ſuo nos redemit, ad Rom. cap. 10. nu. 14. Quomodò inuocabimus, ſi in Dominum noſtrum Ieſum Redemptorem non crediderimus? & ſi non audimus, quomodò illi credemus? quomodò audiemus ſine prædicante? & quomodò prædicabunt, niſi mittantur? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, vt in nobis geſta videamus, & credamus etiam, quòd aurem ſuam Dominus inclinauit omnibus inuocantibus eum, in ſpe, fide, & charitate.

Dilexi ergo, quoniam exaudiet Dominus vocem deprecationis meæ. Quia inclinauit aurem ſuam mihi, & in diebus mei inuocabo. Diſcant ergo Dominum laudare volentes, vt illis fides ſit viua per dilectionem, & tunc dicant monti huic ſine hæſitatione, tollere, &c. Matth. cap. 17. nu. 19. Amen quippè dico vobis, dicit Dominus, ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, & dicetis monti huic, tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis. Adauge nobis fidem, dixerunt Apoſtoli, Domino; dixit autem Dominus, Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, & dicetis huic arbori moro, eradicare, & tranſplantare in mare, & obediet vobis, Luc. cap. 17. nu. 6.

Dilexi, quoniam exaudiet me Dominus. O magna virtus amoris in Deum, præuenit amor orantis petitionem; Dilexi, quoniam exaudiet; nondum petiſti, & quia diligis Deum, ſcis quia exaudiet. Velocius currit conceſſio gratiæ quàm oratio ſupplicantis, Auguſt. Pſalm. 39. litera A. Ipſe amor curſus eſt, currentes omnes in agone amant ſe, & ipſe amor curſus eſt, dicit idem Auguſtin. ſit ſpes noſtra Dominus Deus noſter: qui fecit omnia, melior eſt omnibus, qui pulchra fecit, pulchrior eſt omnibus, qui fortia, fortior eſt; qui magna, maior eſt, quidquid amaueris, illud tibi erit. Diligamus ergo Dominum, quia in illo eſt quidquid boni deſideramus in æternum, Regnum nempè cælorum. Dilexi, quoniam exaudiet vocem deprecationis meæ, ſed quæ deprecationis vox, vt exaudiatur?

Cuſtodiens paruulos Dominus, & liberauit me. Quomodò liberauit? Quia factus ſum paruulus, humilis, ac pœnitens, ideò per paſſionem ſuam liberauit me. Dilexi, quoniam exaudiuit me Dominus, Dilexi quia prior ipſe dilexit me. In quo dilexiſti? In eo quòd in tribulationibus patiens fui; quòd nomen Domini inuocaui; quòd paruulum coram illo me exhibui, & delicta mea con-

Digitized by Google

confitens, lacrymis ſtratum meum rigaui,quòd ipſi ſoli peccaui ; mundusq. per eius gratiam factus,ſicut paruulus corã Domino fui,in quo humiliatus ſperaui.

Conuertere igitur anima mea in requiem tuam , quia Dominus benefecit tibi. Sed cur cæteri petunt à Domino, & non habent: Dauid verò petit,& ſcit quia accipiet ? Diſcas tu cum Dauide petere,& habebis ſicut ille. Cæteri petunt orantes , & non habent, eo quòd malè petant , Iacob.cap.4.nu.3.Petitis, & non accipitis , eo quòd malè petatis , vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis , Deus ſuperbis reſiſtit , humilibus autem dat gratiam , & humiliatus liberauit, &c.

Dilexi , quia inclinauit aurem ſuam mihi . Quid petijt , quia Dominus ſe ad illum inclinauit ? Veni, inquit,Domine, noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ , Habac. cap.2.nu.3. Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet,& non tardabit . Quis ſum ego , dicebat Moyſes, vt vadam ad Pharaonem ? Exod.c.4. nu.17. Mitte quem miſſurus es, qui potens erit liberare populum tuum à perditione, Iſai.cap.64. nu.1. Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes, à facie tua montes defluerent , & arderent igni,&c.

Inclinauit aurem ſuam . Deſiderium enim pauperum exaudiuit , præparationem cordis eorum audiuit auris tua , Pſalm. 10. nu.17. Inclinauit aurem ſuam mihi , quia exurgens miſerebitur Sion ; quia venit tempus, Pſalm.101.num.13. & 14. Mittet enim Dominus Saluatorem, qui liberabit eos, & cognoſcetur Dominus, Iſai.cap.19.num.20. Et ecce quia Propheta in ſpiritu eum vidit venientem, Zach.cap.5. nu.12. Ecce vir oriens nomen eius, & num.15. Et qui procul ſunt venient, ecce Deus noſter iſte , dicebat Iſai. cap.25. num.9. Et lætabitur deſerta, & inuia, Iſai.c.35. in princ. Inclinauit aurem ſuam mihi,quia quem deſiderabam, venit, Iſai.c.9.nu.6. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius : & vocabitur nomen eius, Admirabilis , Conſiliarius , Deus fortis , Princeps pacis , Pater futuri ſæculi . Vndè Baruch 3.nu.38. Poſt hæc in terris viſus eſt,& cum hominibus conuerſatus eſt, Ioan.1. Et Verbum caro factum eſt , & habitauit in nobis : Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham , Matth.1.num. 1. Cum ergo filium Dei Ieſum Chriſtum ex me naſciturum , & redemptorem mundi cernerem , inquit Dauid, quomodò non crederem, quòd inclinauit aurem ſuam mihi? Nunc cognoui , quia Dominus ſaluum fecit Chriſtum ſuum,num.17. Sed quomodò cognouiſti ù Dauid? In diebus meis inuocabo . Quamdiù in tenebris ſum , in cuſtodia , in carcere ſum , dixi , Domine educ de cuſtodia,de carcere iſto animam meam , ad confitendum nomini tuo , Pſalm.141. nu. 8. Veniat plenitudo illa temporis, veniat filius tuus , ſicut promiſiſti , 2. Corinth.c.6.nu.2. Tunc tempus acceptabile ; dum in carcere iſto cuſtoditur anima mea ; Anima mea turbata eſt valde , ſed tu Domine vſquequo ? Pſalm.6.nu.4. Dilexi , quoniam exaudiet Dominus deprecationem meam . Nunc dies ſalutis , quia veniet Dominus , & non tardabit . Ecce, inquit, adſum propinquus omnibus inuocantibus me , Pſalm. 144. nu.8. Iſai.c.58.nu.41. Quia inclinauit aurem ſuam mihi, quia ex ſemine meo naſci dignatus eſt ; & homo factus inclinauit aurem ſuam. Cæterum in Deo non ſunt aures , per quas clamores noſtros intelligat, niſi per Ieſum Chriſtum filium ſuum, adeòq & in omnibus orationibus ab Eccleſia fit talis terminatio,per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum,&c.Pſal.16.nu.6.Ego clamaui, quoniam exaudiſti me , inclina aurem tuam mihi,& exaudi verba mea.

Dile-

Digitized by Google

Dilexi, quem dilexisti? dilexi Dominum meum, quem inuocaui, dilexi & proximum meum, gentem ex semine Abrahæ ortam, & nascituram, quæ propter peccatum perdita erat, & ideò sequitur Propheta.

Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me. Dolores mortis, peccati nempè, quod ducit ad mortem: sed multò magis inferni pericula considerans, quia procul à te facti errantes à via vera, expositi sumus omnibus malis, & per peccatum morti æternæ, Ezech.c.18. & 33. Ideò exaudies me, quia tu venire promisisti, vt redimendo nos sanguine tuo, & satisfaciendo Patri pro culpa Adæ, morte tua mortem nostram tolleres. Sed nũquid quia Dominus iàm venit, & iustus saluabitur si peccauerit? Non certè, dicit Dominus, vt Ezech.d.cap.33. sicut è contrà, si iniquus ab iniquitate sua recesserit, & bonum fecerit, saluabitur, & Dominus non recordabitur iniquitatis eius. Quid profuit aduentus Domini iustis peccantibus? iustus non erit, si ad iniquitatem se conuerterit; sed si pœnitens iterum iustus fiat, recedendo ab iniquitate, & confitendo, & lacrymis sua delicta deplorauerit: misericors Dominus illi ignoscet, qui suis discipulis, & successoribus reliquit potestatem dimittendi peccata, non solum, vt dicebat Petrus septies, sed septuagies septies, ideſt quandocunque pœnitens recesserit ab iniquitate, & viuens confiteatur illa; post mortem enim non est confessio, Matth. capit. 18. numer.21. & 22.

D. Hieronym. hìc. Dolores mortis, malæ cogitationes sunt; pericula inferni, opera mala sunt, illud primum in speculatione, istud vltimum in opere, ideſt in practica; ibi enim dolor, & parturitio, hìc autem periculum est vicinum morti. Repellas ergo malas cogitationes, ne in illis morando, venias ad peccati consummationem, quod generat mortem, Iacob.1.num.15.

Audi contrà supradicta Dauidem remedia consulentem, & dantem. Tribularis, quia tentaris? Doleas, Et nomen Domini inuoca, quia liberabit te. Cum Paulo clama ad Dominum, vt discedat à te Angelus Satanæ, qui te colaphizat. Ter enim ipse Dominum rogauit, & responsum habuit à Domino, dicente, Sufficit tibi gratia mea, nàm virtus in infirmitate perficitur, patienter scilicet sustinendo, & tentationibus diaboli resistendo, inuocando Dominum, qui non patietur te tentari vltra vires, vltra illud, quod potes, 1.Corinth.10. num.13. & faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possis sustinere, quod etiam asserit Propheta Dauid, dicens.

O Domine libera animam meam, misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur. Nec tibi amarum videatur, quòd flagellat, etenim dulce illud est omne, quod gratia sua recipis. In paucis vexati, in multis benè disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se, Sap.cap.3. Quem enim diligit Dominus, castigat, ad Hebr.12.num.6.

O Domine qui custodis paruulos, & humiles non despicis, sed misereris, quia iustus es, libera animam meam, tu enim misericors es, & misereris omnium sperantium in te, miserearis populo tuo in te credenti, ecce paruulus factus est, sicut & ego humilis spiritu, & liberasti me; Multæ enim sunt iustorum tribulationes, & de omnibus his liberabis eos Domine: humiliatus sum, qui prius humilia despiciens, in vanitatibus superbiæ gloriabar, peccaui, & confitentem tibi, ac pœnitentem, tu Domine liberasti me.

Digitized by Google

Conuertere anima mea in requiem tuam. Quam prius habebam, quando puer eram, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & percutiebam eos, eruebamq. de ore eorum, & apprehendebam mentũ eorum, & ſuffocabam, interficiebamq. eos, nàm & leonem, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus, &c. 1. Reg. 17. nu. 34. Quis eſt iſte Philiſtæus incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis? Eccleſ. c. 47. num. 5. Nunquid non occidit Gigantem, & abſtulit opprobrium de Gente? Superbum occidiſti, cum humilẽ puerum, & pauperem te exhibuiſti, poſteà exaltatus quid ſuperbiſti? Conuertere in humilitatem tuam, & cognoſce, quia dum exaltatus ſuperbiſti, humiliatus à Deo fuiſti; nunc conturbatus in requiem tuam, quam amiſeras, conuertaris: neque glorieris, quia etſi puer leonem, & vrſum interfeciſti; haud virtute tua hoc factũ, ſicut etiam & quòd Goliath occidiſti; Sed quia tecũ erat manus Domini. Hoc benè confitetur Propheta ſanctus; adeòq. tamquam expertus monet fideles; quia & ipſe poſtquam exaltatus à Domino, cum elatus in ſe eſſet in peccatum incidit adulterij, & homicidij: humiliatus autem poſtmodum, & Dominus tranſtulit, ait, peccatum meum, & liberauit me, 2. Reg. 12. num. 25. Conuertere anima mea in requiem tuam, noli amplius peccare; noli te extollere; Dominus enim benefecit tibi, quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu.

Eripuit animam meam, inquit, de morte, quia liberauit eum à peccato, ab iniquitate, omnis enim peccator iniquus eſt, 1. Ioan. 3. num. 4. omnis, qui facit peccatum & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas, immo ab infidelitate eripuit, Matth. 8. num. 21. Dimitte mortuos ſepelire mortuos, & ideò ſuprà Pſal. 113. in fine, Non mortui laudabunt te Domine; eripuit ergo eam de morte ad vitam, quia factus eſt fidelis, Ioan. 5. num. 24.

Oculos meos à lacrymis. In ſpe completum, dicit Auguſt. lit. E. hæc enim inquit, in ſpe erga ſe cantat, quiſquis huius carnis vinculum intelligit, verè quippè dictũ eſt, humiliatus ſum, & ſaluum me fecit, &c. nunc enim cum lapſus noſtros periculoſiſſimos cogitemus, non ceſſant à lacrymis oculi; tunc autem eximet oculos noſtros à lacrymis, quando & pedes à lapſu; quia tunc nullus erit lapſus ambulantium pedum, quando infirmæ carnis nullũ erit lubricum.

Eripuit oculos meos à lacrymis, & pedes à lapſu, & ideò ſequitur Pſalm. Placebo Domino in regione viuorũ. Non dicit, placeo. Sed nunquid etiam viuẽs poterit à lacrymis abſtinere, cum à lapſu etiam in via pedes ſuos abſtineat, benè in Chriſto viuẽdo? Ægrotabat filius Bethſabeæ, & Dauid, plorabat, ieiunauit proſtratus ſuper terram; ſublata eſt pœna peccati, mortuus eſt puer ex adulterio: ſurrexit Dauid, & ſe lauit, vnxit, & comedit, nec lacrymas amplius effudit, eripuit animam eius de morte, oculos à lacrymis, pedes à lapſu, reuixit qui mortuus erat, quia tranſlatũ eſt eius peccatum. Nonnè de illo dictũ à Deo. Inueni hominem ſecundum cor meum, Act. 13. Scimus enim quia in corde Dei non habitat iniuſtus; vndè Paul. Sic pugno non quaſi in incertum aërem verberans, 1. Corinth. 9. tamen mox ſubijcit ibid. ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutẽ redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar, & 2. Timoth. 1. Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem, & numer. 14. Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis. Quid ad hæc dicendum, cum non ſolum in ſpe,

ſed

sed & viuens hæc dixerit Propheta ? ego dicerem, quòd hic Propheta non excludit sui corporis maceratione m, nec lacrymarum effusionem, sed quia Dominus illum à malo seruauit, licet esset in mundo, Ioan. 17. Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo ; illuminando prohibuerit pedes Prophetæ à lapsu, quia credidit, quia spem in eo habuit, quia dilexit, ideò peccatũ saltem mortale fugauit, viam Dei non dereliquit, & quia hæc est gratia Dei, ideò à lacrymis fusis, quia peccauerit eripuit ; pedes à lapsu, quia in viam Domini illos direxit, nec ab illa amouit, quia misericordia Dei ipsum secuta est. Nec amouit, inquit, misericordiam suam à me, Psalm. 65. numer. 19. Benedictus Deus, qui non amouit orationem suam, & misericordiam suam à me ; Dilexi, quoniam exaudiet me Dominus, & quia inclinauit aurem suam mihi, & in diebus meis inuocabo. Quomodò inuocabit ? quia in via Domini ambulauit. sed quomodò ambulauit in via Domini ? spe nempè, fide, & charitate. Sed si in via Domini ambulabit, quomodò tribulationes, & tentationes fugiet ? quomodò liberatus ? quia Sancti gratia Dei, & virtute Spiritus sancti vicerunt regna, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, ad Hebr. cap. 11.

Eripuit ergo oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu. Ibant etiam sancti à conspectu concilij gaudentes, quoniam digni facti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, Act. Apostol. cap. 5. nu. 41. Et quia hæc omnia operatus sanctus Dauid, adiuuante Deo, ideò securus dicit. Placebo Domino in regione viuorum. Placebo perfectè, quia à vijs suis hìc non declinabo, & ibi nullus erit lapsus ambulantium pedum, nullum infirmæ carnis lubricum, nec oculorum gemitus, quia æternaliter ibi viuitur. Securus dixit, quatenus hæc est promissio Iesu Christi, Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo ? quid scriptum est in lege ? Luc. 10. nu. 25. Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum, sicut teipsum, dixitq. illi Dominus : hoc fac, & viues : & tunc perfectè Domino placebit, quia nulla macula peccati ibi remanebit ; Placebo Domino in regione, inquit, viuorum, ergo regio hæc nostra, vbi nunc sumus, est mortuorum.

SOLILOQVIVM.

VBI iaces anima mea ? tu sanè misera, quia peccasti nimis in vita tua : quomodò Deum dilexisti, si semper in luto iacuisti ? si se miserum dicebat vas electionis, & quis liberabit me de corpore mortis huius ? quid dices ipsa, quæ tota immunda es ? Te laudant homines, quia aliquid boni forsan fecisti ? & quid dedisti, quod prius non acceperis ? nunquid gloria tua erit id reddere Deo, quod is tibi dedit, si forsan reddidisti ? Nosce, nosce conscientiam tuam anima peccatrix. Scio qualibus cogitationibus cor meum fluctuat, dicebat Hieronymus ille sanctus : & tu peccatis inuoluta, quantæ tibi insurgunt concupiscentiæ ? Video aliam legem repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo, quæ veniunt in cor meum, me inuito. Conuertere ad Dominum anima mea, vbi est requies tua : credas firma fide, quòd si pœ-

Digitized by Google

nitens clamaueris, te etiam exaudiet, & aurem ſuam inclinabit ad te. Confitere in diebus tuis, dum viuis, & ad illum clamans dic; Dolores mortis, peccatorum meorum memoriam recolens, circumdederunt me, & pericula inferni inuenerunt me; ecce Domine ad te venio, & nomen tuum, quod eſt Ieſus, ac Saluator inuocans dico, Salua me fons pietatis, qui miſerando ſaluas gratis. O Domine libera animam meam, tu Deus, qui miſericors es: miſerearis mei. Pauper ſum ego, & humiliatus ante te. Qui cuſtodis paruulos, reſpice in me, & miſerere mei, cum non expellas conuerſos ad te. A morte animam meam eripe, vt in regione viuorum placeam tibi, vbi non eſt gemitus, nec pedum lapſus. Omnes Sancti, & Sanctæ Dei orate pro me, vt dignus efficiar promiſſionibus Chriſti: Glorioſa Virgo Maria Dei Genitrix ſuccurre, apud Dominum intercede, & protege. Amen.

IN PSALMVM CXV.

Credidi, propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

ITVLVS, Alleluia. Pſalmum iſtum vnum eſſe cum præcedenti, dixerunt aliqui: verùm cum ab illo ſeparatum nobis proponat Vulgata, ſicut ſenſere Auguſtinus, Hieronymus, alijq. Interpretes, continuabimus eum ſic ad illum, vt cum in illo aſſertum eſſet, ad laudes Deo benè dicendas, tria præcedere debere, ſi in regionem viuorum accedere volumus, nempè fidem, ſpem, & charitatem; quia fides ex auditu, auditus verò per verbum Dei; audiuerit Propheta in ſpiritu, quæ dicta ſunt, & crediderit, propterea immediatè hunc ſubiecerit Pſalmum, Credidi, propter quod locutus ſum; ego autem humiliatus ſum nimis.

Incipit ergo Pſalmus, Credidi, propter quod locutus ſum, ſed quid eſt locutus? quia credidit, ideò ſperauit, & quia ſperauit iàm dilexit; Credidi ergo quod audiui, nempè, qui nomen Domini inuocauerit, ſaluus erit. Et quod nomen eſt illi? Ieſus Chriſtus, qui venit, & paſſus eſt, vt me liberaret; Beati pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona, Iſai.cap.52.

Credidi, propter quod locutus ſum; Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te, & dedi hęreditatem tuam, & poſſeſſionē tuam terminos terræ, Pſal.2. in fine. Credidi ergo quod qui ex me naſciturus erat à Domino, vt ſaluaret totum mundum, filius Dei eſt, quem Deus Pater hodie genuit, ideſt qui ſemper generatur à Deo Patre, cum quo vnus eſt Deus, qui ità dilexit mundum, vt vnigenitum ſuum dederit in redemptionem omnium in ſe credentium, & quia ipſe deſcendit de cælo, & humilians ſe carnem noſtram ſuſcepit, & ità humiliatus eſt, vt nec reputaretur homo, Iſai. cap.53. numer.4. & humilia reſpexit, vt alta à longè cognoſceret, Pſalm.137. numer.6. Ego pariter in eius viam gradiens humiliatus ſum nimis, ideſt valdè, & cognoui in exceſſu mentis meæ, quando ad Deum conuerſa eſt anima in ſpiritu, quia omnis homo mendax. Cur mendax? quia terrenus terrena docet, vt homo in terram conuertatur, quia ſcilicet vanitas vanitatum, & omnia

Digitized by Google

omnia vanitas, præterquam laudare Deum, & illi ſoli ſeruire, Eccleſ. cap. 1. numer. 1. Ego dixi, omnis homo mendax: Græci ſecundum D. Hieronymum habent, omnis homo mendacium? quaſi mendacium, & vmbra, Pſalm. 38. num. 6. Vniuerſa vanitas omnis homo viuens. In imagine, in vmbra pertranſiet homo, omnis ergo homo mendacium, ideſt vmbra. Si verò ſecundum interpretationem Doctorum Eccleſiaſticorum dicamus, omnis homo mendax; Verè mendax eſt omnis homo, vt homo; & quandiù homines ſumus, terrena ſapientes, mentimur.

Dij ergo cum Dauide ſimus, & tunc quia quæ Dei ſunt ſequimur, verum dicemus, Placebo Domino in regione viuorum, non in regione mortuorum, provt ſumus homines peccantes, & quæ ſunt Dei non ſapientes. Ideò in ſuperiori Pſalm. 81. num. 7. Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de Principibus cadetis, in num. verò 6. Ego dixi: Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Quæramus quæ ſunt ad ſalutem animæ, ſequentes Deum, & Dij erimus; & loquentes quæ Dei ſunt, non mentiemur, vt homines, ad Roman. cap. 5. litera A. Omnis homo mendax, Deus autem verax. Credidit ſanctus Propheta, quia diuina audiuit, diuina nos & ipſe docuit, credidit ipſe, credamus & nos diſcipuli eius, vt in regione viuorum placeamus Deo Redemptori noſtro. Sed haud exinde quòd gratiam Dei adeptus ſit Propheta, elatus eſt, vt loquatur nobis, ſed humiliatus nimis, id aggreſſus eſt docendi munus, vt & nos, ſi diuina percipere volumus, humiles eſſe diſcamus. Magiſter Dauid, vt perciperet, quæ ad ſalutem ſunt, humilis factus nimis, & tu diſcipulus eius, vt percipias elatus incedis, & ſuperbus?

Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax. In exceſſu mentis dicit, quia aſſumptus ex inſpirata reuelatione ſibi ex Dei voluntate exhibita conſiderauit nihil ſe eſſe per ſemet vt hominem, ſi ergo tu homo exiſtimas te aliquid eſſe, cum nihil ſis, mendax es, & teipſum ſeducis, ad Galat. cap. 6. num. 3. Quid gloriaris, quia in carne ſeminaſti? Homo es, & de carne metes corruptionem. An ignoras: corruptibile hoc oportere induere incorruptionem? 1. Corinth. 15. num. 53. Tu tibi ipſi mendax es, quia te corruptibilem facis, qui ad ſimilitudinem Dei creatus es, vt incorruptibilis, ſi ſpiritu ambulaſſes, & in ſpiritu ſeminaſſes vitam æternam de ſpiritu meteres. Redde cui debes ſpiritum Deo, qui te creauit, alioquin fur, & latro es; qui alienum rapis. Mendax, quia in Baptiſmo vitam æternam velle dixiſti, Deo ſeruire promiſiſti, & diabolo inſeruis; qui te ſecum trahet in infernum. Omnis homo mendax, qui animam ſuam carni tradit, vt vtramq. perdat in gehennam.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Quid prius illi dediſti, quod Dominus retribuit tibi? Quæ præceſſerunt niſi peccata, quæ verè tua erant? Præceſſerunt peccata tua, & retribuit Dominus pro malis bona.

Quid retribuam Domino? Audi reſponſionem. Præbe fili mi cor tuum mihi, & oculi tui vias meas cuſtodiant, Prouerb. 23. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Quomodò pro omnibus? quia ex progenie mea, inquit Dauid, pro omnibus, ideſt pro ſalute omnium naſci voluit, & pati, & crucifigi. Pro omnibus tibi gratias ago, dicit Dauid, quia cum Pater ſim tuus, Matth. capit. 1. Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid;

pro omnibus qui te confitentur filium ex carne mea, quam aſſumere dignatus es, qui es filius Dei viui: qui ideò in hunc mundum veniſti, vt ſalutem dares hominibus, te Deum, & Dominum noſtrum ſequentibus.

Quid retribuam tibi pro omnibus fidelibus tuis? Id retribuere enitar, quod tu Domine iuſſiſti, dicens: Qui vult venire poſt me, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me, Matth. cap. 16. num. 24. Calicem ſalutaris & ego accipiam, vt & cæteri fideles tui ſequantur te. Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi, qui me perditum liberans à morte, dediſti mihi intellectum, vt ſcirem mandata tua, propter quæ cognoui, quòd non eſt alius extrà te, qui ſalutem præſtas paruulis. Profectò omnis homo mendax, qui tecum non eſt in hoc mundi deſerto.

Credidi, propter quod locutus ſum. Quis ſum ego, vt Dominus tanta tribuat mihi? Quicquid habeo totum tuum eſt, Non retribuam, ſed reddam quia tuum eſt: & hoc tibi ſufficit Domine, cuius gaudium eſt ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſupra nonaginta nouem iuſtis, qui non egent pœnitentia, Luc. 15. num. 7.

Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo; Non turbabor, ſi propter te tribulabor, ſi patiar, ſi ſanguinem effudero, patienter ſuſtinebo, nemo ſeparabit me à charitate tua, ad Roman. 8. num. 35. non tribulatio, non anguſtia, non fames, non nuditas, non gladius, &c. ſed in omnibus ſupero, propter eum, qui dilexit me, &c. Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero.

Calicem ſalutaris accipiam: Auguſtin. O homo peccato tuo mendax, dono Dei verax: & ideò iàm non homo, quis tibi dabit calicem ſalutaris, quem accipiens, & inuocans nomen Domini, retribues ei pro omnibus, quæ retribuit tibi? Quis niſi ille, qui ait, Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Quis tibi dedit imitari paſſiones ſuas, niſi qui propter te paſſus eſt prior? Ideòq.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius, Non ſecretò, ſed publicè confitebor tibi; non timore pœnæ, vel martyrij ceſſabo ab inuocatione nominis tui; ſed coram populo moriturum pro tui nominis confeſſione, & voluntariè ſacrificabo me tibi; pretioſa enim, & laudabilis nimis in conſpectu Domini mors ſanctorum eius: Viſi enim ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace, Sap. cap. 3.

O Domine quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius Ancillæ tuæ. Ad diſtinctionem aliorum, qui non ſunt filij Ancillæ, filij Eccleſiæ Dei, hi enim etſi ſerui Dei, non tamen filij Ancillæ, vt qui extrà Eccleſiam ſunt, qui non ſunt ex ouili Chriſti, ij quippè & ſi aliquando patiantur, non tamen propter Deum, ſed vt videantur ab hominibus ſerui Dei; miniſtri tamen diaboli mendaces, & ex patre diabolo, quia faciunt opera eius, cor eorum longè à Deo, Ioan. cap. 8. num. 44.

Vota reddam coram omni populo eius; ò Domine, quia ſeruus tuus, Non in occultò, ſed manifeſtè teſtificabor, quia tu es Deus, & ego ſeruus tuus; ego ſeruus tuus, quem prius ſeruum peccati redemiſti tu Deus meus, & nunc ſeruus, & filius Ancillæ tuæ Eccleſiæ. Iàm liberaſti me à peccatis meis, eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos à lapſu.

Diru-

Dirupisti vincula mea; solutus à peccato, humilis, & paruulus, ideò factus, vt sequi te possim; nunc sacrificabo tibi hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Quia credo Domine, & confiteor te esse filium Dei viui; Redemptor meus, & Dominus meus; tibi laus, tibi gloria: mihi autem spes, & dilectio, inuocando semper nomen tuum in omni tempore. Gloria tibi Domine, qui me errantem à via, in seruum tuum dignatus es vocare, me seruum tuum passione tua liberare. Dictu mirabile, quòd Dominus sanguine suo, seruum redimere voluerit; vincula mea dirupisti, peccata mea delesti, vulnera mea sanasti; tibi sacrificabo hostiam laudis. Sacrificium tibi Deo spiritus contribulatus, Psalm. 50. Dirupisti vincula mea, peccata mea, virtute martyrij: qua vincula rumpuntur, dum omnia sanguine abluuntur. Tantæ virtutis creditur esse iste versus, vt peccata homini dimittantur, dicit Cassiodorus, quem refert Lombard. Sententiarum Magister in hoc loco, si in fine vitæ corde contrito, trina confessione dicatur: hæc ille. Tibi igitur sacrificabo, quia lotus, & factus liber nomen tuum inuocabo; vt vota mea tibi Domino reddam in conspectu omnis populi eius: in atrijs domus Domini, in medio tui Ierusalem. Quæ vota reddet? seipsum vouet, seipsum reddet Deo, ad cuius imaginem se factum cognoscit. Vbi reddes? In atrijs domus Domini. Quæ est domus Domini? Ecclesia, quæ est ancilla Dei, idest populus Dei, electi Dei, Isai. 60. num. 21. Populus tuus omnes iusti, & nomen Domini inuocabo, ait, iuxtà id quod ab illo dictum est, Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum, Isai. 43. nu. 7.

SOLILOQVIVM.

PLACEBIS Domino anima mea in regione viuorum, si quod locuta es, credideris, & humiliata, & in te reuersa conspicies, quòd omnis homo mendax. Credo ego omnia esse vanitatem, & omnem qui confidit in homine esse maledictum. Quid retribuam Domino, qui dedit mihi intellectum, vt non recedam ab eo? Præbe illi teipsam anima mea, calicem salutis accipiens, & eius inuocans nomen, vt in eius gloriam creata illi vota tua reddas in conspectu omnis populi eius. O quàm pretiosa est mors sanctorum eius. Abnega teipsam, tolle crucem Domini, & sequere eum, inuoca ipsum, dicens, Ecce ego seruus tuus sum, & filius Ancillæ tuæ, Ecclesiæ tuæ sanctæ, Dirupisti vincula mea, peccata mea, non timeo tormenta mundi, quia nomen tuum inuoco. Cor contritum meum ne despicias. Ecce Domine, quæ eram perdita, nunc lota, quia dirupisti passione tua vincula mea, peccata mea; suscipe me famulum tuum, te toto corde laudantem, vt cum iustis tuis adscriptus, merear tecum esse in vita æterna.

Festum dedicationis Templi Ioannis est hodie, Vtinam & ipse sanctum, tibiq. dicatum sim templum. Teipsum quæro Domine Iesu, te solum volo, fac me lætari, quòd te Deum meum Redemptorem inuenerim.

O Glorioſa Domina succurre animæ meæ in hoc deserto existenti, vt tui intercessione pura, & lota tota, inueniatur apud Deum, tecumq. & cum Theodoro Martyre lætus canam: Benedicam Dominum in omni tempore. Amen.

IN

Digitized by Google

IN PSALMVM CXVI.

Laudate Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes populi.

ITVLVS, Alleluia. In præcedenti dictum est de votis Prophetæ reddendis in medio Ierusalem, & ne gloriarentur Iudæi, quòd de Synagoga eorum intelligeret Propheta in Ierusalem: sequitur Psalmus iste: Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi; Sicq. de populo Gentili, & de alijs in Dominum credentibus, in omnibus mundi partibus existentibus loquitur, quos vocat ad suscipiendam fidem Christi, & ad laudandum Dominum in omnibus Ecclesijs: hæc enim sunt atria domus Domini, ille omnis populus eius; omnes enim iusti populus Domini, Isai. cap. 60. nu. 21. omnes ergo fideles, qui iàm ex Gentilitate, & Iudæi credentes, laudare debent Dominum in Ecclesia Sanctorum. Laudate omnes gentes, quoniam confirmata est super nos misericordia eius. Quia venit Dominus, & cum illis misericordiam fecit, quia pro illis etiam mortuus est Dominus, vt & ipsi salui fierent. Laudate omnes populi, omnesq. Tribus Iudæorum, quia veritas Domini manet in æternum. Quem enim Deus promisit, se missurum filium suum, vt nos redimeret, iàm venit. Confirmata est ergo super credentes omnes misericordia eius, quia illos à morte, suo sanguine redemit ad vitam. Laudate Dominum omnes iusti, quia veritas Domini manet in æternum; vt qui mala egerunt, in ignem æternum detrudantur. Hieronym. Futura apud Dominum, iàm facta sunt; ergo tunc misericordia Domini confirmata est, cum effudit super credentes Spiritum sanctum, Luc. cap. 2. Ecce ego mitto promissum Patris in vos; vos autem sedete in ciuitate, quoadusquè induamini virtute ex alto. Et veritas Domini manet in æternum: permanet veritas Domini, cum iusti in cælesti Ierusalem tamquam lapides viui ædificantur; & impij æterno igni, & vermibus, qui nunquam moriuntur, traduntur, Marc. cap. 9. Nos verò Dominum supplices deprecemur, vt se laudandi tribuat efficaciam, & confirmet super nos misericordiam suam, mittens in nobis Spiritum sanctum, qui exurens noxia, illuminet profutura. Ipsi gloria cum æterno Patre, & Spiritu sancto in cuncta sæcula sæculorum. Amen.

IN PSALMVM CXVII.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.

ITVLVS. Alleluia; & est quintus Psalmus clarè de primo aduentu multis figuris decoratus.

Continuatur ad præcedentem, vbi ad laudandum Dominum omnes gentes inuitabantur; in isto quippè adducitur ratio, cur laudandus, & confitendum illi, nempè quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Verùm quia in præcedenti non dabatur modus

Digitized

modus laudandi; ideò in hoc, modus ponitur ad laudes Deo dandas. Confitendum, ſcilicet cuique prius Domino, vt ſolutus à peccato exaudiri poſſit, gratias Deo dando; nec hominis habeat timorem; quia ſi in Deo confidit, quid facere poterit homo? Portas Ieruſalem aperiri ſibi petat, vt non timeatur homo; iàm enim venit Dominus, atria eius frequentemus, & de aduentu Domini gaudentes, ſeruiamus illi. Igitur præcedat confeſſio, ſequatur petitio, & portæ Ieruſalem aperientur. Gaude de Domini aduentu, & Eccleſiarum tibi ſit frequentario, domus enim Dei ſunt!

Summa hæc eſt, vt ſine timore laudemus Dominum, quia benignus, & miſericors eſt.

Incipit ergo, dicens, Confitemini, ideſt laudate Dominum; non enim hæc confeſſio ad peccatorum remiſſionem, ſed ad Deitatis laudem pertinet. Laudandus ergo, quoniam in ſæculum miſericordia eius: verè bonus; miſericordiæ enim dona in æternum concedit, & ſolus bonus, ideò Marc. c.10. num.18. dicenti illi, Magiſter bone, reſpondit Ieſus, Quid me dicis bonum? nemo bonus, niſi vnus Deus. Tu me hominem confiteris, ſed me Deum ignoras; Confitere me Deum, & tunc bonum me dicas, dicit Auguſtin. alia ergo eſt confeſſio peccatorum, alia confeſſio laudis, vtraque tibi ſit, & ſalus tibi erit, vt aſſerunt hìc Doctores.

Dicat nunc Iſrael, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius. Quæ eſt domus Iſrael? Non Synagoga, mox in ſuperiori Pſalmo ad Dei laudes omnes gentes inuitatæ, ergo Iſrael domus eſt tota Eccleſia, & rationabiliter dicit, Nunc, quia quæ prius cæcata delictis erat, nunc mente ſerena Dei gloriam contemplatur. Dicat nunc, quia per aduentum Domini, & illius paſsionem, ex Dei miſericordia, facta eſt ſponſa Chriſti, Mater Chriſtianorum, & porta, per quam aſcendimus ad æterna gaudia. Dicant nunc, quòd congregabuntur omnes gentes in nomine Domini, in ipſa Dei Eccleſia, quæ non ambulant poſt prauitatem cordis ſui peſsimi, Ierem.3.num.17.

Dicat nunc domus Aaron, qui Idolum vituli fecerat, dicens populo, hic eſt Deus veſter. Non eſt ille Deus, opera manuũ factus, ſed is eſt Deus verus, Dei viui filius, qui deſcendit, vt ſaluaret credentes in ipsũ. Dicant ergo domus Iſrael, nec non & domus Aaron, vnũ effectæ, vnam Eccleſiam repreſentantes, puſilli cum maioribus, ſæculares fideles, & Sacerdotes, ſimulq. dicant, bonus Dominus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Sed quibus dicent? Peccatoribus, & extrà Eccleſiam exiſtentibus. Accedite ad Dominum, & illuminabimini, & facies veſtræ non confundentur, Pſalm.33.num.6. nec confundamini peccatorum veſtrorum grauitate, quia Deus, & Dominus noſter bonus, & in ſæculum miſericordia eius, qui venit peccatores vocare ad pœnitentiam, Matth.cap.9.num.13. Dicant & omnes qui timent Dominum, viuentes vita ſuo ſimili exemplari, & prædicantes, imitantesq. cæteros, & dicentes, Venite, qui timetis Dominum, & laudate eum, quoniam in ſæculum eſt miſericordia eius.

Iuncti ergo omnes cum Iſraelitis, & credentibus, ex quorum numero ſunt Apoſtoli Patres noſtri, omnes ſimul dicamus in Chriſto facti, ſub paſtore vno, grex vnus facti, & illius capitis tamquam vnus homo, dicamus cum Propheta. De tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus.

In

ized by Google

In anguſtijs tribulationum clamauit ad Dominum, & poſuit illum in latitudine gaudiorum; breui durant tempore hominum tribulationes illatæ; ſed latitudo, qua tranſimus, non habet terminum; & diuinum reſponſum acceperunt tribulati; Suſtinete adhùc modicum, quia ad punctum, & ad modicum vos dereliqui, Iſai.c.54 num.7. & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam, dicit Dominus, parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, & in Sapien. cap.3.num.5. Viſi ſunt inſipientibus mori, illi autem ſunt in pace, Dominus enim probauit eos, &c.

De tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine. In latitudine, in gratiarum plenitudine; quia ſi Dominus mihi adiutor, quid faciet mihi homo? quaſi dicat, non timeo tormenta tua, non timeo perſecutiones, nec diabolicas tentationes, ad Epheſ. cap.6.num.12. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores, tenebrarum harum contrà ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, &c. Nàm tunc eſt nobis in adiutorio Deus, quando nudi cum inimico luctamur: quando ſumus ſine peccato, in illo ſpem habentes, qui non patitur nos vltrà vires tentari, 1.Corinth.c.10. Ego deſpiciam inimicos, Deo adiutore. Quos inimicos? Domeſticos meos, Miche.cap.7.num.6. Matth.10. numer.36. carnales tentationes, homines inimicos Dei, necnon etiam diabolum non timebo; limitata eſt perſecutio illius à Deo, & tentatio, Iob cap.1. numer.11. Veruntamen ne extendas manum tuam in eum, Iacob. cap.1.numer.12. cum ſequen. Beatus, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe; nemo enim cum tentatur, dicat, quia à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum eſt.

Deſpiciam inimicos meos, Deo adiutore meo; vndè dicebant Apoſtoli illis Iudæis, ne Ieſu Chriſti nomen prædicarent prohibentibus: Si bonum eſt magis vobis, quàm Deo obedire, iudicate, Act. Apoſtol.cap.5.num.29. & quanquam Apoſtoli cæſi ne loquerentur in nomine Ieſu, illi autem Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, & num.42. omni die non ceſſabant in Templo, & circà domos loquentes, & docentes, & euangelizantes Chriſtum Ieſum; deſpiciebant inimicos Iudæos, quia prædicabant verbum Dei, ideſt non timebant tormenta illata, nec inferenda propter Chriſtum; vndè Paul. ad Roman.cap.8.num.35. Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia? an fames? an perſecutio? an gladius? ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die, Pſalm.43.num.23. ſed in hís omnibus ſuperamus, propter eum, qui dilexit nos. Iſtud eſt deſpicere inimicos, quod faciunt ſancti, quia

Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine. Quid facere poſſunt inimici, corpus occidere poſſunt, & hoc eſt ad coronam, & gloriam animarum ſanctarum, Matth.cap.10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, num.28. animam autem non poſſunt occidere, vbi Chryſoſtom. Quoniam, inquit, & ſi corpus ab impijs propter Deum non fuerit occiſum, à ſeipſo naturaliter morietur; quid ergo perdunt propter Deum occiſi? forſan dilationē aliquam

aliquam mortis ; ideò dicebat ille, Mihi viuere Christus est, & ideò non timeo tormenta tua, quia mori lucrum, ad Philip. 1.nu.21. & ad Galat..2.nu.20. Viuo autem iàm non ego,viuit autem in me Christus. Quocircà bonum, inquit,confidere in Domino, quàm confidere in principibus ; Dominus enim vitam largitur æternam ; potestas verò Principum cum hoc mundo dilabitur. Non ergo spes nostra debet esse in homine, sed in solo Deo ; maledictus enim, qui in homine ponit spem suam.

Omnes gentes circumdederunt me, & in nomine Domini, quia vltus sum in eos. Restitit omnibus gentibus tribulantibus eum, quia nomen Domini inuocauit.

Circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini, quia vltus sum in eos. Sonant isti duo versiculi in vnum, Ecclesia ab omnibus olim lacerata intelligitur, quæ nihilominus, vt columna, vt petra firmissima stans cecidit super illos, quia vlciscens in illos, potentium ossa confregit ; Ipsi ceciderunt, nos autem surreximus, & in nomine Domini erecti sumus ; Psalm.19.nu.9.

Circumdantes circumdederunt me. Non amplius repetijt omnes gentes,sed tantùm circumdantes : persecutores enim fuerũt impij Iudæi à principio vsquemodò. Augustt. Et in nomine Domini vltus sum in eos ; quia & illic ipse pius populus, quod est Corpus Christi, persecutores sensit, de cuius genere caro illa susceptа, & suspensa ; pro qua factum est, quidquid ab illa interiori Diuinitate per exteriorem carnem, virtute immortali, mortaliter factum est ; hæc Augustin. Christo ergo à Iudæis, vt eum tollerent, circumdato, eadem Christi armatura Ecclesia Dei armata, vlciscens in aduersarios, obturauit ora leonum, extinxit impetum ignis, castra vertit exterorum,& Regna vicis,ad Hebr. cap.11. num.33.cum sequen.

Circumdederunt me sicut apes,& exarserunt sicut ignis in spinis,& in nomine Domini,quia vltus sũ in eos. Sicut fauus dulcis est Dominus,& tamen sicut apes fauum circumdederunt,clamantes, crucifigatur ; donec peruenirent ad excessum homicidij filij Dei ; circumdederunt prius,dicentes, Osanna in excelsis ; posteà accedentes pupugerunt Dominum linguis suis. Hic est malefactor, ideò illum tradidimus. Quid vultis,dicebat ille iniquus Iudex ; Reus est mortis, respondерunt, moriatur ille, eijciatur sanguis, vt de corporis eius effusione ebrij facti pereant ipsi sicut apes ; ideò sanguis eius super nos, & super filios nostros. Et exarserunt sicut ignis in spinis, nàm voces eorum contrà Dominum magis inualescebant clamantes, crucifigatur, Matth. cap.27. num.25. & Luc.cap. 23. nu.18. Exclamauit autem vniuersa turba, dicens ; Tolle hunc,&c. Exarserunt sicut ignis, postquam audierunt Pilatum, dicentem, innocentem esse Iesum, & illum velle dimittere, Ioan. cap.19. num. 6. & 7.

Et in nomine Domini, quia vltus sum in eos ; nàm omnes morti consentientes, dispersi, occisi, & ciuitas eorum igne succensa, & Templum destructum à Romanis. Circumdederunt Iesum, qui multa signa faciebat, & dicebant, Quid facimus quia hic homo multa signa facit, & totus mundus vadit post eum ? Ioan.cap.11.nu.47. Circumdederunt sicut apes fauum,mel quippè operantur in fauis ; nescientes autem Domini persecutores fecerunt eum nobis in passione dulciorem, vt gustemus, & videamus, quàm suauis est Dominus, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem

Digitized by Google

nem noſtram; Auguſtin. Ità neſcientes Iudæi rem omnium dulciſſimam ipſa paſſione Domini nobis fecerunt, ſicut apes dum putant ſibi reponere, alijs mel faciunt, amaris enim conatibus ſuis dulcem cibum alijs parauerunt.

Vel dicamus, ſicut apes, quæ alios pungendo ſeſe euiſcerant, ſic fecerunt Iudæi; & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, nàm ità contrà Dominum, & Apoſtolos exarſerunt in ſpinis, ideſt gentilitatem peccatricem excitauerunt, clamantes, & perſequentes Diſcipulos, vt ex eorum igne ipſi combuſti remanſerint, & conſumpti. Cæterorum verò Gentilium peccata, quia ij crediderunt, & ad Dominum conuerſi ſunt, igne Chriſti conſumpta, & eis dimiſſa fuere; propterea populus Gentilis per fidem venit, & in ſe reuerſus dixit.

Impulſus ſum ſcilicet à Iudæis, vt caderem cum illis, ſed Dominus ſuſcepit me; nàm dicebant Apoſtoli ad Iudæos, Vos non ſuſcipitis verbum Dei, ecce conuertimur ad gentes, quæ lætantes ſuſceperunt illud, cum prius Dominus illas ſuſceperit, vocando eas, Act. Apoſt. cap. 13. & Iſai. cap. 49. nu. 6. Conuerſæ gentes ſunt ad Dominum, Apoſtolorum prædicatione, impulſi à Iudæis, vt à fide caderent, & euerſi; Dominus tamen ſuſcepit illos, nec ceciderunt.

Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Hoc eſt, ſalus mea à Domino, qui facit ſaluos ſperantes in ſe, Pſalm. 36. nu. 9. Auguſtin. Quamuis enim eſſet iàm magna multitudo credentium, quaſi arenæ innumerabili comparanda, & in vnam ſocietatem tamquam in cumulum ducta, tamen quid eſt homo, niſi quòd memor es eius? Pſal. 8. Non dixit, abundantiam numeri mei numerus gentium ſuperare non valuit, ſed Dominus, inquit, ſuſcepit me. Impulſus ſum, vt caderem, nec cecidi, quia in Domino ſperaui, quia nomen Domini inuocaui, & factus eſt mihi in ſalutem. Salus ergo à Domino, qui ſaluos facit ſperantes in ſe. Non in virtute tua, non in potentia tua ſit ſpes, quia impulſus cades; qui confidit in Domino, ſicut mons Sion, non commouebitur in æternũ, qui habitat in Ieruſalem, in Eccleſia Dei, Pſalm. 124. num. 1. Non relinquet enim Dominus virgam peccatorum, ſuper ſortem iuſtorum, vt extendant iuſti ad iniquitates manus ſuas, Pſalm. ibid. num. 3.

Fortitudo mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Viſi ſunt iuſti oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace, Sap. cap. 3. & cap. 5. vndè Apoſt. ad Rom. cap. 5. & 2. Corinth. cap. 6. Gloriamur in tribulationibus, & quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes.

Vox exultationis, & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. In fidelium cordibus, & etiam in vocibus illorum. O bona crux, clamabat Andreas, ſuſcipe Diſcipulum eius, qui in te pependit Magiſter meus Chriſtus: & Laurentius aiebat, Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt: & ideò vox exultationis, & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. Extra tormenta; intus vox exultationis, & ſalutis. Sed cuius vox erit intus? niſi vox Angeli confortantis, & dicentis. Adhùc ſuſtinete modicum, quia iàm paratus eſt vobis locus in cælo. Ecce inter filios Dei computati eſtis, & inter Sanctos ſors veſtra eſt; Sap. d. c. 5. num. 4. Vitam veſtram inſaniam reputauerunt iniqui affligentes, & ecce illi inſenſatos ſe confitentur; Martyres verò filij Dei vocantur.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me; dextera Domini fecit virtutem. D. Hieron. Dextera Domini fecit virtutem, vt mihi victoriá

in

in paſſione tribueret : dextera Domini exaltauit me; ab humilitate diuerſarum paſſionum virtute eius eleuatus ſum; gloriam victoriæ non ſibi tribuit,ſed Deo dat gloriam Domino Ieſu Chriſto, qui Patris dextera vocatur, per quem facta ſunt omnia, Ioan.1. & ad Hebr.1. vndè Iſai.53.num.1. Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Dextera Domini fecit virtutem, ideſt ipſe potens liberauit me : vndè Luc.1.num.51. Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos, & exaltauit humiles,num.52. Repetit virtutem Domini in liberando oppreſſum, & humilem exaltando præ gaudio gratiæ, & gloriæ Dei, exemplum nobis relinquens, vt in tribulationibus fortes, & in Domino ſit ſpes noſtra,vt liberati,gloriam demus Deo, Auguſtin. hìc. Magna Dei virtus, exaltare humilem, deificare mortalem, præbere de infirmitate perfectionem, de ſubiectione gloriam, de paſſione victoriam, dare auxilium de tribulatione, vt afflictis vera Dei ſalus pateſceret; affligentibus autem vana ſalus hominis remaneret. Audi ergo quare repetat. Non homo ſe exaltauit, non homo ſe perfecit, non ſibi homo gloriam dedit, non homo vicit, non ſibi ſaluti fuit homo, dextera Domini fecit virtutem, ideòq. ſequitur.

Non moriar, ſed narrabo opera Domini. Eccleſia non moritur,ò perſecutores Chriſti,quia illam perſequimini, quia Martyres,& humiles irridetis. Gloria in omnibus veſtris iniquis operibus vana,vbique exiſtẽtibus,Chriſtianis gloria Dei eſt; nàm morti traditis iuſtos, & ecce quia virtute Dei viuunt,illorũ enim animæ in manu Dei ſunt,& in omnibus Eccleſijs Martyrum victoriæ,& gloriæ cantantur, Hæc enim ſunt opera Dei,quæ viuens ſemper Eccleſia narrat omni populo. Vicit vapulando ferientes, patiendo impatientes, diligendo ſæuientes. Sed ſi Martyrum, & iuſtorum oppreſſio ex voluntate Dei permittentis prouenit; quid gloriantur impij, quia Eccleſiam Dei affligunt, iuſtos occidendo, & amicos Dei in illa perſequendo? nihil ſibi impij vindicent, quia niſi illis deſuper datum eſſet, non haberent hanc poteſtatem, Ioan.19.num.11. Viſi ſunt, inquit, oculis inſipientium mori, ſed morti, inquit Pſalmiſta, non tradidit me. Cuius enim vitia purgantur, morti non traditur, Caſſiodor. hìc. Sed Spiritus ſanctus in d. lib. Sap.c.3.num.6. dat reſponſum : quia probare vult illos, tamquam aurum in fornace, & quaſi holocauſti hoſtiam accipit illos, &c. Impij ſecundum quæ cogitauerunt, correptionem habebunt, fideles autem in dilectione acquieſcent illi : quoniam donum, & pax eſt electis eius : ſapientiam enim, & diſciplinam, qui abijcit, infelix eſt, &c.

Caſtigans caſtigat, ſed morti non tradit illos Dominus: impios verò punit, & ad inferos reducit. Qui confidunt in illo intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquieſcent illi. Sed non quieſcit animus Prophetæ ſancti. Dicite, inquit, mihi, ò Apoſtoli Domini : Aperite mihi portas iuſtitiæ; Quæ eſt porta iuſtitiæ? Docete qua intretur,& quid fiat intus,& qui intrent? vos enim Apoſtoli claues Regni cælorum habetis,vt hæreditas Domini cognoſci poſſit: aperite portas iuſtitiæ, doctrina ſacræ Scripturæ, quæ docet iuſtitiam. Porta iuſtitiæ erit Chriſti mors, qua mortis noſtræ tempore intramus in vero iudicio Dei; ſi enim bona in vita fecerimus; Chriſtus iuſtus Iudex per mortem ſuam dux erit in itinere, vt ex iuſtitia eius, & nos cum illo in portam vitæ ingrediamur. Porta iuſtitiæ eſt Chriſtus, per quam ingredi volentes debent facere, quæ is docuit. Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, &

tollat Crucem ſuam, & ſequatur me, Matth. cap. 16. numer. 24. Crux Chriſti porta eſt, iuſtus pro iniuſtis in ea mortuus, quia ſic voluit, Iſai. capit. 53. Et vos, ò Martyres, & ò fideles Dei, in perſecutionibus patientes eſtote, quia ſi Chriſtus innocens paſſus eſt pro nobis, cur & nos pro gloria ipſius, & noſtra ſalute non patiemur? Sequamur ergo Chriſtum in tribulationibus patientes, & portam, quam ingreſſuri ſumus, quæ eſt ipſe Chriſtus, vt ille inquit, ego ſum Oſtium, Ioan. cap. 10. numer. 9. per me ſi quis introierit ſaluabitur. Tunc ingreſſus confitebor Domino, ideſt laudabo Dominum. Non ergo eſt laus Dei extrà Eccleſiam ſuam, cuius oſtium eſt Chriſtus: qui enim non intrat per oſtium, fur eſt, & latro, Ioan. dicto capit. 10. numer. 1. Per portam ergo Eccleſiæ intrandum, in qua fit peccatorum remiſſio; quia quodcumque ligat in terra, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſoluerit in terra, erit ſolutum & in cælis, Matth. cap. 16. num. 19. quia ipſi datæ ſunt claues Regni cælorum. Porta Regni cælorum eſt Chriſtus, per quam iuſti intrant in cælum; & hæc eſt porta, quam dicit Propheta, quia iuſti intrabunt in eam.

Aperite ergo mihi portas iuſtitiæ; iuſti intrabunt in eam: & ingreſſus in eas confitebor Domino. Non aperirentur portæ iuſtitiæ, niſi prius deſcenderet, qui Deo Patri ſatisfacere poſſet; nec alius portas aperiet, niſi qui prius deſcendit, vt aſcendat, ad Epheſ. 4. nu. 9. hic eſt filius Dei, qui Deo Patri prius ſe obtulit. Ipſe eſt porta iuſtitiæ coram Patre, per quem ingreſſus fit omnibus, qui redempti ſunt ab illo. Hunc ſancti Patres deſiderabant, dicentes, Mitte quem miſſurus es; Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem, Iſai. cap. 45. num. 8. Et quia venit, quem expectabat Dauid, in ſpiritu eum laudans, quem ſciebat Iudæos reprobaturum, ideò ſequitur, laudando Deum, dicens.

Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem: Quia aliàs non erat, qui redemiſſet, nec portas iuſtitiæ aperiret, gratias lætus ago tibi Domine Ieſu Chriſto, qui exaudiſti me, vt venires, quia aduĕtus tuus factus eſt mihi in ſalutem; cum ſis Saluator meus. Sic ſanctus lætus etiam Simeon in vlnas habens Saluatorem Ieſum Chriſtum, Luc. 2. dixit, Nunc dimitte ſeruum tuum Domine in pace; Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Et factus eſt mihi in ſalutem; quia morte ſua mortem peccati vicit, & me liberauit, diabolum ſuperans, & eijciens, ſaluum me fecit. Sed nunquid tua tantùm eſt ſalus, ò Dauid? & quid de alijs dicis? Non mihi ſalus tantùm, ſed omni credenti in illum; Salus verè ex Iudæis eſt, quia ex progenie mea, ex ſtirpe mea, inquit Dauid, naſci voluit; ex Maria nempè Virgine de ſemine meo.

Sed quia Iudæi in maximo numero collecti, ipſum reprobauerunt Chriſtum Saluatorem, qui lapis eſt; is, quem reprobauerunt, factus eſt in caput anguli, Matth. 21. num. 42. Vndè Paul. ad Roman. cap. 11. num. 11. Num ità offenderunt, & reprobauerunt, vt caderent? abſit: ſed illorum delicto ſalus eſt gentibus, vt illos æmulentur; & numer. 15. Si enim eorum amiſſio eſt reconciliatio mundi; quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis? Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes. Sed qui ſunt ædificantes? niſi Scribæ, & Phariſæi, Matth. capit. 21. num. 42. quorum opera mala ſunt, & ædificantes vocantur; ibi-

ibidem numer.29. illi fuerunt, qui lapidem Ieſum reprobauerunt, & coram Pilato inſtiterunt, vt morti eum traderent; hic lapis factus in caput anguli. Angularis lapis, quia duos parietes in Gentiles, & Iudæos populos in vnam fidem coniunxit, diuiſi enim prius erant, nàm infidelis Gentilis populus, alter verò populus Dei vocabatur; vndè ad Epheſ. cap.2.numer.13. Nunc autem in Chriſto vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti, ipſe enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, ſuperædificati nunc omnes ex vtroque populo credentes ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, ad Epheſ. cap.2. numer.19. & 1.Petr. cap.2.numer.3. Si tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus, ad quem accedentes lapidem viuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum; & ipſi tamquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Propter quod continet Scriptura; Ecce pono in Sion lapidem ſummum, angularem, electum, pretioſum, & qui crediderit in eum non confundetur, Iſai.cap.28.nu.16. Vndè ſuper illud Iob cap.38.num.6. Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt, aut quis dimiſit lapidem angularem eius. Gregor. in Moral. liber. 28. cap. 38. fol.497. in fine, Quis dimiſit lapidem angularem eius? ac ſi apertè Dominus diceret; niſi ego, qui vnicum, quem ſine tempore genui, ſeruandis hominibus cum tempore oſtendi; in cuius vita dicerent etiam diuerſa viuendi ſtudia non diſcrepare. Et notandum, quòd eum non ſe emiſiſſe, ſed dimiſiſſe aſſerit, quia poſteà humanam naturam filius ſuſcipiens, ad ima de ſublimibus venit.

Sequitur ergo & benè, A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris; Quod nos, qui perditi eramus, paſſione ſua liberaremur credentes; & eſt mirabile in oculis noſtris, quod Dominus ſuſceperit peccatores; quòd ex ramis oliuæ fractis nos oleaſtrum inſerere voluerit, vt ſaluaret nos. Eſt mirabile in oculis, quòd ità Dominus dilexerit nos, vt filium ſuum Vnigenitum traderet pro nobis, populis de longinquo errantibus, vt in viam ſalutis immitteret credentes: & eſt mirabile in oculis, vt qui terrena ſequebantur, illis relictis, ſpiritualia amplecterentur. Canit etiam Eccleſia admirabile hoc dicēs. O ſapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodijſti, attingens à fine vſque ad finem, fortiter, ſuauiterq. diſponens omnia, quæ veniſti ad docendum nos viam prudentiæ.

Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea: hæc nobis eſt dies, quamuis ipſi Deo ante ſæcula, in qua ſalus facta eſt credentibus; Dies noſtra quam fecit Dominus pro nobis, vt à tenebris diſcederemus, in quibus poſiti eramus. Hæc eſt dies, de qua dixit Dominus, tempore acceptabili exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te, Iſai.c.49. exultemus, & lætemur in ea.

Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, ideſt tempus, in quo lux orta eſt in mundo, ideò dixit Dominus, Ioan.cap.12.num.36. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis. Exultemus, & lætemur in ea, quia hac die poſuit Dominus filium ſuum in lucem gentium, Act.c.1.num.47. qui erat lux vera illuminans omnem hominem, Ioan.cap.1.num.9. Lux orta eſt nobis, & rectis corde lætitia, Pſalm.96.num.11. quia lux luxit in tenebris, Gentilibus ſcilicet, Ioan.c.1. vndè Iſai.9.num.2. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis: &

quæ lux ſit, declarat num.6. Paruulus natùs eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.

Hæc dies, quam fecit Dominus. Quæ luceſcit in prima Sabbati, in qua Dominus à mortuis reſurgens lux facta eſt credentibus, quia per reſurrectionẽ ſuam lux orta eſt nobis; per quam intellectum, quòd ipſe eſt redemptio noſtra, ſalus noſtra, vita noſtra: Hinc 2.Corinth 6.nu.2. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis,&c. tempore accepto exaudiui te,& in die ſaluris adiuui te; dies enim pro tempore, & tempus pro die. Natiuitas ergo, mors, & reſurrectio Domini, dies ſalutis eſt nobis, quia toto tempore nos Dominus excitando vocauit, vt ipſum ſequentes vitam haberemus cum illo.

O Domine ſaluum me fac, ò Domine benè proſperare, benedictus qui venit in nomine Domini. Salutẽ, & proſpera precatur Domino, qui venit, dicẽs, Benè proſperare Domine; benedictus, qui veniſti in nomine Domini, vt mundũ illuminares; ſaluum me etiã fac, qui veniſti, vt totũ mundum ſaluares, Benè proſperare, qui nos proſpera mundi deſpicere docuiſti; benedictio, claritas, & ſapiẽtia, & gratiarum actio ſit tibi ſemper, & in ſæcula ſæculorũ, Amen. Benedictus ſis, qui veniſti in nomine Domini. O Domine benè tibi ſint, & proſpera cuncta, quæ tu facturus es, benedictus ſis, qui veniſti in nomine Dei Patris tui, Ioan.cap.5.num.43. Ego veni in nomine Patris mei, & Ioan.cap.6.num.44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum, &c. ò Domine, qui in nomine Patris veniſti, ſaluum me fac, qui tamquam paſtor bonus cognoſcis, quòd ego ouis tua ſum, Ioan.cap.10.num.14.

Benediximus vobis de domo Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis. Qui ſunt iſti benedicẽtes nobis? Ille nempè, cui data eſt poteſtas in Eccleſia Dei benedicendi, baptizandi in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti. Soluite ergo calceamẽta de pedibus veſtris, qui accediris ad Dei Eccleſiam, vt benedicamini, Terra iſta, vbi Eccleſia, locus eſt ſanctus, Exod.c.3. hæc eſt enim terra bona in Euangelio, quæ fructum centuplum profert. Proijciamus terrena, quæ grauant animam: ſoluamus calceamenta de pedibus, ideſt opera mortua de affectibus. Deus Dominus ipſe benedicit, quia in nomine eius hæc faciunt miniſtri Dei, & ab ijs, qui ad illum accedunt, fugient tenebræ peccatorum; reſurrectione enim ſua illuminabit tenebras noſtras, dicit D. Hieronym.

Benediximus vobis de domo Domini. Et quis dedit vobis ſanctis de domo Domini hanc auctoritatem? Deus, inquiunt, qui eſt Dominus, qui noſtram carnem aſſumpſit, & eſt Deus, & Dominus, ſicut Pater, qui illuxit nobis, qui vera eſt lux, quæ illuminat omnes ad eum accedentes; ille nobis illuxit, quia poſt reſurrectionem ſuam nobis apparuit: qui Spiritum ſanctum ſuper nos miſit, & illuxit nobis.

Conſtituite, inquiunt ſancti Dei, diem ſolemnem, in condenſis vſque ad cornu Altaris. S.Hieronym. Exhibete vos Templa, & Aras Deo, in quibus, & ſacras celebretis ſolemnitates, in condenſis, in virtutibus multis, in quibus vel ipſe Dominus, vel eius Angeli frequentantur, vſque ad cornu Altaris, vſque ad ipſum Dominum, qui eſt fortitudo animæ, quam eius Altare feciſti.

Conſtituite diem ſolemnem in condenſis vſque ad cornu Altaris. Si Deus nobis illuxit, illuminans nos, vt de peccatis compuncti, & pœnitentes veniam

pre-

precemur à Deo, diem ſolemnem conſtituamus, hoc eſt quotidie ſolemniter ex toto ſcilicet animo præparemus animas noſtras cum frequentibus, & continuis virtutibus, & operibus bonis, vt accedentes ad Sacramentum, peruenia-mus vſque ad cornu Altaris, veniente Domino noſtro in nos per communicationem corporis ſui, quod nobis dat ad comedendum. Vt Angelus eius oblationem noſtram Deo offerat, & orantes cum Eccleſia dicamus: Supplices te rogamus omnipotens Deus iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime Altare tuum in conſpectu Diuinæ Maieſtatis tuæ, vt quotquot ex hac Altaris participatione, ſacroſanctum filij tui corpus, & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cæleſti, & gratia repleamur.

Vſque ad cornu Altaris, vbi eſt Chriſtus Ieſus, qui erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui, Cantic. Zachar. Cuius cornu exaltatum eſt in gloria, Pſalm. 111. nu. 8. Conſtituamus ergo diem in tenebris noſtræ mortalitatis, diem ſolemnem ſalutis noſtræ, hoc eſt ambulemus in diem lucis Ieſu Chriſti, in condenſis tenebris huius mundi, quæ continuò habitantes in eis trahunt ad interitum, niſi lux lucis luceat in eis. In ipſo vita eſt, inquit Ioan. cap. 1. & vita eſt lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt. Conſtituamus ergo per confeſſionem, & pœnitentiam, per fidem, ſpem, & charitatem diem ſolemnem in condenſis tenebris huius mundi, dum lux nobis eſt, dum tempus eſt acceptabile, dum dies ſalutis eſt, operantes bonum, 2. Corinth. 6. num. 2. ne tenebræ nos comprehendant; quia poſt mortem non eſt confeſſio, non eſt pœnitentia ad ſalutem; propterea ſequitur huius iuſti confeſſio, dicens.

Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te. Accepta remiſſione per confeſſionem peccaminum, ibi puſillis ijs à maioribus, quibus data erat abſoluendi poteſtas, dicitur, Benediximus vobis de domo Domini, qui iàm Chriſti fidem prædicationibus noſtris ſecuti eſtis confitendo, ecce lumen Spiritus ſancti in corde noſtro, Deus meus, inquit, & confitebor tibi, nunc, quia exaudiri dignus factus ſum à te: Deus meus factus es mihi in ſalutem, & exaltabo te; quia tu Domine ſuſcepiſti me. Non ſtrepitu verborum iſta dicamus, dicit Auguſtin. ſed dilectio inhærens illi per ſemetipſum clamet iſtam vocem, & dilectio ipſa vox eſt; itaque ſicut cœpit laudem, ità terminat.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Hinc cœpit Pſalmus, huc deſinit, quoniam ſicut ab initio, quod deſeruimus, ità finem, quò redimus, non eſt aliquid, quod ſalubrius delectet, quàm laus Dei, & ſemper alleluia: hæc Auguſtin. Quibus ergo adderem, quòd ſicut principium, ità & finis; Qui lotus eſt, dixit Ieſus, non alio indiget, niſi vt laues pedes, Ioan. cap. 13. num. 10. Cœpiſti, ſequere vſque in finem; nihil enim coinquinatum intrabit in Regnum cælorum, Apocal. c. 21. Finis corporis noſtri ſunt pedes, lauaſti caput, confitendo, & benedicendo: manus quoque mundas habuiſti, benè operando; ſequere, & laua pedes, vt cum totus eris mundus, aditus ſit tibi liber in cælum. Illuminare Domine his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis, Luc. cap. 1. num. 79. Et erit ſenſus, vt in principio, ſic in medio, & in fine, quouſquè vitam hanc degis, ſemper mundus à peccato, gratias

Digitized by Goog

Deo agas, confitendo, quia ab ipso solo est tibi salus, per misericordiam suam. Accipias ergo terminum, idest finem cum Psalmo, de quibus ipse Psalmus sumpsit exordium; Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, Matth. cap. 10. Tibi Patri, tibiq. Filio Redemptori, & Saluatori, ac tibi Spiritui sancto gloria. Amen.

SOLILOQVIVM.

ALLELVIA, alleluia, anima mea, Christi sanguine redempta, simul cum iusto isto laudes dicas Domino, quia bonus: te pœnitente haud rationem habebit mali, quod feciſti, quoniam in sæculum misericordia eius. Confiteantur pariter omnes in Ecclesia Dei, sanguine Domini redempti, quoniam etsi sint peccatores, paratus est Dominus dimittere peccata eorum, quotiescunque ingemuerint, & confiteantur; in æternum enim est misericordia eius. Gaudeat Dei Ecclesia, quoniam per confessionem, & absolutionem parit filios in se, quoniam misericordia Domini est in æternum, timentibus eum. Tribularis anima? Accedas ad Dominum, qui non est longè à te, quin in latitudine possit te exaudire, & liberare: ipse enim dixit, de quacunque tribulatione clamaueris ad me exaudiens liberabo te, & eripiam te. Nunquid timorem hominum timebis, qui Deum adiutorem habes? Quis te separabit à Deo, nunquid inimicus homo? Confide in Deo, & in illo spera, quia sperare in Principibus, & in filijs hominum vanum est. Circuierunt me gentes; sed Deo adiutore, prævalui contrà eas: circumdederunt me tentationes, & inuocando Dominum, vltus sum in eas. Dixit enim Dominus, sufficit tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur resistendo. Impulsus sum ab eis, vt caderem, sed Deus fortitudo mea suscipiens saluauit me. Fortitudo mea, dextera Domini, & laus mea ipse est: vt enarrem opera eius. Mortificauit castigando, sed viuificauit miserando; ipse enim vltor paratus est vlcisci pro me, vt & ego inueniar ingrediens cum iustis. Lauda anima mea Saluatorem tuum, qui factus in caput anguli, tamquam lapis, & me alienum ab illo comprehendit, vt à vēto agitatus, non ruerem; sed in firma fundatus petra, diabolicis tentationibus resisterē. Oleaster eram, insertus sum in oliuæ ramos, quod est mirabile in oculis nostris, vt me sine merito meo vocaret, & saluaret. O Domine Deus salutis meæ, prospera tibi sint cuncta cum veneris in nomine Patris tui. Quid moraris anima mea? Constitue in te diem solemnem in condensis dum viuis. Confitere Domino, vsquequò peruenias ad cornu Altaris Dei, vbi manet Christus filius Dei viui. Confitearis Domino, quoniam in sæculum misericordia eius. Et tu Pontiane Vicari Christi in terris, qui propter nominis eius confessionem passus es, & vsque ad cornu Altaris ductus es, vt in exultatione viuas in æternum; intercede pro me, vt ego viuens, & propter confessionem Dei mei Iesu Christi, valeam per misericordiam Dei tecum illum laudare in æternum, & in sæculum sæculi: Dei Genitrix Maria iuua me pusillanimem, refoue me flebilem, ora pro me, & meis caris, vt & nos Christi promissionibus digni efficiamur. Amen.

IN

Digitized by Google

IN PSALMVM CXVIII.

Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.

ALEPH.

TITVLVS. Alleluia. Ad magni Psalmi expositionem deuenire desiderans, Dei præueniente gratia, & Spiritu sancto inspirante, cum ab Ecclesia ad horas canonicas in vndecim partes diuisus ille sit, idemq. iuxtà Alphabeti Hebraici litterarum numerum ex vigintiduobus litteris sit compositus, rectè me facturum cogitaui, si illius continuationem inter distinctas eius partes, ex ipsis desumerem Hebraicis litteris, quibus partis cuiusq. versiculi in sui octonarij initio constant, ità vt quælibet littera versiculi Psalmi iuxtà illius interpretationem posita, alia non indigeat continuatione, cum exindè sat colligatur quid necessarium sit ad iusti perfectionem, & beatitudinem.

Titulus huius Psalmi est Alleluia, idest Laudate Dominum. Ab his autem rectè Deus laudatur, in quibus est peccatorum remissio, quæ per aduentum Christi nobis facta est.

Suauem Psalmum vocat istum Ambros. eo quòd doctrina insigni morali insignitus sit; alij enim Psalmi, ait, tamquam stellæ minores aliquantulum lucent; iste verò tamquam Sol; plenus luminis meridiani, calore feruens, totus morali dulcedine splendet; & est per litteras Alphabeti hebraici digestus, vt sicut pueri in primis litteris discendis laborem sumunt, ità & nos huiusmodi elementis vsum viuendi vsque ad maturitatem addiscamus.

Hebraicarum singularum interpretatio hæc est, Aleph, doctrina: Beth, domus: Gimel, plenitudo: Dalet, tabularum: He, ista: Vahu, et: Zain, hæc: Eth, vita: Teth, bonum: Iod, principium: Caph, manus: Lamed, disciplinæ, siuè cordis: Mem, ex ipsis: Nun, sempiternum: Samech, adiutorium: Aim, fons, siuè oculus: Phe, os ab ore, non osse: Zadi, iustitiæ: Coph, vocatio: Res, capitis: Sin, dentium: Thau, signa. Hæc ex D.Hieronymo in Procemio ad Eusebium, in Lamentationes Ieremiæ, vbi & fusè earumdem litterarum, secundum propriam singularum interpretationem videre quisque poterit tractatas connexiones; Quanquam in vtraque hac re nos Expositione ista nostra sequemur potius S. Ambrosium.

Continuatur ad præcedentem, vbi de laudibus Domini, & quomodò, & à quibus sint celebrandæ: finem verò laudantium, qui est Beatitudo, & quomodò illa acquiri possit, non omnes sciunt; ideò hìc littera prima incipit Aleph, quæ doctrina, & disciplina interpretatur, vt scilicet, si beatus esse velis, sequentia discas, quæ ad disciplinam, & doctrinam pertinent. Docet ergo omnes Psalmus iste, operæprecium esse vt vniuersi, qui sunt in via, præsentem agentes vitam, in lege Domini ambulent. Declarat autem Apostolus istam Domini legem esse legem Christi Iesu, quia prima lex vetus fuit illius vmbra: Lex enim, quæ per Moysen data est, in Christo spiritualiter debet intelligi, vndè Apostolus illam Sanctam vocat, ad Hebr.cap. 10. in princ. Vmbram, dicit ha-

Digitized by Google

qui ambulant in lege Domini; non enim omnes qui Chriſtiani vocantur, ſunt, & legem Domini obſeruantes, ſed fideles illi duntaxat, qui ità legem Domini cuſtodiunt, vt & in via Domini eſſe ſatagant, ideſt qui in Chriſto viuunt, & legem eius obſeruant, pro his dicit Pſalm. Qui ambulant in lege Domini, & viam, Chriſtum ſuſceperunt, hi immaculati ſunt, ad differentiam illorum Chriſtianorum, de quibus ſequitur Pſalm. nu. 3. Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt, vt ſuo loco dicemus.

Hos quippè errantes, vt ad viam Chriſti veniant, docet hanc illorũ non eſſe rectam viam ad ſalutem, ſed ad perditionem, ac ſi dicat. Miſera ſunt itinera veſtra: non ad beatitudinem, ſed ad maledictionem, ad perditionem tendunt, ad beatitudinem cupientes peruenire, Chriſtum ſequamini, qui eſt via, & in lege eius ambulate, vt beati efficiamini. Auguſtin. Fruſtrà tendendo fatigamini, quò peruenientes inquinamini; non autem beati inquinati in errore, qui ambulant in peruerſitate ſæculi, ſed Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Dicamus nos Pſalmiſtam nunc Chriſti aduentum extollere, atque inuitare homines, ad Chriſti veſtigia ſequenda, quia non eſt illo dignus, Matth. cap. 10. nu. 38. qui illum non ſequitur. O beati, inquit, qui Chriſti aduentum ſuſcepiſtis, quia, ſi poſt illum abieritis, & verba eius audieritis, atque feceritis, beati tunc eritis; non autem quia nomine tantùm Chriſtiani vocemini. Audi Dominum, Matth. cap. 7. nu. 22. Multi dicent, Domine, Domine, nonnè in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus? & multas fecimus virtutes in nomine tuo? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem. Omnis, qui audit verba mea, & facit ea, aſsimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat ſupra petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, irruit enim ſuper domum ſuam ventus, & cecidit, & fuit ruina illius magna, quia ſuper arenam erat fundata.

Beati ergo qui ambulant in lege Domini, Chriſtiani Deum ſequentes, qui eſt via; & qui ſcrutantur teſtimonia eius; teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis, ſequere tu Chriſtum, & paruulus cum illo incedens beatus efficieris. Scrutare ergo teſtimonia illius, & in toto corde tuo exquire ea. Quæ ſunt teſtimonia eius, niſi Apoſtoli Domini, niſi opera eius? Ioan. 15. num. 24. & Matth. cap. 10. nu. 18. ijſdem Apoſtolis dictum, Tradent enim vos, in concilijs, & in Synagogis ſuis flagellabũt vos; & ad Præſides, & ad Reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & gentibus, in teſtimonium ferendum de Ieſu Chriſto, quia ipſe eſt verè filius Dei, qui ſanat infirmitates noſtras, in cuius nomine mortui reſurgunt, & cæci vident, & claudi ambulant, dæmonia eijciuntur, cui cæli, venti, mare, & terra obediunt, qui venit vocare peccatores, vt pœnitentes accedant ad ipſum, in quo eſt vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſaluati, & liberati ſumus.

Beati, qui ſcrutantur teſtimonia iſta, & in toto corde exquirunt ea; Sed quomodò exquirent teſtimonia ex corde, niſi præcedat immaculata vita in via Domini? Exquirebant Scribæ, & Phariſæi, vt viderentur hominibus ſapientes, opera autem eorum non erant bona. Exquirunt Hæretici, vt perdant; tandem

ex

ex Doctoribus aliqui exquirunt, vt aliquid esse videantur, non vt doceant, quia vita eorum est maculata, contraria verbis. Non sunt digni isti, vt dicantur in toto corde perquirere, quibus dicitur â Domino tamquam iniquis, Quare assumitis testamentum meum per os vestrum? Psalm.49.nu.16. Præcedat vita bona, vt intret in corde tuo sapientia; In animam enim malenolam non introibit sapientia, Sap.1. nu.4. Si lex lux iustis est, in te autem tenebræ sunt, profectò tu es iniquus, cum omne peccatum iniquitas sit. Si lumen, quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Matth.cap.6.nu.23. Cœpit enim prius Iesus facere, postea docere, Act.c.1. prius ergo corrigenda est vita, indè quærenda cognitio; Primâ sint moralia, secunda mystica, in illis est vita, in his cognitio; sine vtrisque verò non est perfectio. Beatus, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini meditabitur die, ac nocte, Psalm.1. Et in toto corde exquirunt eum, neque enim amor Dei patitur cordis diuisionem. Non potest quis seruire Deo, & mammonæ, Matth.cap.6.num.24. alterum nàmq. diliget, & alterum contemnet, ideò sequitur.

Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt, præcedat timor Domini, vt sequatur sapientia: non est timor Domini, vbi est peccatum, & offensio Dei: propterea dicitur Sap.cap.1. Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos, & Psalm.33. numer.10. Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. Si via est lux, quomodò ambulabunt in luce, qui ambulant in tenebris? Lux oritur iusto, Psal.96. Quomodò lux vestra lucebit hominibus, si opera vestra mala sunt? qui operantur iniqua, nondum immaculati, ambulât in lege, ideò necdum beati sunt, vndè August.hìc, Si ergo ambulantes in via, ideſt in lege Domini, ipsi sunt scrutantes testimonia eius, & in toto corde exquirentes eum, profectò qui operantur iniquitatem, non scrutantur testimonia eius; non ergo qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt. In vijs eius dixit, Apostolorum, & Prophetarum, qui tamquam ministri Iesu Christi, & ipsi viæ dicuntur eius, per quos viam ingredimur; vndè Ierem.6. num.16. State super vias, & videte, & interrogate de vijs antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris. Hæc, vt dixi, de ambulantibus in vijs, quòd sine sine peccato, non intelliguntur de his, qui fragilitate carnis leuiter peccant, & vt dicunt, venialiter, & quamuis, si peccati nomine fomes intelligatur peccati, dici nequeat, ambulantẽ quemquam in vijs Domini esse sine peccato, re tamen vera, qui impulsibus concupiscentiæ per fomitem ipsum commotis cõsensum non præbeat, ambulare dicendus sine peccato, quia non operatur iniquitatem. Confitearis ergo, si illi consentias, & tunc ad vias pertinebis, nec iàm imputabitur tibi ad peccatum, ità dicit Augustin.

Non ergo operemur iniquitatem, ideſt non consentiamus illi, & in vijs eius ambulabimus, ad Roman. cap. 7. Iàm non ego operor illud, sed quod in me habitat, peccatum; sed quomodò agat homo, quod non agit, vtrumque enim dixit, & non quod volo, ago, & quod non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. Vndè intelligere debemus, quando peccatum, quod habitat in nobis, operatur in nobis, tunc nos id non operari, quoniam nequaquam ei voluntas nostra consentit, & tenet etiam corporis membra, vt non

obe-

obediant desiderijs eius. Quid enim operatur peccatum nolentibus nobis, nisi sola illicita desideria? quibus si voluntatis non adhibeatur assensus, mouetur quidem nonnullus affectus, sed nullus ei relaxatur effectus; vndè ad Rom.c.6. Non ergo regnet peccatum in nostro mortali pectore ad obediendum desiderijs eius, nec exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.

Sequitur Augustin. in 3.Concione, quæ hìc scribenda duxi, quòd satis faueant fidelibus peccatoribus pœnitentibus. Deuiat ergo cum peccat,& ideò peccatum viæ non tribuitur, quod à deuiante non committitur, sed in via fidei pro non peccantibus habentur, quibus peccata non imputantur, de quibus ad Roman. cap.4. iustitiam fidei commendans, in Psal.31. scriptum esse monstratur; Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata; Beatur vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Hoc præstant viæ Domini, ac per hoc, quoniam iustus ex fide viuit, ab ista via Domini, illa alienat iniquitas, quæ est infidelitas. In hac autem via Domini, idest in fide, qua quisquis ambulat, aut peccatum non operatur, aut si quod à deuiante committitur propter viam non imputatur, & tamquam non fuerit operatum accipitur,& ideò benè etiam sic intelligitur. Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt, vt hanc iniquitatem significauerit, quæ recedit à fide, & non accedit ad fidem; quemadmodum dixit Dominus de Iudæis, Si non venissem, peccatum non haberent. Nec vtique sine illo peccato erant, antequam Christus veniret in carne, & ex quo venit, cœperunt habere peccatum. Sed quoddam peccatum certum, idest infidelitatis intelligi voluit, quoniam non crediderunt in eum. Ità qui operantur iniquitatem, non quamlibet, sed hanc ipsam infidelitatem, non in vijs eius ambulauerunt, quia vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas, Psalm.24. &c. Misericordia, quia nos redemit; in hoc veritas, quia id, quod promisit impleuit, & impletum est quod promittit. Conuertantur ergo infideles,& confiteantur, quia tunc non imputabitur eis ad peccatum,& in vijs Domini ambulabunt, hæc Augustin. Non enim qui operantur iniquitatè, in vijs eius ambulauerunt; non sunt enim ò iniqui, viæ Domini, viæ vestræ, vos in luto, Deus in cælo, vt & fideles suos custodientes mandata sua, trahat in Paradisum, ideò dicit Isai. cap.55.nu.8. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus.

Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Quasi dicat; Quòd mandauit Dominus mandata sua per nos custodiri, ideò mandauit, quia nobis vitam æternam illa promittunt; idcircò ad vnguem fortiter, & alacriter ea custodienda proponit. Vel custodiri nimis, quia mandata tua Domine cælestia sunt, spiritualia sunt; homines verò peccatores, terrena sapiunt; nimis, ideò, quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ, à vijs vestris, Isai.d.c.55.n.8. si terreni terrena sapiunt, cum in illis sit spes eorum, quomodo mandata tua cælestia custodient, quæ longè sunt à terrenarum rerum cogitatione? Nimis etiam, quia homines ex seipsis talia non capiunt, nec capere possunt sine te inspirante; Dictum est antiquis, aiebat Iesus in Euangelio, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; at ego mando vobis, vt diligatis inimicos vestros, Matth.cap.5.n.44. Et qui non odit patrem, & matrem, &c. Luc. cap.14.nu.26. & Matth.cap.10.nu.35. Veni separare hominem aduersus patrem suum; propterea implorando diuinum auxilium, Iustus noster sequitur, dicens.

Vtinam

Vtinam dirigantur viæ meæ,ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. Rogat Deũ, vt det illo quod præcepit; vtinam, inquit, te volente, te præcipiente, te inſpirante dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas, & ad ſeruanda præcepta tua, quæ tu mandaſti; quia ſine te, mea virtute cuſtodire ea non valeo: te mandante recipio mandata tua, legem tuam, adiuua ergo me Domine, quia pereo ſine te. Tunc ergo, te adiuuante, non confundar cum perſpexero in omnibus mandatis tuis. Cum perſpexero, cum lumen tuum in me erit, cum tu cor meum illuminaueris, cuſtodia illorum non mihi videbitur nimis, nec confundar, illa omnia diligenter ſeruando, quia tu mecum eris.

Et confitebor tunc tibi in directione cordis, in eo quòd didici iudicia iuſtitiæ tuæ. Confitebor tibi, quia laus tibi Domine, quia didici iudicia iuſtificationis tuæ,quæ tu me docuiſti: in toto corde meo,quia omnia abs te,& tu feciſti, & redemiſti me, in toto corde meo exquiram, & laudabo te, ne ergo repellas me à mandatis tuis.

Iuſtificationes tuas cuſtodiam, non me derelinquas vſquequaque; Mandata tua me cuſtodire mandaſti, grauia ſunt valdè, ideòq. tu me nec derelinquas vſquequaque, ideſt etiam valdè, & aſſiduè mihi aſſiſte in omni loco, quia tunc iuſtificationes tuas cuſtodire paratus ſum. Et, ſi, vt tentes me, aliquando derelictus videar, ad mei probationem, Sap.cap.3. num.5. ad punctum, in modico duret probatio, Iſai.cap.54. num.7. Non derelinquas me, nec vltra vires patiaris me eſſe ſine te, 1. Corinth.cap.10. num.16. ſed cum tentatione fac prouentum, vt poſſim ſuſtinere; vt cum Paulo dicam, Quis ſeparabit me à charitate Chriſti? an anguſtia? an fames? &c. Et notandum ex Bonauentura hìc, quòd Præcepta Dei quinque nominibus deſignantur. Nàm dicuntur, via, lex, teſtimonia, mandata, iuſtificationes. Via, quòd ad viam ducunt, lex, quia ligant: teſtimonia, quia euidenter admonent: pœnis promiſſis, præmia conteſtantia: mandata, quia facienda indicant: iuſtificationes, quia impleta à reatu liberant.

In prima littera Aleph, beatitudinis partes expoſitæ ſunt, quæ in octo verſiculis continentur; ſequitur ſecunda littera Beth, ex octo verſiculis pariter, prout aliæ litteræ ſequentes, & in hac deſignatur conuerſionis tempus, in quo potiſſimum à dæmonio meridiano, ideſt à lapſu, & confuſione fluxæ ætatis ad Deum conuerſio.

BETH.

Incipit ergo verſiculus nonus. Beth: In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos. Et continuatur cum præcedentibus, octo verſiculis litteræ Aleph, in qua de partibus Beatitudinis cuſtodiendis, & quia non datur beatitudo, niſi præcedat conuerſio, ideò hìc tempus conuerſionis aperitur, in quo potiſſimum à lapſu, & confuſione fluxæ ætatis, ad Deum quis conuerti debet; vndè littera Beth, quæ confuſio interpretatur, præmittitur huic octonario.

In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? Si de filio ad ſeruitutem Dei accedente intelligimus, prout in Eccleſ.cap.2. in princ. corrigit enim adoleſcens filius, ſiuè recens in fide, & accedens ad ſeruitutem Dei viam ſuam; quia ſtat

in

Digitized by Google

in timore, & iuſtitia. Et quid amplius? Præparat animam ſuam ad tentationem, deprimit cor ſuum, & ſuſtinet, inclinat aurem ſuam, & ſuſcipit verba intelligentiæ, & vlterius, non feſtinat in tempore obductionis, ſuſtinet ſuſtentationes Dei, coniungit ſe Deo, & ſuſtinet, & creſcet in nouiſſimo vitæ ſuæ, &c. In humilitate ſua patientiam habet, quoniam in igne probatur aurum, & argentum; & quæ ſequuntur. Credit Deo, & recuperat illum, dirigens viam ſuam, &c. & ſpes eius eſt in Domino. Ecce ergo tu, qui quæris, in quo corrigit adoleſcentior viam ſuam. Quapropter & tu cum eadem feceris; rectè illi adæquaberis. Cuſtodi ſermones Dei, quia ſi hæc cuſtodieris, timorem illius habebis pariter, & amorem, & ſpem in illo habeas, ac fidem, iunctis enim his beatus eris. Tu Dauid ſancte hæc facis, ſed vt me doceas, hæc dixiſti, in cuſtodiendo enim ſermones Domini, quis ſimilis tui? inuenit enim te Dominus hominem ſecundum cor ſuum, propterea ſequitur, dicens.

In toto corde meo exquiſiui te. Cæterum quia iuſtus ſemper eſt pauidus, rogat, dicens, Ne repellas me à mandatis tuis, ſed adiuua me, quia ex toto corde meo diligo te; da mihi intellectum, vt ſciam mandata tua, & in illis ambulem, vt in nouiſſimo hæc adimplens, placeant tibi opera mea; mandatis quippè tuis rectis, atque arduis, humana non contemperatur infirmitas, niſi præueniens tua adiuuet charitas, Auguſtin. hìc.

In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis. Petit non repelli à mandatis Domini, idq. accipiet, quia ex toto corde exquirit; ſi ergo non repelli petit, ergo prius in mandatis Dei erat incluſus; ſtat ipſe & fortis, qui ex toto corde exquirit, quod mandatur à Deo. Iuſtus eſt iſte, & Dei ſeruus acceptus, & ne repellatur timet in futurum: ille ſtat & timet, ne cadat. O exemplum, ò admonitio cæleſtis. Tu qui extrà es, quia peccator es, quomodò dices Domino, ne repellas me à mandatis, ſi longè es per peccatum ab illis? clama cum Dauide, Miſerere mei Deus, quia tibi ſoli peccaui; Parce mihi Domine, quia nihil ſunt dies mei, paucitas dierum meorum finietur breui, Iob cap. 10. numer. 20. parcens autem mihi, fac vt cuſtodiam mandata tua, fac me dignum, vt obſeruem ea, neque repellas me ab illis: Sit fratres documentum nobis, ne exiſtimantes nos ſtare cadamus, vndè Paul. 1. Corinth. c. 10. num. 11. itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat; tentatio nos non apprehendat, niſi humana, fidelis Deus, qui non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus.

In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? De quo loqueris ſancte Dauid; nonnè de temetipſo? adoleſcens oues cuſtodiebas, 1. Reg. cap. 17. numer. 34. paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamq. de ore eorum, & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamq. eos. Puer erat Dauid, 1. Reg. cap. 17. numer. 33. & interficiebat leonem; adoleſcentior verò factus, à dæmonio meridiano captus ab illo interficiebatur, niſi Dominus fuiſſet in eius adiutorio, 1. Reg. cap. 16. numer. 8. & quia ſe pœnituit peccaſſe, Dominus purgauit peccata ipſius, Eccleſ. cap. 47. numer. 13. & de omni corde ſuo laudauit Dominum, & dilexit Deum, ibidem numer. 10. nunc verò dicit, In toto

corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis; exquiſiui, quia tu me adiuuiſti.

In quo corrigit adoleſcentior factus viam ſuam? ecce exaltatus, ſed humiliatus, & conturbatus in cuſtodiendo ſermones Dei, Pſalm.87.numer.29. in exquirendo Dominum in toto corde tuo, quem amiſeras per homicidij peccatum, vt amplius non peccares Deo. Ne repellas me amplius à mandatis tuis; & ego exquiſiui te, nec aliud quæro, quàm te, tranſacta fleo peccata, vt dignos faciam pœnitentiæ fructus, vt lauentur peccata mea, Iſai.c.1. numer.16. In toto corde exquiſiui te, quia alienum, quale eſt peccatum, non amplius admittam, in te non tamquam canis ad vomitum amplius reuertar, 2.Petr. cap.2.numer.22. Ecce quia peccaui, in pace amaritudo mea, amariſſima, Iſai.cap.38.numer.16. iàm te toto corde meo exquiro, ne repellas me à mandatis tuis, vndè Auguſtin. Tom.10. de Temp. Serm.65. aliàs Sermon.3. litera G. fol.232. Pœnitentia quamuis ſit exigui temporis, ſi intima cordis amaritudine agitur, non deſpicitur apud iudicem iuſtum Deum, qui cordis ſecreta conſiderat, non enim longitudinem temporis tantùm Deus requirit, quantùm affectum ſinceritatis pœnitentis penſat; qui enim in Chriſtum tota mente confidit, etiam ſi multis commoriatur peccatis, fide ſua viuet in æternum, ità enim Ioan. cap.11.num.25. & 26. Ego ſum reſurrectio, & vita, qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum; de morte animæ dixit, quæ propter peccatorum ægritudines eueniet illi; ſequitur ergo.

Deus in natura miſericors eſt, paratus eſt ſaluare per miſericordiam, quos non inuenit ſaluare per iuſtitiam, &c. In toto ergo corde meo exquiſiui te, qui prius per peccatum longè factus fueras à me. Ne ergo à mandatis tuis repellas me, quia te ſolum amo, quem diligo, in quem toto corde meo ſpero, & credo; tu enim Domine Ieſu neminem proijcis, qui peccatores vt ſaluos faceres veniſti; Non veni, dixiſti, vocare iuſtos, ſed peccatores, Matth. cap.9.num.13.

Ne ergo immemor beneficiorum tuorum euadam, ac ne peccem tibi, quòd miſericordiæ tuæ ſim obliuioſus. In corde meo abſcondi eloquia tua. Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, vt non cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me? Eccleſ.22.nu.33. Regi Herodi ipſum interroganti, nullum Dominus dedit reſponſum, Luc.23. quia ſciebat non eſſe receptum verbum, ſicut Apoſtoli quando Iudæis contradicentibus dixere; Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes, Act.13.num.46.

In corde meo abſcondi eloquia tua, ne diſcedant à me. Sed quis eſt, qui dicat, quæ Dauid audierit eloquia Domini? Ædificemus & noſmetipſi in corde noſtro, & faciamus domum, quò veniat ille, & doceat nos, & colloquatur nobis. O vir beate, qui eloquia Dei in corde tuo ſuſcepiſti; abſcondiſti ſanè ea à ſapientibus, & prudentibus, at reuela amabo illa nobis paruulis, Matth. capit.11.numer.25. Sed nunquid & nobis non reuelauit, quæ abſcondita fuerant Iudæis, & illorum ſapientibus? Ioan. capit.12. numer.34. Qui videt me, videt eum, qui miſit me, Et iterum in alio loco dicit, Quis nouit Patrem, niſi ille, cui voluerit filius reuelare? Matth.c.11.

nu-

Digitized by Google

numer. 27. Oſtende nobis Patrem, & ſufficit, dicebat Philippus Apoſtolus, Ioan. cap. 14. numer. 8. cui Ieſus, Philippe, qui videt me, videt & Patrem, ego in Patre, & Pater in me eſt, numer. 10. & Vobis datum eſt noſſe myſteria Regni cælorum, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant, Iſai. cap. 6. numer. 9. Matth. cap. 13. numer. 14. Ioan. cap. 12. numer. 40. Act. Apoſtol. cap. 28. numer. 26. Sed quomodò peccabis, ò Dauid retinendo in corde tuo verba Dei, ſi ipſemet Deus nobis dedit noſſe myſteria ſua? nec Paulo vſque ad tertium Cælum rapto licuit, arcana, quæ vidit, homini loqui, 2. Corinth. cap. 12. numer. 2. & 4. ſed illa Dauid abſcondit, ne ex reuelatione, ex magnitudine locutionum Dei ipſe eleuatus ſuperbiret inflatus; Paulus verò non reuelauit, neque homini dixit, propter incapacitatem audientis; incomprehenſibilia ſunt illa, & magnalia Dei quis capit in terra? O altitudo diuitiarum ſapientiæ Dei, & ſcientiæ, Paul. ad Roman. capit. 11. numer. 33. quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, &c.

Benedictus es Domine, doce me iuſtificationes tuas. Sicut reuelaſti paruulis ea, quæ facere deberent, vt placerent tibi: Sic doce me, quia ſine gratia tua præcedente, haud potero diſcere iuſtificationes tuas: quas tu iuſſiſti, Auguſtin. Doce, dixit, quomodò eas diſcunt, qui faciunt; non quomodò hi, qui vt habeant, quod loquantur tantummodò meminerunt; nàm vtique iàm dixerat, In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Quid ergo adhùc ea quærit diſcere, quæ abſcondita iàm cuſtodit in corde? quod vtique non feciſſet, niſi ea didiciſſet, Et quid ergo addit, & dicit, doce me iuſtificationes tuas, niſi quia eas vult faciendo diſcere, non loquendo, vel memoria retinendo. Quoniam ergo ſicut in alio Pſalmo legitur, benedictionem dabit, qui legem dedit, ideò benedictus es Domine, doce me iuſtificationes; quia enim in corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi, legem dediſti, da etiam benedictionem gratiæ, vt faciendo diſcam, quod intimando iuſſiſti, hæc Auguſtin. ad finem Concionis quintæ.

In corde ergo meo abſcondi eloquia tua, quæ ab Euangelizantibus nomen tuum audiui. Dicta ſunt, ſed ea in corde meo abſcondi, quia credidi, ſed nondum operatus ſum in illis, quia nec adhùc didici, quæ facturus ſum, niſi tu Domine doceas me iuſtificationes tuas. Iàm legem audiui, illam amplector, ſed quæ in illa continentur, niſi præcedat gratia tua, quomodò adimplere potero? Retinui in corde, quia credo, ſed ne peccem; nec tamen ſum operatus in illa, niſi infundens gratiam tuam, doceas me; tu legem Domine dediſti, præbeas & benedictionem, Pſalm. 83. num. 8. Benedictionem, inquit, dabit legiſlator, & tunc ibimus de virtute in virtutem, & videbitur Deus Deorum in Sion, & ecce Domine, quia me docuiſti, vt & alios docerem quid operantes credentes ſint facturi.

In labijs meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui, Audiuit primò, & in corde retinuit eloquium Dei, ne immemor miſericordiæ Domini eſſet, & illorum obliuiſcendo peccaret; poſteà vt diſceret, illa à Domino impetrauit, & poſtquam didicit, alios docendo, loqui non ceſſauit. Ideò dixit, In labijs meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui. Sed hìc quæri poteſt, quomodò omnia iudicia Dei, quæ ſunt incomprehenſibilia potuerit intelligere. Omnia

Digitized by Google

iudicia, quæ ex ore Domini prodita ſunt per Apoſtolos, & Euangeliſtas, & Dominus nota facere voluit, in labijs ſuis pronuntiauit hic vir iuſtus, qui ità delectatus eſt in via teſtimoniorum Domini, ſicut in omnibus diuitijs, Sed quomodò delectatus, niſi diligendo? & quomodò diligeret niſi Spiritu ſancto cooperante? non poterant portare Apoſtoli quum nondum Paraclytum miſerat Dominus, Ioan. capit. 16. numer. 12. ſed, adiuuante Spiritu ſancto, docuit omnem veritatem. Homo ſine Spiritu ſancto inſcrutabilia Dei inueſtigare non poteſt, ſed à Spiritu ſancto, doctus poterit ſcire. Dicat Paulus, qui arcana Dei vidit, dicat Eccleſia, quæ docta à Spiritu ſancto quotidie cum Chriſto capite ſuo arguit mundum de peccato, de iuſtitia, & de iudicio, Ioan. vt ſupra.

In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs; quæ ſunt teſtimoniorum viæ Domini, niſi Moyſis, & Prophetarum Prophetiæ? Ioan. cap. 5. numer. 39. Scrutamini Scripturas, illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me: in via teſtimoniorum tuorum, ideſt in illis Scripturis, quæ perhibent de Chriſto teſtimonium; via enim eſt Chriſtus, provt ipſe dicit, Ego ſum Via, Veritas, & Vita, Ioan. cap. 14. numer. 6. Sed ſi nondum Chriſti aduentus; quomodò Via Chriſtus? omnia futura Prophetis ſunt præſentia, vndè dicit Dominus, Abraham vidit dies meos: vidit, & gauiſus eſt, quia antequam Abraham eſſet, ego ſum, Ioan. cap. 8. num. 57.

Auguſtin. hic Concione 6. litera G. Viam teſtimoniorum Dei, nihil citius, nihil certius, nihil breuius, nihilquè grandius eſſe intelligimus, quàm Chriſtum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, vndè & iſte ait, ſe iucundatum, vel delectatum in hac via, quaſi in omnibus diuitijs. Teſtimonia quippè Dei ſunt, quibus quantum nos diligat, nobis probare dignatur. Commendat autem ſuam charitatem Deus in nobis; quoniam, cum adhùc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, ad Roman. cap. 5. Cum ergo ipſe dicat, Ego ſum Via, & humilitas eius carnalis natiuitatis, atque paſſionis euidentia ſint teſtimonia diuinæ erga nos dilectionis, proculdubio via teſtimoniorum Dei Chriſtus eſt; per hæc quippè teſtimonia, quæ in illo videmus impleta, etiam futura erga nos, quæ ſempiterna promiſſa ſunt, expectamus, & ſperamus implenda; qui enim proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodò non & cum illo omnia nobis donauit? hucuſquè Auguſtin.

Opera ergo, quæ fecit Chriſtus, ſunt teſtimonia, in quibus delectatus eſt iuſtus iſte, Ioan. cap. 10. num. 25. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me, & idem Ioan. cap. 5. numer. 36. Opera, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me. In his delectatus ſum, dicit Pſalmiſta, ſicut in omnibus diuitijs. Quia opera Domini diuitiæ noſtræ ſunt, & hæ ſunt veræ diuitiæ, quæ delectant, & delectari debemus in illis, vndè dicitur, Cælum diues ingreditur iuſtus, hymnis cæleſtibus honoratur, & Eccleſ. cap. 10. num. 25. Gloria diuitum honoratorum, & pauperum, timor Dei eſt. Delectatus ergo ſum in teſtimoniorum via, ideſt in amore, & cognitione mandatorum Dei, quæ ſunt veræ diuitiæ, Iſai. cap. 33. num. 16. Diuitiæ ſalutis, ſapientia, & ſcientia, Timor Domini ipſe eſt theſaurus eius; vndè Paul. ad Epheſ. cap. 1. numer. 7.

Be-

Benedictus Deus,&c. qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum ; secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ , in qua gratificauit nos in dilecto filio, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum , secundum diuitias gratiæ eius , quæ superabundauit in nobis , in patientia , & prudentia ; vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ . Ecce quomodò delectabatur in via testimoniorum Dei , sicut in omnibus diuitijs gratiæ Domini . Quas etiam diuitias Paulus prædicabat discipulis suis ad Ephes. cap. 3. num. 16. Ego flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi , vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ , virtute corroborari per spiritum eius in interiorem hominem , Christum habitare per fidem in cordibus vestris,&c.& ad Ephes.cap.4.num.19. Impleat Dominus meus omne desiderium vestrum secundum diuitias suas in gloria in Christo Iesu , & ideò sequitur Psalmista.

In mandatis tuis exercebor , & considerabo vias tuas . Quid est exerceri in mandatis, nisi mandata eius ad vnguem obseruare, quia mandata Dei sunt vita æterna , Ioan.cap. 12. in fine , quæ datur seruantibus ea, Matth.cap. 19. num. 17. Et considerabo vias tuas , non vias hominum, quæ sunt ad perditionem , ideò dicebat Dominus , Non sunt viæ meæ, viæ vestræ, Isai.cap. 55. nu. 7. Et in viam gentium ne abieritis , Matth. cap. 10. num. 5.

In mandatis tuis exercebor vsu boni operis, & sic merito boni operis considerabo , idest cognoscam vias tuas ; nemo enim ad penetralia intellectus venit, nisi vita pura prius proximus Deo fuerit . Tunc exercebor , quando assiduè benè operando exemplo Domini diabolicas tentationes expellam , Matth. capit. 4. numer. 1. quando iustificationes tuas, & vias tuas humilitatis , & patientiæ considerabo contrà hostes tuos , ijsdemq. armis imbutus, virtute tua expugnabo .

In iustificationibus tuis meditabor . Et quia eloquia tua abscondi in corde meo , non obliuiscar sermones tuos, meditando in iustificationibus tuis , Iustificationes enim sunt non dicta, sed facta iustitiæ, opera scilicet iustorum, quæ imperat Deus , ideò autem Dei dicuntur , quamuis à nobis fiant , quia nisi ipso donante, non fiunt . Iudicia porrò Dei sunt , quibus ab eo mundus, & nunc , & in fine sæculi iudicatur , horum enim meditatio esca est , quam dat Dominus in memoriam mirabilium suorum timentibus se , Psalm. 110. num. 5. Ecce quomodò inter sanctos Dei sors illorum est , scilicet iustorum , qui iuxtà iustitiam operando , facti sunt amici Dei , Sapien. cap. 9. sed si in corde tuo sunt eloquia Dei , quomodò iustificationes Domini discere cupis , quomodò vt doceat Dominus iustificationes quæris ? Augustin. Iàm omnia iudicia tua Domine pronuntiaui , nunc da, vt faciendo discam iustificationes tuas , non memoria retinendo tantùm , sed exequendo , & faciendo illa ; fac me Domine dignum , non loquendo , sed faciendo , sine te enim nihil facere possum , &c.

GIMEL.

Retribue seruo tuo, viuifica me, & custodiam sermones tuos . Litera Gimel , quæ retributio interpretatur . Supra ergo in præcedenti littera secunda

Digitized by Google

Beth, dixerat, In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? tùm ſubiecerat, In cuſtodiendo ſermones tuos: nunc quia infirma eſt humanitas noſtra, quam concomitatur ignorantia, exilium, & hoſtes, petens auxilium à Domino, dicit.

Retribue ſeruo tuo, viuifica me, & cuſtodiam ſermones tuos. O virum fidelem, Dei amore flagrantem, igne Spiritus ſancti incenſum: ò virum ineffabilem, verè Dei ſeruum, Retribue, inquit, ſeruo tuo, viuifica me. Nonnè eloquia Dei in corde tuo abſcondiſti, & mandata eius didiciſti? Nonnè in toto corde tuo Deum exquiſiuiſti? Quomodò delectatus eſſes in Chriſto Domino, niſi te adiuuaſſet gratia Spiritus ſancti? Quomodò non recordaberis ſermonum Dei, ſi continuè in omnibus operibus eius meditaris? Quid times? quid vereris? an tribulatio, an anguſtia, & cætera mundi mala à via Domini poterunt te auertere? num virtus in infirmitate non perficitur? In toto corde tuo illuminatus es, & in te gratia eſt Dei, nonnè hæc tibi ſufficiunt? Deum cuſtodem habes, & times mortalia? Retribue, ais, iterum da, inſtas: augmentum confer gratiæ tuæ Domine; viuifica me, vt ardens ſemper ſit cor meum, ad cuſtodiendos ſermones tuos, non me derelinquas, quouſquè veniam ad te.

Retribue Domine, pro quo tu veniſti, vt ſaluares me, tibi enim à Patre datus ſum, vt ſaluares me, Ioan. cap. 17. num. 12. Retribue me, ideſt reſtitue me Patri tuo, qui me creaſti, & redemiſti: hoc autem gratia tua fiet, ſi in cuſtodiendo ſermones tuos magnificabis me, lumen ſcilicet tuum ſenſibus meis, & tui amoris ignem accenderis in corde meo. Viuifica me, qui mortuus eram ſine te, adauge fidem mihi, adiuua incredulitatem meam, vt cuſtodiam ſermones tuos.

Retribue, quia in toto corde exquiro te, in conſilio iuſtorum, & congregatione, confiteor magna opera tua, & populi tui redemptionem, & quid peto à te, niſi, vt des quod tu promiſiſti? Veniſti vocare peccatores, ecce me, qui peccaui in te, qui venio poſt te, ambulans in vijs tuis, vt mihi ſis via, qua poſſim peruenire ad te. Tu mihi in tenebris iſtis lumen exiſtas, vt ambulans in eis non comprehendar ab illis. Viuifica me nunc, & ſemper, vt illuminatus non diſcedam à te, vt cuſtodiam ſermones tuos: hos autem ſeruare paratus ſum, ſi tu Domine præbueris mihi intellectum, & ideò ſequitur.

Reuela oculos meos, ideſt illumina oculos mentis meæ, & cordis mei, & conſiderabo mirabilia tua. Reuela oculos meos; tolle, inquit iuſtus iſte, velamen ab oculis meis, vt ego mirabilia tua conſiderare poſſim. Tenebantur oculi duorum illorum diſcipulorum in Emmaus ambulantium, ne Ieſum cognoſcerent, ſed quando aperuit eis ſenſum Scripturæ, cognouerunt eum, ſed prius cor eorum ardens erat dilectionis feruore fidem viuificante, dum loqueretur illis Ieſus in via, ſed nondum intelligebant, niſi illis aperiret ſenſum, vt intelligerent, Luc. cap. 24. num. 32. Audierat Pſalmiſta verba Dei, in corde ſuo illa abſconderat; nunc, inquit, ecce Domine, quia credo in te, fides mea repoſita eſt in medio cordis mei, tolle nunc ignorantiam à me, & reuela oculos mei ſenſus, & intellectus, vt conſiderem mirabilia tua, quæ prius in figuris populo tuo per Moyſen, & Prophetas propoſuiſti. Squamæ de oculis noſtris, ſicut & Paulo Act. cap. 9. cadant, vt benedictionem animæ recipientes ſic credamus, vt & oculis mentis videamus, quòd tu es filius Dei. Rogat ergo Pſalmiſta,

Digitized by Google

miſta, vt mirabilia in figura exhibita veteris teſtamenti per nouum teſtamentum, per Chriſtum cognoſcat; & conſideret mirabilia Dei; ità vt cum Simeone, Luc. cap. 2. & ipſe canere poſſit laudes Deo, quia viderint oculi ſui ſalutare Dei, Quod parauit ante faciem omnium populorum, Lumen ad reuelationem gentium, ad lucem gentium, quam Iudæi recipere noluerunt, Ioan. cap. 1. cum & adhùc ſit velamen ante oculos eorum, &c.

Incola ego ſum in terra, ne abſcondas à me mandata tua. Quare petit, ne abſcondas mandata tua, quòd ſit incola in terra? Quia etſi ſit in terra, non ſapit tamen terrena, in quibus non eſt recta via; Non ergo ſicut, qui terrena ſapiunt, qui longè ſunt à via Chriſti; ſed incola quidem in terra, attamen mente, & corde habitans in lege eiuſdem Chriſti, quia fonte Baptiſmatis in nomine eius lotus, retribuas ait ad illum, vt diſcam; reueles, vt videam; vt videns operando ſcire poſſim mandata: nec illa abſcondas à me, donec ad habitaculum tuum perueniam; Conuerſatio, & habitatio mea in cælis eſt, ideò non abſcondas à me mandata tua, quæ ſpiritualia ſunt; vndè dicit Apoſt. ad Philippenſ. cap. 3. numer. 19. Etiam Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ ſecundum operationem, qua etiam poſſit ſubijcere ſibi omnia. Incola ergo, quia cum Chriſto eſt habitatio mea, quocircà dicit, Fratres iàm non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, ad Epheſ. 2. num. 19. In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum ſanctum in Domino, in quo, & vos coædificamini in habitaculum Dei in ſpiritu; ideò.

Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas, in omni tempore, quia hìc incola ſum, vt in habitaculum tuum, vbi domus mea erit, ſicut promiſiſti credentibus in te, peruenire concupiſcam: hìc enim ſum incola, quia in cælis eſt habitatio mea, ibi ciuitas, & patria mea. Ideò concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas, in omni tempore, hoc eſt, delectabar in deſiderio, flagrabam deſiderio, quotidie, ac ſemper benè operando, tibi Domino meo inſeruiens. Infirmitatis carnis meæ erat, per quam deſiderium meũ compleri impediebar. Caro enim aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem; prævaluit tamen ſpiritus in deſiderio, vt iuſtificationes deſiderarem, ac requirerem omni tempore.

Concupiuit anima mea, &c. vt ſiuè manducem, ſiuè bibam, ſiuè aliud quid faciam, eas ſemper deſiderem, mediter, apprehendam; vt delinquentibus invia, iudicia tua manifeſtem, ſicq. in viam tuam illos adducam; maledicti enim ſunt, qui declinant à mandatis tuis.

Increpaſti ſuperbos Iudæos in vetери, & in nouo teſtamento, dictis, & factis, prout eſt videre in libris Exodi, Numerorum, & Deuteronomij. Cognoſco enim, dicit Dominus, quòd populus iſte duræ ceruicis ſit, dimitte me, vt iraſcatur furor meus, & deleam eos, faciamq. te in gentem magnam, Exod. 32. nu. 10. & 26. Trucidati ſunt viginti tria millia, quos inter hoſtes Aaron conſtituerat, Num. cap. 14. nu. 22. Attamen omnes homines, qui viderunt maieſtatem meam, & ſigna, quæ feci in Ægypto, & in ſolitudine, & tentauerunt me iàm per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram,

pro

Digitized by Google

pro qua iuraui patribus eorum. Et quid de Dathan, & Abiron ſuperbiâ dicemus? Num.cap.16. Surrexerunt contrà Moyſen: cur eleuamini ſuper populum Domini, dicebant Moyſi,& Aaron,& terra aperta deglutiuit illos, nu.31. Deuter. c. 1. num. 33. Cumq. audiſſet Dominus vocem ſermonum veſtrorum iratus iurauit, & ait, non videbit quippiam de hominibus generationis huius peſſimæ terram bonam,&c. ſemper enim rebelles propter ſuperbiam Domino fuerunt, Num.cap.20.nu.10. vſque ad præſentem diem. Et in nouo teſtamento exprobrauit ſuperbos Dominus, ſed fruſtrà percuſſit, dicit Hierem.cap.2.nu.30. Fruſtrà, inquit Dominus, percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt. In memoriam redeat iniquitas patrum veſtrorum, propterea hìc dicitur: Maledicti qui declinant à mandatis tuis, Deuter. cap.28. nu. 15. Quod ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui,vt cuſtodias,& facias omnia mandata eius,&c. venient ſuper te omnes maledictiones, quas ibi enumerat.

Increpaſti ſuperbos. Serpentes, genimina viperarum, quoties enim volui, dicit Dominus, congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti? ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta; Matth.cap.23. num.37. per totum.

Increpaſti ſuperbos. In humilitate tua Domine de cælo deſcendiſti, vt ſuperbiam noſtram exprobrares exemplo tuo, qui humilia reſpicis, & alta à longè cognoſcis, Pſalm. 137. nu.6. Vndè Auguſtin. tom.3. de Trinitate, lib. 8. cap.3.lit.M. Hoc nobis prodeſt credere, & firmum, atque inconcuſſum corde retinere, ſcilicet humilitatem, qua natus eſt Deus ex fœmina, & à mortalibus per tantas contumelias perductus ad mortem, ſummum eſſe medicamentum, quo ſuperbiæ noſtræ ſanaretur tumor, & altum Sacramentum, quo peccati vinculum ſolueretur. Quocircà Iuſtus noſter ſuprà dixit, Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia tua. Quos oculos? Quæ mirabilia? oculos mentis ſcilicet. Dum D.Paulus oculos habuit carnales, perſecutus eſt Eccleſiam Dei, cæcus verò factus, confeſſus eſt nomen Domini, dicens: Domine, quid vis, vt faciam? Ipſemet nos docuit,quomodò Chriſtum videre poſſimus, 1.Corinth. cap.14.nu.15. Orabo ſpiritu,orabo & mente. Hinc etiam nos docuit Ieſus, dicens: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, Matth.cap.5. nu.8. ideſt virtute intelligentiæ; Deum enim videre, eſt ipſum mente intelligere, ità Origen. de Principijs, cap.1.lib.1.fol.754.& Auguſtin. in lib. Soliloq. Quamdiù eſt talis tibi oculus carnalis, non videbis, ſed quando fuerit talis, vt nihil prorſus terrenorum delectet, mihi crede, eodem momento, eodem puncto temporis videbis, quod cupis. Facit quod dicit D. Petrus Epiſtola 2.cap. 1. num. 9. non faciens enim illa, quæ ille narrat; cæcus eſt, & Auguſtin. de verb. Domini Serm.55. tom.10. Verbum aſſumens humanitatem factum eſt via, igitur ambula per hominem, & videbis Deum. Reuela oculos meos,dicebat Iuſtus, vt mente valeam videre viam tuam, & conſiderare mirabilia tua. Non illa, quæ videntur, cælum, & terram; & omnia, quæ in eis ſunt: mirabilia ſanè ſunt; ſed mirabiliora conſiderare volebat, nempè quòd filius Dei Deus verus de Deo vero, per quem omnia facta ſunt, humilis factus de cælo deſcenderet, de Virgine naſci vellet pauper in Præſepio,& diues in cælo,homo factus, & homini ſubditus, & Virgini, vt perditum hominem redimeret; quamuis inter ſuos natus, non tamen ab illis receptus, immo illuſus, captus, flagellatus,

coro-

corona ſpinea coronatus, in cruce poſitus, & mortuus, & ſepultus. Reſurrexit, vt homo perditus ſecum reſurgeret. Increpauit ſuperbos, lutea vaſa portantes, quia ipſe Dominus eſt Deus, homo factus, & humilis, & tu puluis, & cinis ſuperbieris?

Auſer à me opprobrium, & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſiui. Auſer à me opprobrium, & ſcandalum, quod habent Iudæi, & contemptum, ſeù ſtultitiam, quam cogitauerunt Gentiles, myſteria tua ignorantes, quia ego mandata tua exquiſiui.

Vel in opprobrium, & contemptum inimicis tuis fui, quia teſtimonia tua exquiſiui, quia teſtes, Martyres ſcilicet tuos exquiſiui, tu Domine illud auferas; hæc enim Eccleſia rogat, vt qui prius perſequebantur illam, & in opprobrium, & contemptum habebant, aperientes oculos videant, quòd quæ docet, & exquirit, teſtimonia Dei ſunt, & ſciant, quia illa, quæ ſtulta ipſis videntur, elegit Deus, vt fortia quæque confundat; vndè Paul. 1. Corinth. cap. 1. num. 27. Videte vocationem veſtram, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt deſtrueret. Hinc qui in inferno poſiti erant dolentes dicebant, Nos ſtulti vitam illorum reputabamus inſaniam, & erranimus à via, quia illi inter filios Dei reputati ſunt; ipſi verò in inferno cruciantur, Sap. cap. 3. & 5. Auſer ergo à me opprobrium, & infidelium contemptum, vt ſciant gentes, quia hæc porta Domini, humiles, & iuſti intrabunt per illam, Pſal. 117. nu. 19.

Etenim ſederunt principes, & aduerſum me loquebantur, ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis. Hinc bella, hinc hæreticorum ſeditiones, vt Eccleſiam tuam lacerantes, & perſequentes, tollant eam, & faciant latronum ſpeluncam, ſeruus verò tuus, Eccleſia tua exercebatur in iuſtificationibus tuis, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, quia tu mecum es vſque ad conſummationem ſæculi. Tu Domine vides, quòd Satan expetiuit nos, vt cribaret ſicut triticum, ego autem in tuis iuſtificationibus exerceor, ſicut tu Domine iuſſiſti, vt conuerſus confirmarem fratres meos, quia tu ſemper mecum es vſque ad conſummationem ſæculi, Luc. cap. 22. nu. 31.

Vel ſecundum Ambroſ. hæc de Chriſto aptius intelligenda videntur, ſunt enim verba Chriſti, dicentis. Sederunt aduerſum me principes; cum enim conueniſſet presbyterium plebis, & principes Sacerdotum, & Scribæ, & ad concilium Iudæorum ductus eſſet Ieſus, dicentium, quid adhùc deſideramus teſtes? audiuimus enim de ore ipſius, &c. & cum ſtaret antè Præſidem, & duceretur ad crucem, quid pulchrius diceret, quàm ſederunt principes, & aduerſum me loquebantur, hoc eſt, me ſtante, ſederunt principes, & quia Tribunalis ſedes ſublimes erant, Dominum non videbant; ſedebant ergo elati faſtigio principatus, nec Principem Principum cogitabant; & ideò Diſcipuli mei, imitatores mei, nolite iniuriam erubeſcere, ſi antè Principes ſteteritis pro nomine meo, cum ego ſteterim pro veſtra ſalute. In alio verò loco dicitur, Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam, Pſalm. 108. nu. 4. Iſti principes ſedebant, Iuſtus verò, ſicut Agnus exercebatur in iuſtificationibus tuis; exercebatur patiendo.

Com-

Digitized by Google

Comprehendentes eum, tamquam latronem duxerunt ad Herodem, ad Præſidem: iuncta erant ſæcularium, & Eccleſiaſticorum Tribunalia, & ſedebant contrà Ieſum. Sedebant illi, cædebatur Ieſus; quis te percuſſit? dicebat, qui Ieſum alapis cædebat. Sedebant illi, ſtabat Ieſus ligatus antè eos, & ſicut pila, hùc, illùc trahebatur ligatus, vt traherent in terram, Iſai.cap.22.nu.18. Manda, remanda, manda, remanda, Iſai.cap.34.nu.13. Stabant illi, clamantes crucifigatur; ſeruus autem tuus Domine ſancte Pater exercebatur in iuſtificationibus tuis. Quis credidit auditui noſtro? Iſai.cap.53. in princ. Et brachium Domini, cui reuelatum eſt; ideſt filius Dei ſecundum Auguſtinum, qui aſcendit ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti, de Maria ſcilicet Virgine natus. Iſte eſt, quem vidimus deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & infirmitatem ſcientem: hic eſt Ieſus, qui in ſuis iuſtificationibus exercebatur; paſſus eſt enim, quia voluit; ideò in operibus ſuis exercebatur, quæ à Patre ſibi impoſita erant. Vade retro Satana, dicebat, non vis, vt calicem, quem dedit mihi Pater, bibam illum? Ioan.cap.18.nu.11.Matth.cap.16. num.23. Marc.cap.8. nu.33.

Exercebatur in meditando, quæ ſibi inferebantur ab iniquis, ludibria, & pœnas. Pater, ſi non poteſt calix tranſire à me, niſi bibam illum, fiat voluntas tua, Matth.cap.26.nu.42. Exercebatur Dominus, vt nos doceret, quia virtus in infirmitate perficitur, vt in membris ſuis, hoc eſt in diſcipulis, & in alijs Martyribus cognoſcerent iniqui, quia, quæ illis intulerunt pro amore Chriſti, paſſiones, & tormenta, ipſi Ieſu inferebantur, vndè dixit Saulo, Eccleſiam ſuam perſequenti, Saule, Saule quid me perſequeris? ideſt quare tu membra mea perdere cupis? Eccleſiam meam, cuius ego caput ſum, ipſi verò membra mea, Act.cap.9. num.4. quæ verò exercitationes, ſeù meditationes fuerint Domini, in calice bibendo, declarat verſiculus ſequens, habens.

Nàm & teſtimonia tua meditatio mea, & conſilium meum iuſtificationes tuæ. Miſſus eſt Dominus, vt omnium peccata portaret in corpore ſuo, pro quibus paſſus eſt, Iſai. dicto cap.53.num.4. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit; percuſſus propter iniquitates noſtras, & num.6. Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Teſtimonia tua, ideſt mandata tua, operationes tuæ, ideò meditatio mea, & gaudium, quia paſſione tua ſatisfactum eſt Adæ peccato, vt redimeretur gens tota illa, quæ in te creditura erat, quam tibi redimendam Pater dedit. Et conſilium meum iuſtificationes tuæ, ideſt præcepta tua, vt nempè pro perſecutoribus meis tu patereris, & orares pro illis. Conſilium illorum, vt te traderent: conſilium tuum, vt ſalus illis eſſet paſſio tua: conſilium contrà conſilium; illi vt Martyres deſtruerent, interficientes; conſilium verò Martyrum perditos illos acquirere ſatagens. Auguſtin. hìc: Conſilium ſedentium fuit, inuentos Martyres perdere; conſilium patientium Martyrum fuit, inimicos perditos inuenire; reddebant illi mala pro bonis, iſti bona pro malis. Quid ergo mirum, ſi illi occidendo defecerunt, iſti moriendo vicerunt. Quid, inquam, mirum, ſi Martyres, ſæuientibus gentibus, temporalem mortem patientiſſimè pertulerunt: & gentes, Martyribus orantibus ad æternam vitam peruenire potuerunt, dum corpus Chriſti ſic exerceretur, vt & martyria meditaretur, & malis Martyrum perſecutoribus bona præcaretur?

Exer-

Exercebatur in iuſtificationibus ſeruus iſte Domini, erat tamen in via, in carne poſitus, timor propterea inuadit illum, ne aliquando præcepta Domini præteriret; exemplum nobis, vt qui ſtamus paueamus, ne cadamus. Propterea ſequitur littera octonarij Alphabetica hebraica Daleth, & timor interpretatur, vel natiuitas.

DALETH.

Adhæſit pauimento anima mea, viuifica me ſecundum verbum tuum. Vide Domine, quia in pauimento animam meam poſuiſti, dum in corpore iſto carneo, & terreno illam inuoluiſti, vt legitimè certando poſſit redire ad te; caro enim aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, & corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, Sapien. cap. 3. Terrenum eſt, & corruptioni ſubiectum, dum anima mea in eo manet, viuifica Domine, vt in reſurrectione incorruptibile ſit in cælo: vndè dicebat Paul. 1. Corinth. cap. 15. numer. 53. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Viuifica me Domine ſecundum verbum tuum, vt immobilis, & ſtabilis in opere tuo ſemper abundans, labor meus apud te non ſit vacuus, & inanis.

Adhæſit pauimento anima mea. Auguſtin. Non cum corruptibilibus corporibus noſtris ſemper cum Domino erimus: ſed tunc (ſcilicet in Patria) quia non erat corruptibilia, nec animas aggrauabunt. Si benè conſideremus, non corruptibilibus nos, ſed ipſa potius nobis adhærent, nos autē Deo: vndè Pſal. 72. nu. 28. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino ſpem meam. Quocircà adhæſio hæc non coniunctionem carnis, & animæ, ſed carnalem magis affectum, quo caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſignificare, Auguſtino videtur. Non ergo id orat, vt de corpore mortis huius, morte ipſius corporis interueniente ſoluatur, quod dies vltimus vitæ huius, qui propter ipſius vitæ breuitatem non poteſt in longum differri tempus, ſed vt concupiſcentia, qua caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, magis, magisq. minuatur, & concupiſcentia, qua ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem, magis, ac magis augeatur: donec iſta affectuum pugna conſummetur per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Viuifica me ſecundum verbum tuum, Quia qui ſeminat de corruptione, & de corruptione metet. Etenim teſtimonia tua, meditatio mea eſt, & conſilium meum iuſtificationes tuæ. Eripe me de corruptibilibus, vt ſecundum verbum tuum animam meam viuifices in benedictionibus tuis. Viuifica ergo me, quia ſine te mortuus ſum à corde, ideò viuifica me, vt conuerſatio mea ſit in teſtimonium de te, ſit in cælis, vt dicit Paulus ad Philip. cap. 3. Erue me Domine à circumdantibus me, à pauimenti, & terreni corporis huius delectatione, vt te ſolum diligam, quia es vita mea, redemptio mea, cætera verò extra te, mors ſunt, & corruptio. Viuifica me, inſtat ſenſus iſte Dei, qui ſuperius in iuſtificationibus Domini exercebatur, & meditatio illius in teſtimonia Dei. Si timet ille, cur non formidabis peccator impie, qui in inuio ambulas tota die? Derelinquat impius viam ſuam, vt cum iuſtis ſcribatur, Pſalm. 68. nu. 29. & ſecundum verbum diuinum viuificabit te, ſi in vijs eius ambulaueris.

Vias meas enunciaui, & exaudiſti me, doce me iuſtificationes tuas. Ideò exaudiſti, quia enunciaui tibi; ideò enunciaui, quia in tenebris iacens, lumine

tuo

tuo cognoui, quòd peccaui tibi, qui lux in tenebris fuisti mihi. Ideò exaudisti, quia ego pœnitens confessus sum, quòd in via erroris ambulaui. Doce nunc me Domine iustificationes tuas, vt cognoscam, quia pepercisti mihi, & in sermonibus tuis iustificaberis, Psalm. 50. num. 5. in illis enim pœnitentibus parcere promisisti, Ezech. cap. 33. & Matth. cap. 18. nu. 21. Tuas ergo vias doce me, vt fugiens peccatum tibi soli seruiam, & ingressus in illas mirabilia tua confitear, quia perditus eram, & tu me inuenisti; mortuus eram, & me viuificasti.

Viam iustificationum tuarũ instrue in me, & exercebor in mirabilibus tuis. In alio Psalmo nu. 24. Vias tuas, aiebat, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me, ideò dixit Dominus Petro, & Andreæ, Matth. cap. 4. nu. 19. Venite post me: non ante me, nàm in iustificationibus Domini ordo requiritur, adeòq. dicitur, semitas tuas doce me, infrà verò dicitur, Cum dilatasti cor meum, viam mandatorum tuorum cucurri, vt infrà dicemus. Fac ergo me Domine intelligere, vt in iustificationibus tuis valeam me exercere. Sed si suprà iactauit se iustus iustè exerceri, meditari in iustificationibus Domini, ac insuper, iustificationes eius custodire, quomodò hìc instat instrui in iustificationibus Domini? Nisi quia non sufficit, vias Domini scire, nisi qui illas scit, instruatur, vt & in illis operetur, se exercendo iuxtà præceptum Domini. Vias tuas Domine instituisti, docuisti, instrue etiam milites tuos, vt recto tramite incedentes per illam peruenire possint ad te. Tu viam Domine instituisti, & nos docuisti, instrue etiam nos per sanctos Apostolos tuos militantes in acie, vt pugnantes te ducem sequamur in bello. Nota ordinem, prius disce vias Domini, secundò instruaris in illius iustificationibus, vt exercearis in mirabilium cognitione Domini; nàm scire quid faciat, & ordinem faciendi nescire non est perfectæ cognitionis; ordinis namque ignorantia conturbat negotiorum naturam, formamq. meritorum. Quæ verò sint mirabilia declarat hìc Augustin. Concione 10. litera L. Ipsas iustificationes ampliores, quas proficiendo cupit apprehendere, mirabilia Dei vocat. Sunt ergo quædam Dei iustificationes ità mirabiles, vt ex humana infirmitate ab eis, qui experti non sunt, non posse ad eas peruenìri credatur, ideò laborans iste, & earum difficultate, & quodammodò fatigatus adiunxit.

Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. Hieronym. Dormitauit anima mea in huius habitaculi mortalis statione præ tædio imbecillitatis corporeæ; confirma me in verbis tuis, vt ablato peccati somno; instanter in his vigilem; non spem amisi, quia non dormiuit anima mea, sed præ tædio dormitauit, quia parum à spe retriguit, dicens, Quando venies ad me? Quando facies de persequentibus me iudicium? Psalm. 118. numer. 84. Veni Domine, & noli tardare, vt relaxes facinora plebi tuæ: confirma me in verbis tuis. Audi iuste Isai. cap. 35. num. 3. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate: dicite pusillanime, confortamini, & nolite timere; ecce Deus vester, Deus ipse veniet, & saluabit vos, & tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.

Dormitauit, & quasi tepida incedit, cum longè facta videatur salus tua, aduentus tuus à peccatoris redemptione; nàm dies illius breues sunt, breui viuens tempore multis miserijs repletus; mille verò anni ante te, sicut dies

ex-

exſterna, quæ præterijt, ne longè facias amplius miſerationes tuas à me, Ecce, in ianuis ſum, dixiſti, Matth. 24. num. 33. confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miſerere mei. Quomodò mea delebuntur peccata, niſi tu veniens portaueris ea, & me redemeris? Iſai. c. 53. ampliusq. me lauaueris ab iniquitate mea; miſerationum tuarum reminiſcens, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt. Confirma me in verbis tuis, & de lege tua miſerere mei. In lege itaque factorum eſt Dei iubentis iuſtitia, in lege autem fidei ſubuenientis miſericordia, ad Roman. capit. 5. numer. 20. lex autem ſubintrauit vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit gratia, vt ſicut regnauit peccatum in mortem: ità & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam. Et de lege tua miſerere mei. Auguſtin. Viam iniquitatis amoue à me, & quia lex factorum ſubintrauit, vt abundaret delictum, ſequitur, & dicit, & de lege tua miſerere mei; qua lege, niſi lege fidei; Audi Apoſtolum, vbi eſt gloriatio tua? excluſa eſt, per quam legem? Factorum? non, ſed per legem fidei; hæc eſt lex fidei, qua credimus, & oramus per gratiam nobis donari, vt faciamus quod per noſmetipſos implere non poſſumus. Ne ignorantes Dei iuſtitiam, & noſtram volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſimus ſubiecti. Cum autem dixiſſet, Et à lege tua miſerere mei, de beneficijs ijs, quæ iàm conſequutus eſt, quodammodò, (ſi dici poteſt) præſcribit, vt impetret cætera, quæ nondum eſt conſequutus. Propterea viam iniquitatis amoue à me; vt poſſim confirmari. O Domine viam iniquitatis, quæ à Patribus trita eſt, & quæ imminet, amoue à me; viam enim veritatis elegi, iudicia tua non ſum oblitus, tu enim es Via, Veritas, & Vita.

Viam iniquitatis amoue à me, omne enim peccatum iniquitas eſt, 1. Ioan. cap. 3. numer. 4. amoue à me peccatum, & viam peccandi, atque in lege tua, quæ eſt in miſerando, & parcendo, miſerere mei, cum iàm peccauerim tibi, illumina ſuper me vultum tuum, & miſerere mei, quia viam veritatis elegi: iudicia tua non ſum oblitus. Viam iniquitatis amoue à me, quia viam veritatis elegi; bonum, & malum ante me poſitum eſt; auſer à me viam mali, quia in viam tuam ſum ingreſſus, & mandata tua non ſum oblitus; adiuua me ergo Domine, quia ſine te nihil prodeſt meum velle, & tunc proderit tuum velle, ſi viam iniquitatis amoueris à me.

Iudicia tua non ſum oblitus, quia concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas, in omni tempore. Adhæſi teſtimonijs tuis Domine. Dilata cor meum in tua benedictione, in dilectione tuæ iuſtitiæ; Noli tardare; veni Domine; ne dicant inimici tui, vbi eſt Deus eorum, & confundant me; Expectans expectaui, intende mihi Domine, vt venientem tamquam vnum ex nobis, Verbum factum carnem procidens in terram adorem te; & cum cor meum dilataueris, curram vias tuas. Breues enim mihi videbuntur, ſi gratia tua dilatatum cor meum, & confirmatum fuerit in te; ſpes enim non confundit, quæ tota mihi ſolum in te poſita eſt, ideò noli me confundere, ad Roman. cap. 5. num. 5. Noli reprobare puerum tuum, venient illuſores in deceptione, iuxtà proprias concupiſcentias ambulantes, qui non ſeparabunt me à charitate tua; & ſi dicant vbi eſt promiſſio, aut aduentus

eius ? non tardat Dominus, inquiam, promissionem suam; sed patienter agit propter nos, 2.Petr.3.num.3.

Adhæsit anima mea post te, vt non confundar, quando Antichristus venerit: quando, nisi abbreuiati essent dies illius propter electos tuos, omnis caro periret, Marc. cap.13.numer.20. vt sit sermo de secundo Christi aduentu, futura namque sunt præsentia Prophetis; In te, inquit, Domine speraui, non confundar in æternum. Vel cum Augustino dicamus, Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, præcedat igitur cordis mei dilatatio tua Domine, vt ego in mandatorum tuorum obseruatione sine vlla intermissione curram. Ecce dilatatum est cor meum, imple illud tu Domine iustitiæ tuæ delectatione; vt & ego currens omnia præcepta tua seruare possim sine intermissione, sine ad alios actus diuersione, & intermedio; ad dilatandum cor meum festina Domine, vt & ego currens in vias tuas, in mandatorum tuorum semitas, toto corde meo, verbo, & opere, nec retrò respiciens, sed recto tramite iter mandatorum tuorum ingressus, vsque ad finem perueniens valeam tibi seruire. Amen.

H Æ.

Propterea meritò sequitur littera Hæ, quæ interpretatur esse, vel viuere, ideſt Christus, qui semper est, & semper viuens est & vita nostra, ad Coloss. capit.13.numer.3. Hunc iustus iste requirit, & in eius via ambulare, & currere festinat, vt inhabitet in domo Domini. Huius legem in corde suo sibi poni petit, quæ est via iustificationum illius, hanc exquirere semper desiderat; hanc viam veritatis elegit: huic adhæsit, quia ipse est Via, Veritas, & Vita. Tu Domine Iesu ità testificatus es, & verum est testimonium tuum, Ioan. cap.8.numer.14. sed si lex non imponitur iusto, 1.Timoth. cap.1.numer.9. quomodò legem sibi imponi desiderat iustus iste, Ecclesia nostra? Differentia est inter legem antiquam, & nouam; littera occidens dicitur lex antiqua, non quia mala sit lex, sed quia prohibens peccata, auget concupiscentiam, & addit præuaricationem; nisi liberet gratia, quæ gratia non sic abundabat in lege illa, vt in Euangelio; lex ergo bona est, & tamen occidit sine gratia: distat etiam lex antiqua à lege Euangelica, quia diuersa sunt promissa: ibi terrena; hìc cælestia; diuersa etiam sacramenta, quia illa figurabant, hæc autem conferunt gratiam, & ideò illa occidens dicitur, hæc autem iustificans: illa enim & si gratiam quandoq. conferebat, hoc erat non ratione operis operati, sed ratione operis operantis in fide ad Christum venturum omnis gratiæ fontem, hæc autem vtroque modo iustificat in Sacramentis, & ideò lex iustificationum Dei dicitur. Non ergo legem veterem cupit Psalmista, sed nouam cupit, vt filijs Spiritu sancto scriptam in cordibus, vt intelligat, & ex amore compleat. Hæc enim in charitate tota posita est. Non quam memoria teneant, inquit Diuus Augustinus Concione 11. in hoc eodem Psalm. litera D. & vita negligant, sed quam sciant intelligendo, faciant diligendo: in latitudine amoris, non in angustijs timoris, Cur ergo iste adhùc poscit sibi legem poni, quæ vtique si non ei posi-

posita fuisset, non in viam mandatorum Dei in cordis latitudine concurrisset? sed quia proficiens loquitur, & Dei donum nouit esse; quod proficit, quid aliud petit, cum sibi legem poni petit, nisi vt in ea magis, magisquè proficiat?

Et exquiram eam semper. Quid exquirit, quod habet, nisi quia & habet agendo, & exquirit perficiendo? Quærit, vt inueniat: exquirit, vt inuenta operetur in ea, fides enim sine operibus mortua est: exquirit semper dum perueniat, quidquid agendo operatur, in nomine Domini faciens, semper exquirit, dum perueniat ad acquisitionis locum optatum, vbi cum Sanctis gloriam dabit Deo. Sed quam legem petit iste? viam mandatorum, & iustificationum quærit, quæ verò sint iustificationes, diximus supra, & illas inferius exprimendo declarat, ad quarum intelligentiam non deuenitur, nisi præcedat gratia Dei, in dando intellectum, ideò dixit.

Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, Quomodò quæram, si non intelligam? Semitas tuas requiro, arcta est via, & tu Domine deduc me per illam, quia vias tuas ingredi volo; sed sine te, quomodò potero ex me? nisi inclines cor meum in testimonia tua, & in via tua viuifices me, timorem tuum docendo. Da ergo mihi intellectum, vt te toto corde diligam, & proximum, & cum in hoc tota lex pendeat, & Prophetæ, rectè scrutabor mandata tua Domine, si ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex totis viribus meis dilexero te, & proximum meum sicut meipsum. In toto enim corde legem scrutari dicuntur, qui in illis faciendis per omnem vim animæ exercentur, vt dicit S. Bonauentura, quæ sunt, vis rationalis, concupiscibilis, irascibilis; nàm rationabilis facta est anima, vt Deum in se, & in omnibus inuestiget: concupiscibilis, vt solum Deum diligat, & desideret: irascibilis, vt cuncta huic dilectioni aduersantia reprobet, sicut scriptum est Isai. cap. 7. vt sciat per rationabilitatem reprobare malum, per irascibilitatem, & per concupiscibilitatem eligere bonum.

Iàm intellectum petit, vt scrutari legem Dei possit, & illa scrutata in toto corde suo custodire valeat; sed si adhùc in mandatorum Dei semita non esset, parum proficere posset; si adhùc non esset portam Ecclesiæ ingressus, ei non prodesset; qui enim non intrat per ostium, fur est, & latro, dicit Dominus; iste iustus iàm erat in semita, iàm in via Christi, ideò dicit, In semita mandatorum tuorum. Non dicit in semitam, vt intelligamus, quia erat iàm de Ecclesia, quam ipse appetiuit, & voluit, iàm dilatatum erat cor suum, ingressa erat Dei gratia in illum. Directionem viæ petit, quia illum gratia Dei præuenit, & ideò voluit, quia aliàs sine Dei gratia, non posset velle ex se. Sed cui non placet gratia Dei, quæ ducit ad cælum? Petit ergo iàm in mandatis Dei positus, vt in illis proficiat de virtute in virtutem, donec videat Deum Deorum in Sion, Psalm. 83. num. 8.

Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Voluit, & vt velit rogat; sed quid vult? Vt non in auaritiam, sed in sequendo Christi Iesu vestigia Dominus cor suum inclinet. Qui enim diuites fieri volunt, incidunt in tentationes; vndè Iacob. in Epistola sua cap. 5. numer. 2. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt; aurum, & argentum vestrum æruginauit. Hæc enim desideria, tenacitatis testimonium

oſtendunt, & Luc.cap.11. quod ſupereſt, date eleemoſynam. Inclinā Domine, ideò cor meum non in auaritiam, ſed in teſtimonia tua, quia tu Domine diues in omnes, & fieri pauper voluiſti.

Et nota, quia inclina, dicit Dauid, non in auaritiam cor meum, vt ne attingere quidem illam velit etiam cogitatione. Et ratio poteſt eſſe, quam adducit; quia huiuſmodi ad auaritiam inclinati, vt dicit Dauid, ſomnum ſuum dormiunt, non Chriſti, Pſalm.48.numer.15. ſicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos, & Pſalm. 75. numer. 6. Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis: non enim requies auaris pecunia tribuitur. Huiuſmodi viri non habent Chriſti requiem, neque reſurgent Chriſti reſurrectione, ſed ſicut oues in inferno ponentur, & mors depaſcet eos. D. Bernard. Sermon.2. de Verbis Apoſtoli, Non eſt, inquit, Regnum Dei, &c. quia detracto vellere mundialium diuitiarum, durequè detonſi, ſempiternis nudi deputabuntur incendijs; mors depaſcet, quia ſemper morientur ad vitam, & ſemper viuent ad mortem, Diuus Ambroſius in lib. de Naboth cap. 14. Cuſtos es tuarum, non Dominus diuitiarum.

Non ergo inclines Domine in auaritiam, quæ Idolatrantes facit apoſtatare homines à fide, ſed in tuorum mandatorum obſeruatione, & teſtimoniorum tuorum meditatione, ad Epheſ.5.nu.5. Hoc enim ſcitote, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt Idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in Regno Chriſti. Non habeamus cor ad auaritiam inclinatum, & Deum colamus propter ipſum Dominum, vt ſui cultus, ipſe ſit merces, dicit Auguſtinus. Ipſum diligamus & in ſeipſo: ipſum diligamus & in nobis: ipſum in proximis noſtris, quos diligimus, ſicut noſmetipſos, ſiuè habeant eum, ſiuè non, velut habeant eum: quod nobis, quoniam ipſo donante confertur, ideò illi dicitur, Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam.

Auerte oculos meos. ne videant vanitatem, in via tua viuifica me. Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus, Matth. cap.6.numer.23. tenebroſum erit; nàm ſi lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ, quantæ erunt? Auerte Domine oculos meos, ne videntes vanitatem, delectentur in ea, & no loco luminis, tenebris impleantur corpus meum, & anima mea, ſi oculus mentis ad inania verſus fuerit: quid enim ſub Sole, quod non ſit vanitates, & defectiones? illa tranſeunt; Cœlum enim, & terra tranſibunt, dicit Dominus, Marc. cap.13.num.31. verba autem meá non præteribunt: Non me defectio iſta teneat, vt derelinquam legem tuam; ſed auerte illam à me, & ſolum in via tua, in te ſcilicet Chriſte ſit mens mea: ſint in te diligendo, & ſequendo cor meum, vires meæ. In via tua viuifica me, vt ignem tui amoris in ſenſibus meis accendens, & lumen infundens viam tuam ſequendo, iter mihi fiat ſecurum, vt perueniam ad te.

Statue ſeruo tuo eloquium tuum, in timore tuo; Firma Domine eloquium tuum, in me ſeruo tuo, in timore tuo, vt ſequens te, nihil præter te quæram, non hominum laudes, quia illis videar ieiunans, ſiuè te laudans; in timore tuo eloquium tuum ità ſtatuas in me, ne mihi ſit inopia, quòd quæro te, nihil mihi deſit timenti te, Pſalm. 33. numer. 10. Auguſtin. hic. Quid eſt

Statue,

Statue, &c. nisi da mihi, vt faciam, quod eloqueris? Statuit itaque Deus eloquium suum in timore suo, eis, quibus dat spiritum timoris sui, de quo Isai. cap. 11. num. 3. Et replebit eum Dominus spiritu timoris Domini, & Psalm. 18. num. 10. Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi, non spiritus timoris, de quo ad Roman. cap. 8. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore; hunc enim consummata charitas foras mittit. Aliter quippè, dicit Augustin. timet adultera virum suum, aliter casta: adultera, ne vir veniat, casta, ne deserat.

Amputa opprobrium, quod suspicatus sum, quia iudicia tua iucunda. Supra diximus circà huius versiculi intelligentiam, nunc verò iustus iste cum Petro dicit Domino, quomodò Domine Iesu Ierosolymæ te passurum asseris? Absit hoc à te Domine, quia scandalum mihi hoc est, & gentibus opprobrium videbitur. Suspicabatur enim, opprobrium hoc esse, vt filio Dei serui illius iniqui mortem inferrent, qui venerat vt illos saluaret, & ideò dicebat Petrus, Matth. cap. 16. num. 23. Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Iesus autem conuersus dixit Petro, Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. Homo erat iustus iste; homo erat Petrus, quem ille hìc repræsentat, quæ hominum erant suspicabatur; opprobrium nempè ex parte Iudæorum, quia Duci eorum, & Saluatori mortem ingrati inferrent, vndè dicit Paul. Prædicamus Christum crucifixum, scandalum Iudæis, Gentibus verò stultitiam, 1. Corinth. 1. num. 23.

Amputa igitur opprobrium, quod suspicatus sum; quia iudicia tua iucunda; ad hoc enim te venire docuisti, vt perditos nos saluares à morte; ità dilexisti nos, vt filium tuum Vnigenitum dares pro nobis, Ioan. cap. 3. num. 16. Ideò iudicia tua iucunda. Aiebat Dominus. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me. Arcta via, sed iucundus finis. Quid enim iucundius, quàm habitare cum Christo? Venite benedicti, inquit, quia vobis paratum est Regnum à constitutione mundi, diliges Deum, & proximum tuum sicut teipsum, in his enim duobus præceptis cõsistit obseruatio legis, vt securi perueniamus ad Legislatorem Christum, qui dilexit nos, & sanguine suo lauit nos à peccatis nostris; taliter enim nos, iàm inimicos suos dilexit, vt nos à morte redemerit, Isai. cap. 53. Et cur non ipsum nos diligemus, qui fecit nos, redemit nos, & ciuitatem nobis constituit in cælis, si etiam proximos nostros diligamus, sicut nosmetipsos; vndè 1. Ioan. cap. 4. Diligite vos fratres inuicem, quia ipse prior dilexit nos, & lauit nos in sanguine Agni; sed cur Ioannes toties repetis hoc? quia, inquit, præceptum Domini est; Iudicia tua iucunda. Amputa opprobrium, quod suspicatus sum, si inimicos diligerem, quia traditum erat antiquitus, Diligite amicos vestros, & odio habebitis inimicos vestros; & ego dico vobis, dixisti. Domine, diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos. Amputa opprobrium quod suspicatus sum, quia cognoui, quòd iudicia tua iucunda sunt.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum. Gentibus, & Iudæis stultitiam opinantibus, & scandalum, quia tu es salus, & ideò passus, quia voluisti, quia dilexisti, & ego speraui in sermonibus tuis, infra numer. 42. & non confundar in æternum, Psalm. 30. num. 1. quia saluos facis sperantes in te, Psalm. 16. numer. 17.

Digitized by Google

Ecce ego concupiui mandata tua, in æquitate tua viuifica me; Auguſtin. hìc. Ecce concupiui ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente diligere te, & proximum, ſicut me. Non in mea, ſed in tua iuſtitia viuifica me; hoc eſt iſta charitate, quam concupiui, imple me; adiuua me, vt faciam, quod commendas: dona ipſe quod mandas; In tua iuſtitia viuifica me, quia in me, vndè morerer, habui, vndè autem viuam non inuenio, niſi in te. Iuſtitia tua Chriſtus eſt, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum ſcriptum eſt, 1. Corinth. c. 1. Qui gloriatur, in Domino glorietur; & in illo inuenio mandata tua, quæ concupiui, vt in tua iuſtitia, hoc eſt in illo viuifices me; ipſe eſt enim Verbum Deus, & Verbum caro factum eſt, Ioan. cap. 1. vt eſſet & proximus meus. In æquitate tua viuifica me; Omnia enim mandata tua æquitas.

Fiat ergo manus tua, vt ſaluet me, quoniam mandata tua elegi, infrà numer. 172. Habitabam in tenebris, & hac nocte lux orta eſt mihi, quia Verbum caro factum eſt, Ioan. cap. 1. in fine, plenum gratiæ, & veritatis. Gratia igitur tua illumina cor, & corpus meum tenebris plenum, & ità illumina me, vt ad te dirigam cor, voces, & opera, dignè, & honorabiliter ambulans in via tua, & ex te natus, & redemptus, ſeruus, & filius tuus efficiar, ambulans in te via immaculata; Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis, Iſai. cap. 9. num. 6.

Amputa opprobrium, quod ſuſpicatus ſum, quia narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua, cor enim iniquorum congregauerat iniquitatem ſibi, Pſalm. 40. num. 7. ego verò delectabar in te, quia iudicia tua iucunda, & mihi delectabilia; credo enim, quòd tu filius Dei, de Spiritu ſancto conceptus deſcendens de cælo in Mariæ ſemper Virginis vterum, hac nocte ex eadem Virgine pauper, & humilis in Præſepio naſci voluiſti; Angeli cantant, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, quorum peccata vt tolleres veniſti. Miſerere etiam mihi famulo tuo, quoniam tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus Ieſu Chriſte fili Dei, in gloria Patris. Amen.

V A V.

Veniat ſuper me miſericordia tua Domine, & ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum. Deſiderabat iuſtus iſte Domini aduentum, qui ideò miſericordia dicitur, & ſalutare noſtrum ſecundum promiſſionem ſuam; quia ideò venit, quia voluit: ideò voluit, quia miſertus eſt nobis; ideò miſertus, quia propter peccatum Adæ omnes perditi eramus. Veniat igitur ſuper me miſericordia tua Domine, vt mihi ſis ſalus ſecundum eloquium tuum.

Statue mihi ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo, viuifica me ſecundum verbum tuum, vt cuſtodiam ſermones tuos. Emundabis me à delicto maximo, ſi mecum aderis, ſicut promiſiſti; Vau enim littera huic verſiculo præponitur quæ interpretatur ipſe; vel ille, ideſt ipſe Dominus Ieſu Chriſtus Saluator.

O nos

Digitized by Google

O nos feliciores, quod videbat enim iſte in ſpiritu, nos habuimus in effectu; quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis; Videbat quod futurum erat: nos in fide & re ipſa vidimus, quod factum eſt: ſperabat ille ſalutem, nos habuimus redemptionem: detinebantur Patres, donec veniret lux, nos lucem vidimus, & veſtigia eius ſequentes, cum ipſo lucem ingredimur; confitetur latro, & illi dicitur ſine dilatione, hodie mecum eris in Paradiſo; Stephanus vidit cælos apertos, & ſpiritus eius aſſumptus eſt in illos, vidit, & introiuit, Act. Apoſt.cap.7. nu.56. Fac tu etiam anima mea bonum, & crede, quia cum Ieſu ingredieris in Paradiſum: Veni Domine,doce me, viuifica me,vt ſemper ſequar te: Veniat ſuper me miſericordia tua,quia ſalutare tuum ſecundum promiſſum tuum iàm venit, deſcendat ſuper me miſericordia tua,& ſalutare tuum da mihi.

Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine, ſalutare tuum. Ergo ſalutare Dei eſt miſericordia illius, propter quam dat ſalutem omnibus inuocantibus eum. Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ieruſalem ſuper fundamentum Apoſtolorum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu: ſecundum eloquium tuum, vt alias oues, quæ non ſunt ex ouili hoc Synagogæ, ſecundum tuam miſericordiam tecum educas, vt fiat vnum ouile, & vnus Paſtor, Ioan.cap.10.nu.16. Veniat ſuper hunc gregem etiam tuum miſericordia, dicit Dei Eccleſia, quia tunc etiam reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, quia ſperaui in ſermonibus tuis, quod ſcilicet nunquam deficiet fides mihi Eccleſiæ tuæ ſanctæ, Luc.cap.22.nu.32. In quo verbum tuum exprobrant Iudæi? quia non ſis filius Dei; opera tua teſtimonium perhibent de te, quia ipſe es filius Dei, Ioan. cap.5. num.36. Quem vos crucifixiſtis, ò Iudæi, ipſe Dominus, qui virtute propria ſeipſum ſuſcitauit, Ioan. d.cap. 6. num.26. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit filio habere vitam in ſemetipſo. Sed obcæcauit vos auaritia, qua Diſcipulum captiuaſtis, & milites ſepulchrum cuſtodientes pecunia ſuffocaſtis. Surrexit Dominus, territi ſunt cuſtodes, dicite, quia vobis dormientibus, venerunt Diſcipuli,& furati ſunt illum: teſtes dormientes adhibuiſtis, vt veritatem iniquè occultaretis, Matth. cap. 28. num.13. Et congregati cum Senioribus conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes; dicite, quia Diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, vobis dormientibus, & ſi hoc auditum fuerit à Præſide, nos id ſuadebimus ei; & ſecuros vos faciemus; at illi accepta pecunia fecerunt ſicut erant edocti, & diuulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos vſque in hodiernam diem.

Et reſpondebo exprobrantibus mihi Eccleſiæ verbum, Quid dicitis, Hæretici, verbum Dei exprobrantes? non credentes Eccleſiæ Dei, cui dictum eſt, Ite prædicate Euangelium hoc omni creaturæ. Non vobis data eſt euangelizandi verbi poteſtas, ſed Eccleſiæ. Qui non credit Eccleſiæ, cuius caput eſt Chriſtus,neque ipſi filio Dei credit,ipſi enim data eſt auctoritas interpretandi, & de ſenſu vero iudicandi; non vobis.

Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum. Parum eſt,dicit Auguſtin. in corde habere Chriſtum, & nolle confiteri, dum timetur opprobrium; ſed exprobrantibus reſpondendum eſt verbum; vt autem Martyres hoc poſſent, promiſſum eſt eis, & dictum, Matth. cap. 10. num.20. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Ideò & iſte cum diuiſſet, Reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, continuò ſubiecit, Quo-

niam

niam ſperaui in verbis tuis, quod eſt vtique in promiſſis tuis. Reſpondebo exprobrantibus verbum tuum.

Sed quid erit, ſi propter legis cuſtodiam perſecutiones patiaris? An deficies? an declinabis? Non, inquit, Domine, ſed ſequar iudicia tua, & in perſecutionibus, & martyrijs magis ego ſperabo, & in iudicijs tuis ſuperſperaui, & legem cuſtodiam; iudicia enim hæc tua ſunt; vt ſequentes te, perſecutiones patiantur. Qui vult venire poſt me, dixiſti, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

Tu ergo anima mea in Eccleſia poſita firmiter, & fideliter ingreſſa in viam Domini ſequaris veſtigia eius in omni tempore iuſtificationes eius exquirens ſemper, & miſericordia Domini erit tecum ſecundum eloquium ſuum: neque te deſeret in tempore malo, quia iudicia eius iucunda, ſi illa non repuleris à te. Spera ergo in Deo, qui dabit tibi de ſpiritu ſuo, vt exprobrantibus, & negantibus verbum, quod à principio erat apud Deum, & pro ſalute noſtra, Caro factum eſt, reſpondere poſſis.

Non ergo auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque, quia in iudicijs tuis ſuperſperaui, in flagellis ſcilicet tuis, quia à te ſunt Domine, vt per ea corripias me, quos enim diligis, corripis, ad Hebr. cap. 12. nu. 6. vel vt correpti reuertantur, vel vt flagellati pro te, eò magis gratiam tuam mereantur, Sap. cap 3. Tu enim Domine tentas eos, & tamquam aurum in fornace probas eos. Sperauit iſte in ſermonibus, ſed in flagellis Domini ſuperſperauit, ideſt vlterius ſperauit, vtpotè in ſpe de ope certus Dei, vt in eiuſdem Chriſti promiſſis confidens cum Paulo glorietur, quia percutitur pro amore Dei, vt inhabitet in illo virtus Chriſti: Ter enim virgis cæſus ſum, & quæ ſequuntur, 2. Corinth. cap. 11. nu. 25. & cap. 12. num. 9. Virtus in infirmitate perficitur. In iudicijs ergo, in flagellis tuis ſuperſperaui, quia illa non me ſeparabunt à charitate tua, vt dicit Paul. ad Rom cap. 8. num. 35. Æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis, Pſalm. 43. num. 23. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum illo omnia nobis donauit? idem Paul. vt ſuprà nu. 32.

Benè ergo dixit, & in iudicijs tuis ſuperſperaui, confirmatus enim in fide, & ſpe, quis illum ſeparabit à charitate Chriſti? ideò ſequitur.

Et cuſtodiam legem tuam ſemper, & in ſæculum ſæculi. Et in vita ſcilicet, & in morte, te Domine Ieſu Chriſte ſequar; ideò ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui, hæc Eccleſiæ verba. Hìc deſignatur Apoſtolorum in vniuerſum mundum diuiſio facta; ambulauerunt enim in latitudine pro Chriſti charitate, & proximi. Et nunquid non omnes audierunt, & quidem enim in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Pſalm. 18. nu. 4. Vndè Iſai. loquens de Eccleſia, cap. 54. nu. 2. Dilata, ait, locum tentorij tui, & pelles Tabernaculorum tuorum extende. Cui Eccleſia reſpondet, Circuiui, & immolaui hoſtiam vociferationis, cantabo, & pſalmum dicam Domino, Pſal. 26. nu. 6. Lætare ergo ſterilis, quæ non parturis; in latitudine enim ambulaſti, & mandata Dei exquirendo docuiſti, ecce enim Apoſtolis ad gentes conuerſis, lætantes gentes ab illis prædicatum ſuſceperunt verbum, Act. Apoſt. cap. 13. num. 47. Iſai. cap. 49. nu. 6.

Et loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu Regum, & non confundebar. Prohibebantur Apoſtoli, ne verbum Dei ſeminarent: flagellabantur, percutieban-

Digitized by Google

fiebantur, & quid respondebant illis Petrus, & Ioannes? Act. cap. 4. numer. 19. Si iustum est, in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Fremebant gentes; illis astistebant Reges, & Principes aduersus Christum, dicentes, Dirumpamus vincula eorum. Qui habitat in cælis, irridebat eos, Apostoli prædicantes cum fiducia, verbum Dei loquebantur.

Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi. Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, & exercebor in iustificationibus tuis. Præcedit spiritualium meditatio operum, sequitur eleuatio manuum in laudando Deum, & in benè operando erga proximum, & quia in his requiritur perseuerantia, ideò inquit, Exercebar in iustificationibus tuis, in dilectione scilicet Dei, & proximi.

Meditare ergo anima mea, quia nihil inquinatum intrabit in Regnum cælorum: leua manus tuas, illas lauans ab omni immunditia, easq. lotas leua ad mandata Dei custodienda; exercere frequentando, solicitæ mentis affectu reuoluendo in iustificationibus Dei, delectare tàm in ijs cogitandis, quàm in ijsdem, & opere implendis. Quòd mihi concedat Dominus omnipotens per intercessionem B. Virginis Mariæ, & Sancti Ioannis Baptistæ, cuius festiuitatis octauum colimus diem. Amen.

ZAIN.

Supra visum est in sexto octonario iusti illius desiderium de aduentu Domini, quem à Deo Patre petebat, sub littera illa Vau, idest ipse, vel ille, vt scilicet veniret, & saluum faceret populum, quem ipse iustus ignorabat vnà cum populo suo Iudaico, propterea aiebat, Legem, viam Christum tuam pone mihi, da mihi intellectum. Nunc verò sequenti octonario in septima littera, salutem, & quietem desiderans, à qua se longè esse dubitabat, instat, rogatquè dicens, Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti. Meritò, ait Ambrosius Serm. 7. in Psalm. 118. in primo octonarij huius versu requiem suam postulat, quin ipsius litteræ septimus numerus est quietis. Septima enim die quieuit Deus ab opere, Genes. cap. 2. nu. 2. Quasi dicat Dominus, iàm venit plenitudo temporis, vt mittam filium meum secundum promissum meum. Hæc Zain littera secundum Ambrosium loco supra citato, duas habet interpretationes, primam duc te, alteram, Hùc. ambis autem simul iunctis, Duc te hùc, designat, vt vnusquisque se regat, & ipse sui ductor sit. Ac si à Deo fideli cuiq. dictum sit. Veni hùc in Ecclesiam, in domum filij mei, quia ecce ego noua facio omnia; duc te hùc, vbi est salus, & vita æterna, non in Iudæorum Synagogam. Non enim obliuioni datus sum in corde meo, quia in me non cadit obliuio, vt viuificem, vel mortificem suo tempore, omnia enim mihi præsentia sunt, & præterita, & futura; prorogare videor tempus propter vos, sed non muto consilium meum, quod manet in æternum. Duc te hùc, qui te humilem facis. Duc te hùc, qui cælestia requirens terrena despicis, spem in Domino habens. Duc te hùc, qui à lege mea non declinasti, iudicia mea meditans, & proximo tuo peccatori compatiens, & iustificationes Dei in hac peregrinatione cantans, beneficiorumq. Dei memoriam retinens, in operibusq. bonis te exercens; hæc enim omnia ab octonario narrantur, vt qui secundum litteram

Zain,

Digitized by Google

Zain, duc te hùc, ideſt ad Eccleſiam ſi confugere velis, ſcias te à Domino exaudiendum.

Incipit ergo octonarius, Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. Memor eſto, ſed nunquid in Deo cadit obliuio? In memoria æterna erit iuſtus, Pſalm. 111. num. 7. Auguſtin. hìc Concione 15. Nunquid obliuio ſicut in hominem, cadit in Deum? cur ergo ei dicitur, memor eſto? Quamuis alijs ſacræ Scripturæ locis, ipſum verbum omnino ponatur, vt eſt, quare mei oblitus es; & obliuiſceris inopiam noſtram, Pſalm. 34. & ipſe Deus per Prophetam, omnes, inquit, iniquitates eius obliuiſcar, Ezech. c. 18. & 33. & alibi, atque alibi ſæpius hoc legitur; ſed non vt in hominibus, ità ſimilia contingunt in Deo: nàm ſicut Deum pœnitere dicitur, quando præter hominum ſpem res mutat, conſilio non mutato, quia conſilium Domini manet in æternum, Pſalm. 22. Ierem. cap. 18. numer. 8. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei; Ità dicitur obliuiſci, quando tardare videtur adiutorium, vel promiſſum, vel non retribuere digna peccantibus, Sap. cap. 12. dans locum pœnitentiæ, vel ſi quid huiuſmodi, tamquam de eius memoria ſit elapſum, quod ſperatur, ſiuè timetur, & non fit. Dicuntur iſta locutione morali, qua humanus mouetur affectus, quamuis Deus faciat certa diſpoſitione, non deficiente memoria, nec obſcurata intelligentia, nec voluntate mutata. Cum itaque dicitur ei, Memento, orantis deſiderium, quo promiſſum poſcit oſtenditur, non Deus, quaſi id ei de memoria exciderit, admonetur. Memento, inquit, verbi tui ſeruo tuo, hoc eſt, imple promiſſum ſeruo tuo, in quo ſpem dediſti mihi, hoc eſt, in quo verbo, quoniam promiſiſti mihi, me ſperare feciſti, hæc Auguſtin.

Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti, promiſſio præcedit, ſi ſequatur obedientia; ſequetur promiſſionis adimplementum, ſi tibi firma ſpes ſit illud recipiendi; laborauit iſte, quia promiſit ille, mercedem petit, quia idem Dominus dixit, laborantibus in vinea ſua, mercedem ſe illis daturum, Matth. cap. 20. num. 2. Memor eſto verbi tui, in quo mihi ſeruo tuo ſpem dediſti, Ambroſ. Verbum Dei deiectos nos, atque depreſſos ad cæleſtem patriam prouocauit, vt deſideremus æternitatem, deſpiciamus præſentia temporalia, futura, & inuiſibilia requiramus; vocat nos ad ſe Dei verbum, ſicut habes ſcriptum Matth. cap. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos; ideò ſequamur vocantem Dominum Ieſum, vt à ſæcularibus ad perpetua tranſeamus, nosq. ipſos regere nouerimus, ideò concupiuit, dicit iſte incola in terra, deſiderare iuſtificationes Dei in omni tempore, vt cum iuſtis mercedem à Deo recipere mereatur. Memor ergo eſto Domine, quia ego ſeruus tuus certaui, vt viam tuam Ieſum ſcilicet Chriſtum, ex ſemine meo, ait Dauid, naſciturum mitteres ad me pro ſalute omnium populorum; vt cornu ſalutis erigeres in domo hac pueri tui Dauid, ſicut locutus es ad Patrem Abraham, & ſemini eius in ſæcula. Cantic. Zachar. & Deuteronom. cap. 18. num. 15. cum ſequen. ſuſcipiat puerum tuum recordatus miſericordiæ tuæ; Statue ſeruo tuo eloquium tuum, vt cito veniat quem miſſurus eſt ad liberandum populum tuum, & ad facinora plebis tuæ relaxanda.

Hæc

Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum viuificauit me, in quo mihi spem dedisti. Quia custodiuit Dei legem in toto corde suo, cui prius datus fuerat à Domino intellectus, tum sequitur spes cum humilitate, quam Deus in Christiano specialiter vult. Respexit enim Dominus humilitatem Ancillæ, ex qua omnes beatam illam dixerunt, siquidem humiles spiritu Deus saluat, Psalm. 10. num. 18. Iudicare pupillo, & humili, vt non apponat vltrà se homo magnificare super terram, quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis, Psalm. 17. num. 28. Quocircà Iob cap. 22. num. 29. dicitur. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinauerit oculos, ipse saluabitur. Saluabitur innocens, saluabitur autem in munditia manuum suarum, & humilem spiritu, suscipiet in gloria, Prouerb. cap. 29. nu. 23. & Iacob. in sua Epist. cap. 4. num. 8. Emundate manus vestras peccatores, & purificate corda vestra duplices animo. Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum viuificauit me, vndè Isai. 57. nu. 15. Hæc dicit Dominus, Cum contrito, & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum, Iacob. cap. 4. num. 6. 2. Corinth. cap. 7. num. 6. consolatur enim Dominus humiles.

Hæc spes, quæ data est humilibus: Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, Augustin. hìc; Vndè ore proprio etiam Dominus ait, Quoniam qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Non de illa humilitate inquit, qua se quis sæpius humiliat, confitendo peccata, nec arrogando sibi iustitiam; sed de illa, qua quisque humiliatur aliqua tribulatione, vel deiectione, quam meruit eius superbia, aut exercetur, probaturq. eius patientia; vndè paulò post, hìc dicit Psalm. Priusquam humiliarer, ego deliqui, & illud in lib. Eccles. cap. 2. In dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò acceptabiles in camino humiliationis. Quod ait acceptabiles, ibi spem dedit, quæ consolaretur in humilitate. Vndè & Dominus Iesus hanc humilitatem cum Discipulis prædicaret à persecutoribus esse vēturam, non eos sine spe reliquit, sed hanc etiam, qua consolarentur, dedit, dicens, In vestra patientia possidebitis animas vestras, de ipso quoque corpore, quod ab inimicis posset occidi, & quasi penitus interire, Capillus, inquit, capitis vestri non peribit, Luc. cap. 23.

Hæc spes data est corpori Christi, quod est Ecclesia, qua consolaretur in humilitate sua, propter quam dicit & Apostol. Paul. Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus, sed æternorum est spes ista præmiorum. Est & alia spes, quæ in humilitate tribulationis plurimum consolatur, quæ Sanctis data est in verbo Dei, adiutorium gratiæ pollicentis, ne quisquam deficiat, de qua re dicit Apost. 1. Corinth. cap. 16. Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari super id quod potestis; sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere. Hanc spem dedit etiam Saluator ore proprio, quando ait, Luc. cap. 22. Hac nocte postulauit Satanas vexare vos sicut triticum, & ego rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. Hanc spem dedit, quando in oratione nos docuit, Matth. cap. 6. Ne nos inducas in tentationem, & de hac spe intelligendum est, cum dicitur: Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum viuificauit me, hucusque Augustin.

Superbi iniquè agebant vsquequaque; à lege autem tua non declinaui.

Iniquè

Iniquè agebant vsquequaque, ideſt valdè totis viribus eorum contrà humiles, & legem Dei cupientes. Ventus ſuperbiæ illorum euanuit, quando non declinantem à lege inuenit: remedium ergo contrà ſuperbiam eſt obſeruantia legis, propter quam facillimè reſiſtitur illi ſuperbiæ in fide Chriſti; vndè Petr. 1. cap. 5. Fratres ſobrij eſtote vigilantes, quia diabolus circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide; & hoc eſt non declinare à lege, reſiſtere ſcilicet in fide, virtute, & gratia Dei, qui pro nobis orat, ne deficiamus ab illa, Luc. cap. 22. num. 32. Miniſtri enim ſunt diaboli, qui relicta humilitate præceptionis diuinæ, in huius ſæculi vanitatibus extolluntur; Vndè Hieronym. hìc. A lege autem tua non declinaui, quia illis damnationi appropinquantibus erigebar in ea; Sanctos enim perſequuntur, vel vt illos ad iniquitatem trahant, & ſecum compellantur abire, vel neci, & tormentis tradunt illos, mortem illorum inſaniam dicentes, qui legem Chriſti ſequebantur, Sap. cap. 5. In hac martyrum tribulatione, & humilitate ſpes conſolata eſt, quæ data eſt in verbo Dei adiutorium pollicentis, ne fides illorum deficiat, ſpes enim illorum immortalitate plena erat. Auguſtin. An fortè quod ait, hæc me conſolata eſt in humilitate mea, illam dicit humilitatem, qua homo eſt deiectus, & proiectus in mortem, ex peccato illo, quod valdè infeliciter in Paradiſi felicitate commiſſum eſt? in hac quippè humilitate, in qua homo vanitati ſimilis factus eſt, & dies eius ſicut vmbra prætereunt, omnes filij iræ ſunt, niſi per mediatorem reconcilientur Deo, qui prædeſtinati ſunt in æternam ſalutem antè mundi conſtitutionem, in quo mediatore, & antiquius iuſti ſpem habebant, quando eum in carne venturum per prophetiæ ſpiritum præuidebant. Quod ergo verbum ad eos fiebat de illo, etiam hìc benè intelligitur verbum, ſi & ipſorum accipiamus iſtâ vocem, de quo verbo dictũ eſt; Memento verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti, hæc me conſolata eſt in humilitate mea: hoc eſt, In iſta mortalitate mea, quia eloquium tuum viuificauit me, vt ſpem vitæ haberem proiectus in mortem. Superbi iniquè agebant vſque valdè, quandoquidem eorum ſuperbiam, nec humilitas mortalitatis edomuit. A lege autem tua non declinaui, quod me facere cogebant ſuperbi, & ideò ſequitur, quòd cum iſte in morte ſpem vitæ haberet, quia à lege Dei non declinauerit, cæteris verò derelinquentibus eam, & impijs pœna gehennæ imponatur. Ideò ſubdit.

Memor fui iudiciorum tuorum Domine à ſæculo, à principio mundi, & etiam antè ſæculum. Cecidit enim ille de cælo propter ſuperbiam, & ſepultus eſt in pœnis inferni, quomodò enim cecidiſti de cælo Lucifer? Iſai. cap. 14. num. 22. qui mane oriebaris; iuſtus eſt Dominus, malos malè perdet, & viam peccatorum diſperdet, iuſtus verò in reſurrectione vitæ, Matth. cap. 21. nu. 41. & Ioan. cap. 5. nu. 28. & procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij?

Memor ergo iſte iudiciorum, quæ à ſæculo ſunt, quia qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum, Symbol. S. Athanaſ. Et conſolatus eſt non pro impiorum perditione, ſed in verbo, in quo ſalutis ſpem dedit illi Dominus. Hæc illum conſolata ſunt in humilitate ſua, quia eloquium Dei viuificauit illum, Eccleſ. cap. 4. nu. 10. Viuens enim inter peccatores tranſlatus eſt, ideò dicit conſolatus ſum, nouiſſima enim ſua conſiderauit, & in ſalutare Dei ſperauit, Eccleſ. cap. 7. nu. 40. In omnibus operibus tuis, inquit,

me-

Digitized by Goo

memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis; Auguſtin. A ſæculo ergo, ex quo genus humanum ſumpſit exordium, memor fui iudiciorum tuorũ ſuper vaſa iræ, ad Roman. cap. 9. quæ parata ſunt in perditionem, & conſolatus ſum, quia per hæc quoque oſtendiſti diuitias gratiæ, & gloriæ tuæ in vaſa miſericordiæ tuæ.

Tædium tenuit me, vel defectio pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam, Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ: Auguſtin. Ipſa eſt illa humilitas in loco mortalitatis, & peregrinationis hominis, de Paradiſo, Geneſ. c. 3. & de illa ſuperna Ieruſalem eiecti, Luc. c. 10. vndè quidam deſcendens de Ierico, incidit in latrones, ſed propter miſericordiam, quæ per Samaritanum facta eſt cum illo, cantabiles illi erant iuſtificationes Dei, in loco peregrinationis ſuæ, quamuis eum tædium teneret à peccatoribus derelinquentibus legem Dei, quia cum eis conuerſari in hac vita, vel ad tempus cogitur, donec area ventiletur, hæc Auguſtin. Nos autem Apoſtolis cantabiles Dei iuſtificationes fuiſſe dicimus, quando derelictis Iudæis Verbum negantibus, ad Gentes conuerſi ſunt, quæ gaudentes ſuſceperunt illud, Act. c. 14. Eccleſia ergo in hac peregrinatione exiſtens lætabunda cãtat iuſtificationes Dei, Iſai. 64.

Vel ideò defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legẽ tuam, quia dolet Eccleſia, Iudæos, & peccatores à lege receſſiſſe impiè; quia peccatores conuertuntur in infernum cum omnibus, qui obliuiſcuntur Deum, Pſalm. 9. numer. 17. Sed de impijs, & infidelibus quid? Cantemus, inquit Eccleſia, gloriosè enim equum, & aſcenſorem proiecit in mare, Exod. cap. 15. num. 3. vt in libris veteris teſtamenti, Geneſ. Ioſue, Iudith & cæteris per te videre poteris, & in Iudith cap. 16. num. 2. Incipite Domino in tympanis, Cantate Domino in cymbalis, &c. ſequitur ergo verſ.

Memor fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam. In nocte peregrinationis huius mundi, in tribulationibus, in anguſtijs, memor fui nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam, quia eloquium tuum viuificauit me. Rogo te, ne diſcedas à me, qui mecum es in tribulatione, eripe me ab illis, & libera me, Vel in nocte, qui etiam de die inuocabo te, vndè Dauid, Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ; Auguſtin. Memor, inquit, fui in nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam. Nox eſt illa humilitas, vbi eſt mortaliter ærumna; nox eſt in ſuperbis iniquè agentibus vſque valdè; nox in tædio à peccatoribus relinquentibus legem Dei; nox eſt poſtremò in loco peregrinationis huius, donec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo, 1. Corinth. 4. In hac ergo nocte memor homo eſſe debet nominis Dei, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, propter quod & illud ſcriptum eſt, Pſal. 113. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam; ſic enim quiſque nõ in ſua, ſed in Dei gloria, quia nec in ſua, ſed in Dei iuſtitia, ideſt à Deo ſibi donata, cuſtodit legem Dei: ſicut iſte ait, Memor fui in nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legẽ, quam non cuſtodiſſet, ſi in ſua virtute confidens, nominis Dei memor non fuiſſet; adiutorium enim noſtrum in nomine Domini, propter quod ſecutus adiunxit.

Hæc facta eſt mihi, quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui. Canit propterea Eccleſia, Vt nocte ſurgentes vigilemus omnes. Hymno quod ad Matutin.

Dominicæ. Memor ergo fuit in nocte, quia & si tribulatus, & anguſtiatus, gratias agens Domino, nomen eius inuocabat, vndè dicitur, Tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui, Pſalm. 114. nu. 4. Memor fui in nocte nominis tui, quia, quis me, dicebat ille, ſeparabit à charitate Chriſti, an fames? an nuditas? an perſecutio? an gladius? ad Roman. c. 8. num. 35. ſicut ſcriptum eſt, Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus, ſicut oues occiſionis, Pſalm. 43. num. 23. ſed quid de die? nunquid ità Angeli, & Poteſtates, &c. ſeparabunt te à charitate Dei? non, inquit Paul. quia hæc omnia nox ſunt reſpectu Dei, & tenebræ, ideò ſequitur, Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, &c. neque altitudo, &c. poterit nos ſeparare à charitate Chriſti.

Hæc facta eſt mihi, charitas, & ſpes, quia, te Domine inſpirante, iuſtificationes tuas exquiſiui; charitas enim nunquam excidit, 1. Corinth. 13. num. 8. omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, &c. Propterea, inquit, eloquium tuum viuificauit me. In quo viuificatur? in amore Dei, in dilectione illius, & ideò hæc facta eſt mihi, quia iuſtificationes tuas exquiſiui; quia vias tuas ſequi volui, & tu Domine, vt me tentares, probaſti me, Sapien. cap. 5. Has ergo iuſtificationes exquiſiui, propterea in tribulationibus nomen tuum inuocaui: has iuſtificationes, ideſt tribulationes inueni, & nomen tuum inuocaui, dicens, ò Domine libera animam meam, miſericors, & miſerator Dominus, qui ſuſtinentes te liberas, Pſalm. 114. num. 3.

Hæc facta eſt mihi, quia iuſtificationes tuas exquiſiui; ſed cur? Quia iuſtificationes tuas exquiſiui, tribulationes patior. Quia diligo Dominum, & ipſe diligit me, quem enim diligit, hunc corrigit, vt ſaluet. Audi quæ dixit in Pſalm. 114. nu. 7. Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Bonum mihi, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas; hæc charitas Dei facta eſt mihi, quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu, vt placeam Domino in terra viuentium. Alias verò hìc per Auguſtinum habebis huius verſiculi expoſitiones, & ibi illas videre poteris, quia optimæ ſunt.

HETH.

Sequitur octonarij littera Heth, quæ in octauo loco poſita eſt, requiem enim deſiderabat iſte, quia omnia, quæ præceperat illi Dominus, compleuerat; hæc verò requies, quia niſi per aduentum Domini non dabatur, hunc aduentum deſiderabat, hanc faciem Domini requirebat, dicens Pſalm. 26. nu. 8. Tibi dixit cor meum, exquirit te facies mea, faciem tuam Domine requirã: hìc verò inquit. Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo, miſerere mei ſecundũ eloquium tuum: ibi verò, Ne auertas faciẽ tuam à me; timore enim filiali, non ſeruili timebat iſte, ideò timebat, quia amabat, quia timorẽ Domini didicerat, qui eſt initiũ omnis ſapientiæ, quem timorẽ ſignat littera Heth, quę interpretatur pauor, vbi ergo timor, eſt ſapientia, quam ſequitur beatitudo, Beatus enim, dicit, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, Pſalm. 93. nu. 12. & ſcriptum eſt, qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat, ne tentatio alia quàm humana illum apprehendat, 1. Corinth. cap. 10. num. 12.

Ideò dicit iſte iuſtus, non terrena deſidero, quia, Portio mea Domine, dixi

dixi custodire legem tuam, melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari, Prouerb. cap.8.num.11. Portio ergo mea tu es Domine, vultum tuum, faciem tuam requiram, nec aliud quæro præter te; vndè Ambros. hìc. Portio mea, Deus est, vndè semper viuam sine fine. Quàm alienus est à vitijs, quàm segregatus ab omni labe peccati; quàm rarus in terris, qui hoc dicere possit, nihil enim mundi, vel vitij amans; hoc dicit tamquam Leui: cui non est sors inter fratres: in quo non est corporalium portionum cupiditas, quem non inflammat libido, non stimulat auaritia, non effœminat lasciuia, non decolorat luxuria, non sternit ambitio, non macerat inuidia, non aliqua negotiorum sæcularium cura solicitat, & hic est verè Leui, ideſt assumptus, vt mihi sit aduocatus, & ad Deum precator. Ità erant Petrus, & Ioannes, argentum, & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, surge in nomine Iesu, Act. cap.3.

Portio mea est custodire legem Domini, vt Domino ministrando, illum sequar, vt vbi ille est, ego minister eius sim; dixit enim ille, Qui mihi ministrat, me sequatur, vt vbi ego sum, illìc sit & minister meus. Hoc est enim custodire legem, diligere Deum, & proximum, hoc enim fit operando, opus enim iusti ad vitam, & via vitæ custodienti disciplinam, Prouerbior. cap.10. numer.16. Augustin. Dixi custodire legem tuam. Quid est portio mea Domine, dixi custodire legem tuam, nisi quia ità erit portio cuiuscunque Dominus, cum legem eius custodierit? Sed quomodò custodit, nisi hoc donet, atque ad hoc adiuuet, spiritus viuificans; eloquium enim Domini viuificauit me; ne littera occidat, & peccatum occasione accepta per mandatum operetur in homine omnem concupiscentiam? Inuocandus est igitur, sic enim ab eo fides imperrat, quod lex imperat; quoniam qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit, ad Roman.cap.10.num.13. Psalm.17.num.4. & Psalm.114. numer.2.

Portio mea; quæ est portio tua? nisi quæ te sequentem Dominum contingit in tribulationibus, quas tibi Dominus dabit, vt te probet? vndè Psal.15. numer.5. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei; portio mea, quia Dominus non patietur vltra vires tuas tentari, vt cum Paulo dicere possis, ad Colossens. cap.1. numer.24. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia: desunt, ait, passionibus Christi, scilicet Christianis patienda, qui membra sunt Christi in carne, inquit, mea, quasi dicat expleo partem meam.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, miserere mei secundum eloquium tuum. Quod eloquium? nisi illud, Tecum ero vsque ad consummationem sæculi, & tecum ero in tribulatione, eripiamq. & glorificabo te, Psalm.33.num.5. Deprecatus sum videre, scilicet faciem tuam, ideſt primum aduentum, sicut promisisti; non facie ad faciem Deum videre desiderabat; quia benè Propheta sciebat, nulli viuentium id concedi, sicut Moysi id petenti, & desideranti, ità dictum est Exod. cap.33.numer.13. Non videbit me homo, & viuet; sed ipsum Deum incarnatum videre optabat, quia peccata nostra super se tollens, eriperet nos de morte. Et cum Deum videre dicantur etiam qui mundo sunt corde, iuxtà illud, Beati mundo corde, quoniam ipsi

Deum videbunt, Matth.cap.5. & ideò dicit iſte rationem, qua ſuum obtineret deſiderium ſubijciens, Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua, idcircò faciem tuam deprecatus ſum; quia relictis terrenis, toto corde diligo te Domine.

Portio ergo mea, quia cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt patiens propter te cuſtodiam mandata tua, itaque conuerti pedes meos, vt ambulem in via tua, & ſemitas mandatorum tuorum curram, quia in iudicijs tuis ſuperſperaui, & factus dignus pro nomine tuo contumelias pati, non timebo mala, quia tu mecum es. Et ſi funes peccatorum circumplexi ſint me, impedimenta ſcilicet inimicorum carnalium, & ſpiritualium, quaſi retia tendentes contrà me, vt in muſcipulam ſecum me trahentes, perderent me, non enim timeo tormenta illorum, quia legem tuam non ſum oblitus.

Iuſtus eſt iſte, & circumdatus tribulantium aquis, quid erit anima de te, quæ tota in mundana reperiris immerſa? Niſi tu Domine adiuues me, & in benedictionibus tuis me præuenias, quid faciam miſera, niſi tu me gratia tua adiuues, vt peruenire poſſim ad te? Libera me Domine, vt te ſequens, calicis tui portionem meam bibere poſſim: vt media nocte, ideſt grauiori tribulatione cum iuſto iſto non deijciar à te, ſed fortior incedens ad confitendum nomini tuo, ſurgam ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ, ſciens quia & hoc, quòd funes circumplectuntur me, iuſto iudicio tuo eſt, quòd incipit à domo tua.

Vox Chriſti ſequitur, tribulatos confortans, vt fortes fiant, quia cum ipſe ſit caput corporis Eccleſiæ ſuæ, omnium tribulationum eius particeps eſt, vndè de cælo, dixit Saulo eamdem Eccleſiam ſuam perſequenti, Saule, Saule, quid me perſequeris? Act. Apoſtol.cap.9.num.4. hinc ſequitur Pſalm.

Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua: Auguſtin. hunc verſ. de Chriſto loqui aſſerit, dicens, Sic in Epiſtola ad Hebr. cap. 2. Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur ex vno omnes, propter quam cauſam non confunditur eos fratres vocare; Et paulò poſt. Quia pueri communicauerunt ſanguini, & carni, & ipſe propemodum participauit eiſdem: quod quid eſt aliud, quàm eorum particeps factus eſt? Neque enim efficeremur participes Diuinitatis eius, niſi ipſe mortalitatis noſtræ particeps fieret, nàm & in Euangel. Ioan.cap.1. quo nos Diuinitatis eius participes facti ſumus, ità dicitur, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Vt autē hoc fieret, quia & ipſe factus eſt particeps mortalitatis noſtræ, ità ibi ſequitur, Et Verbum caro factū eſt, & habitauit in nobis.

Particeps timentium, & cuſtodientium mandata tua; vtrumque enim requiritur, timor, & cuſtodia, vt & nos participes ſimus diuinæ gratiæ. Tu ergo Domine Ieſu Chriſte, qui particeps fieri dignatus es noſtræ mortalitatis, vt tuæ Diuinitatis nos participes faceres; iuſtificationes tuas doce me, præſtans vt mihi portio mea tecum ſit in terra viuentium.

Iuſtificationes tuas doce me, ne (vt dicit Hieronym.) ſimilis fiam his, qui habentes ſcientiæ clauem, neque ipſi introeunt, neque alios introire permittunt, Luc.cap.11. Doce me iuſtificationes tuas, vt illas implendo, intelligendo, & prædicando, particeps & ego ſim omnium timentium te.

TETH.

Digitized by

TETH.

Sequitur littera Teth, nàm cum in ſuperiori verſiculo participem ſe dixerit Dominus omnium timentium, & cuſtodientium mandata ſua, ſequitur octonarius in nona iſta littera Alphabetica Hebraica, Teth, qua interpretatur excluſio. Nàm poſtquam Dominus particeps tribulationum Martyrum factus dicitur, veſtigia Chriſti alacriter ſequentes in patientia, triſtitiam de aduerſis excludunt; & ideò Gaudentes ibant Apoſtoli à conſpectu concilij, quoniam digni ſunt facti pro nomine Ieſu contumeliam pati: Vndè Ambroſ. Martyres, qui verè militant Chriſto, perſecutiones, gladios, incendia non timentes; infeſtis etiam Regibus ſe obtulerunt, atque impatientiæ affectum excluſerunt, quocircà iuſtus iſte nomine Eccleſiæ ſanctæ incipit.

Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine, ſecundum verbum tuum. Quæ maior bonitas bonitate Chriſti, quæ de ſeruo facit fratrem: de ſeruo creat Regem; de ſeruo facit ſuum cohæredem? Sicut ipſe locutus eſt, Filij Dei, cohæredes Chriſti, ad Roman. cap. 8. num. 17. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei, ſi autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei; cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.

Bonitatem ergo, inquit, feciſti cum ſeruo tuo Domine, ſecundum verbum tuum, Matth. cap. 5. num. 9. & 45. & cap. 3. num. 38. Semen bonum filij Dei, Ioan. cap. 1. num. 12. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, & cap. 17. num. 20. Suauitatem, dicit Auguſtin. feciſti Domine cum ſeruo tuo, ſecundum verbum tuum, vel potius ſecũdum eloquium tuum, nàm ex ſeruo facit filium ſuum.

Sequitur, Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi, ideſt, Quia Domine cor docile mihi dediſti, vt ſequendo te non timeam tormenta mundi, docilem me feciſti, vt mandatis tuis credam. Hanc docibilitatem, hanc fidem adauge mihi Domine, qui dixiſti, Remittuntur tibi peccata tua, quia credidiſti; Priuſquam enim ego humiliarer deliqui, propterea eloquium tuum cuſtodiui. Quia in maleuolam animam non intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis, Sapien. cap. 1. num. 4. propterea tria hæc propter miſericordiam tuam concede mihi, bonitatem cordis, diſciplinæ patientiam, & ſcientiæ intellectum. Bonitatem, vt te diligam ex toto corde meo, & proximum meum ſicut meipſum; diſciplinam, vt correptus, à peccatis in futurum abſtineam; intellectum, vt ſciam reprobare malum, & eligere bonum.

Bonus es tu, in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas, vt & ego ſciens in toto corde meo exquiram mandata tua. Quia ergo bonum tuum deſiderat iuſtus, & malorum omnium tormenta ſpernit, ideò diſciplinam petit, & ſcientiam, ideſt per moleſtias eruditionem ſecundum illud Prouerbior. cap. 3. Quem diligit Dominus, corripit, flagellat autem omnem filium, quem recipit. In bonitate igitur, & ſcientia diſciplinam requirit, quod ſtultum apud homines reputari ſolet, vndè Apoſtol. ad Hebr. cap. 12. numer. 11. Omnis enim

Digitized by Google

disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ; Bonum mihi, quia humiliasti me, ait alibi. Hanc requirit bonitatem iste: hanc bonitatem legis Christi scire desiderat super millia auri, & argenti, vt infra, quæ non datur nisi credenti, ideò dicit, quia mandatis tuis credidi.

Bonitatem ergo, & disciplinam, & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. Non est ergo fides sine operibus: sine bonitate, non est bonitas, sine disciplinæ virtute, non est disciplina, neque est disciplina sine scientia, aliàs enim fides sine operibus mortua est, Bonus es tu Domine, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas, vt propter te mortificemur tota die, Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Docet Deus suauitatem, inspirando dilectionem; docet disciplinam, temperando tribulationem; docet scientiam, insinuando cognitionem, dicit Augustin.

Et ideò sequitur. Priusquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum custodiui: Ideò custodiui, quia tu me humiliasti, tu me corripuisti; & corripuisti, quia prius ego deliqui. Deijciatur ergo superbia, diligatur obedientia, & pereat non reditura miseria; quia fecit Dominus bonitatem cum seruo suo. Priusquam humiliarer ego deliqui, præcessit delictum, secuta est correctio, & eloquij Dei custoditio; vt eruditi eloquia Dei custodiamus; vexatio enim dat intellectum, Isai. cap. 28. numer. 19. vt fugientes peccata diligamus Deum. Bonus est enim Dominus, & in bonitate sua docet nos iustificationes suas. O quàm bonus est Dominus his, qui recto sunt corde, sine alieno amore timeamus eum, quia Pater noster est, qui est in cælis, & non inducet nos in tentationem, sed liberabit nos à malo. Propterea eloquium suũ custodi, qui correptus ad eum accessisti, quia bonus est Dominus, vt doceat nos volentes in bonitate sua ambulare: iustificationes suas discas tu, quia ipse paratus est, te docere, Illas verè, dicit Augustus. vult facere iustificationes Dei, quando eas in eius suauitate vult discere ab eo, cui dixit, Suauis es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas. In bonitate ergo tua doce me facere iustificationes tuas, quia omnia in suauitate disponis; vt suauiter correpti ad te accedentes, teipsum sequamur, non in seueritate vindictæ, sed in amoris tui suauitate. Caro sumus, lutea vasa portantes, in tenebris, & vmbra mortis existentes, Parce Domine, miserere Domine, accelera, & in bonitate tua veni, qui dixisti Petro, vt parceret nedum septies, sed & septuagies septies peccantibus; Ecce Domine, quia multiplicata est iniquitas superborum super me; ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua; quia bonitatem tuam docuisti me, & ego illam didici; & in tenebris me circumdantibus, lux tua lucet in me, quia in toto corde meo scrutatus sum mandata tua. Iniquitas est multiplicata contrà me, tamen non refrigescit charitas, quia in suauitate didici iustificationes; circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me, & ego scrutans mandata tua in toto corde meo te inuocaui.

Coagulatum est sicut lac cor eorum; ego verò legem tuam meditatus sum. Lac in ore. Cantic. cap. 4. nu. 11. Lac sub lingua tua, sed coagulatum in corde factum est acetosum, linguis suis dolosè agunt, sed cor eorum longè est à veritate, linguis honorant, cor autem eorum longè à veritate. Magister bone,

dice-

dicebant, ſed in corde eum tradere volebant, lac in ore dulce, ſed coagulatum in corde factum eſt acetoſum. Vt enim lac ſui natura ſpecioſum, ac ſincerum, dicit Ambroſ. ſed corruptione coaceſcit, ſic humani cordis, & mentis natura ſincera eſt, & perſpicua, priuſquam vitiorum commixtione coaceſcat. Ergo coagulatum eſt cor eorum per inuidiam, & ſuperbiam, quæ puritatem naturæ corruptione malitiæ vitiarunt: hinc Hieron. Lac cum natura ſuaue ſit, corruptum tamen vitio coagulatum,& aceſcit,ità & ſuperbi, ideſt hæretici dulce cor de ſanctis Scripturis prius habuerunt, ſed peruertentes eas in ebrietate ſenſus ſui, coagulati,atque acerrimi facti ſunt. Ego verò legem tuam meditatus ſum, per quam ſuperbos humilias, per quam humilibus gratiam præſtas.

Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum, ac ſi diceret, cor eorum congregauit iniquitatem ſibi, Pſalm.40. nu.6. Ego verò legem tuam meditatus ſum,& confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.

Bonum mihi, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. Bonum mihi, quia humiliaſti me, & ità humiliatio ipſa, quæ in pœnam, mihi facta eſt in eruditionem: vndè Apoſt. 2. Corinth.cap.12.num.10. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus,&c. pro Chriſto. Cum enim infirmor,tunc potens ſum, quia humilitas mihi à Deo, vt opera iuſtitiæ facere diſcam. Et in alio loco 1. Theſſalon.cap.3.quem allegat Gregor.lib.6 Moral.cap.7. litera D. Ipſi enim ſcitis, inquit, quod in hoc poſiti ſumus, ſed in eo quod caro flagellis afficitur, mens ad appetenda altiora ſubleuatur, Paulo rurſus atteſtante, qui ait 2. Corinth. cap. 4. Et licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem. Homo ergo ad laborem naſcitur, & auis ad volatum, quia indè mens ad ſumma euolat, vndè caro in infimis durius laborat.

Bonum ergo, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas, vt exemplo tui terrena deſpiciens, perueniam ad cæleſtia. Et nota, quia ſuperius dixit, priuſquam humiliarer, ego deliqui; nunc verò, Bonum mihi, quia humiliaſti me,vt diſcam iuſtificationes tuas, flagella enim,quæ ad humilitatem procedunt à Deo inflicta bonis, vitia perpetrata purgarunt, & ea quæ poterant perpetrari futura, deuitarunt, ideò dicit, Bonum mihi, quia humiliaſti me, quia iuſtificationes tuas exquiſiui; Me expectauerunt peccatores vt perderent me, ſed teſtimonia tua intellexi.

Vndè Iob cap.23. num. 27. Non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo. Quæ verba exponit Gregor.in lib. 16. Moral. cap.19.Ille in flagello poſitus à ſalute corporis propter imminẽtes tenebras perit, qui idcircò pro tranſactis percutitur, vt à futuris ſupplicijs abſcondatur. Beatus autem Iob, quia in flagello poſitus, nec à peccatis præcedentibus purgabatur, nec ab imminentibus tegebatur, ſed eius tantummodò in flagello virtus augebatur; fiducialiter dicit, Non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo. Qui enim ſemper diuinæ formidinis pondus aſpexit, eius cordis faciem caligo peccati non operuit, & eius, quem ſupplicia nulla ſequebantur, ſalutem corporis propter imminentes tenebras non amiſit. Et notandum, quòd ipſe priora denuntians nequaquam ait, faciem meam non tetegit, ſed non operuit caligo. Sæpè enim etiam corda iuſtorum

ſub-

by Google

ſubortæ cogitationes polluunt, terrenarum rerum delectationibus tangunt; ſed cum citius manu ſanctæ diſcretionis abiguntur, feſtinè agitur, ne cordis faciem caligo operiat, quæ hanc iàm ex illicita delectatione tangebat. Nàm ſæpè in ipſo orationis ſacrificio importunæ ſe cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere, vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus.

Humilitas ergo requiritur, vt iuſtificationes Dei diſcamus, nàm Iob cap. 22. in fine ſcriptum habemus; Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinauerit oculos ſuos, ipſe ſaluabitur, vbi D. Gregor. littera A. Omnis, qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur, Luc. cap. 14. & in Prouerb. cap. 18. nu. 12. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorietur, humiliabitur. Rectè dicitur, qui inclinauerit oculos ſuos, ipſe ſaluabitur; quia quantum per membrorum miniſterium deprehendi poteſt, prima ſuperbiæ oſtenſio eſſe in oculis ſolet hinc, & oculos ſuperborum humiliabis, Pſal. 17. de ipſo ſuperbientium capite; Omne ſublime videt, Iob cap. 41. & de illa, quæ ei per infidelitatem adhæſit, Prouerb. c. 30. Generatio, cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius in altum ſurrectæ. Oculos ergo inclinare eſt nullum reſpiciendo deſpicere, ſed ſe minorem, atque imparem cunctis, quos aſpicit æſtimare. Saluabitur ergo, qui oculos inclinat, quia qui falſum ſuperbiæ verticem deſerit, veritatis altitudinem aſcendit: hæc Gregor. Quibus conſonant, quæ ad Philip. cap. 3. nu. 20. Gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt; vndè etiam Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem, qua etiam poſſit ſibi ſubijcere omnia.

Sequitur & aliud bonum ex humilitate, quod eſt ex lege oris Chriſti, ideſt ex Euangelio; bonitas diſciplinæ fidei, & ſcientiæ Dei; bonitas in iuſtificationibus Chriſti; bonitas in humilitate propter Deum, item bonitas in lege Ieſu Chriſti: cur tot bonitates? niſi quia Dominus Deus tuus totus bonus eſt? Bonum ergo mihi ſuper millia auri, & argenti. Quid pretioſius in terra auro, & argento? benè dixi, in terra, quia exigua arena, Sapien. cap. 7. num. 8. & imperfecta bonitas in illis, quia ea theſaurizantem in illius morte, relinquunt. Sed bonum Dei, quod iuſto confertur, manet cum illo in æternum. Si ergo aurum, & argentum bonum tibi terreno videtur, quid dices quando terrenis relictis, humiliatus à Deo, illius bonitatem guſtabis? Sanè mortem non guſtabis in æternum, & in gloria cum Sanctis Dei permanebis in ſæculum, vndè ſcriptum eſt, Quàm bonus Deus Iſrael his, qui recto ſunt corde?

O te beatam animam meam, ſi cum octonario iſto fide, ſpe, & charitate coniuncta incedens in Chriſti via, in humilitate, & diſciplina, & ſcientia, & fide permanens eris, quia verum bonum guſtando cum illo, beata & tu eris, non enim in comparatione bonitatis Dei, aliquid eſt, aurum, & argentum exiguam arenam iudicabis. Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſt omnis honor, & gloria. Bonum ergo ſit tibi lex oris Dei, Euangelium nempè ſuper millia auri, & argenti, hoc eſt, Amplius charitas legem Dei diligit, quàm diligit cupiditas auri, & argenti, Auguſtin.

Per ipſum enim omnia facta ſunt, Ioan. cap. 1. & ſine ipſo factum eſt nihil.

Et

Digitized by Goo

Et quis, ò anima mea, te fecit? an aurum? an topacion? Manus Domini fecerunt te, & ad similitudinem suam, vt facias mandata eius, vt illa scias, & obseruans, cum illo in cælo sedeas. Hominem ipse se fecit Deus, vt scias tu qualis, & quanta sit dignitas nominis huius, homo. Tu verò cælestia despiciens, & terrena complectens, sicut equus, & mulus fieri vis, vt nomen hominis amittas? Conuertere anima mea ad Dominum, qui te fecit, & creauit, & iuxtà ea, quæ habes in hoc octonario petas intellectum ab eo, & confitearis, quia peccasti, & cum iusto isto dicas, quod designat alteram litteram, Iod, quæ iuxtà Ambrosium initio Serm. 10. in Psalm. 118. Confessio, vel desolatio, vt confitearis, quia manus Domini fecerunt te, & disciplina eius, quasi tibi desolatæ, & disciplinatæ intellectum det Dominus, vt cognoscas opera eius; Vexatio enim dat intellectum, Isai. vt suprà. Ad punctum enim, & in modico temporis te Dominus dereliquisse videtur.

IOD.

Sequitur ergo decima littera Iod, quæ etiam interpretatur scientia, vel principium, vt scias, quia tu homo creatus es à Deo impassibilis, & immortalis, & in plenitudine scientiæ, ad quam reuerteris, si intellectum habens, mandata Dei obseruaueris, ideò exclamans cum iusto isto, & illius bonitatem cognoscens, qui te ad pœnitentiam vocauit, exclamans, & pœnitens petas ab ipso, vt bonitatem, & disciplinam, & scientiam donet tibi, quò cognoscas quòd manus eius fecerunt te, & plasmauerunt ad imaginem, & similitudinem suam, vt benè operando, & mandata eius exquirendo illam custodires innoxiam, ac per pœnitentiam, & confessionem, virtute passionis Christi illam Creatori tuo restitueres.

Manus ergo tuæ, inquit, fecerunt me, & plasmauerunt me, da mihi intellectum, vt discam mandata tua. Manus tuæ, inquit, fecerunt me, & plasmarunt, vt scias quòd pretiosum opus sit homo, quia manibus Dei factum, sanguine eius redemptum. D. Ambros. De alijs namque operibus: Dixit, & facta sunt, hominem verò manibus figurauit, quasi studiosus operans in hominis creatione, de qua, quasi quodam consilio ante tractat, quàm fiat, & specialis hortatus præcessit, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, quasi hìc laboret Deus, qui omnis est laboris expers, vt studiosa operatio in hoc notetur. Tantaq. est hominis dignitas, quòd homo legatur sedere ad dexteram Dei, non Angelus. Ipse est qui ab Angelis honoratur vnigenitus, qui est quidem imago Dei genita, non creata secundum quod Deus: secundum autem quod homo, ad imaginem Dei factus est, habens aliquid de imagine secundum immateriale, & secundum hoc quod plasmatus est, de materia est.

Disce ergo homo, vbi grandis, & pretiosus sis: vilem de terra demonstrat, sed glorioſum virtus, pretiosũ te facit imago, quid enim tàm pretiosum, quàm imago Dei est, quam retinens homo iure vocaris, hominis nomen non amittis. Cum verò eadem neglecta in vitia cadis, non hominem, sed aut serpentem, aut vulpeculam, aut iumentum, & huiusmodi, te consueuit Scriptura vocare, vndè in Psalm. 31. Nolite fieri sicut equus, & mulus, & de Herode,

Luc.

Luc. cap. 15. Dicite Vulpi illi, ideòq. in Ezech. cap. 14. num. 4. O homo, homo, vt qui exterius formam hominis habet, intus imaginem Dei seruet, Vindicat enim imaginem suam Deus in eo, qui imagini illi facit iniuriam, vt per malitiam homo quod erat, esse desineret, & fieret mulus ex homine. Postquam enim peccasti, aliud esse cœpisti, illud quod eras esse desijsti: exutus autem cælestis imaginis ornamento, etiam nomen hominis amittis, qui gratiam hominis non tenes.

Da igitur mihi intellectum, qui licet purus ante, per peccatum tamen deformatus est, renouatur tamen per pœnitentiam, & confessionem; Vndè ad Ephes. cap. 4. Renouamini spiritu mentis vestræ. Sanentur oculi mei interiores, quòd fit per fidem, qua mundantur corda; fide enim sanatur, vt amplius intelligat, quàm nemo in Deum credere possit, nisi aliquid intelligat; cum fides sit ex auditu prædicationis, ad Roman. cap. 10. Vndè Augustin. hìc. Da ergo mihi intellectum, petit, alia enim sunt, quæ nisi intelligamus non credimus, alia, quæ nisi credamus, non intelligemus, ideòq. subdit vt discam; ad hoc da intellectum, vt discam mandata tua, si non possum Deitatem videre, saltem mandata discam. Vide, inquit, quàm altè intelligenda sunt mandata; ad quæ petit iste intellectus, qui iàm custodiuit ea, cuius non omnino iste expers est, dum à Deo petit.

Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, quia in verbis tuis supersperaui. Diligentes Deum vident, & lætantur, quando valdè sperantes in Domino, cætera terrena spernunt, quia fratrem lucratum vident, ità etiam gaudium erit, in Ecclesia Dei, in Apostolis, & timentibus Deum, in infidelium conuersione ad fidem, Psalm. 30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.

Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur. Non abs re esset, si diceremus Iesum Christum hæc habuisse ad Deum Patrem suum. Multi sanè fuerunt, qui viderunt Christum, sed non omnes lætati sunt, immo illum odio habuerunt, spreuerunt, occiderunt, viderunt, & non sunt lætati, dicentes, Quid facimus, quia hic homo multa signa facit, & post illum totus mundus abit. Et nunc quot sunt videntes, & detrahentes Hæretici, Iudæi, Pagani, vident nempè Christum, idest legem eius, Ecclesiam eius, credentium multitudinem, vt detrahant, vt inuident fidelibus Christi detractent, contrà eos linguas acuentes, vt serpentes.

Qui verò fideles sint Deo, qui credũt in Deum Patrem, & in filium eius Iesum Christum, & in Spiritum sanctum, hi sunt, qui timent Dominum, & in mandatis eius cupiunt nimis: hi sunt, quos Deus dedit filio suo Iesu Christo, de quibus Ioan. cap. 17. nu. 7. Quos dedisti mihi non perdidi, præter Iudam traditorem, & qui crediturí etiam sunt, vt ibid. num. 20. Hi sunt, qui vident me, Nàm idem dicit Ioan. cap. 17. num. 24. Pater quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, & hi cognouerunt, quia tu me misisti, & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam; vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Qui timent te, videbunt me, quia in verbis tuis supersperaui, vt nempè mecum sint, sicut tu promisisti, & ego non tàm speraui, quàm pro certo habui. Qui timet te, videbit me, & lætabitur, Psalm. 102. num. 13. Misertus est Dominus timentibus se; quia vident Iesum filium Redemptorem, vt saluet illos; videbunt,

& læta-

& lætabuntur, & quia benedicet omnibus qui timent Dominũ, Psal. 103. n. 13.

D. Hieronymus, qui timent te, &c. Vox Ecclesiæ, vt illi, qui Deum timent, videant suum intellectum, & lætitiam habentes, quia Ecclesia, quando videt alios, mandata Dei obseruare, magnam lætitiam habet, posteà inuicem sic lætabuntur, & hìc & in futuro, quia in verbo, ideſt in Christo tuo supersperaui, hæc Hieronymus.

Qui sunt autem, dicit Augustin. qui timent Deum, & quem videbunt, & lætabuntur, quoniam in verba Dei sperauit? si corpus Christi est, ideſt Ecclesia, cuius est vox ista per Christum, vel in ipsa, & de se ipsa, tamquam de se ipso ista vox Christi est. Nunquid non ipsi sunt in eis, qui timent Deum? quis est ergo ille quem vident, & iucundabuntur? An populus ipse se videt, & iucundetur, & sic dictum est, qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, quia in verba tua speraui. Vel sicut alij diligentius expressérunt, supersperaui, tamquam diceret, qui timent te, videbunt me Ecclesiam tuam, & iucundabuntur, quia in verba tua supersperaui, cum ipsi sint Ecclesia, qui vident Ecclesiam, & iucundantur? Ser cur non dixit, Qui timent te, vident me, & iucundantur, sed timent te, verbum præsentis temporis posuit: videbunt autem, & iucundabuntur, futuri temporis verba sunt, & quia in præsenti tempore timor est, quamdiù tentatio est vita humana super terram, Iob c. 7. iucunditas autem, quam voluit hìc intelligi, tunc erit, quando iusti fulgebunt in regno Patris sui, sicut Sol, Matth. cap. 13. hinc etiam legitur Psal. 30. Quàm multa multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Hunc ergo quamdiù timent, non vident, sed videbunt, & iucundabuntur, quia & illìc sequitur, perfeciſti autem sperantibus in te; & hìc, quia in verba tua speraui, vel supersperaui. Vt in verbo ità composito, & cura Interpretis diligentius expresso etiam illud intelligemus, quod dicitur ad Ephes. cap. 3. Potens est Deus facere suprà quàm petimus, aut intelligimus, vt quia suprà quàm petimus, aut intelligimus sunt, parum sit ea sperare, sed debeamus superspserare. Quia ergo adhùc timet Ecclesia, quæ in hac vita est, & nondum se videt in eo regno, vbi erit eius secura iucunditas, sed inter periculosas tentationes in hoc mundo laborat, vbi audit, 1. Corinth. cap. 10. Qui se putat stare, videat ne cadat, considerans huius mortalitatis miseriam, in qua iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, sic in omnibus pertenditur vsque in diem sepulturæ in mortem omnium, Eccles. cap. 4. vt per carnem concupiscentem aduersus spiritum etiam regenerati gemere sub eius grauitate cogãtur, ad Galat. cap. 5. Hucusque Augustin.

Fiat misericordia tua, vt consoletur me, secundum eloquium tuum seruo tuo; Cognoui Domine postquam credidi: & timui, quia humilia respicis, cum tu Deus, & Dominus, vt me humiliares, & humilitatem doceres de cælo descendisti, & carnem suscipere voluisti, subditusq. fuisti. Sed quid dicam? seruis tuis subditus factus, non horruisti ab illis iudicari iniustè, & morte turpissima condemnari, vt me seruum tuum, humilitatem tuam doceres, & mortem meam, morte tua destrueres, & à pœnis inferni liberatum, tecum me perduceres. Augustin. Veritas humiliauit in mortem, iudicante illo, cuius iudicia iustitia est: deindè misericordia instaurat ad vitam, promittente illo, cuius beneficium gratia est: Ideò ait, secundum eloquium tuum seruo tuo, ideſt,

secun-

Digitized by Google

ſecundum quod promiſiſti ſeruo tuo. O magnam humilitatis virtutem, ò magnum humilitatis præmium, ò magnam in humilitate Chriſtum non ſequentium ignauiam, & ſtultitiam. Tollite, inquit, iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua, in Chriſto filio tuo humilitatem tuam me docuiſti, vt in fide eiuſdem tremens factus in hoc ſæculo cognoſcerem, quia non eſt ſalus extra te, qui humilia reſpicis in cælo, & in terra, ſuſcitans ab illa inopem, & de ſtercore erigens pauperem.

Fiat Domine miſericordia tua vt conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo. Cognoui Domine, quia ſine te ex peccato Adæ, & ſuperbia mea perdita erat anima mea, iudicia tua profectò æquitas, quia quos diabolus deceperat ad mortem, vt in perpetuum cum illo morerentur, tu Domine Ieſu Chriſte fidem in te habentes, & ſperantes, & in humilitate tua ambulantes, à morte perpetua liberares. Non laborem, non ærumnas, non diuitiarum amiſſionem, neque mortem recuſo, ſed propter miſericordiam tuam, libenter omnia ſuſtinebo, vt conſolatio tua à malignitate liberet ſpiritum meum, ſecundum eloquium tuum, qui dixiſti, Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo.

Ambroſ. hìc; Agnouit iuſta eſſe Dei iudicia, quoniam intellectum ſibi dari popoſcit, vt mandata Dei diſceret, accepit intellectus, & cognitionis gratiam. Agnoſcere autem perfecti eſt. Denique aliud eſt credere, aliud cognoſcere; fides timentis eſt, agnitio ſapientis; qui enim timet, rationem non quærit: ſapiens autem & agnitionem eorum inueſtigat quæcumque percipere deſiderat; vbi fides eſt, non ſtatim cognitio; vbi cognitio eſt, fides præcedit, iuxtà illud, Credidi, propter quod locutus ſum, Pſalm. 115. Ità ergo perfectè cognouit iſte, vt humiliaretur in veritate, quod eſt ad ſalutem humiliari; ſciebat enim, proſpera, vel aduerſa ad tentandum data, vndè ſubdit, in veritate tua, &c. quaſi dicat, cognoui, & ideò humiliaſti me in veritate tua, vt benè feram proſpera, vel aduerſa, erectus non videt vera iudicia, ſed nunc fiat miſericordia tua ſeruo tuo. Non mutatur ſenſus, ſed ordo litteræ, vt conſoletur me, in labore enim perfectus vir. Non finem laboris, ſed verbum conſolationis petit, vt benè perferat. Fiat Domine ſicut promiſiſti.

Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua. Vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, in Chriſto filio tuo hæc me docuiſti, qui in ligno poſitus mortem noſtram liberaret, atque deſtrueret. Veniant idcircò miſerationes tuæ, vt viuam in te, lex enim tua meditatio mea eſt die, ac nocte. Sed ſi miſerando non veneris, quomodò ſeruando mandata tua ingrediar in vitam tuam? tu enim dixiſti, Serua mandata, ſi vis ad vitam ingredi, Matth. cap. 10. Veniant igitur miſerationes tuæ, quia lex tua meditatio mea eſt, qui ideò venis, vt deleas peccata mea, mortem enim meam moriendo tu deſtrues, & vitam reſurgendo reparabis. Quia æquitas iudicia tua, & in te Ieſu Chriſte meditando legem tuam, humiliatus te ſequi paratus ſum. Hæc meditatus ſum die, ac nocte, quia diligo te, qui prius dilexiſti me; miſerando veni Domine, vt me meditantem in lege tua, & mandata tua ſeruantem miſerationes tuæ præueniant. Veni Domine, noli tardare, vt relaxes facinora

plebi

plebi tuæ; nemo enim aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo Ieſus Chriſtus, & ſi non deſcendis, quomodò ego peccator aſcendam? & ſi terrenus, quomodò non lotus incedere potero, ſi tu non laueris peccata mea? Humilem corde ſaluabis Domine, & ecce quia lex tua meditatio mea eſt, & in humilitate tua iudica me.

Confundantur ſuperbi, qui iniuſtè iniquitatem fecerunt in me, ego autem, te miſerante, exercebor in mandatis tuis. Vox Eccleſiæ hæc eſt, quæ quotidie iuſtos exercens in bonitate, & doctrina, precatur peccatorum confuſionem, vt recedentes ab illis, vitæ viam cognoſcant, & ideò ſequitur.

Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt teſtimonia tua. Fiat cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis, vt non confundar. Conuertantur ſuperbi, qui iniuſtè iniquitatem fecerunt in me Chriſtum, illiſquè annunciet Eccleſia mea, quæ de me vidit, quòd cæci vident, claudi ambulant, pauperes euangelizantur, & mortui reſurgunt. Ego verò exercebor in iuſtificationibus tuis, inquit Eccleſia, dicit iuſtus, docendo iniuſtos, benefaciendo illis, vt relictis iniquitatibus, conuertantur ad Dominum, hoc eſt enim mandatum Domini.

Fiat igitur cor meum immaculatum, non in mea virtute, ſed in iuſtificationibus tuis, vt non confundar. Hoc autem quomodò fiet, niſi in eo, qui baptizatus ſit, & renatus ex aqua, & Spiritu ſancto? Et quomodò ex aqua, & Spiritu ſancto, niſi tuus Domine præcedat aduentus? Niſi enim, inquis, abiero, Paraclitus non veniet ad vos, Ioan. cap. 16. num. 7. cum autem abiero mittam vobis ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille de meo accipiet, & dabit vobis. Propterea, poſtquam reſurrexit dixit, Euntes baptizate omnes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Matth. cap. vltim. Nondum venerat Dominus, propterea iuſtus iſte, illius ex aqua regenerationem deſiderabat, vt cor illius immaculatum & per confeſſionem redderetur, & per orationem, neque amplius confunderetur cum ſeruaret diuina mandata.

CAPH.

Defecit in ſalutare tuum anima mea, & in verbum tuum ſuperſperaui. Poſt Iod ſequitur littera Caph, quæ ſecundum Ambroſium interpretatur, curuati ſunt. Curuatur autem, qui agit pœnitentiam, ceruicem ſuam curuans ad Dominum, prout idem Dauid dixit, Adhæſit in terra venter meus, quia incuruata eſt in te anima mea, & quaſi corde meo me derelinquente, clamo ad te, dicit iuſtus iſte. Defecit in ſalutare tuum expectando anima mea; in verbo autem tuo ſuperſperaui, in quo mihi ſpem dediſti. Et nota, quòd & ſi dicat, defecit, non tamen receſſit à fide, & ſpe, nec in opere; ſed defecit in ſalutare, quod eſt bonum, non enim dicit, defecit à ſalutari, ſed quaſi dicat, languerunt oculi mei præ inopia, traditus ſum, & non egrediebar, Pſalm. 87. num. 10. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. Defecit ergo in expectatione ſalutaris tui anima mea, talis enim defectus indicat nimium deſiderium boni, nondum adepti, ſed auidiſſimè concupiti, quali defectione Patres laborarunt antiqui, qui Chriſtum venire deſiderauerunt, propterea Eccleſia ſeptem inſignes illas Antiphonas canit ante feſtum

Christi Natiuitatis, O sapientia veni,&c. O' Adonai veni ad redimendum,&c. O radix Iesse veni, noli tardare: O clauis Dauid veni,& educ vinctum de domo carceris: O oriens veni,& illumina sedentes in tenebris; O Rex gentium veni, & salua hominem, &c. O Emmanuel veni ad saluandum nos.

Iste verò defecit, inquit, in salutare tuum, noli tardare, veni Domine; Defecerunt enim oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me: Ambros. Anima mea defecit, ideſt lassata est diutina expectatione, tendens affectu, & desiderio in salutare tuum, ideſt Iesum, in id enim quod vehementer est desiderabile, quasi animam suam deponit, qui desiderat; si tamen spes propior assurgat, dat vires. Itaque quantò longius est illud, quod desideratur, tantò magis deficit ille, qui desiderat; id est ergo deficere in salutare, in id totis desiderijs migrare, etiam quadam animæ defectione transfundi, ecce curuatio humilitatis Caph litteræ hebraicæ.

Defecit in salutare tuum anima mea, quasi vires corporales deficiant in longa expectatione aduentus Domini; tantummodò spes de Christo remansit, vt veniret. Simile habemus in Psalm.101.num.6. A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ: Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto; hìc verò dicit, Factus sum sicut vter in pruina, quia anima eius ex spiritu viuificante viuat, & iàm corporis vires defecerint, vndè dicit, Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: quando consolaberis me? & facies de persequentibus me iudicium?

Quomodò eloquium intelligant oculi, & quomodò loquantur, declarant hìc Doctores, quòd de oculis mentis, ideſt de oculis spiritualibus intelligat; mente enim perceperat iustus iste, aduentum Domini citò futurum, quotidieque in Domini iustificationibus meditabatur: timebat Dominum: Christi aduentum videbat; spes firma erat in illo, quòd in tribulationibus sibi esset adiutor. Narrabunt quotidie iniqui fabulationes; eloquium Domini in spe illum confirmabat, persecutiones crescebant. Domine quando venies? & facies de persequentibus me iudicium? iniqui persecuti sunt me, adiuua me Domine Deus meus, quia defecerunt oculi mei, aduentum tuum, vt viderent expectantes, & dicentes, quando consolaberis me? A lapsu lacrymarum defecerunt oculi mei, quia corpus meum, venter meus, sicut terra sine aqua tibi, Psalm.142.numer.6. sicut vter in pruina, quæ à te, non à me procedit: hæret tibi, non mihi, qui illam rigare non possum; tu Domine complue eam pruina gratiæ tuæ, quæ de cælo descendit, vt fructum afferat, quia iustificationes tuas non sum oblitus. Caro ipsa mea mortificata reddita est instar vtris, qui fit ex pellibus mortuorum animalium.

Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum, quia iustificationes tuas non sum oblitus: defecit caro mea, & cor meum, quando consolaberis me? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Mihi adhærere tibi Deo bonum est, & in te ponere spem meam, Psalm.72.num.22.

Quando consolaberis me? Augustin. Vtique interioribus laudabilis, & felix ille defectus non veniens ex infirmitate animi, sed ex fortitudine desiderij in promissum Dei. Quomodò autem tales oculi dicunt, quando consolaberis me; nisi cum tali intentione, & expectatione oratur, & gemitur.

Quo-

Digitized by Google

Quodammodò enim vox oculorum est desiderium orationis, sic & in alio loco Psalm. 6. numer. 4. Et tu Domine vsquequo? tamquam moras se perpeti ostendit, nouit enim Dominus quando faciat, qui in mensura, & numero, & pondere cuncta disponit, Sapien. cap. 11. num. 22. ardentibus autem spiritalibus desiderijs, carnalia desideria sine dubitatione frigescunt; vndè sequitur.

Factus sum tamquam vter in pruina, &c. per vtrem carnem mortis huius, per pruinam verò cæleste beneficium vult intelligi, quo carnis concupiscentiæ, velut frigore cohibente torpescunt, & fit, vt iustificationes Dei de memoria non labantur, dum non cogitatur aliundè, iuxtà illud Apostoli ad Roman. cap. 8. numer. 6. Carnis prudentiam ne feceritis in concupiscentijs. Et ideò iustificationes tuas non sum oblitus: feruor enim cupiditatis obtorpuit, vt ferueret memoria charitatis. Hinc scriptum est, Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala, Psalm. 89. numer. 15. Non ergo defeciſſe se ait iustus iste, & quod addidit, Quot sunt dies serui tui, quando facies de persequentibus me iudicium? vt tribulationis finem exoptet, qui lætatur in his, quæ dicta sunt sibi à Domino, quòd in domum Domini ibit: qui lætus occurrit tribulationibus: cui spes est lætitiæ sempiternæ super caput eius, vt gaudium, & exultationem obtineat, Isai. cap. 35. num. 10. Sed quia vt supra, ardens de aduentus Domini desiderio, sperans in tempore suo videre Dominum, illum excitans, dicit, quando facies de persequentibus me iudicium?

Sed ò fidelis nonnè multa petis? Dei aduentum amore flagrans ardenter cupis, nondum ille aduenit, & iudicium vniuersale desideras? quando, ais, facies de persequentibus me iudicium? Prius expecta aduentum Domini regenerantis nos per baptismum; deindè Dominus ipse cum sit patiens, dabit acceptabile tempus peccatoribus ad conuertendum se ad ipsum, & pœnitendum, Zachar. cap. 1. numer. 3. Malach. capit. 3. numer. 7. tum illum cum Apostolis interrogabis, Quando hæc erunt Domine, & quod signum aduentus tui, & consummationis huius sæculi? Matth. cap. 24. numer. 3. Et responsum habebis; Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.

Narrauerunt, inqui, mihi fabulationes, sed non vt lex tua, Ecce Dominus dicit, Videte, ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo, dicentes, ego sum Christus, & multos seducent. Narrauerunt mihi fabulationes; sed non vt lex tua: vndè Apostol. ad Colossens. cap. 2. numer. 16. Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustrà inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum, & constructum, crescit in augmentum Dei, &c. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhùc tamquam viuentes in mundo decernitis? Si defecit anima tua in salutare Dei, & mortuus es, & vita tua abscondita est cum Christo in Deo; cum Christus apparuerit vita tua, tunc & tu apparebis cum ipso in gloria, Paul. ad Colossens. cap. 3. numer. 4. Nonnè hæc tibi sufficient?

O ſi tu, qui in ratiocinando, opponis, & audes mihi dicere, quòd optem tempus meæ reſolutionis, & vindictam me perſequentium iniquorum; quaſi ego deficiens in tribulationibus cupiam diſſolui, & liberatus ab illis eſſe cum Chriſto. Falleris certè, quia non es expertus, quale ſit tribulati pro Chriſto gaudium, & exultatio. Benedicebant tres pueri in camino ignis poſiti Deum laudantes, & in fornace ignis deambulantes. Pro Chriſti nomine gaudebant Apoſtoli lætantes, quia pro eodem digni habiti ſunt contumelias pati. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & viſi ſunt oculis inſipientium mori, & illi ſunt in pace, & ſpes illorum immortalitate plena eſt, Sap. cap. 3. num. 1.

Deficit anima mea in ſalutare præ gaudio, eloquia tua meditando, non quia crucior in labore, ſed quia, charitate Dei in corde meo diffuſa, omnia mihi ſtercora videntur, vt Chriſtum lucrifaciam; Non iniquorum vindictam deſidero, ſed illorum conuerſionem exopto, quod facilè fit, quando à Domino corripiuntur; propterea dixi, Quando facies de perſequentibus me iudicium? in perſona Eccleſiæ, quæ hæc habeat, ego Mater Eccleſia quaſi ſterilis dilatans tentorium meum, ſim Mater, & Magiſtra multorum. Tu qui audes prædicta fari, matrem ſequere pro te orantem, & videbis quanta erit charitas Dei in viſceribus tuis, & cum Diuo Paulo dices, Quis me poterit ſeparare à charitate Chriſti? an anguſtia? an fames? &c. ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos, Paulus ad Roman. capit. 8. num. 35. Præbe ergo tu, qui legis in fide, ſpe, & charitate Ieſu Chriſto cor tuum, & mecum cantabis, Amor Ieſu dulciſſime quando cor noſtrum viſitas, pellis mentis caliginem, & nos reples dulcedine. Diligas Dominum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & efficieris vnum cum illo, Iſai. cap. 17.

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. Qui fuerunt, qui narrauerunt fabulationes? Iniqui miniſtri diaboli, qui nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum. Quæ fabulationes? Audi quæ narrantur per Salomonem, Sapien. capit. 2. numer. 22. Fabulationes, inquit, quia guſtu ſuaues, ſed à veritate multum alienæ: ventus eſt vita noſtra, & non reuertetur oculus meus, vt videat bona, Iob capit. 7. numer. 7. Sapien. capit. 2. numer. 5. Vmbræ tranſitus eſt tempus noſtrum. Venite igitur, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus, comedamus, & bibamus, cras enim moriemur, Iſai. capit. 22. numer. 13. Vbique relinquamus ſignum lætitiæ noſtræ. Hæ ſunt fabulationes. Hæc cogitauerunt, & errauerunt; excæcauit enim illos malitia eorum, & neſcierunt ſacramenta Dei, nec mercedem ſperauerunt iuſtitiæ. Deus enim creauit hominem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum, Sap. cap. 2. num. 21. vndè 1. Corinth. cap. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia mala, num. 36. Inſipienti has proſequenti fabulationes, qui quomodò reſurgant mortui, interrogabat, reſpondit ibidem Paulus, numer. 42. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione; ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria; ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute; ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. Factus eſt primus homo in

ani-

animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem; prius animale, deindè quod ſpiritale, primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis; qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Igitur, ſicut portauimus imaginem terreni, portemus, &c. Narrauerunt ergo iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua.

Omnia mandata tua veritas, iniqui perſequuti ſunt me, adiuua me. Fortis eſto, & immobilis in mandatorum obſeruatione, ſicut iuſtus iſte, quia ſcit, quòd labor illius non eſt inanis in Domino, 1. Corinth. cap. 15. in fine; Fabulationes ergo, ideſt ad peccatum ſpectantia narrauerunt iniqui; peccati verò virtutem & vires ex legis ſcilicet inobſeruantia tacuerunt, vt miniſtri diaboli, qui per inuidiam auctor fuit mortis, vt ei mortales ſociarentur in inferno. Omnia mandata Dei veritas, fabulationes verò iniquorum mendacium. Hinc Dominus in Ioan. cap. 8. num. 44. Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo, cum quis loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, & pater eius, &c.

Omnia mandata tua veritas, iniqui perſequuti ſunt me, adiuua me. Quia narrantes fabulationes claudunt regnum cælorum ante homines, Matth. c. 24. numer. 15. Luc. cap. 11. numer. 52. Væ vobis legiſperitis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis: cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Phariſæi, & legiſperiti grauiter inſiſtere de multis inſidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore eius, vt accuſarent eum.

Adiuua me Domine Deus: non enim delectant verba vanitatis, ſed veritatis, cuius eſt expers, vana, & errabunda hæreticorum loquacitas, dicit Auguſtin. Adiuua me Deus; nàm paulominus conſummauerunt me in terra, ego autem non derelinquam mandata tua vſque ad finem: ſecundum miſericordiam tuam viuifica me, ne amando temporalia, amittam æterna bona: ne amando vitam temporalem, amittam vitam æternam: Auguſtin. hìc. Viuifica me, vt cuſtodiam teſtimonia oris tui; vt quiſque tollat Crucem ſuam, ſi te ſequi deſiderat.

LAMED.

Poſt litteram Caph, quæ incuruatum iuſtum noſtrum vſque ad terram demonſtrabat, ità vt ille dixerit, Paulominus conſummauerunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua, Octonarius ſequens litteram præfixam habet hebraicam Lamed, quæ ſecundum aliquos interpretatur cor ſeruitutis, vt deſignetur ex corde ſeruiendum Deo, & dabit nobis petitiones cordis noſtri, illius mandata ſeruantibus.

In æternum Domine verbum tuum permanet in cælo. Quid ergo faciet mihi homo? In cælo Angelorum virtus ſemper permanet firma, & immobilis ad ſeruiendum Deo, & in terra iuſtorum tuorum ità cor ardeat, vt fortia quæque confundat, & ſpernat. Non recuſo ego laborem, quid perſecutores mihi nocere poterunt? Tibi ex corde ſeruiam, cui omnes Angeli ſeruiunt in cælo, & vbi in æternum permanet verbum tuum. Tibi ſeruiam Ieſu Chriſte

Digitized by Google

Redemptor, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo, vt te lucrifaciam, ad Galat.cap.6.num.14. & cum Angelis ſemper tecum permaneam, te laudans Dominum. Temporale eſt, quod hìc patior, ſempiternum eſt, quod mihi promittitur, cur ergo non ſeruiam ex corde tibi, cuius verbum, & promiſſum permanet in æternum. Cælum, & terra tranſibunt, verba autem tua nunquam præteribunt; cor mihi præbe Domine, vt ſolicitè ſeruare poſſim mandata tua. Paulominus conſummauerunt me in terra, viſus ſum enim oculis inſipientium mori; ego autem non dereliqui mandata tua, quia eloquia tua caſta Domine, & in perpetuum duratura, inter filios enim tuos reputabuntur, qui tecum in tentationibus permanſerint; portio mea cuſtodire legem tuam, quia & tunc portio mea eris in terra viuentium in æternum.

In æternum Domine permanet verbum tuum. Et ideò huius miſericordiæ tuæ conſiderans magnificentiam, non dereliqui mandata tua, quamuis iniqui fabulationes mihi narrantes, quaſi lex tua illa eſſent, paulominus in terram me proſtrauerint, tribulationes, & martyria inferentes me conſummaſſe cogitauerint, vt legem tuam derelinquerem; attamen ſecundum miſericordiam tuam viuificatus cuſtodiui mandata tua.

O magnam Dei potentiam, ò admirabilem miſericordiam tuam, quis iniquus non accedet ad te, cuius verbum permanet in cælo? Non mortui laudabunt te Domine, quia ſibijpſis non credentes, morti in perpetuum deſtinati ſunt; nos verò in fide permanentes, & Domino viuentes benedicamus Domino, cuius veritas permanet in æternum, & in ſæculum ſæculi.

Ambroſ. hìc: Manet, inquit, ſolemnis ordo ſtatutorum, labitur enim annus, & dies, & menſes, & ijſdem viciſſitudinibus redit conuerſio Solis, & Lunæ, & omnium lex ſemel inſtituta, immutabilis manet; hoc in mente tua, imitare anima mea, fidelis ſeruus, de cælo mentis tuæ imaginem cape, quia Satanas, in quo non manſit verbum, de cælo cecidit in terram, quia non habebat locum in cælo, vbi omnium obedientia diſcretis muneribus, indiſcretam præſcriptæ conſtitutionis tenet concordiam. Ideò ibi verbum Dei permanet in ſæculum; inde expulſus Satanas acrior ad nos deuenit, & tentationes ſolito aſperiores, tamquam iratus exercet, quia hìc totus aduenit, ideò hìc fiunt mala, in cælo autem permanet verbum, ideſt virtutes Dei, Angeli nempè, & in terra laudantes Deum.

Sed ſi cælum tranſibit, & terra, quomodò dicit, in æternum Domine verbum tuum permanet in cælo? & ſi Satanas cecidit de cælo, ergo vitia fuerunt in cælo? ſed vt ſuprà dixi, non de elementis cæli dictum eſt, ſed de virtutibus cæli, ideſt de Angelis, in quibus nihil lubricum eſt, ſed ſemper laudant Deum, ſicut de hominibus iuſtis; nàm etſi in terra ſint corpore, in cælo tamen mente, & corde; vndè ad Philippenſ. cap.3. Noſtra conuerſatio in cælis eſt, ideſt affectu, & ideò cæli vocantur, quamuis ſint in terra, cum ſine intermiſſione mandata Dei cuſtodientes, laudent, & benedicant Dominum. Propterea clamat iuſtus iſte, dicens; Adiuua me Domine, viuifica me, vt cuſtodiam ſermones tuos; ideò ſine intermiſſione dixi, cuſtodiam, quia ſi quis peccat, non cuſtodit, & longè fit à Deo; viuifica ergo me, vt cuſtodiam ſermones tuos.

In æternum ergo Domine permanet verbum tuum in cælo. Propter nomen

Digitized by Google

men tuum longè facias furorem tuum à nobis, & laude tua nos infræna, ne intereamus, vt tua nobis salus sit in perpetuum. Ecce Domine, si visibile cælum oculis nostris intueamur, & quæ sub terra sunt deorsum oculis mentis respiciamus, aduertimus quòd sicut fumus cæli liquescunt, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius sicut hæc interibunt, salus autem tua in sempiternum, & iudicia tua non deficient, Isai.51.num.6. & iustitia tua in generatione, & generationem.

Populo Iudæorum Dux fuisti in nube, & in columna nubis, 2.Esdr.cap.9. num.1. Terram autem Domine, idest Ecclesiam tuam ab æterno fundasti, vt in illa habitaret populus, quem tu creaturus eras, quando venires desideratus cunctis gentibus, Vndè in Euangelio legimus, A diebus Ioannis Baptistæ vsque nunc vim patitur Regnum cælorum, & violenti rapiunt illud, Matth. cap.11.num.12. & 13. Omnes enim Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt, nunc verò tu fundasti terram, idest Ecclesiam, & permanebit, quia nobiscum es, erisq. filius Dei vsque ad consummationem sæculi, Matth. cap.28.numer.20. Lex Dei immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis, Psalm.18.numer.8. Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa, præceptum Domini lucidum illuminans oculos; & ego, dicit Dominus Iesus, mitto in vos promissum Patris mei, vt in nomine meo prædicetis pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, &c. Luc.33.num.48. Marc.16.num.15.

Ordinatione hac tua perseuerat dies, Quia etsi multi malignantes illam, iuxtà illud Apostol. 2.Corinth.cap.4.nu.3. Quod si etiam opertum est Euangelium nostrum; in ijs, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, quæ est imago Dei; prædicatur tamen Euangelium tuum Domine, vt credentibus salus sit in æternum. Et omnia seruiunt tibi, quæ Sanctis tuis in Ecclesia positis ordinata sunt. Ordinatione tua perseuerat dies, ait & Iesus in illis scilicet, quos tu Pater dedisti mihi, quos nemo rapiet de manu mea, Ioan. cap.10.num.28.

Perseuerat dies lux, idest fides, quam habent in me, Ioan.cap.17.num.24. Pater quos dedisti mihi volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecũ, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi; vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis, qui sum lux vera. Perseuerat ergo dies, idest lux Christus in fidelibus iuxtà ordinationem Dei, qui iustos, & credituros dedit filio Iesu Christo.

Hæc lux tua est, bone Iesu, vt qui credunt in te, sint tecum in gloria in vita æterna, in hac lege est meditatio mea, vt relictis terrenis, credam, quia tu lux, via, & vita mea es: aliàs quid essem, nisi legem hanc tuam meditatus essem? fuissem, ac si non essem, & in hac carnis vilitate perijsset anima mea. In æternum ergo non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me. Et nota, quia in humili requiritur etiam legis meditatio; vt Dominus in sancto habitans, & cum contrito, & humili spiritu, viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum, Isai.cap.57. nu.15. viuificatus ergo erat iustus iste, quia fidelis, quia humilis, & contritus, & ideò in æternum non obliuisci se iactat iustificationes Domini. Dominus quippè in isto habitat, ità vt semper

secum

ſecum ſit ; nec mirum ſi in æternum non obliuiſcatur, quia, vt dicit Paulus ad Roman.cap.8. nu.10. Si autem Chriſtus in nobis eſt : corpus quidem mortuum eſt propter peccatum , ſpiritus verò viuit propter iuſtificationem. Quod ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis; qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis , viuificabit & corpora veſtra mortalia propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis . In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas , quia ſpiritus Domini viuificauit illum in ipſis .

Quid ſequitur, & quæ iuſti huius in Deum fiducia, quia cuſtodit præcepta ſua? Tuus, ait, ſum ego, ſaluum me fac,quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui; Ezech.cap.18.n.21.Si ab omnibus peccatis ſuis impius egerit pœnitentiã,&c. & cuſtodierit omnia præcepta mea,&c. vita viuet,& non morietur ; in iuſtitia ſua, quam operatus eſt viuet , idem in cap.33.nu.12. Tuus ſum ego Domine , quia ab impietate diſceſſi ; quia iuſtificationes tuas exquiſiui , & ideò mihi pepercisti Domine , vt amplius peccatorum meorum non recorderis , Hieron. hìc. Ego tuus famulus , & tu Deus meus , à te poſco ſaluari ; quia venter non eſt mihi Deus , nec ſum inani gloriæ deditus , ſed iuſtificationibus tuis ; ideò quòd non ſim in tenebris amplius, dicit Paul. ad Theſſalon. 1.cap.5. nu.4. Vos autem fratres, non eſtis in tenebris , vt vos dies illa tamquam fur comprehendat, omnes enim vos filij lucis eſtis , & filij diei , non ſumus noctis , neque tenebrarum ; igitur non dormiamus ſicut cæteri , ſed vigilemus , & ſobrij ſimus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt : Et qui ebrij ſunt , nocte ebrij ſunt . Nos autem , qui diei ſumus , ſobrij ſumus , induti loricam fidei , & charitatis , & galeam ſpem ſalutis , &c. Tuus ergo ſum ego,quia iuſtificationes tuas exquiſiui, & ideò benè ibidem Paulus adiecit, Non poſuit nos Deus in iram,ſed in acquiſitionem ſalutis , per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum , qui mortuus eſt pro nobis. Sed ſiuè vigilemus , ſiuè dormiamus , ſimul cum illo viuamus .

Me expectauerunt peccatores, vt perderent me,teſtimonia tua intellexi . Hæc de Ieſu Chriſto intelligi poſſe arbitror ; conſilium enim fecerunt illi impij, vt perderent eum, teſtimonia intellexi, quia ſic oportebat ipſum pati,& ità intrare in regnum ſuum , Luc.cap.24. nu.26. Surgite , dixit, eamus, ecce qui me tradet appropinquat : Nunc hæc eſt hora veſtra , & poteſtas tenebrarum , Luc.cap.22. nu.53. Vidit conſummationem , nàm in cruce poſitus extremum protulit verbum illud , Conſummatum eſt , & expirauit , Ioan. cap. 19. num. 30. Latum mandatum tuum nimis. Domine ſancte Pater , qui ità mundum dilexiſti , vt me filium tuum dares : charitas tua hæc operata eſt , vt populum tuum per me à morte ſaluum faceres .

Vel cum Auguſtino in Tom. 9. in Epiſt. 1. S. Ioannis , Tract. 10. fol.234. in nouiter impreſſis dicamus . Omnis conſummationis vidi finem ; Aliquem montem excelſiſſimum requiramus , de cuius cacumine videamus omnis conſummationis finem . Chriſtus mons eſt : veni ad Chriſtum , & omnis conſummationis finem videbis. Finis verò eſt charitas, 1.Timoth.1.nu.5.ad Rom.cap.13. num.10. quæ eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta ; plenitudo eſt enim legis, charitas, quid tàm finitum, & terminatum, quàm plenitudo ? Nolite putare conſumptionem , ſed conſummationem ; Et poſt multa ibi , quæ vt videantur digna ſunt , & perpetuò memoriæ demandanda , ſequitur . Quis eſt finis, quem vidiſti ? Latum mandatum tuum valdè , ipſe eſt finis , latitudo

man-

mandati; latitudo mandati charitas est, quia vbi est charitas, non sunt angustiæ. In ipsa latitudine erat Apost. 2. Corinth. cap. 6. nu. 11. cum diceret, Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, Cor nostrum dilatatum est; non angustiamini in vobis; ideò ergo latum mandatum tuum valdè. Quid est latum mandatum valdè? Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, charitas ergo non angustatur. Vis non angustari in terra, in lato habita, quidquid tibi fecerit homo, non te angustat, quia illud diligis, quod non nocet. Homo Deum diligis, fraternitatem diligis, legem Dei diligis, Ecclesiam Dei diligis, sempiterna erit, laboras in terra, sed peruenis ad fructum promissum. Quis tibi tollit quod diligis? si nemo tollit tibi quod diligis, securus dormis; immo securus vigilas, ne dormiendo perdas quod diligis. Illumina oculos meos, Psalm. 12. num. 4. ne vnquam dormiam in morte. Qui claudunt oculos contrà charitatem, obdormiscunt in concupiscentijs delectationum carnalium; euigila ergo, delectationes enim sunt manducare, bibere, luxuriari, ludere, venari: pompas istas malas omnia mala sequuntur. Delectant ista, tu verò delectare in Deo, quia iste manet. Audi Psalmistam, Narrauerunt mihi delectationes, sed non vt lex tua, in duobus enim præceptis est, dilectio scilicet Dei, & proximi, & reliqua, quæ in Augustino ibi.

Testimonia ergo tua intellexi, propterea, inquit, Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis, quia charitas Dei diffusa est in corde meo.

M E M.

Propterea sequitur alia littera decima tertia Mem, quæ interpretatur, iuxtà Ambrosium, ex intimis scilicet visceribus, vel secundum Hieronymum ex ipsis, idest de charitate, quæ ex ipsis medullis est, omnis enim consummationis vidit finem, qui ex toto corde suo Deum diligebat, docetq. nos, quomodò diligendus sit Deus, dicens.

Quomodò dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est, tota die. Idest semper, in luce, non in tenebris ero. Qui enim verè Deum diligit, legem eius diligit, dicit Ambros. Tota die, inquit, an semper est dies in lege meditanti? Quomodò dilexi legem tuam Domine, idest ex quo dilexi legem tuam, quia, te inspirante, amplexus sum eam, tota die, semper scilicet, ità delectatus sum in ea, quòd semper in illa meditatus sum, & ideò, quia iusta discernit, super inimicos meos prudentem me fecit; illi enim litteram, ego verò sensum sequebar, illi signa quærebant, Matth. cap. 12. num. 38. Ego veritatem tuam sequutus sum; illi zelum Dei habere profitebantur, sed quæ sua erant quærebant, Matth. cap. 15. Quare & vos transgredimini legem Dei propter traditionem vestram? Et iterum; Venient Romani, & tollent locum nostrum, Ioan. cap. 11. n. 48. & mandata Dei transgrediebantur propter traditionem suam. Matth. vt suprà.

Prudentem me feciſti mandato tuo, Ambros. Quia illi in signis, ego in veritate quiesco; quia illi zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, quia suam iustitiam constituere volunt, Matth. cap. 23. per totum; sed iste iustitiam quærit per fidem Christi, quæ ex Deo est. Quia in æternum mihi est, idest vt ipsum mandatum sit in æternum, & ad æternitatem mihi valeat, dicit August.

illis

illis verò tantùm est in sæculum, illi temporalia præmia, Matth.cap.23.

Quomodo dilexi legem tuam, hic est decimus tertius octonarius, cui assignatur, seù ponitur decima tertia littera Mem, scilicet, quia cõgruunt simul expositio litteræ Mem cum sensu octonarij versiculi; nàm si Mem, idest dilectionem ex corde, & in visceribus Dei habere volumus, cætera, quæ ibi sequuntur, ad ipsius dilectionis perfectionem requiruntur; meditatio nempè continua in diligendo Deum, quia ipse prius dilexit nos, & sanguine suo redemit: vt hac continuata in Deum dilectionis meditatione, proximum diligamus iuxtà mandatum Domini, Et ego dico vobis, diligite inimicos vestros, Matth.c.5.nu.44. de qua inimicorum dilectione, Augustin. Tom.2.Epist.106.hęc habet. Pelagium & nos non solum dileximus, verùm etiam diligimus eum; sed aliter nunc diligimus, aliter aliquando dileximus. Tunc enim, quia nobis rectæ fidei videbatur, nunc autem, vt ab ijs, quæ inimica, & aduersa gratiæ Dei sentire videtur, illius misericordia liberetur.

Super inimicos meos, ait Propheta, prudentem me fecisti; prudens enim ille ex charitate, & dilectione factus est, vt super inimicos animus illius inclinaretur ad diligendos ipsos, vndè Ambros. hìc. Sed quos, inquit, inimicos habebat Propheta, qui aut sui populi viros legitima debet charitate complecti, aut alienigenas euangelica prædicatione ad Dei gratiam inuitare. Feræ naturæ suæ conformem diligunt, quomodò dilectionem conformis suæ Propheta respueret? esse ergo iustam causam oportet, qua ij quos significat, iure videbantur inimici, & quæ sit possumus inuestigare, si meminerimus, quod alibi Psalmista dixit Psalm.138.nu.21. Et super inimicos tuos tabescebam, perfecto, seù iusto odio oderam illos. Istos ergo euangelica auctoritate suos dicit inimicos, qui inimici sunt ei; nàm si & qui non reliquerit parentes propter nomen Dei, non est Deo dignus, quantò magis, qui diligit Dei inimicos, Deo acceptus esse non poterit?

Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Quis est, qui super omnes Prophetas? qui non solum loquendo eos, inquit Augustin. qui secum vixerunt, verùm etiam scribendo posteros tàm excellenti auctoritate docuerunt, audeat se intelligendo præponere? Christus filius Dei prænunciatur hìc, dico ego cum Propheta in Psalm.39. num.9. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei; Annunciaui, inquit, iustitiam tuam in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo: Domine tu scisti. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi. In capite libri, idest in toto volumine Scripturarum diuinarum, ideò super omnes docentes inquit. Hinc Isai.cap.49. num.6. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, & num. 7. Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt Dominum, & sanctum Israel, qui elegit te; iste enim est, de quo Isai.cap.7.num.6. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet, & roboret illud vsque in æternum. Iste enim est, qui à Patre missus est ad filios Israel, Ezech.cap.2.num.3. Super omnes docentes me intellexi, Isai.cap.30.nu.20. & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis, & Psalm.49.numer.2. A solis ortu vsque ad occasum, ex Sion species decoris eius. Deus manifestè veniet, Deus noster: & non silebit.

Super

Super omnes docentes me intellexi, Deuter. cap. 18. nu. 15. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, dicit Moyſes, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies, &c. Ponam verba mea in ore eius, loqueturq. omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam, Act. Apoſt. cap. 3. nu. 22. Super omnes docentes me intellexi; Quis eſt iſte? ille nempè, de quo Iſai. cap. 48. num. 3. Priora ex tunc annunciaui, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea; repentè operatus ſum, & venerunt, vndè Pſalm. 77. nu. 2. & Matth. cap. 13. nu. 35. Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi; & nu. 5. Prædixi tibi ex tunc, antequam venirent, indicaui tibi; Et per quos indicauit? Per Prophetas, & docentes, de quibus alibi dicitur, habent legem, & Prophetas, Luc. cap. 16. nu. 29. Prudentem me feciſti, ideò ibid. Iſai. num. 11. Propter me, propter me faciam, vt non blaſphemer, & gloriam meam alteri non dabo. Quis eſt iſte, qui loquitur? Ego ipſe, ego primus, ego nouiſſimus. Manus mea quoque fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cælos.

Super omnes docentes me intellexi, Iſai. vt ſuprà nu. 16. Non à principio in abſcondito locutus ſum; ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius; Ite, dicebat Dominus, prædicate, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſuper omnes docentes intellexi, quia vobiſcum ero vſque ad conſummationem ſæculi, Matth. cap. vlt. & in alio loco: Nolite cogitare quomodò, aut quid loquamini, quando apud Reges propter me ducemini, quia dabo vobis, quid loquamini; Super omnes enim docentes me intellexi, ego enim ſum, qui loquor in vobis.

Super ſenes intellexi, quia mandata tua exquiſiui, In ſenibus enim, ideſt in his, qui habent intellectum eſt ſenſus; in ſenſu, ideſt in mente ſeniorum verbum, Eccleſ. cap. 9. nu. 24. & in his, qui habent intellectum verbum Dei operatur; vndè in Pſal. 104. nu. 22. Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret. Item ſuper ſenes intellexi, nàm in prædicatione Euangelij ad gentes conuerſi ſunt Apoſtoli, quia Iudæi repulerunt illos, Act. Apoſt. cap. 13. nu. 46. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus, Iſai. d. cap. 49. num. 16. Poſui te in lucem gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ. Et audientes gentes gauſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini, vndè Iſai. cap. 24. num. 23. Erubeſcet luna, & confundetur ſol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ieruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus. Qui ſunt enim ſenes in populo niſi Reges, & Principes dominantes, & gentes verbum Dei percipientes? hinc Iſai. d. c. 49. nu. 7. Reges videbunt, & conſurgent principes, & adorabunt propter Dominum, &c.

Vel aliter dicamus, Super ſenes intellexi. Nàm antiqui Patres, & Prophetæ hanc fidem Chriſti Ieſu venturi conſecuti ſunt, & illam prædixerunt, & vt veniret clamauerunt, dicentes, Veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ. Verſ. Eccleſ. in Aduentu. Vndè Paul. ad Hebr. cap. 11. nu. 2. In hac enim ſcilicet fide, conſecuti ſunt ſenes, hinc Geneſ. cap. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.

Su-

Super ſenes ergo intellexi, ideſt ſuper Gentiles poſuit Dominus cor ſuum, ad illos ſaluandos. Sed cur ſenes vocantur? Quia non vt Iudæi incredùli, & obſtinati, ſed tamquam intellectum habentes, ſtatim audito verbo ad illud gentes conuerſæ ſunt, hoc enim erat Dei mandatum, vt ad Gentes Apoſtoli conuerterentur, Euangelium prædicantes.

Super ſenes intellexi. Quomodò intellexerit, declarat, quia in Sanctorum dictis, & Scripturis, mandata Dei exquiſiuit hic iuſtus; credidit ergo etiam iuſtus iſte Scripturis ſanctis, & ipſi etiam reputatum eſt ad iuſtitiam, hinc ſcriptum habemus Eccleſ. cap. 8. num. 11. Non te prætereat narratio ſeniorum, quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum. Hìc ergo non de ſenioribus ætate, & vitijs, & legem Domini neſcientibus, ſed de ſapientibus, & de ſanctis Prophetis intelligit, quia in illorum narrationibus, & ſanctis Scripturis, mandata Dei exquiſiuit, non hominum.

Super ſenes intellexi; quia nempè mandata tua Domine exquiſiui, ergo intelligentia non eſt ſine mandatorum Dei exquiſitione, & obſeruatione. Præcedit ergo intelligentia, quam Deus dat per ſuam gratiam; ſequitur etiam voluntas tua in exquirendo, & exequendo mandata eius, propterea ſequitur.

Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt cuſtodiam verba tua. Exquiſiuit ergo, vt illa faceret, & obſeruaret. Quid mirum, ſi ſuper inimicos ſe prudentem dicit Propheta? nàm illi Iudæi nempè, qui ad temporalia tantùm reſpiciebant, non æterna conſiderantes, quæ ex mandatorum obſeruatione percipiebantur, quòd ſcilicet venturus erat filius Dei, qui in illum credentibus æternam vitam promittebat. Iactabantur etiam Iudæi ſe clauem ſcientiæ habere, vndè cæco illi dicebant, In peccatis natus es totus, & nos doces? Ioan. cap. 9. numer. 34. Nec myſterium aperitionis oculorum, & holocauſtomatum, & aliorum in Euangelio complendorum percipiebant: ſuperior his Doctoribus fuit Propheta ex meditatione mandatorum Dei. Et tandem ſuper ſenes intellexit, quia illa, quæ in veteri teſtamento in figura ſcripta legebat, in Euangelio complenda præſciuit: ù felicem Prophetæ mandatorum Dei obſeruantiam, & illorum meditationem continuam, ex qua illuminatus prohibuit pedes ſuos à via mala, & in redemptione futura per aduentum Ieſu Chriſti totus confiſus à iudicijs Dei non declinauit, qui legem ſibi poſuit, vt ſeruans mandata, immunis eſſet ab æterna pœna.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Iàm ex corde credidit iuſtus iſte, ideò in faucibus dulcedo ei prouenit, quia ex corde procedit, ſunt enim multi, qui Dei verbo audito, dulcedinem in ore ſentiunt, ſed in tempore tentationis recedunt, quia mel eſt in ore tantùm, non autem in corde. Sed quando ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus diligitur Deus, ex corde in fauces aſcendit dulcedo ſuper mel ori ipſius ſic diligentis, quia radix dulcedinis in corde, vt in mandatis Dei meditetur ſemper, & benè operando, eloquia Dei ſemper in faucibus ſuis dulciora guſtet, ſuper omni verbo, quod non prouenit ex corde puro, & conſcientia bona, Matth. cap. 13. num. 19. & 22. de eodem Dei verbo legimus. Quod autem ſuper petroſa ſeminatum eſt, ideſt, cum quis verbum audit, & continuò cum gaudio illud accipit: non habet autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis, facta autem tribulatione, & perſecutione propter verbum, continuò ſcandalizatur, &c. & ſine fructu

effici-

efficitur, ſicut qui ſeminat in ſpinis, qui verbum Dei audit,& ſolicitudo ſimul huius, & fallacia diuitiarum ſuffocat verbum. Simile habemus Luc.c.8.nu.13. Dulciora ergo mandatorum obſeruantiæ ſuper mel, & fauum. Ex quibus diſcitur, quantum via iniquitatis fugienda, & odienda ſit, propterea ſequitur.

A mandatis tuis intellexi. Quod à me fugienda ſit via iniquitatis,quæ ſemper mihi odibilis eſſe debet; à mandatis tuis, quæ meditabar quotidie in corde meo, intellexi,& didici, quia illa concupiſcendo ſeruaui, & ideò didici, quia Dominus ſapientiam iſtam præbuit mihi, Eccleſ.2.nu.26. Auguſtin. hìc. Aliud eſt, mandata tua intellexi, aliud eſt, à mandatis tuis intellexi. Neſcio ergo quid aliud ſignificat intellexiſſe à mandatis Dei, quòd eſt quantum mihi videtur: faciendo mandata Dei peruenisse ad earum rerum intelligentiam,quas concupiuerat ſcire,propter quod ſcriptum eſt,concupiſti ſapientiam,ſerua mandata,& Dominus præbet illam tibi; ne quiſquam præpoſterus antequam habeat humilitatem obedientiæ,velit ad altitudinem ſapientiæ peruenire, quam capere non poteſt,niſi ordine venerit. Audiat ergo Eccleſ.1. Altiora te ne quæſieris,& fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita ſemper, ſic homo ad occultorum ſapientiam peruenit per obedientiam mandatorum, ſemper ergo dicit, quia & cuſtodienda eſt obedientia, vt cuſtodiatur ſapientia, & percepta ſapientia; non eſt deſerenda obedientia. Hæc Auguſtin.

A mandatis ergo intellexi, non mandata ipſa dico ego me intellexiſſe, ſed à mandatis, quæ prius intellexeram per Spiritus ſancti gratiam, non recedendo,& illa faciendo,venit iſte ad altitudinem ſapientiæ; Vt intelligamus, mandatorum intelligentiam nil prodeſſe, ni adſit, & eorumdem in opere adimpletio,fides enim ſine operibus mortua eſt,ſcire deſideras,& tibi amor ſapientiæ creſcit? creſcat tibi amor iuſtitiæ, & odio habebis omnem iniquitatem.

NVN.

Littera hebraica Nun poſita in decima quarta Pſalmi parte, quæ incipit, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Nun ſecundum Ambroſium Serm.14. in Pſalm.118. interpretatur vnicus, vel paſcua eorum, Chriſtus vnicus Dei filius,ideò & paſcua eorum ſcilicet, qui credunt in illum, & verbum ſuſcipiunt, vt paſcantur ab illo. Ipſe enim eſt paſtor noſter, qui paſcit oues ſuas, Ioan. cap.11.numer.14. dans ſeipſum fidelibus ſuis, carnem nempè ſuam ad manducandum,& ſanguinem ad bibendum, Ioan.6.num.54. Et Petro dixit, Paſce oues meas, paſtor ergo, & paſcua, Ioan.21.num.16. Lux, quia lucet omnibus, Ioan.cap.1. Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, lucerna verò pedibus his, qui cum Petro ſequuntur illum, cui dictum eſt, Tu me ſequere, Ioan.21.num.23.

Pone ergo tu pedes tuos in præparationem Euangelij pacis, ideſt opera tua bona iuxtà præcepta Dei ſint in lucernam tuam, & lumen Chriſti lucebit tibi, quia quidquid boni feceris, tibi in vitam æternam erit; vndè Apoſtolus ad Epheſ. cap.6.numer.15. State ergo, inquit, ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus,

quod eſt verbum Dei, &c. Oleum miſericordiæ cæleſtis, & gratiæ mitte in lucernam, ne deficiat lumen in lucerna tua, quando venerit ſponſus in media nocte, Matth. cap. 25. num. 8. 2. Petr. cap. 1. num. 19. Habemus certiorem propheticum ſermonem, cui attendentes benefacitis, tamquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco donec dies eluceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.

Auguſtin. hic Concione 23. Lucerna, &c. Quod eſt lucerna, hoc repetitum eſt lumen, & quod pedibus meis, hoc ſemitis meis: quid ergo eſt verbum tuum, nunquid nàm illud, quod in principio erat Deus apud Deum, Verbum ſcilicet, per quod facta ſunt omnia? Non, eſt ità; nàm illud Verbum lumen eſt, ſed lucerna non eſt; lucerna quippè creatura eſt, non creator, quæ participatione incommutabilis lucis accenditur, hoc erat Ioannes, de quo dicit Verbum Deus, Ille erat lucerna ardens, & lucens; non erat tamen lumen, ideſt Verbum, de quo dictum eſt, Deus erat Verbum; ſed erat miſſus, vt teſtimonium de lumine perhiberet. Ex Ambroſ. verò idem Verbum in Chriſto & lumen, & lucerna eſt; ſed lucerna eſt, dum lucet in nobis tamquam in vaſe, 1. Corinth. cap. 4. Habemus theſaurum iſtum tamquam in vaſis fictilibus, in ſe verò lumen eſt inextinguibile, quod illuminat & Angelos, & omnem hominem venientem, &c. Mitte ergo oleum ne deficiat lumen lucernæ, oleum inquam, miſericordiæ cæleſtis, & gratiæ, quo vngebantur Prophetæ: quo ceruicis noſtræ dura molleſcunt: quo etiam colliſa ſcopulis peccatorum fouentur corpora.

Vt luceant noſtra opera etiá coram hominibus, qui glorificent Patrem noſtrum, qui eſt in cælis, appareat, quòd non ex nobis, ſed ex gratia à nomine tuo data ea ſunt nobis. Lucerna pedibus noſtris, & lumen ſemitis noſtris, vt ab illo fiat homo iuſtus, qui nunquam poteſt eſſe iniuſtus. Non enim, dicit Auguſtin. Pſalm. 109. litera K. lucerna accenditur à ſeipſa, ità nec anima humana ſibi præſtat lucem, ſed clamat ad Deum, lucerna Domine pedibus meis, & in Pſalm. 17. num. 29. Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.

Quia iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ; iurauit quia ipſe Dominus vitam dare promiſit, & vt illius certa eſſet promiſſio, ſe fecit & hominem æqualem tibi. Parum enim erat, dicit Auguſtin. Deo, vt filium ſuum faceret demonſtratorẽ viæ, cum ipſum viam fecit, vt per illum ires regẽtem te, ambulantem per ſe. Promiſit ergo quia vẽturi eſſemus ad eum, ideſt ad illã ineffabilem immortalitatem, & cum Angelis eius æqualitatẽ. Quàm longè eramus, quàm ille ſurſum, quàm nos deorſum, quàm ille in ſummo, quàm nos in imo, deſperati iacebamus, &c. Promiſit ergo vt reddat impijs quod minatus, iuſtis quod pollicitus eſt. Lucernam itaque petit iſte iuſtus, petit omnis Chriſti fidelis, qui vitam habere cum illo cupit, vt iuſtè ambulans in via Chriſti, vt in toto corde ſuo Deum exquirens, non repellatur à mandatis eius.

Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Iuraui, & ſtatui, quia tu Domine illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo; veniant mihi miſerationes tuæ, & viuam, Pſalm. 26. num. 1. quem ergo timebo, à quo trepidabo? Quid tu dicis Paule ſancte? quis me ſeparabit à charitate Chriſti? an angueſtia? an fames? ad Roman. c. 8. num. 35. an perſecutio? an gladius? ſicut ſcriptum eſt Pſalm. 43. nu. 23. Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati

ſumus,

ſumus, ſicut oues occiſionis, &c. Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ, ſed in omnibus ſiperamus propter eum qui dilexit nos.

Iuraui, & ſtatui. Quapropter certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque profundum, neque altitudo poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Ecce quid ſit iurando ſtatuere, quod idem nimirum, ac illud, quod in ſuſceptione Baptiſmi tu promiſiſti anima mea, abrenuntiando, &c. & credendo. Surge ergo, & ſi cum eodem Apoſt. 2. Corinth. cap. 1. nu. 8. ſupra modum in tribulationibus grauaris, ità vt etiam viuere taederet te; non ſis tamen in te fidens, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos, qui facit prouentum de tribulatione tua, 1. Corinth. 10. nu. 13: vt ſuſtinere poſſis.

Humiliatus ſum vſquequaque Domine, viuifica me ſecundũ verbum tuum. Non ex me, ſed ab inimicis factus ſum humiliatus, cum illorum tribulationes, & perſecutiones ſuſtinuerim; Dominus autem viuificauit me, neque enim ex virtute mea ſuſtinui. Valdè ergo humiliatus ſum, quia valdè magnas perſecutiones paſſus ſum propter te: turbatus, & afflictus, vſquequaque, donec auxilium tuum veniret, quaſi à te deſtitutus, & ad modicum te me dereliquiſſe viderer, prout dixiſti Iſai. 54. num. 7. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. In modico, tempore modico ſcilicet, in momento indignationis, in furore paruo. Do hec conuertas tu Domine lucernam meam in gaudium, vt lætifices me à dolore meo: vſquequaque, ac donec Domine quieſcat vox mea à ploratu, & oculi mei à lacrymis, quia ſcio, quòd ſit merces operi meo, Ierem. cap. 31. num. 12. & 17.

Non glorior in poteſtate, vt non decipiar, ſed in humilitate, quæ non decipit, nec deſtruit eos, qui à Domino auxilium poſtulauerint. Et ideò ò Domine viuifica me ſecundum verbum tuum, vt cuſtodiam iudicia iuſtitiæ. Sed quod eſt verbum Domini? intelliges, ſi quæ per Ierem. Dominus promiſit conſiderabis, d. cap. 15. Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam ſtabis, & ſi ſeparaueris precioſum à vili, quaſi os meum eris: conuertentur ipſi ad te, & tu non cõuerteris ad eos, & dabo te populo huic in murum æneum, fortem, & induratum, & non prævalebunt, quia ego tecum ſum, vt ſaluem te, & eruam te, & liberabo te de manu peſſimorum, & redimam te, dicit Dominus, & Sap. c. 3. & 5. Ecce quomodò computati ſunt, qui à malis inſani reputabãtur, inter filios Dei; Si verò quæ in Euangelio promiſſa ſint quæras: Regnum cælorum promittitur, Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorũ eſt Regnum cælorum, Matth. cap. 5. Viuifica me, inquit. Nolite terreri, quando apud Præſides ducemini, &c. dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.

Humiliatus ſum, viuifica me ſecundum verbum tuum, Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, & iudicia tua doce me. Nunquid quia ego ab inimicis humiliatus, timore correptus ceſſabo laudare te? gaudens opprobria ſuſtinebam, laudans te; placeant tibi laudes ex ore meo, acceptum tibi ſit ſacrificium laudis confeſſione oblata charitatis, & non timoris.

Iudicia tua doce me, vt nunquam ceſſem laudare te. Sed quare voluntariè, cum ſit iſte poſitus in neceſſitate? Auguſtin. Benè autem intelliguntur oris

voluntarie, laudis, confessione charitatis, non timore necessitatis oblata, vnde Psalm.53.num.8. Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Voluntaria oris mei, quia prius viuificatus est secundum verbum Dei; qui enim viuificatur spiritu Dei, minister Dei est voluntarius, dicit Ambros. hìc, Plurimum enim refert, vtrum ex voluntate, quid facias, an ex necessitate, quod placeat Deo; voluntariè enim minister habet præmiũ, coactus dispensat obsequiũ. Et iudicia tua doce me, & quamuis superius dixerit, iudicia tua non sum oblitus, iterum tamen ex ardore charitatis petit; inebriauit enim Dominus animam iusti huius lassam, Isai.3.nu.25. ideò petit saturari, quasi nunquam satiatus in dilectione, & charitate Dei, diffusa est enim gratia in labijs suis, propterea benedixit Domino in æternum, Psalm.44.nu.3. Quantum ergo acceptabile sit sacrificium Deo voluntarium, exinde patet, quòd id recensetur inter laudes filij Dei, Oblatus est, inquit, quia ipse voluit, Isai.53.num.7. & ideò videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Quem mittam, dicebat Deus Pater, & quis ibit nobis? ecce ego, inquit filius, mitte me. Meritò iustus iste sciens voluntarij robur sacrificij rogat, Domine tu scis, quia in tribulatione inuocaui te, beneplacita oris mei, quia voluntaria benefac Domine, & in scientia iudicij me confirma, nàm abyssus multa iudicia tua, ad Roman. cap.11.nu.33. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.

Anima mea in manibus tuis semper; sic legunt Ambros. Augustin. & alij: & legem tuam nõ sum oblitus. O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei; nihil enim boni ex me, vt placeam tibi, immo multum mali, vt peccando cadam à te; homo enim ad peccandum pronus, & quia tu Domine non dereliquisti me, legem tuam in tenebris huius vitæ non sum oblitus, quia gratia tua præuenisti me, quis illam de manibus tuis poterit rapere, cum anima mea in manibus tuis sit posita, sit in manibus tuis semper, tu enim dixisti, quòd semper nobiscum eris, Matth.cap.28.num.20. Et iustorum animæ in manu Dei sunt, Sapien.cap.3.

Si verò, vt legitur in Vulgata, Anima mea in manibus meis, dicamus: Posuisti Domine ante me bonum, & malum, vitam, & mortem, quod placuerit mihi, dabitur mihi, Deus enim ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, Eccles.15.num.14. Deuter.3.nu.19. alibi autem dicitur, Mors, & vita in manu linguæ, Prouerb.18.nu.21. qui diligunt eam, comedent fructus eius, & ibid.nu.20. De fructu oris viri replebitur venter eius. Anima ergo mea in manibus meis semper, legem tamen tuam non sum oblitus, à verbis enim tuis timui. Anima mea in manibus continuè meis, vt illam ferè perdam; & tamen legem tuam non sum oblitus. Quid est hoc, nisi quòd manus Domini mecum est, vt non delinquã in lingua mea? Psal.38. Quid est, nisi quòd ego ad Dominum conuersus: suscepit me, & diligo eum; ideò apud me mansionem facit Ioan.cap.14.nu.23. Et legem tuam non sum oblitus, & ideò Dominus factus est protector meus, & memor fuit mei semper, & in tempore casus mei inueni firmamentum, Eccles.cap.3. in fine, quia, inquit, & legem tuam dilexi, qua repletus diligendo te à peccato recessi, Eccles.c.2. num.19. secundum enim magnitudinẽ ipsius, sic & misericordia illius nobiscũ

est,

eſt, ibidem numer. 25. facit Ioan. capit. 17. numer. 20.

Et nota ſecundum Ambroſ. verborum ordinem, humiliatus profecit, quia viuificatus à Domino; & viuificatus ſpiritu, factus eſt miniſter voluntarius, non ex neceſſitate; deinde talis factus, iudicia Dei non eſt oblitus, quæ ſunt inſcrutabilia, vt non reddat mala pro malis, hic autem ab illo, qui nunquam legem Dei eſt oblitus, ſemper intendit ad Deum; & huic quid facere poterit peccator homo? Poſuerunt, inquit, peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erraui; poſuerunt mihi laqueum peccatores, ſed non erraui.

Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei ſunt. Portio mea, dixi, cuſtodire legem tuam; hæc eſt enim hæreditas Domini, quæ manet in æternum; Pſalm. 36 numer. 18. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi, Pſalm. 15. numer. 5. amiſſa enim erat per peccatum Adæ, & reſtituta eſt per paſſionem Ieſu Chriſti.

Et quia in toto corde ſuo exquiſiuit Dominum, vt dicit Paul. ad Coloſſenſ. cap. 3. num. 24. quodcumque facitis, ex animo operamini ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis; Domino Chriſto ſeruite.

Vndè ſequitur, Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, propter retributionem, & Petrus, Domine, Ecce reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Matth. cap. 19. numer. 27. Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Iſrael.

Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua, quia teſtis factus ſum, quòd Ieſus eſt filius Dei, qui mortuus, virtute ſua reſurrexit, qui legem nouam dedit, vt ſalui fierent credentes in eum. Dignus ergo hæres factus eſt iſte iuſtus, hinc per Ierem. cap. 24. num. 48. Vos autem teſtes eſtis horum, & ego mitto promiſſum Patris in vos, Act. Apoſtol. 1. num. 23.

Hæreditas ergo iuſti eſt pati pro nomine Ieſu, in teſtimonium illius, & hoc cum exultatione cordis. Quæſiuit Apoſtolorum; & Prophetarum de Chriſto teſtimonia, quia oportebat illum pati, & ità reſurgere à mortuis, & eaſdem pati voluit tribulationes, quæ exultationes cordis ſui ſunt, iuxtà illud Paul. ad Coloſſenſ. cap. 1. num. 24. Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro corpore eius quod eſt Eccleſia.

Quia exultatio cordis mei ſunt. Hæreditas enim Domini præclara eſt mihi, Pſalm. 15. numer. 6. In cuſtodiendis ergo illis eſt retributio multa, Pſalm. 18. num. 12. quia ſi ſocij paſſionum Chriſti, conſolationis etiam erimus, 2. Corinth. cap. 1. numer. 7. ergo & ſi afflictio corporis, exultatio tamen cordis; Quocircà ad Hebr. cap. 11. numer. 27. dicitur, Aſpiciens Moyſes ad remunerationem, magis elegit affligi cum populo Dei, quàm temporalis gaudij habere iucunditatem; maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.

Inclinaui ergo cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, propter retributionem, Auguſtin. Qui dicit, inclinaui cor meum, ipſe iàm dixerat, in-

clina cor meum in teſtimonia tua; vt intelligamus, ſimul hoc eſſe & diuini muneris, & propriæ voluntatis. Ad faciendas iuſtificationes præcedat amor facientis; nàm, vt idem dicit Auguſtin. ſi non diligendo iſta facimus, nulla eſt iuſtificatio; ſi autem diligendo, æterna eſt ipſa dilectio, eiquè æterna eſt parata retributio, propter quam retributionem, dicit ſe inclinaſſe cor ſuum, ad faciendas iuſtificationes Dei, vt in æternum diligens, in æternum mereatur habere quem diligit Deum. In æternum, inquit, ſed quomodò in æternum ad faciendas iuſtificationes? opera, quæ operamur circà neceſſitates proximorum non ſunt æterna? ſi tamen diligendo ea facimus, æterna erit retributio, quia qui diligit Deum, æternaliter illi retribuitur bonum; Siquidem propter Deum diligimus etiam proximum, & illi benefacimus.

SAMECH.

Sequitur littera Samech ad octonarium ſequentem, quæ, vt ait Ambroſ. Sermon. 15. in Pſalm. 118. interpretatur, Audi, vel firmamentum, ideſt audi prius, & in te poſteà ſit firmamentum. Iniquos odio habui, & legē tuam dilexi, omnis enim qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, ſeruus autem non manet in domo in æternum, Ioan. 8. nu. 34. ego autem legem dilexi, nàm qui diligit eam, manet cum Ieſu Chriſto in æternum. Quare odit iniquos? quià ſermo Domini non capit eos; quotieſcunque ergo conuertantur ad Dominum, & odioſi amplius non erunt, Ezech. cap. 18. numer. 33. odit quippè iniquos, dum iniqui permanent, dum in peccato exiſtunt; odit in illis peccatum, quia omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas. Omnis enim qui peccat, non vidit, nec cognouit Deum, quia qui facit peccatum ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat, 1. Ioan. cap. 3. nu. 5. Recede ergo à peccato, diligendo legem, & ex Deo eris. Hinc Auguſtin. hìc, Non ait, iniquos odio habui, & iuſtos dilexi, aut iniquitatem odio habui, & legē tuam dilexi; ſed cum dixiſſet iniquos odio habui expoſuit, quare, addendo & legem dilexi, vt demonſtraret, ſe non in hominibus iniquis odiſſe naturam, qua homines ſunt, ſed iniquitatem, qua legi, quam diligit, inimici ſunt.

Legem ergo Dei amemus, odiſſe legis aduerſarios debemus, dicit Ambroſ. hìc. Et Auguſtinus in Sermon. 176. in fine, aliàs 3. de Aſcenſione: vbi hæc habet, Ità iniquitatem fugiamus, ne nobis in cælum cum Domino impediat aſcenſum, De vitijs noſtris ſcalam nobis faciamus, ſi vitia ipſa calcamus, nàm cum bonitatis auctore non aſcendit malitia, nec cum magiſtro humilitatis ſuperbia, nec cum filio Virginis libido, atque luxuria; non inquam, aſcendunt vitia poſt virtutum parentem, nec peccata poſt iuſtum, nec infirmitates, ac morbi poſſunt ire poſt medicum, igitur ſi intrare ipſius medici regiam volumus, prius vulnera noſtra curemus, ordinemus, & cuſtodiamus ſtatum vtriuſque ſubſtantiæ, nec animam nobiliorem vtique hominis portionem, Tartaro pars deuoluat inferior, ſed ſecum potius cælo ſanctificatum corpus acquirat, natura glorioſior, ipſo adiuuante, qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Adiutor meus, & ſuſceptor meus es tu, & in verbum tuum ſuperſperaui. Declinate à me maligni, & ſcrutabor mãdata Dei mei. Adiutor ad bona facienda; ſuſce-

Digitized by Googl

ſuſceptor ad mala euadenda, Pſalm.41.num.1. & Pſalm.55.num.6. Adiutor in tribulationibus, Pſalm.45.nu.2. ſuſceptor, à periculis illum liberando, Pſalm.3. num.4. & Pſalm.88.nu.27. adiutor, dando intellectum mihi pro intelligentia legis; ſuſceptor, vt cognoſcam, quia lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem, Matth. cap.11.nu.13. Quia tu Domine verbum tuum miſiſti, in quo ego ſuperſperaui; adiutor meus, vt diſcernam bonum à malo; ſuſceptor meus, quia relicto malo, bonum retinui, quod eſt verbum tuum, in quo eſt ſalus, & reſurrectio mea. Declinate à me maligni, quia iàm legem Dei cognoui, & mandata eius intellexi, & ſcrutabor mandata Verbi Dei mei: Auguſt. Non, ait, faciam, ſed ſcrutabor; Vt ergo perfectè ea, diligenterq. noſcat, malignos à ſe declinare deſiderat; eosq. compellendo, à ſe abijcit: nàm maligni exercẽt ad faciendo; à ſcrutandis autem auocant, non ſolum cum perſequuntur, vel nobiſcum litigare volunt, verùm etiam cum obſequuntur, & honorant, & tamen cum ſuis vitioſis, & negotioſis cupiditatibus adiuuandis, vt occupemur, & eis noſtra tempora impendamus efflagitant; aut certè infirmos prouocant, vt cauſas ſuas ad nos defendere compellant. Quibus dicere non audemus, dic homo, quis me conſtituit Iudicem, aut diuiſorem, inter vos: conſtituit enim talibus cauſis Apoſtolus Eccleſiaſticos cognitores, in foro prohibens iurgare Chriſtianos, 1. Corinth. cap.6. in princ. hæc Auguſtin.

Auſer ergo à me opprobrium, & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſiui, quia ſcrutabor mandata Dei mei; Hinc Hieronym. hìc: Si volueris perfectè pœnitentiam agere, ſegregare te debes à conſortio peccatorum, vel omnium malorum hominum, & fugere in alium locum, vt perfectè eam agere valeas. Maligni ergo ſunt dæmones, vitia, & peccata, vel aduerſæ poteſtates; nàm cum ipſi tendiculas tibi præparant, & ſuggeſtiones peſſimas, ſcrutare mãdata Dei, vt illa benè intelligas, ab illo ergo conſortio ſegregare, ſi Deo ſeruire cupis, vt de præteritis pœnitentiam agas.

Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei, legem enim Domini dilexi, & vos iniquos odio habui; recedite à me, quia firmiter ſtatui cuſtodire legem Dei mei. Quid mihi, & tibi, ò maligne, ſi ego Deo ſeruire ſtatui? nemo enim poteſt duobus Dominis ſeruire, Deo, & mammonæ, vnum enim diliget, alterum verò odio habebit, Matth. cap. 6. num. 24. aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei, nàm vbi eſt malignitas, non eſt mandatorum cæleſtium cuſtodia, dicit Ambroſ. In maleuolam enim animam non intrat ſapientia, Sap.c.1. nu.4. non poteſt immaculatæ virtuti vllum cum maculatis contubernium eſſe flagitijs, Ambroſ. Et poſtquam te Domine adiutorem meum cognoui, & ſuſceptorem, quia virtute tua à me malignantes expuli, eieci, & ab illis longè factus ſum, quia tu me Domine viuificaſti; iterum dico, & peto, ſuſcipe me ſecundum eloquium tuum, qui mecum in tribulationibus eſſe promiſiſti, qui mecum eſſe vſque ad conſummationem ſæculi dixiſti: ſuſcipe me Domine, vt viuam, in te, qui es lux mea, ambulantem: in te ſperantem, viuifica iterum vt ſemper viuens, dum in hoc tenebroſo loco fuero, tenebrarum harum obſcuritatem incolumis euadam, & non confundar ab expectatione mea.

Adiuua me, & ſaluus ero, & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper. Adiuua me, qui firmus ſtans ſpero in te, tu enim adiutor meus, & liberator

meus,

Digitized by Google

meus, sed quia in via adhùc sum, ne à mandatis declinem, adiuua me; susci pe me seruum tuum, donec perueniam ad te, custodi Domine pedem meum, ne capiar, Prouerb. cap. 3. nu. 26.

Adiutor meus es tu, & in verbis tuis superspe raui. Quæ est tantæ fiduciæ causa? quia scilicet iniquos peccatores, idest peccata odio habet, item quia legem Dei dilexit; sed non est efficax dilectio sine opere; qui enim diligit Deũ, factis autem negat, mendax est; Ioan. cap. 4. nu. 20. Matth. cap. 15. nu. 8. Marc. cap. 3. nu. 6. Labijs honorant Deum, cor autem eorum longè est ab eo; Iacob. Epistola sua Canonica cap. 2. nu. 16. Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa; & ideò adiutor meus es tu; quia corde, & opere dilexi te; Et in verbis tuis superspe raui. Tota scilicet spes mea in verbis tuis; nam qui diligit Iesum Christum, diligit & Patrem. Et quid daturum se promittit, apud eum, inquit Pater meus, & ego veniemus, & mansionem faciemus, Ioan. cap. 14. num. 21. & cap. 17. nu. 26. Et pro his, qui in me credituri sunt, per verbum eorum in me, vt & ipsi in nobis sint, &c.

Declinate à me maligni spiritus, & diabolicæ tentationes, vt libertate donatus scrutari possim mandata Dei mei; vndè Apost. 1. Corinth. cap. 10. num. 13. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana; Fidelis autem Deus est, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum vt possitis sustinere.

Declinate à me maligni, quia scrutari volo mandata Dei; non enim tentationes dominantur iustis, Chrysostom. homil. 2. ad Populum. Sanctorum Virorum constantia à nemine lædi potest, ac si corpus adamantinum haberent. Et in homil. 8. super Ioannem; & Gregor. 14. Moral. cap. 4. super illa verba Iob. Qui fecit ventis pondus. Fecit enim, inquit, ventis pondus, quia dum superna sapientia replet animas, eas maturitate indita, graues reddit per constantiam: iusti pondus ergo accipiunt, animæ, vt ab intentione Dei non iàm leui motu desiliant, sed in eum fixa constantiæ grauitate consistunt. Fecit igitur ventis pondus, quia læues motus animi misericorditer dignatur accipere, hanc protinus ad constantiæ maturitatem firmat.

Rectè igitur expellens tentationes iustus iste inquit, quasi sibijpsi imperando, gratia Dei præueniente, Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. Imperans mandat, quia ipsi dictum est, sicut cæteris iustis, Ite; dæmonia eijcite, serpentes tollite, Marc. cap. 16. numer. 18. Graues viri, inquit August. in Psalm. 136. & considerati, Babylonis flumina vel fugiunt penitus, vel super illa sedent. Noli sedere in flumine; noli sedere sub flumine, flumina enim Babylonis sunt omnia, quæ hìc amantur, & transeunt. Debet enim sanctus, & perfectus vir super omnia transeuntia firmus, & stabilis permanere; nullisq. fluctibus agitari, aut decursibus deuolui. Hinc Bernard. 4. de consideratione. Transitoria ista, quæ stare nullo pacto queunt, fac, vt à te transeant, non per te.

Declinate ergo à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. Considerate benè iustus iste quàm parum prodesset illius innocentia, si quoque fortitudo deficeret, ad agenda perfectæ iustitiæ opera, Agnus enim Paschalis, vt sine macula, & masculus esset, mandauit Dominus Exod. cap. 8. Masculus quia fortis esse debet; & sine macula, idest sine peccato, Ità Doctores ibid. exponunt.

Et

Digitized by Google

Et Rupert. Nihil, ait, ſœmineum, hoc eſt molle, & fluxum admittit Deus: non enim rectè in mandatis Dei erit ſcrutatio, ſi tui in mundanis erit inſpectio, & inuolutio. Si in Chriſto ſpem habere cupis, ſit à terrenis omnimoda tui ſeparatio, & ab iniquis totalis diuiſio.

Sed ex me quid valeo ſine te Domine? ſuſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum, & viuam. Ergo non viuit, qui adhùc in tenebris huius mundi iacet; ſuſcipe me, inquit, ad tempus, ne derelinquas me, qui dixiſti, & ero tecum vſque in finem, Ioan. d. cap. 17. in fine.

Suſcipe me, quia ecce iniquos fugiens, venio ad te. In flumine enim ſicco pede pertranſeo, donec perueniam ad te, vt viuam tecum in pace; in fluminibus enim dextera tua, Pſalm. 88. nu. 26. Adiuua me, & ſaluus ero, & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper, quia nemo iuſtus, niſi à te. Meditabor itàq. ſemper in iuſtificationibus, quia niſi vſque ad finem certauero, ſaluus non ero. Meditabor ſemper, quia pane quotidiano egeo ſemper; nihil enim auxilium proderit, ſi in tempore tentationis recedam à Deo meo; Auguſtin. Vbi quis felix eſt, qui in cogitatione miſer eſt, aut quomodò ibi non miſer eſt, qui ad nihilum redactus eſt? magna quippè eſt ſterilitas iniquitas: vndè ſequitur.

Spreuiſti omnes diſcedentes à iudicijs tuis, quia iniuſta cogitatio eorum. Adiuua ergo me Domine, & ſaluus ero, quia nunquam iuſtificationes tuas meditari ceſſabo; auxilij tui, dum in hoc ſæculo ſum, egeo; nàm quis ità iuſtus, qui in fine non poſſit recedere à Deo? Ezech. cap. 18. & recedens nunquid iuſtitiæ ſuæ, quam fecerit, recordabitur Deus? Ezech. d. cap. 32. ſemper meditabor, quia ſemper timor ſanctus erit in me, vt non recedam à te. Spreuiſti Domine, omnes diſcedentes à iudicijs tuis, quia iniuſta cogitatio eorum; cogitatione enim ad Deum accedituꝛ, & etiam diſceditur ab eo, à qua bona omnia, vel mala procedunt; ex cogitationibus enim impijs, omnia mala procedunt, Sap. c. 2. ſed ſi diſcedentes ſunt, ergo prius erant in ouili: egrediantur, vel ingrediantur, paſcua inuenient, Ioan. cap. 20. Quomodò ergo ſpernuntur quæ in ouili poſitæ ſunt oues? Reſponderur, quòd ideò ſpernuntur, quia per oſtium non intrauerunt, per Chriſtum, ideò ſpernuntur, quia non ſunt ex ouili, quia cogitationes eorum malæ fuerunt.

Spernit ergo Deus peccatores, qui recedunt à iudicijs ſuis, & quia iuſtus iſte mandata Dei diligit, & ipſe omnes peccatores terræ, prævaricantes, inquit, reputaui; ideò quia dilexi mandata tua; prævaricantes peccatores vocat, ideſt legis Dei tranſgreſſores, D. Hieron. hìc. Optando, dicit Propheta in perſona Eccleſiæ, quia ante aduentum Chriſti prævaricatores erant, qui ſub debito tenebantur per prævaricationem primi hominis Adæ, & omnes ad infernum deſcendebant, etiam ipſi infantes, quia propter illud debitum prævaricatores reputabantur, niſi per Baptiſmum abluti fuiſſent, & modò qui non ſunt baptizati, ad infernum deſcendunt: Prævaricantes reputaui, quia nõ omnes peccatores prævaricatores, ad Rom. cap. 4. num. 15. Vbi non eſt lex: nec prævaricatio, ſed per legem cognitio peccati; ad Roman. cap. 3. numer. 20. & cap. 7. numer. 7. ſed omnes prævaricatores peccatores, & ideò dilexi teſtimonia tua, ne in his prævaricator appeream, hæc Hieron. Dicit autem, non omnes peccatores prævaricatores, quia non omnes legem habebant, vt Gentiles, qui non habebant legem, niſi eam naturalem, Quod, ſcilicet, tibi non vis fieri, alteri non feceris.

Quid

Quid est enim prævaricatio, nisi quædam mentis claudicatio, prævaricator propriè legis, vel præ cæteris in lege claudicator. Sed si sine lege Græci, & Gentiles, quomodò Psalmista dicit, Prævaricantes reputaui omnes peccatores terræ; & paruuli, qui nati moriuntur, quid mali fecerunt? Vide Augustin. Concione 25. super hunc versum, & de Ciuit. Dei ad Marcellin. lib. 16. c. 27. fusius hæc pertractantem. Post multa autem sic concludit ipse Augustinus hic. Paruuli ergo propter originale peccatum, etiam in similitudinem ipsius prævaricationis Adæ, ad illam prævaricationem pertinere monstrantur, quæ data lege in Paradiso, Genes. cap. 2. prima commissa est; & ideò rectè prævaricantes æstimantur omnes peccatores terræ; omnes ergo inuenit prævaricatores gratia salutaris Dei, alios magis, alios minus, in quocunque enim, in quo sit legis cognitio, minor est peccati excusatio, & quantò magis peccati excusatio, tantò manifestior prævaricatio, hæc Augustin.

Quos ergo à se declinare dixit malignos, hos & Deum spreuisse, quia à iudicijs Dei discessissent, quia iniusta est illorum cogitatio; hos quia peccatores, prævaricatores iustus iste reputat legis diuinæ, & humanæ, & se ad Dei testimonia diligenda conuertit; Terræ peccatores vocat, quia cum per susceptionem Baptismi, ciues cæli facti essent, in terram redeuntes dilexerunt magis tenebras, quàm lucem, ego verò dilexi testimonia tua, quia nox ab illo præcessit, dies verò gratiæ Dei appropinquauit, vndè sole iustitiæ exoriente, de luce vigilans, prævaricantes illos reputat, & ab illis discedens, & tenebrarum opera abijciens interficit, Psalm. 100. Nox præcessit, dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis; armatur enim armis testimonij Dei Redemptoris, vt interficiat opera iniquitatis, vndè dicebat, In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Omnia enim peccatorum fomenta interficit, qui in luce vigilans Christi, terrena despiciens, ad cælestia regna cor dirigit.

Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. Quia mandata tua dilexi. Dilectio præcedat legis Christi, & sequatur timor, ne illam transgrediamur & in modico, Iacob. cap. 2. numer. 10. Quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Confige timore tuo carnes meas, quæ spiritui aduersari conantur, vt qui spiritu in Deo viuimus, spiritu & ambulemus; vt qui tuus sum Domine, cum vitijs, & concupiscentijs, carnem meam crucifigam; id autem facere sine te non possum. Tu ergo Domine tecum carnes meas confige, qui dixisti, Si quis vult venite post me, tollat Crucem suam, & sequatur me; confige Domine carnes meas, vt cum Paulo & ego adimpleam ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, ad Colossens. c. 1. num. 24. vt & ego dignus efficiar pro nomine tuo contumelias pati, Act. 5. num. 41.

Vel cum Ambrosio dicamus, Confige timore tuo casto, qui foras mittit timorem seruilem, quo pœna timetur, non amatur iustitia; carnes meas, vt Christo confixus sim Cruci; Timore; timui enim à iudicijs tuis; Ità imple timore, & perfice mihi hunc timorem, quem habeo, vt sufficiat crucifigendis carnibus, idest vt valeam patibulum Crucis tuæ imitari. Carnes, pro tuo nomine Martyrij clauis configendas tradendo. Timet enim iustus iste non pœnæ timore, sed quia charitas peccare timet, etiam si sequatur impunitas.

Quare

Quare cum Auguſtino hìc dicamus, in Concione 12. litera G. ſuper illa verba, Statuit enim Dominus in timore ſuo eloquium ſuum, quibus dat ſpiritum timoris ſui, timoris autem non illius, de quo dicit Apoſt. ad Roman.8. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruituris iterum in timore; hunc enim conſummata charitas foras mittit timorem; ſed illius timoris, quem dicit Propheta ſpiritum timoris Dei, timoris vtique caſti permanentis in ſæculum ſæculi, timoris, quo timetur offendi, qui amatur; aliter quippè timet adultera virum ſuum, aliter caſta; adultera ne veniat, caſta ne deſeras.

HAIN.

Propterea ſequitur littera Hain, quæ eſt decima ſexta Alphabeti hebraici; & hìc ponitur, vt aperientes oculos vigilemus, ne ab iniquis deorſum trahamur: Hain enim oculus interpretatur, ſiuè fons: aperuit enim oculos iuſtus iſte, & omnes peccatores terræ, præuaricatores legis eſſe iudicans, fonte ſapientiæ per ſpiritum ſanctum in ipſius cor ſaliente, iniquos tales peccatores iudicauit, & pronuntians contrà illos ex iudicio facto ſententiam, dicit, Declinate à me, ab Eccleſia ſcilicet maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei, quia hoc eſt iudicium, quod habui ex ore Dei mei, Pſalm.75.num.8. de cælo auditum feciſti iudicium; lucerna enim pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis, ſupra numer.105. feci iuſtitiam, propterea rectè iudicaui. Auguſtin. Qui habet iuſtitiam, rectè iudicat; nàm aliàs non iudicaret, qui non rectè iudicat, iuſtitiæ enim nomine hoc loco, non ipſa virtus, ſed opus eius ſignificatum eſt, quis enim facit in homine iuſtitiam, niſi qui iuſtificat impium? hoc eſt per gratiam ſuam, ex impio facit iuſtum, ad Roman. cap. 3. num.24. Vt ergo iudicium verum ſit, debet eſſe rectum, & iuſtum; quiſquis ergo à timore Dei caſto, crucifixas habet carnes ſuas, & nulla carnali corruptus illecebra, facit iudicium, opusq. iuſtitiæ, dicit Auguſtin. ideò ſequitur. Ne tradas me calumniantibus me; orare enim debet, quiſquis talis eſt, ne aduerſantibus tradatur, ideſt ne timendo perpeti mala, ad facienda mala, perſequentibus cedat; à quo enim accipit victoriam concupiſcentiæ, & ne voluptate pertrahatur, ab illo etiam robur habet patientiæ, ne dolore frangatur, Pſalm.61.numer.6. ab ipſo enim eſt patientia, qui eſt & patientia noſtra, Pſalm.70.num.5.

Suſcipe ſeruum tuum in bonum, vt non calumnientur me ſuperbi. Aperuit iuſtus iſte oculos, vt bonum à malo diſcerneret, bonum elegit, quod eſt ſeruire Domino, & confiteri nomini eius Altiſſimo, Pſalm.137.numer.2. qui ſtat videat ne cadat, auxilium à Domino petit, Iſai.cap.50.num.7. & 9. Ecce Dominus auxiliator meus, quis eſt qui conſiderat me. Suſcipe, inquit, ſeruum tuum in bonum, non enim prudentiæ ſuæ innititur? ideò auxilium petit à Domino, à quo bona cuncta procedunt, Pſalm.120.num.2. & per totum, cum fiducia auxilium petit à Domino, & accipiet, ad Hebr.4.num.16. Adeamus, inquit, cum fiducia, ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

Suſcipe ſeruum tuum in bonum. Nàm periculum meum in manibus meis eſt, Eſther cap.14.nu.4. Suſcipe me ſeruum tuum, vt non calumnientur me

ſuper-

Digitized by Google

ſuperbi. Illi enim impellunt, vt cadam in malum, tu me ſuſcipe in bonum. Sed quare ſuſcipe? Quia, inquit, propoſui firmiter, & iuraui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ; iſtud votum meum offero tibi Domine, & iuramento confirmo; tu Domine ſuſcipe me ſeruum tuum in bonum, quia in malum calumniantur me ſuperbi, dicentes, vbi eſt Deus tuus? Tentatores proponunt bonum huius ſæculi, vt malum mihi veniat in conſpectu Dei mei: oculi mei languerunt præ inopia, expectantes ſalutare tuum Domine, & ſperantes in eloquium iuſtitiæ tuæ. Veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ. Tui non te receperunt; Dilata tentorium meum, inquit Eccleſia, Iſai.c.54. & ad gentes conuertere, à mari vſque ad mare, vt in nomine tuo ſalui fiant omnes in te credentes, & ſemen tuum gentes hæreditabit.

Non calumnientur me ſuperbi, nàm ſi propter peccata mea flagellatus ſum à te Domine, ſit nomen tuum benedictum; non calumnientur me ſuperbi, quia ideò me flagellaſti, quòd me amaſti, ideò ſuſtinui, quia peccaui tibi, & recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ; propterea pœnitens ſum, & defecerunt oculi mei, vt lacrymis meis deleres peccata mea, dicens, quando conſolaberis me, vt dimiſſa ſint ſcelera mea? Non calumnientur me ſuperbi, ſenſus mei iniqui, ne contrà flagella tua in contumeliam prorumpam, Sap.cap.2.

Non calumnientur me ſuperbi, quòd proximo meo mala mihi facienti, malum retribuam, cum potius iuxtà præceptum tuum, bona illi pro malo reddiderim iuxtà eloquium tuum, Ioan. cap.2. numer.9. & cap.3. numer.16. & cap.4.num.20. Non calumnientur me ſuperbæ dæmonum tentationes; ſed reſiſtam illis in fide; rogo te Domine, ne patiaris vltra me tentari ſupra id, quod poſſum, 1.Corinth. cap.10.num.13.

Suſcipe ſeruum tuum in bonum, quia confiteor, quòd ſis filius Dei, vt tu Deus in me maneas, & ego in te; & cognoui, & credidi charitati, quam habet Deus in nobis, 1.Ioan.cap.4.num.16.

Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum, & in eloquium iuſtitiæ tuæ. Cur non omnium deficiant oculi meditantium, quia ipſum Chriſtum Deus Pater propter ſimilitudinem carnis peccati, peccatum pro nobis fecerit, vt nos ſimus iuſtitiæ Dei in ipſo. In huius, dicit Auguſtin. eloquium iuſtitiæ defeciſſe dixit ardentes oculos ſuos, & ſcienter intuendo, dum memor infirmitatis humanæ diuinam Chriſti deſiderat gratiam, hucuſquè Auguſtinus. Defecerunt oculi mei. Quia videns Prophera aduentum Chriſti, & illum intuens, eo quòd non erat illi aſpectus, & vidimus, & deſiderauimus eum, dicit Iſai. capit. 54. numer. 3. deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vndè nec reputauimus eum, vt noſtros languores ipſe ferret, & dolores noſtros ipſe portaret, vulneratus, & attritus propter iniquitates noſtras, & ſcelera noſtra, & quia liuore eius ſanati ſumus; defecerunt oculi mei in ſalutare tuum, & in eloquium iuſtitiæ tuæ, vt ipſe tot, & talia tormenta patiatur, quia ego delinqui in te, & ipſe patiatur pro me, & ego ſim iuſtitia Dei in ipſo. O te peccatorem ingratum, & iniquum, cur non deficiant oculi tui præ lacrymarum multitudine, vt lauentur crimina tua? ſi Deus proprio filio non pepercit, qui innocens, pro te tamen factus eſt peccatum, vt tuum peccatum diſci-

disciplina sua tolleret, quid de te erit, si in Dominum peccando redemptionem ipsius non considerans, in peccato persistens in vitio sublatus fueris? Malos, inquit, malè perdet, & cum Iuda traditore in infernũ detruderis, Matth. 21. n. 41.

Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificatiónes tuas doce me, Vt non secundum iustitiam meam, sed secundum misericordiam tuam illas adimplendo, quia seruus tuus sum, merear consequi gratiam tuam, non enim est fastidium petendi vbi est largitas præbitoris; infinita petit, qui secundum misericordiam quærit, dicit hìc quidam: Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, quia iustitia non est inuenta in me, magna enim est misericordia tua Domine, ideò.

Iustificationes tuas doce me, iustificationes tuas custodiam, si tu Domine non me dereliqueris vsquequaque. Sed si peccator, quomodò dicit seruus tuus sum ego? Verè pœnitens est iste iustus, ideò seruus tuus sum, inquit, quia non ignorat verè pœnitenti non denegari veniam. Tuus ergo non amplius alienus; tuus sum ego, quia me sanguine tuo redimendo, me tuum fecisti, Ioan. cap. 2. iustificationes tuas doce me, quibus tu impium iustificando, facis illum pium, & iustum.

Vide afflictionem nostram, gentes bella volunt, dissipa illas, & fiet tranquillitas in Ecclesia tua, Psalm. 67. numer. 31. Venient Legati ex Ægypto, pacem petentes, & subiectionem profitentes, & quæ longius distat, Æthiopia, nempè præueniet manus eius Deo, ideſt manũ Ægypti præueniet apud Deum, offerentis munera. Tempus faciendi Domine, quia hæreditatem tuam Hæretici vsurpare volẽtes, leges etiam tuam dissipauerunt; tempus faciendi Domine misericordiam tuam hìc in Ecclesia. Suam prosequens orationem, ad suos fideles conuersa, inquit, ò fideles Christi, quos iustificationes suas docuit, tempus est faciendi Domino, vt aliqui legunt, & plures secundum Augustinum hìc, tempus pœnitendi, tempus sacramenta exercendi, & sacrificia Deo acceptabilia; nàm Hæretici, & inimici Ecclesiæ suam Dei legem dissipauerunt. Quod ipse docuit opere impleamus, ò fideles; fluctuat nauicula Petri, non frangitur Christi fides; fluctuat tamen hæreticorum vndis, & procellis impiorum, illam dissipare tentantium, & ideò, inquit Ecclesia; dilexi mandata tua super aurum, & topazion; quærunt illi terrena, ego verò cælestia, ad quæ per legis Dei obseruantiam peruenìri potest.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquitatis odio habui. Ideò ad omnia mãdata directio eius, quia omnia mãdata Dei misericordia, & veritas; iniquorũ verò viam odio habui, quia illorũ via perditio, & falsitas.

PHE.

Alphabeti littera decima septima sequitur cũ versiculis istius partis Psalmi magni. Mirabilia testimonia tua, ideò scrutata est ea anima mea. Littera autẽ est Phe, quæ iuxtà Ambrosij sententiam Serm. 17. in hunc Psal. 118. interpretatur Errauit. Clamant Apostoli ad populum Iudaicum, scio quia per ignorantiam tradidistis Iesum Christum, filium Dei; erraui confessus est populus, & prima vice tria millia circiter compuncti, & pœnitentes conuersi sunt, & altera vice quinque millia, cap. 2. & 3. in Act. Apost. & per totum, Et quare erraſſe

Dominus dixit, Matth. cap. 18. numer. 3. Nisi efficiamini sicut paruuli, &c. & ad Thessalon. 1. num. 7. Facti sumus paruuli in' medio vestrum, tamquam si nutrix foueat filios suos, & de Saulo in Psalm. 67. num. 29. Beniamin adolescentulus in mentis excessu, &c.

Diximus ergo prius de Apostolorum testimonio, quia ab illis sermonum Dei fieri debebat declaratio; omnia enim Iudæis contingebant in parabolis, Psal. 77. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio, quæ in generatione altera. Non sunt occultata à filijs hominum, ibid. num. 5. Hæc enim à prudentibus, & sapientibus abscõdita sunt, quæ reuelata sunt paruulis, Matth. 11. num. 25. nàm Exod. 4. num. 13. Mitte Domine quem missurus es, & per totum titulum; & Isai. 64. num. 1. Vtinam disrumperes cælos, & descenderes, à facie tua montes defluerent, &c. & sicut exustio ignis tabescerent, & arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis, à facie tua gentes turbarentur: Nec mirum si arderent igni, nàm Dominus Deus ignis consummens est, Deuteronom. cap. 4. num. 4. Mich. cap. 1. num. 3. Quia ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terræ, & consummentur montes subtus eum, & num. 4. Vidit, & commota est terra, & montes fluxerunt sicut cera à facie Domini, & vide Psalm. 47. numer. 4. Deus in domibus eius cognoscetur, & Psalm. 96. num. 6. Tota itaque Scriptura sancta testimonia exhibet de Aduentu Domini de Virgine nascituri: de eius paupertate, & Baptismo: de Apostolis, de Cruce eius, morte, & passione, & de eiusdem resurrectione.

Declaratio sermonum Dei illuminat, & intellectum dat paruulis. Ideò scrutata est sermones tuos anima mea, vt me scrutantem, sermonum tuorum declararet illuminatio: nouam enim legem illa declarantem inueni, quia hæc scrutando, tenebras noctis meæ repuli. Sermones dixit, quos Sancti prophetauerunt, Et tu Bethleem terra Iuda, &c. ex te enim exiet Dux, Mich. cap. 5. num. 2. & iterum, Ecce Virgo concipiet, &c. Isai. cap. 7. Hæc enim, & alia per Euangelium sunt declarata, ergo & tu paruulus sis, vt intelligens, magnus sias in cælo, Matth. 11. num. 29. & reuelasti ea paruulis.

Sequitur, Os meum aperui, & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. Præcedat mandatorum Dei desiderium, ex toto corde tuo exquirẽs ea, & tunc aperi os tuum, idest da locum Spiritui sancto in corde tuo, vt illum attrahendo fiat cor tuum illius habitaculum. Os meum aperui, & attraxi; stat ad ostium spiritus Domini, attrahas illum, hoc est vim facias diligendo. Nàm & si nocte venerit ad te petens tres panes, Luc. c. 11. nu. 9. tu surgens da illi, quod desiderat, teipsum, scilicet salutem tuam, ingrediens domum tuam habitabit tecum in ea, in tabernaculo tuo. Ecce enim, inquit Dominus, tabernaculum meum cum hominibus, 2. Corinth. 6. num. 16. Vos estis templum Dei viui, sicut dicit Deus Leuitic. 26. num. 12. habitat spiritus in te, attrahas illum, & implebitur domus tua.

Augustin. Psalm. 80. littera M. In figura portendebat populi transitus per mare, transitum nempè fidelium per Baptismum, 2. Corinth. cap. 10. Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari; Sacramentum ergo baptizatorum significabat transitus per mare; nihil aliud insequentes Ægyptij, nisi abun-

dantiam præteritorum delictorum. Videtis euidentiſsima ſacramenta: præmunt Ægyptij, vrgent. Inſtant ergo peccata, ſed vſque ad aquam, quid ergo times, qui nondum veniſti, venire ad Baptiſmum Chriſti, tranſire per mare rubrum? Quid eſt mare rubrum? ſanguine Domini conſecratum: Quid times venire? Conſcientia fortè aliquorum immanium delictorum ſtimulat, & excruciat in te animum, & dicit tibi, tàm magnum eſt illud, quod commiſiſti, vt deſperes tibi dimitti. Time, ne remaneat aliquid peccatorum, ſi vixit aliquis Ægyptiorum, cum autem mare rubrum tranſieris, cum eductus fueris à delictis tuis, in manu potenti, & brachio forti, percepturus es myſteria, quæ non noueras, quia & ipſe Ioſeph cum exiret de terra Ægypti, linguâ, quam non nouerat audiuit.

Audi ergo tu anima mea, vbi cor habere debeas, vt mandata Dei intelligas, vt in tempore opportuno, auditionis ſcilicet, quando pœnitens peccata tua confeſſus fueris, attrahendo ſpiritum, habitaculum, & tabernaculum Dei efficiaris. Dilata, inquit Deus, os tuum, & implebo illud, Pſalm. 80. num. 10. Auguſtin. Pateris in te propter Deum recentem conſtitutum in corde tuo; frange vanum ſimulacrum, deijce de conſcientia tua fictum Idolum; dilata os tuum confitendo, amando, & adimplebo illud, dicit Dominus, quoniam apud me eſt fons vitæ. Aperuit ergo os confitens, quod per ſeipſum non faceret, & attraxit vndè faceret; aperuit os, dicit Auguſtin. petendo, quærendo, pulſando, & ſitiens hauſit ſpiritum Domini, vndè faceret, quod per ſeipſum non poterat mandatum ſanctum, iuſtum, & bonum. Si enim nos cum ſimus mali, nouimus bona data, dare filijs noſtris, quantò magis Pater noſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus eum, Matth. cap. 7. Attraxit ſpiritum, qui aperuit os ſuum.

Denique iterum petit, adhùc pulſat, & quærit, quia quantò ſuauius ſenſit, tantò ardentius adhùc ſitit, dicens, Reſpice in me, & miſerere mei ſecundum iudicium diligentiũ nomen tuum. Aperui os meum, quia tu prius vocaſti me in corde meo, & dilexiſti me. Attraxi ſpiritum, quo tu me vocaſti, vt diligerem mandata tua. Sed tu Domine aſpice in me, vt vſque in finem diligam te, & quia peccator ſum, miſerere mei ſecundum iudicium, quod dixiſti, quòd diligentibus te omnia cooperantur in bonum, ad Roman. c. 8. num. 28. ijs, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, ideſt ſecundum iudicium, ſecundum Dei electionem, vel præordinationem ſanctitatis. Nàm quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus; quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.

Aſpice ergo in me, & miſerere mei ſecundum iudicium diligentium nomẽ tuum. Aſpice in me peccatore, ſed miſerendo; non vt iudices, ſed vt parcendo redimas; vndè Iob 14. An dignũ ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, vt peccatorem tecum in iudicium adducas? Parce mihi Domine, quia nihil ſunt dies mei; ſed reſpice ſecundũ iudicium, quod in eos feciſti, qui diligunt nomen tuum, quod iudicium fuit, quoniam vt diligerent te, prius tu dilexiſti eos, ſic enim Ioan. Apoſt. 1. cap. 4. Nos, inquit, diligamus Deum, quia ipſe prius dilexit nos; ſed ſi tu Domine prius dilexiſti me, & ego diligo te, fac, vt ego ſequar te; ſed quomodò te ſequar, niſi tu Deus meus greſſus meos dirigas ſecundum eloquium tuum; & non dominetur mei omnis iniuſtitia. Reſpice in ſeruum tuum,

Digitized by Google

tuum,& in̄ opera tua,& dirige eum,& opus manuum mearum dirige in viam tuam, & ità facias mihi,ſicut diligentibus te facis Domine, vt nemo poſſit me de manibus tuis eripere, Ioan.cap.17. ſecundum eloquium tuum, quia tu Domine ità gregem tuum cuſtodiſti, vt non perderes ex eo quemquam.

Redime me ergo Domine, vt non omnis iniuſtitia, vt nec minimum quidem peccati ſit in me, per quod valeam abeſſe à te, ne declinando in vno, fiam omnium reus, vt dicit Iacob.cap.2. nec dominetur mei aliqua iniuſtitia. Vt ergo tibi valeam ſeruire, fac me poſt te venire, vt ſequens te, ſpernam quod eſt extrà te; ideò greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, quod eſt, vt Qui vult venire poſt te, abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me, Marc.cap.8.numer.34. Tu ſcis Domine, quia amo te, ſed auxilium tuum inuoco,quia Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meũ, Iob cap.17.num.11. iniqui enim perſecuti ſunt me, adiuua me Deus, greſſus mentis meæ, & corporis dirige ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mihi omnis iniuſtitia.

Auguſtin. Quantò enim magis regnat in vnoquoque Dei charitas, tantò minus ei dominatur iniquitas. Quid ergo aliud petit, quàm vt donante Deo, diligat Deum? diligendo enim Deum, diligit ſeipſum, vt diligere ſalubriter poſsit & proximum ſuum, ſicut ſeipſum; in his enim duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ, Matth. cap.22. Quid igitur orat, niſi vt præcepta, quæ Deus imponit iubendo, impleri faciat adiuuando? Et tunc quid mihi nocebit peruerſitas, ſi in me nulla fuerit iniquitas? vt non dominetur, inquit, mei omnis iniuſtitia. Non dicit, vt diſcedant à me tentationes: vix enim ſine tentationibus, neque iuſtus ſtare poteſt: virtus tamen iuſti, vt non ſe ſinat ab illis dominari, vndè dicebat Apoſt.1.Corinth.10.num.13. Tentatio vos non apprehendat, niſi humana, ideſt quam homo ferre poſsit.

Redime me à calumnijs hominum, vt cuſtodiam mandata tua. Si redemptionem quærit à calumnijs, ergo iàm captiuus, quia falſo crimine accuſatus, non petit vt à pœna Iudicis iniqui, propter crimen falſum liberetur à calumnijs hominum; ſed petit, vt ſanguis Ieſu Chriſti, qui ideò effuſus eſt, vt captiuos redimeret,iſti etiam iuſto proſit, vt & ipſe redemptus ſanguine Agni cuſtodiat mandata Dei; hoc eſt, vt & ipſe ante Præſides, & Iudices calumniatus, non ipſorum minas timeat, & furores; ſed conſtans, & firmus in confeſsione Dei, in cuſtodia mandatorum eius, & ipſe redemptus fruatur bonis ſpiritualibus, quid enim facere poterunt perſequentes, & iniquè iudicantes? corpus occidere poſſunt, animam verò minimè.

Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas. Sed ſi iàm defecit in ſalutare anima iſta iuſti. Cur petit & faciem Domini, vt illuminet ſuper ſe? niſi quia charitate Dei perfuſus, quaſi ſitibundus magis illa adimpleri deſiderat, à qua nunquam ſatis ſatiari poterat; vndè dicebat Propheta. Tunc ſatiabor cum apparuerit gloria tua, Pſalm.16.num.15. Hìc ergo petit cum illis, vt fides illi adaugeatur, & incredulitas omnino tollatur, Luc.17.num.5. ideò ſequitur, & doce me iuſtificationes tuas.

Vel cum Gregor. dicamus homil.36. in Euangel. Faciem tuam illumina, Hoc diſtare fratres cariſsimi, inter delicias corporis, & cordis ſolet, quòd corporales deliciæ cum non habentur,graue in ſe deſiderium accẽdunt; cum verò

habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contrà spirituales deliciæ, cum non habentur in fastidio sunt, cum verò habentur in desiderio; tanto què à comedente amplius esuriuntur, quantò & ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet; in istis appetitus vilis est, & experientia magis placet; in illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat, in istis autem appetitus saturitatem; saturitas appetitum parit. Da igitur amantem, & sciet quod loquor; intus teneam charitatem Dei, non sit in superficie, in medullis erit, quod diligo te; vndè Psalm.65. Holocausta medullata offeram tibi, non in superficie, sed in corde, in medullis; vbi Augustin. Nihil enim interius medullis, ossa interiora sunt carne, medullæ interiores sunt ipsis ossibus; aliud enim intus sentiens non offert holocausta medullarum, cuius autem medullam inspicit, ipsum totum accipit. Quid enim melius desiderare potes, quàm Deum tecum semper habere? in æternum ergo diligas Deum, vt in æternum merearis habere quem diligis: Augustin. hìc, Matth.cap.25. Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi; Doce igitur me iustificationes tuas, postquam me redemisti, & peccata mea delesti, ne in futurum cadam in illa, per quæ iram tuam merui. Vt quod in illis, inquit Hieronym. cerno per speculum, vera contemplatione conspiciam, doce me, vt faciam, & in Psalm.142.num.9. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, vt eripias me de inimicis meis, non auditus ergo solus sufficit, sed operari secundum auditum debemus, doce ergo, inquit, me facere, quæ audiui in mandatis, vt salus tu mihi sis. Redime me à peccatis meis, propter quæ lacrymas quotidie effundere non cessaui, ideò sequitur.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus; cessent vitia tua, vt accessum habeat tui cordis compunctio. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei; Vbi enim fuerint lacrymæ, ibi spiritualis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat, Augustin. de Salutaribus documentis Tom.4. Nullus inquit, nos sæculi amor ab amore Christi segreget, & totæ nostræ cogitationes ad præmia futuræ patriæ tendant, & de cælestibus meditentur. Hæc est gloria tua, hæc est perfectio certaminis tui; perfectus enim dicitur non qui ætate, sed qui in sese perfectus est, nulli nocet puerilis ætas, si fuerit mente perfectus, nec senilis proderit ætas, si fuerit paruulus mente, vel sensu. Nàm & Dauid cum puer esset, & perfectus, cor suum habebat, & mentem in Domino defixam, & ob hoc in Regem eleuatus est, & Saul, cum esset in senili ætate, quia in se malignam nequitiam habuit, de culmine Regali expulsus est. Dominus verò, ac Saluator noster à Senioribus crucifigitur, & ingressus Ierosolymam à pueris collaudatur. De arbore multorum annorum infructuosa, exemplum dat Augustin. quæ exciditur, de nouella, & fertili, quia colitur, &c. vt nec iuuenis, nec senex in domo sua, de salute sua, vel etiam de operibus suis confidat, sed qui gloriatur, in Domino glorietur. O te infelicem animam meam, si in operibus paucis, vel nullis confisa speres regna cælestia.

Exitus aquarum, pro peccatis deduxerunt oculi mei, quia non custodiui legem Domini, qui benignus, & misericors est, & non meminit iniquitatum mearum, Ezech.cap.18. & 33. Si recessero ab illis, & quatenus aliqua bona feci,

Digitized by Google

feci, dummodò intentione bona ea feceris, quia tamen parum diſcretè anima mea in aliquod malum incidiſti, deducant oculi tui tamquam flumina aquas lacrymarum gemendo, vt in iudicio errata corrigendo, defleas; Veniam in futurum à Domino inuenies; Vndè Hieronym. Sed quæ eſt cauſa tanti fletus? quia, inquit, non cuſtodiui legem tuam; Væ mihi miſero, cui quotidie dolere incumbit, & flere non ſolum pro eo Domine, quòd oculi mei non cuſtodierunt legem tuam, ſed ideò maximè, quòd nec dum cuſtodierunt legem tuam; Si diceret, ego non cuſtodiui, voluntatem vtique culparet; at cum oculorum culpa increpatur, id ſolummodò defletur, quod indiſcretè errauit.

Tu ergo anima mea flens recordare Sion, ſi in Babylone ſtans læta videaris, ſi in mundi delicijs permanens lætabunda cum adulatoribus gradiaris; Super flumina Babylonis illìc fleuimus, & ſtetimus, dum recordaremur tui Sion, inde oportet, vt fleas recordando Sion, non gaudeas, ſi temporalibus, ſi terrenis abundes, ſed flens recordare Sion, in quo eſt ſalus; flens dicas, ſi diuitijs abundas, Tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui, Pſalm. 114.

SADE.

Sade interpretatur conſolatio, nàm victa carne, clauisq. confixa, & per lacrymas deletis peccatis, iudicia Dei laudans, intellectum petas à Domino, vt inſtruat te in via, qua gradiaris, dicens,

Iuſtus eſt enim Dominus, & rectum iudicium ſuum, Qui enim ſupra triſtis de errore, lacrymas effundebat, hìc conſolatur ſe per iuſtitiam Dei, Et benè poſt lacrymas profluentes, & graues fletus doloris, conſolatio ſequitur. Quæ ſecundum Ambroſ. hìc triplex eſt, nam qui in dolore ſunt, conſolatione indigent, quæ fit per miſericordiam Dei, & qui pœnas criminis luerunt, ſperant veniam, & qui lacrymis delicta lauauerunt, requiem merentur. Prima ergo conſolatio eſt eorum, qui in dolore, & miſerijs poſiti, Dei miſericordiam attendunt, recolentes illud, quia non obliuiſcitur miſereri Deus: ſecunda autem, & tertia conſolatio eſt eorum, qui in peccatis ſunt, & attendunt miſericordiam Dei; quidam autem in peccatis ſunt, & neſciunt ſe eſſe, quos Deus punit pro peccatis illis occultis; & ideò ſperant, quòd ſi in peccatis ſint, & neſciunt illa, tamen ſoluto in pœnis culpæ pretio, remittentur eis, patienter pœnam ferentibus, quia iuſtus eſt, qui punit, horum eſt ſecunda conſolatio. Iterum alij ſunt, qui agnoſcentes ſua delicta, pro eis ſatisfaciunt, & lacrymantur, vndè veniam ſperant; horum eſt tertia conſolatio: prima conſolatio per miſericordiam Dei, quam docemur, Baruch cap. 4. numer. 18. & 19. Ite, & proficiſcimini, ego enim deſerta ſum, æquo animo eſtote, filij, clamate ad Dominum, & extrahet vos de manibus inimicorum, ſecunda per punitionem, vbi & ſi fides, ideſt conſcientia delicti deſit, pœna tamen ſatisfacit, & releuat; quod conſolationis genus in Iſai. cap. 40. docemur, dicente, Conſolamini populum meum Sacerdotes, loquimini ad cor Ieruſalem, ſolutum eſt peccatum eius, quoniam recepit de manu Domini duplicia: tertia eſt per ſatisfactionem, cum lacrymis crimen abluitur, vndè certitudine, quæ haberi

in

Digitized by Google

in præſenti poteſt vita, ſumus certi de venia, quæ in loco iſto, & in multis alijs reperitur.

Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Iuſtus ſolus es tu Domine, æquitatem vidit vultus tuus, Pſalm. 10. num. 18. Non ſecundum peccata quæ fecimus nos, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuis nobis, Pſalm. 102. num. 10. Longè feciſti à nobis iniquitates noſtras, ibidem num. 12. Rectum autem iudicium tuum, quia recordatus es, quòd homines ſumus: Et cum ſis iuſtus, iuſtè omnia diſponis, cum tranquillitate enim iudicas, dans locum in peccatis pœnitentiæ, dans tempus, & locum, per quæ poſſint mutari à malitia.

Ambroſ. Vir iuſtus, qui lacrymis profluens, & graui ſupplicio delicta perſoluens, non tædio vincitur, non labore laſſatur, in exordio ſermonis ſeipſum accuſans; qui verò delicta ſua non reſpicit, iniuſtè ſe putat grauari, ſed bonus ſe accuſat, & digna inferri ſibi à iuſto dicit, in quo & ſperat; ſicut enim iuſtus punit, ſic & ſuſtinentem remunerat; Rectum iudicium tuum, qui iubes, peccatorem ſe affligere, aliter veniam ſibi arrogaret peccator. Rectum ergo benè dixit, quia quidquid ab eo fit, recto iudicio fit, & hæc eſt iuſtorum conſolatio.

Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis. Teſtimonia ſunt præcepta Dei, contrà illa non obſeruantes venit iudicium, & iuſtitia Dei; cuſtodientibus verò Veritas, Via, & Vita, quæ eſt Ieſus Chriſtus, vt ſint vnà cum illo. Sed quomodò nimis? quia facto iudicio, lata ſententia, non eſt remiſſio aliqua; inter nos, & vos eſt magnum chaos, dicebat Abraham illi diuiti, qui guttam aquæ in lingua ſua deſiderabat, Luc. cap. 16. numer. 24. dignum enim Dei iudicium experiuntur; ſicut pro iuſtis facta illorum vocatione ad Iudicis dexteram non datur amplius tranſitus ad inferiora, Luc. vt ſupra num. 26. vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde hùc tranſmeare.

Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis. Habent Moyſen, & Prophetas, audiant illos; non audierunt, neque veritatem, quæ eſt Ieſus Chriſtus, neque illius iuſtitiam mali timuerunt, iuſtitia ergo contrà illos, quia Deus verax eſt, & flamma combuſſit peccatores, Pſalm. 105. numer. 18. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius, Matth. 25. num. 41.

Quocircà iuſti illi, qui quaſi ex infirmitate ſurgentes, & ſani facti per pœnitentiam, & lacrymarum effuſionem, ab iniquitatibus loti, & à peccatis mundati, gaudent, quia pœnas inflictas peccatoribus euaſerunt. Adeòq. tabeſcere, inquit iuſtus, me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. Tabeſcere enim, idem eſt, quòd putreſcere, deficere, defluere, Sap. 6. num. 24. & 2. Paralipom cap. 28. in alio loco, Zelus domus tuæ comedit me, Pſalm. 68. numer. 2. Tabeſcere me fecit; alij habent, zelus tuus; Vulgata habet zelus meus, quod eſt magis conſonum originali Hebraico. Quia obliti ſunt verba tua inimici mei, Sophon. cap. 3. in princ. Non audiuit vocem, & non ſuſcepit diſciplinam, in Domino non eſt confiſus, ad Deum ſuum non appropinquauit. Ideò zelus meus, inquit, tabeſcere me fecit. Zelus, inquam, meus, ideſt charitas, vel zelus tuus, quia zelat Deo, non ſibi, vnus tamen & idem zelus eſt, ideſt charitas, quæ & hominis eſt zelus, quia in ipſo eſt, & dicitur Dei, quia

Digitized by Google

quia à Deo eum habet, & ad Deum eumdem refert: zelus, quo tabescit iustus iste, zelus amoris, non liuoris, quem expressit Paul. 2.Corinth.11.num.7. inquiens, Meipsum humiliaui, vt vos exaltemini, ad Colossens. cap.1.nu.24. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia; nec mirum si tabescat spiritus eius, quia obliti sunt verba Dei, &c.

Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Zelus, quo mox tabescebat, inde erat, quia eloquium Domini est ignitum Spiritu sancto, de hoc igne Ambros. Purgat corda, vt fornax aurum, Sapien. cap.3. accendit ad amorem Dei, & contrà impios; illuminat etiam audientes; hunc ignem venit Dominus mittere in terram: hoc igne calefactus Ierem. cap.20. num.9. dicit, Erat ignis æstuans, claususq. in ossibus meis, & Exod.3.num.9. hoc igne vrebatur rubus, quem vidit Moyses, & non exurebatur; vrit sermo diuinus, vt corrigat. Conscientiam peccatoris non exurit, vt perdat. Hoc igne vaporati duo illi Discipuli, Luc. cap.24. dicebant, Nonnè cor nostrum ardens erat in nobis? Et hic ignis super Apostolos descendit in die Pentecostes, Act.cap.2. vt intelligamus, annunciantes verba Dei hoc igne inflammatos esse debere. Tabescere me fecit zelus meus, quia eloquium tuum dilexi; & cum inimici mei sint obliti verba tua, quæ sunt ignita, fac Domine, vt super illos ignitus spiritus cadat, vt igne amoris tui accensi, ipsi ea diligant, sicut diligo ego.

Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Quis est seruus illius, nisi populus iàm Gentilis, populus acquisitionis? Isai.49.num.6. Posui te in lucem gentium. Et quis seruus Domini; nisi Ecclesia inter gentes posita? Act.13.nu.46 Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cõuertimur ad Gentes, & nu.48. Audientes Gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini: & quòd seruus tuus, qui dilexit illud, sit Ecclesia, & credentes in illa, patet ex ipsius Dei verbis apud Isai.43. Vos testes mei, dicit Dominus, & seruus meus, quem elegi, vt sciatis, & credatis mihi, & intelligatis; quia ego ipse sum, & ante me non est formatus Deus; & post me non erit: Ego sum Dominus, & non est absque me Saluator; ego annunciaui, & saluaui, & Isai. dicto cap.49.num.6. Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fœces Israel conuertendas, ecce dedi te in lucem gentium, &c.

Iste ergo est ille adolescentulus, de quo in Psalmo, Adolescentulus sum ego, & contemptus, iustificationes tuas non sum oblitus. Quas enim passa sit Ecclesia Dei in Gentiles translata, contumelias, & passiones, dicant, qui historias legerint, & Ecclesiasticas, & prophanas; dicant Apostoli, qui ibant gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti sunt pro nomine Iesus contumelias pati; dicant tot Martyres, Confessores, Virgines, & pueri exultantes in tormentis pro amore Dei; qui nimirum iustificationes Dei non sunt obliti. Idcircò adolescentulus, & non sum iustificationes tuas oblitus, pro vt maiores obliti sunt, Iudæi nempè, & alij, ad quos sermo Dei dirigebatur.

Augustin. Non sicut inimici mei, qui obliti sunt verborum tuorum de quibus Ecclesia, pro qua iustus iste dolet, quia legem Dei scire noluerunt; hoc autem nomen comparatiuum est, & ideò benè intelligitur in compa-

ratio-

ratione maioris. Duos itaque populos hìc agnoſcamus, qui etiam in Rebeccæ vtero luctabantur, Geneſ.c.25. quoniam non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt ei; Maior ſeruiet minori, ſed contemptum ſe dicit iunior, ideò factus eſt maior, quia ignobilia, & contemptibilia mundi elegit Deus, & ea quæ non ſunt, tamquam ſint, vt quæ ſunt euacuentur, 1.Corinth.1.num.27. Iunior enim iſte non ſuam voluit habere iuſtitiam, ſicut primi, ſed Dei; & ideò confitendo ſequitur Pſalmiſta.

Iuſtitia tua, iuſtitia in æternum, & lex tua veritas. Non vt lex hominum, & priorum Iudæorum, quæ temporalis eſt, ſed iuſtitia Dei, iuſtitia in æternum, & lex eius veritas, quæ illuminat, & dat vitam æternam. Quomodò lex Chriſti non veritas, quæ tot teſtibus corroborata eſt, & à Deo comprobata? Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite, Matth.cap.3.num.12. 2.Petr. cap.1.num.17. Vel dicamus, Iuſtitia tua, iuſtitia in æternum, quæ dat vnicuique iuxtà opera ſua ſecundum merita cuiuſcunque, ſed lex tua veritas, quia viam docet ad ſalutem, & qui ſequuntur illam, ſalui fiunt, quia quotquot eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt, Ioan.cap.1. Iuſtitia ergo in æternum, quia malos malè perdet, ſed lex Chriſti veritas, quia ſaluos facit eos, qui veritatem, ideſt ipſum Chriſtum ſequuntur. Tollat ergo vnuſquiſque Crucem ſuam, & ſequatur Dominum, nàm ille beatus erit, qui Dominum in tribulatione ſequutus fuerit, & ideò ſequitur Pſalmiſta.

Tribulatio, & anguſtia inuenerunt me, ſed quid? mandata tua meditatio mea eſt, vndè Paul. ad Roman. cap.5.num.3. Gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem ſpem, ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, &c. Ideò tribulatio, & anguſtia inuenerunt me, nàm vt idem dicit Paul. 2.Timoth. cap.3 num.12. Omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutiones patientur. Et legem tuam non ſum oblitus, & in alio loco numer.61. Funes peccatorum circumplexi ſunt me. Et legem tuam non ſum oblitus, & Pſalm.114.num.4. Tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. Sed quomodò tribulatio, & anguſtia inueniunt iuſtum? & in dicto Pſalm.114.num.3. Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me. Certabat ibi in agone, & dolores mortis circumdederunt illum; legitimè certauit iuſtus iſte, & tribulationes eum inuenerunt, vt coronaretur; vndè Paul. 2. ad Timoth. cap.2.num.5. In agone, qui certat non coronatur, niſi legitimè certauerit, laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere, dat enim Dominus intellectum in omnibus, nàm ſi certando deficias, mors tibi eſt in æternum, ſed ſi ſuſtinens, tribulatio te inuenit, & perſiſtes mandata Dei meditando, coronaberis.

Adoleſcentulus ſum ego, & contemptus, quia non cuſtodierunt legem tuam. Audi vlterius, Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam, quanta in proximum fuit iuſti huius charitas, & tu Paule ſancte quid dicis? ſecundum Euangelium meum, in quo laboro vſque ad vincula quaſi malè operans, ſed verbum Dei non eſt alligatum, ideò omnia ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu cum gloria cæleſti. Fidelis ſermo, nàm ſi cómortui ſumus, & conuiuemus;

ſi ſu-

si sustinebimus, & conregnabimus; si negauerimus, & ipse negabit nos, iustus verò hìc ait, mandata tua, meditatio mea est.

Æquitas testimonia tua in æternum; intellectum da mihi, & viuam. Quæ testimonia Dei in æternum; nisi, vt saluum faceret credentem in se, venit factus vnus ex nobis, vt pateretur, crucifigeretur, & mortuus resurgeret, vt cum illo & nos surgamus. Passio ergo Domini testimonia eius in æternum; æquitas verò illa quòad nos. Nàm si Christus passus est pro nobis innocens, vt nos nocentes saluando redimeret, cur non æquum erit, vt nos alter alterius onera portantes Christi impleamus legem? Nos ergo, qui spirituales esse debemus, in spiritu lenitatis præoccupatos in aliquo delicto instruamus, vt dicit Paul. ad Galat. capit. 6. numer. 1. Considerantes nosmetipsos, ne & ipsi tentemur.

Contrà non custodientes legem Domini plorat iustus iste: tabescit zelus suus; tabescit, contemnitur, sed martyriorum Iesu Christi non obliuiscitur, qui pro peccatoribus seipsum obtulit Deo Patri, iustus pro iniustis, Isai. c. 55. Da igitur mihi intellectum, vt permanens in intellectu custodiam quæ tu Domine me docuisti, vt tecum viuam in æternum; hinc 1. Petr. c. 2. num. 20. Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam discolis, hæc est enim gratia si propter Dei conscientiam, idest qui omnium scientiam habet, sustinet quis tristitias, patiens iniustè. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati sustinetis, sed si benè facientes, patienter sustinetis, hæc est gloria apud Deum; in hoc enim vocati estis, quia, & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.

Intellectum da mihi, & viuam, vt nunquam mandata tua deseram, vt viuam. Vndè in alio loco, Intellectum tibi dabo, & instruam te in via qua gradieris: firmabo super te oculos meos, Psalm. 31. num. 81. Augustin. Intellectum petit iunior iste, quem si non haberet, non super sapientes intelligeret, sed eum poscit in tribulatione, & necessitate vt intelligat, quia sit contemnendum, quod ei possunt auferre persequentes inimici, à quibus dicit, se esse contemptum. Ideò dixit, Et viuam, quia si eousquè tribulatio, necessitasq. peruenerit, vt per iniquorum persequentium manus vita ista finiatur, viuet in æternum. Qui temporalibus præponit iustitiam, quæ manet in æternum, quæ iustitia in tribulatione, ac necessitate est; martyria Dei; hoc est testimonia, pro quibus sunt Martyres coronati.

COPH.

Sequitur littera Alphabetica hebraica, Coph, quæ vt ait Ambros. Serm. 19. conclusio interpretatur, vel aspice. Consideremus ergo, quòd Dominus est iustus, & rectum sit iudicium eius, in custodientibus mandata eius, & in illos, qui illa spernunt, propterea omnia mandata sua veritas, & iustitia; iustitia, nempè quia omnia æquè discernit: veritas verò, quia promissa retribuit; & vt districtè iudicantem Dominum viuamus metuentes, & benignè promittentis cautè promissa expectemus.

Coph ergo huic octonario præponitur, quia esse debet conclusio, vel conspe-

ſpectio, vt ſcilicet reſpiciamus, & benè conſideremus quæ nobis promittuntur, bonum, & malum; ſed concluſio, non ſimulatio, quia ſi benè egerimus, vita æterna promittitur, ſi verò malè ignis æternus. Hæc animaduertens iuſtus, non ſimulando malum, ſed ex corde clamans ad Deum, petit intellectum, vt ſibi acquirat vitam, dicens.

Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine, iuſtificationes tuas requiram; Sed ſi ſupra dixiſti, Tuus ſum ego, ſaluum me fac, quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui; & in alio verſiculo, Adiuuá me, & ſaluus ero, & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper, & paulò inferius, Iuſtificationes tuas doce me, & Adoleſcentulus ſum ego, iuſtificationes tuas non ſum oblitus, quid nunc clamas, quòd iuſtificationes requirere vis, ſi iàm illas inuentas exquirendo inueniſti? ſi tota die in illis meditaris? Iuſtificationes non es oblitus, quomodò ergo nunc requiris, quas iàm confiteris habere? Quot ſunt genera tribulationum, & perſecutionum, tot ſunt iuſtificationes Sanctorum, tot ſunt martyria ſuſtinentium pro amore Dei, quorum aliqua per Paul. ad Roman. cap. 8. narrantur num. 35. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? an tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius, ſicut ſcriptum eſt Pſalm. 43. num. 23. Mortificamur tota die, æſtimati ſumus, ſicut oues occiſionis. Vis ſcire, quot ſint perſecutorum genera? ſequitur Paulus, Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Clamaui in toto corde meo, exaudi me. Quid petit? an diuitias? an honores? Et ſi petit, an ore? an corde? clamat corde, qui flagrat Dei amore, Vas electionis eſt mihi Paulus, & quia talis Deo dilectus, quid promittitur, quid illi offertur per Ananiam? Oporter, inquit, multa pati pro nomine meo, Act. Apoſt. 9. num. 4. vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael, ego enim oſtendam illi, quanta oporteat pro nomine meo pati.

Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine. Suſtentor hìc pane doloris, ſed cur tribulationes inuenire cupit, à quibus aliàs liberari deſiderat? Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa; ſed quid dicitur illi? Quid detur tibi? aut quid apponatur tibi, ad linguam doloſam? Audi Paul. 2. Corinth. cap. 4. num. 12. Mors in nobis operatur, vita autem in vobis; habentes autem eumdem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt, Pſalm. 115. num. 8. Credidi, propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur; ſcientes, quoniam qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum Ieſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum: omnia enim propter vos, vt gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei: propter quod non deficimus. Sed licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem; id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur, quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt; vndè Sap. 3. Viſi ſunt oculis inſipientiũ mori, illi autem ſunt in pace; in paucis vexati, in multis benè diſponentur.

Cla-

Digitized by Google

Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine. Clamauit in corde, vt experiretur in corpore, an dignus sit iustificationes Dei requirere; hoc est tenta me Domine, vre, vt inueniar dignus te, Psalm. 25. numer. 2. O in Deum amoris vis, & efficacia, Paul. cap. 20. numer. 22. in Act. Apostol. Et nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sint mihi ignorans; nisi quòd Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens, Quoniam vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent; sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem, quàm me, dummodò consummem cursum meum, & ministerium Verbi, quod accepi à Domino Iesu; & tu Ignati sancte tertius post Apostolum Petrum Antiochiæ Episcopus; cum decem Leopardis ligatus, &c. iniquitas eorum, aiebas, mea doctrina est, sed non idcircò iustificatus sum. Vtinam, inquit, fruar bestijs; quæ mihi sunt præparatæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me; quòd si venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi poscit, ego scio, nunc incipio Christi esse Discipulus, nihil de his, quæ videntur desiderans, vt Iesum Christum inueniam. Ignis, Crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm Christo fruar, ex lib. Hieronym. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine. Coph, conclusio, siuè aspice, simul stant hæc duo in homine iusto. Quid aspiciendo concludis? quòd Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, Eccles. cap. 1. numer. 2. Aspiciebat hominem cum anima creatum, & tamen carnem aduersus spiritum, & spiritum aduersus carnem pugnare, ad Galat. cap. 5. num. 16. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur, quæ carnis sunt aspiciebam opera, fornicationem, immunditiam, luxuriam, &c. Idolorum seruitutem, &c. & quæ narrantur ibidem per Paulum, hæc enim talia agentes Regnum Dei non consequuntur.

Clamaui ad te; exaudi me Domine, quia iustificationes, & præcepta tua requiram; in toto enim corde meo exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis; quia, quæ terrena sunt, & carnalia odiui, quia iniqua sunt, & legem tuam dilexi, quia hæc perducit ad vitam. Iàm aspicio, & video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, ad Roman. cap. 7. num. 23. iàm ab illa mundi receßi, iàm aspexi, quod ducit ad mortem. Conclusio facta est cum Petro, Ecce reliquimus omnia, & secuti sumus te, te enim sequar in toto corde meo, qui es Via, Veritas, & Vita. Omnem viam iniquam odio habui; Adiutor meus esto, quia legem tuam dilexi. Da mihi intellectum, vt sciam mandata tua, quia cætera humana sunt, & caduca. Veniſti Domine in terram, vt non pacem mitteres, sed gladium, Matth. cap. 10. numer. 34. Veni enim, dicis, separare hominem aduersus patrem suum, &c. & inimici hominis domestici eius: non pacem humanam, sed separare hominem carnalem à diabolo, qui est pater iniquorum, Ioan. cap. 8. num. 44. Audi Michæam cap. 7. quid de his dicat. Perijt Sanctus, vel pius de terra, & rectus, ideſt verax, vel corrigens se in hominibus non est, omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur, malum manuum suarum dicunt bonum. Ego verò clamaui in toto corde meo, exaudi me,

iustificationes tuas requiram, in quas aspexi; aspice etiam tu Domine, & miserere mei secundum iudicium diligentium nomen tuum, & gressus meos dirige, vt timore malorum sublato, perueniam ad te, Prouerb.cap.1. in fine, Mich.7.num.7.

Clamaui in toto corde meo, Augustin. Clamor ad Dominum, qui fit ab orantibus, si sonitu vocis corporalis fiat, non intento in Dominum corde, quis dubitet inaniter fieri? si autem fiat corde, etiam silente corporis voce, alium quemlibet hominum potest latere, non Deum: corde, ergo clamandum siuè cum voce carnis, siuè cum silentio, quando oramus. Est autem clamor cordis magna cogitationis intentio, quæ cum est in oratione, magnũ exprimit desiderantis, & petentis affectum, vt non desperet effectum. Tunc porrò in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur, tales orationes raræ sunt multis, crebræ autem paucis.

Clamaui ergo in toto corde. Nàm ad Deum duplici corde non est accedendum, vt Eccles. cap.1.numer.36. & cap.2. numer.14. Væ duplici corde partim danti se Deo, & partim mundo, Iacob. cap.1. numer. 8. Hieronym. in cap.1. Malach. Si offeratis claudum, nonnè malum est. Clauda, inquit, est rogantis oratio, qui duplici mente accedit ad Deum precandum, & audit eum populo Iudæorum, Vsquequò claudicatis vtroque pedes; mens enim diuisa non impetrat in tali petentis affectu, siuè in silentio habeatur, siuè cum voce, si opus est propter homines, Eccles.d.cap.2.num.14. Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs.

Clamaui ad te, saluum me fac, vt custodiam mandata tua. Audiuit, propterea credidit, ideò credidit, quia intellectum illi Dominus dedit, vt bonum cognoscens recederet à malo: & postquam recessit à malo, & bonum operatus est. Ideò clamauit ad Dominum, quia ipse est solus, qui salutem dat credentibus in illum. In tenebris ego sum, lux venit, albescit polus, quia venit Christus, & lux in tenebris lucet; recedant tenebræ, propter quas maiores mei illum non comprehenderunt. Ego adolescentulus, & contemptus ab illis gratiæ tuæ ope custodiui mandata tua; saluum me fac, ne peccatorum tenebræ iterum obruant me. Sed quomodò clamasset, vt saluaretur, nisi cognouisset, quia peribat? si mandata Dei non custodisset. Sed quomodò custodisset, si Christus non venisset, vt illum adiuuaret? Venit enim filius hominis saluum facere quod perierat, Matth. capit. 18. numer. 11. & Nemo venit ad Patrem, nisi per me, & Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum, Ioan. capit.6. numer.44. & ego resuscitabo eum in nouissimo die; Vndè sanctus Augustinus hìc, Salus quippè animæ facit, vt fiat, quod faciendum esse cognoscitur, & vsque ad mortem corporis, si hoc flagitat extrema tentatio, pro testimoniorum diuinorum veritate certetur. Vbi autem non est salus, succumbit infirmitas, & deseritur veritas.

Præueni in maturitate, & clamaui, quia in verba tua supersperaui. Supra dixerat, Adolescentulus sum ego, & contemptus, quia iustificationes tuas non sum oblitus: Diuus Hieronymus. Vetera vitia pudicitia iuuenili præuenit, qui per maturitatem viuacis animi spem suam nunquam à verbis Dei remouit. In maturitate clamaui, primo Regum capit.16.numer.13. Dauid

iuue-

Digitized by

iuuenis, rufus, & pulcher aſpectu, &c. directus eſt ſpiritus Domini in Dauid, & deinceps, & numer. 18. Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus eſt cum illo, &c. Dauid citharam percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus, &c. & dicto cap. 17. num. 29. 1. Reg. Nunquid non verbum eſt, dicit Dauid, ò fratres: & num. 33. Quando ſe obtulit occidere Goliath. Non vales reſiſtere Philiſtæo iſti, nec pugnare aduerſus eum, dicebat Saul Dauidi, Leonem, & Vrſum interfeci ego ſeruus tuus, &c. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi, dicebat Dauid; Dominus, qui eripuit me de manu, &c. non lorica, ſed funda, & lapide percuſſit Philiſtæum, Adoleſcens Dauid, & cap. 18. num. 9. Non rectis oculis Saul aſpiciebat Dauid, adoleſcentulus, ſed contemptus, vt latius ibi.

Præuenit in maturitate, & clamauit, qui in nomine Domini Gigantem Goliath interfecit. Præueni in maturitate, & clamaui in nocte, quando quieſcendum eſt, media enim nocte ſurgebat Dauid, ad confitendum nomini Domini, Pſalm. 118. nu. 62. Præuenit in maturitate, ne præueniretur in condemnatione. Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit, nec in quinque illis fatuis Virginibus in lampadibus oleum inuenit, amen illis dictum eſt, neſcio vos, Matth. capit. 25. numer. 2. O quàm bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, Thren. capit. 3. numer. 27. Præueni in maturitate, & clamaui, in laboribus à iuuentute mea, exaltatus autem, humiliatus, & conturbatus; Ideò humiliatus, quamuis exaltatus, quia præueni in maturitate, vt ſeruirem Domino meo. Exaltantur cæteri, & cum illis tranſit illorum ſuperbia; ego verò exaltatus, quia in iuuentute à laboribus cœpi, ideò etſi exaltatus, humilis tamen factus, quia pauper, & ouium cuſtos, patientiam didici in exaltatione; quia humilitatem expertus ſum in paupertate à iuuentute: Præueni in maturitate, quia etſi in pueritia, patientiam tamen in tribulatione patienter ſuſtinui, quando, Saule me dirè perſequente, furorem implacabilem contrà me illius æquo animo ſuſtinui, in multa patientia, & tribulatione, vt eſt videre in libris Regum.

Præueni in maturitate, & clamaui, quia in verbum tuum ſuperſperaui. Iudicio meo hæc de aduentu Domini dicta ſunt, in cuius promiſſione ſpes liberationis Dauidis erat, Pſalm. 88. numer. 20. Poſui adiutorium in potente: & exaltaui electum de plebe mea, Inueni Dauid ſeruum meum, &c. Manus enim mea auxiliabitur illi, & brachium meum confortabit eum, & numer. 27. Ipſe inuocabit me: Pater meus es tu: Deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ, Et ego primogenitum ponam illum excelſum præ Regibus terræ, &c. & num. 28. & ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cæli.

Præuenit in maturitate, antequam ſcilicet veniret plenitudo temporis, ad Galat. capit. 4. numer. 4. & in verbum ſuperſperaui, vt veniens, eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum, &c. Præueni in maturitate clamans, Conſurge, conſurge, ò Chriſte, induere fortitudinem brachium Domini, Iſai. capit. 51. numer. 9. brachium Domini, quia per teipſum

Digitized Google

omnia facta ſunt, Pſalm. 117. numer. 16. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me; conſurge ſicut in diebus antiquis, quando ſcilicet Abrahæ, & ſemini eius Saluatorem venturum promiſiſti, quia ij, quos redemeris, reuertentur, & venient in Sion, in Eccleſia tua laudantes, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt; Præueni in maturitate, & clamaui, quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael? Pſal. 13. numer. 7.

Præueni in maturitate, & clamaui. Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, &c. ego clamaui, & tu repuliſti, & deſpexiſti, diſtuliſti Chriſtum tuum, Pſalm. 88. numer. 38. & 39. nunc in maturitate clamans prævени, dicens, Mitte Domine quem miſſurus es, Exod. cap. 4. numer. 13. Iàm venit plenitudo temporis, in maturitate clamaui; quia in verbum tuum ſuperſperaui, quæ procedunt de labijs tuis, non fiant irrita, d. Pſalm. 88. Iàm tranſierunt tempus, & tempora Moyſis: in tempore opportuno, in maturitate ego Dauid clamaui, veniat ſplendor nominis tui, vt ſit ſuper nos, Pſal. 4. numer. 7. Vt cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum, Pſalm. 3.

Præueni in maturitate, & clamaui, nunc tempus acceptabile, quia iàm in maturitate, in ætate mea matura, & graui iàm conſtitutus ſum, quia factus ſum ſicut vter in pruina, hoc eodem Pſalm. 118. numer. 53. Pauper in laboribus à iuuentute mea, exaltatus modò, humiliatus, & conturbatus, ſolum enim mihi ſupereſt ſepulchrum; & in verba tua ſuperſperaui; quot ſunt dies ſerui tui?

Præueni in maturitate etiam ſicut in iuuentute, languerunt enim oculi mei ad te diluculo prævenientes, vt meditarer eloquia tua, quando venies, & conſolaberis me, hoc eodem Pſalmo numer. 82. Non ſatis fuit Prophetæ Ieſu Chriſti natiuitatem deſiderare, & prophetare; ſed in ſequenti verſiculo repræſentans Apoſtolos, & de reſurrectione dubitantes Domini noſtri Ieſu Chriſti, Prævени, ait, in maturitate, & clamaui, ſed Domine vſquequò non ſanabis me? inueteraui inter inimicos meos, Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem, Pſalm. 37. numer. 7. prævени in maturitate, & clamaui, quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die, Pſalm. 31. nu. 3. ſequitur dicens:

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Quæ eloquia tua? Matth. cap. 17. numer. 23. & Marc. cap. 9. numer. 31. Luc. cap. 24. numer. 27. & capit. 9. numer. 22. Filius hominis tradendus eſt in manus hominum, & occident eum, & tertia die reſurget. Veniunt mulieres ad monumentum, & Angelum Dominum Ieſum viuere audientes, nunciauerunt Apoſtolis hæc, & viſa ſunt ante illos, ſicut deliramenta verba iſta, & non crediderunt illis. Petrus autem ſurgens cucurrit ad monumentum, & vidit linteamina ſola poſita, & abijt ſecum mirans, quod factum fuerat, Luc. cap. 24. nu. 11. & nu. 21. Nos autem, duo illi Diſcipuli aiebant, ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael, & nunc ſuper hæc omnia tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt. Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua, quia tertia dies eſt hodie, qui ſunt hi ſermones, quos habetis

ad

Digitized by Google

ad inuicem ? tu solus peregrinus, respondérunt, & hæc ignoras ? De Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere, & sermone coram Deo, & omni populo, & quomodò tradiderunt eum summi Sacerdotes, & Principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum, nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel, & nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quòd hæc facta sunt.

Vocem meam audi secundum misericordiam tuam Domine, & secundum iudicium tuum viuifica me. Vocem meam audi, quia confiteor te Deum verum filium Dei, qui venisti, passus es, & mortuus resurrexisti, vt me à morte liberares: secundum misericordiam tuam Domine vocem meam audi, vt qui confitebuntur te, & ipsi redempti salui fiant, propter misericordiam tuam; Ioan. cap. 17. propè finem. Et secundum iudicium tuum viuifica me, vt repleti Spiritu sancto semper sequantur te. Et nota secundum Augustinum, quòd prius præmittit misericordiam, quia misericordia Dei aufertur pœna, & postea iudicio suo dat vitam; viuifica ergo mortuum lege peccati, quia appropinquauerunt persequentes iniquitati, à lege autem tua longè facti sunt.

Dubitabant de resurrectione Discipuli; appropinquauerunt iniquitati Iudæi persequentes Christum, à lege longè facti. Ne discedas, inquit Psalm. 21. qui de passione Domini loquitur, quoniam tribulatio proxima est; Discipuli, relicto Domino, omnes fugerunt; mortuo Domino, & illis videbantur deliramenta, quæ dicebantur à mulieribus de resurrectione, appropinquauerunt iniquitati Iudæi resurrectionem negantes, & militibus suadentes, vt dicerent, quia ipsis dormientibus, venerunt Discipuli, & furati sunt corpus Iesu, Matth. cap. 28. num. 14. Et ecce quàm longè facti sunt à lege Domini, qui post tres dies se resurrecturum esse testatus est illis. Sed vide disparitatem, quæ inter Discipulos, & iniquos Iudæos: Discipuli sperantes dubitabant, & gaudentes timebant; nonnè cor nostrum ardens erat: exterruerunt nos mulieres, dicentes, quia surrexit Dominus; appropinquauit se eis Dominus, & dixit, Videte manus meas, &c. & nolite esse increduli, ite, & prædicate, &c. & ero vobiscum, non timentes iussa Principum; Iudæorum verò Principibus veritatē negare volentibus salus longè facta est, testes dormientes inuitabant, ò fallacia, ò iniquitas, & ridiculosa falsitas imaginaria, præueni in maturitate, quia iàm per passionem Christi omnia consummata sunt.

Et in verbis tuis superspetaui; præuenerunt oculi mei ad te diluculo, nàm vespere Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, mulieres sepulchrum vt viderunt, terremotus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedēs reuoluit lapidem, & sedebat super eum; exterriti sunt custodes, &c. Matth. cap. 28. num. 1. Appropinquauerunt persequentes me iniquitati, à lege autem tua longè facti sunt. Elegerunt iniqui mortem potius, quàm vitam, quæ erat Christus; ad quem accedentes Discipuli, illis propè factus est Dominus, vt vitam haberent, & abundantius.

Hieronym. Propè es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas; Non teneris locis, sed per veritatem mandatorum cordibus Sanctorum illaberis. Et omnes viæ tuæ veritas. Quærit Augustin. Supradictum est, Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas, hùc verò Omnes viæ tuæ veritas; erga Sanctos vniuersæ viæ Domini misericordia, & vniuersæ viæ Domini veritas; quia &

in iudicando ſubuenit, atque ità non deeſt miſericordia: & in miſerando id exhibet, quod promiſit, ne veritas deſit. Erga omnes autem, & quos liberat, & quos damnat, omnes viæ Domini miſericordia, & veritas, quia vbi non miſeretur, vindictæ veritas exhibetur, multos quippè immeritos liberat, immeritum autem neminem damnat.

Initio cognoui de teſtimonijs tuis, quia in æternum fundaſti ea, Iſai.c.44. num.7. Ego primus, & ego nouiſſimus, &c. Nolite timere, neque conturbemini, ex tunc audire te feci, & annunciaui, vos eſtis teſtes mei, & idem Iſai. cap.48.num.16. Non à principio in abſcondito locutus ſum; ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius; hinc dicit Dominus Redemptor tuus ſanctus Iſrael, ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas, &c. & Iſai. dicto cap.8. num.16. Liga teſtimonium, ſigna legem in Diſcipulis meis, & expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam à domo Iacob, & præſtolabor eum: Ite, inquit Dominus Diſcipulis ſuis, in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Hæc initio cognouit Eccleſia teſtimonia Dei, quæ ideò æterna, quia cuſtodientes illa, in æternum ſtant, non quia teſtimonia æterna ſint, cum enim ad gloriam peruenerimus, finem præceptis impoſitum cognoſcemus, nunc verò propter illorum obſeruationem, æternitatem bonorum dat fidelibus ſuis Dominus. Vndè Gloſſ. hìc, Teſtimonia dicuntur præcepta Dei, quæ dicuntur fundata in æternum, quia pro eis neglectis, vel ſeruatis merces æterna, vel pœna æterna datur; ea cognouit Adam, & punitus eſt, cognouerunt Patres ſancti, & gloriam adepti ſunt.

Initio ergo cognoui de teſtimonijs tuis, quia in æternum fundaſti ea.

RES.

Sequitur in octonario littera Res, quæ caput deſignat, vel primatum; Primum caput noſtrum Adam ſuperbus, quia voluit ſapere pluſquam oporteret, & in ſudore vultus ſui cum omnibus deſcendentibus eſt punitus; in Chriſto verò capite item noſtro ſecundo humiliatus ab initio conſiderata, qua prius deſcendit, & humiliatus eſt; & ideò humilitas vſque ad mortem, aſcendit iterum in altum, vt humiliatos ſecum de terra duceret in altum; cum ſuis ſequacibus, qui legem Dei non ſunt obliti. Vndè in alio loco, Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia delicta; non enim legem tuam ſum oblitus, qua per multas tribulationes, cælum patientes ingrediuntur, vndè Iacob, Miſeri eſtote, & plorate, Iacob c.4.num.9. Riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem, humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos.

Sit ergo tibi caput, & principium Chriſtus, hunc ſequere in humilitate ſua, & erit tibi gloria in ſæculorum ſæcula. Sic addere poteris, Et legem tuam non ſum oblitus. In qua dicitur, qui ſe humiliat, exaltabitur, Luc.14. num.10. ſequere & tu anima mea Chriſti capitis tui humilitatem, vt in corpore Chriſti permanens dicere & tu audeas cum iuſto iſto, Vide humilitatem meam, & eripe me, quia legem tuam non ſum oblitus; Sicq. abſque timore iudicium Dei & tu expectabis, vt ipſe redimat te à malis, vndè ſequitur.

Iudi-

Digitized by Google

Iudica iudicium meum, & redime me, propter eloquium tuum viuifica me; Iudica me, quia litem habeo cum iniquo diabolo, qui quærit, vt perdat me. Iudica cauſam meam, quia te ſolum quæro Saluatorem meum; humiliatus confiteor te Redemptorem; humiliauit ille animam meam vſque ad mortem, legem tamen tuam non ſum oblitus, ideò viuifica me propter eloquium tuum, quod obſeruantibus vitam æternam promittis. Sed ſi iudicium quæris, quomodò redemptionem expectas? cur redimi inſtas? In iudicio perſonam pauperis, ſcriptum eſt, non conſiderabis, Leuitic. cap. 19. nu. 15. & 16. Deuteronom. cap. 1. num. 17. quia æquum debet eſſe, & iuſtum; apud Dominum autem nemo iuſtus, neque infans vnius diei, Eccleſ. cap. 7. num. 13. Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet, 1. Ioan. 1. num. 7. vſque in finem. Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Prouerb. cap. 20. num. 9. Quomodò ergo tu dicis, iudica me? & Iob cap. 25. num. 5. & 6. Ecce luna non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius, quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis? Non redimitur, niſi qui pretio aliquo comparatur, vel ex gratia; iudica, inquit, iudicium meum, & ſimul iungit, redime me. Iudica, inquit, iudicium meum, qui enim noſcis omnia, vides etiam humilitatem meam; Si humiles corde, Beati, quia Deum videbunt, Matth. cap. 5. numer. 4. ſecundum hoc eloquium tuum Domine ſim & ego inter redemptos à te, vt qui mortuus es pro me, iuſtificatus in ſanguine tuo, ſaluus ſim ab ira per te, ad Roman. c. 5. num. 9. ſtat ergo iudicium ex parte iuſti, quia humilem ſe cognoſcit, ad iudicandum deducit cauſam ſuam, pro qua iudicat Deus, ſi iudicium iuſti adeſt, ſi cauſa iuſti pro redemptione ſit valida, & petat redimi, & propter eloquium ſuum viuificari, & in humilitate confirmari: quia à peccatoribus longè eſt ſalus, quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt.

Vel dicamus; Iuſti noſtri ſupra non audiuimus niſi clamorem, quod tribulatio, & anguſtia inuenerint eum, iuſtificationes Dei requirentem, nec illarum oblitum. Vrget inimicus contrà illum, clamat iuſtus ad Deum in toto corde ſuo; appropinquant iniquitati illum perſequentes; clamat ad Deum, qui propè eſt, vt auxilium præſtet. Ad modicum illum dereliquiſſe videtur, non vt derelinquat, ſed vt probet illum; hìc vrit, hìc ſecat, vt quaſi holocauſtum accipiat illum in vitam æternam, Sap. cap. 3. Iudica hìc Domine, ſi tribulationes, & tormenta ſint ſufficientia ad ſalutem, viuifica tamen me ſecundum verbum tuum, qui dixiſti, Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Miſericordiæ tuæ multæ ſunt Domine, miſericordias vocat genera tribulationum perſequentium illum, quia per illas introitus ſit per miſericordiam ad cæleſtem patriam; Hinc Iacob. in Epiſtola Catholica cap. 4. num. 9. Miſeri eſtote, & plorate: riſus veſter conuertatur in luctum, & gaudium in mœrorem, menſura enim conſolationis lacryma, & pœnitentia eſt, Chryſoſtom. homil. 5. ad populum, vide Auguſtin. in Pſalm. 85. in dictis verbis Iacobi, & D. Hieronym. Pſalm. 95. Felix, inquit, pœnitentia, licet rueris, tamen ſi egeris pœnitentiam, noua domus Dei diceris; Auguſtin. verò in d. Pſalm. 85. Vtique Regio iſta ſcandalorum eſt, & tentationum, & omnium malorum, vt gemamus hìc, vt mereamur gaudere ibi, & dicere eripuiſti animam à lacrymis.

Hinc

Hinc in ſequenti verſiculo octonarij, Lætabor ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Gaudet in tribulationibus, qui retributionem ſperat in cælis, Matth. cap. 10. num. 18. ſecundum iudicium tuum, vt ſuſtineam illas, & multò plures. Viuifica me, fortis in bello, vt euadam minas delinquentium, & pœnas; multi ſunt, qui perſequuntur me, & tribulant me, à teſtimonijs tuis non declinaui; Vel ſecundum Hieronym. hìc, Iudicaui ego me nihil ſcire, niſi Ieſum Chriſtum, qui ad redemptionem mundi venire promiſſus eſt; iuxtà ergo iudicium ego viuificer in eloquijs tuis, iudica, inquit, iudicium meum, &c. Superior quodammodò ſententia reperita eſt ſecundum Auguſtin. quod enim ait, Vide humilitatem meam, hoc eſt, Iudica iudicium meum, & quod ait, eripe me, hoc eſt redime me; quod legem tuam non ſum oblitus, huic congruit quod infrà, propter eloquium tuum viuifica me, eloquium enim eſt lex Dei, quam non eſt oblitus, vt ſe exaltandum humiliaret, Viuifica me, quia Sanctorum exaltatio vita æterna eſt.

Miſericordiæ tuæ multæ Domine. Ambroſ. hìc: Et ſi longè à peccatoribus ſit ſalus, tamen nemo deſperet, quia ò Domine miſericordiæ tuæ multæ ſunt, qui enim ſuo peccato pereunt, miſericordia Domini liberantur; qualis apparuit non quærentibus, vocauit refugientes, congregauit ignaros, pro omnibus ſe obtulit: ſecundum iudicium tuum viuifica; non de iudicio vniuerſali, ſed de iudicio præſenti, quo pœnitentibus parcit; ideò ſecundum iudicium tuum viuifica me, non ſecundum illud, quod omnes timent, de quo Pſalm. 142. Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non eſt miſericordia ſine iudicio.

Vide iuſti conſtantiam, conſidera in Eccleſia Dei perſeuerantem ſpiritum. Multi, inquit, qui perſequuntur me, & tribulant me, à teſtimonijs tuis non declinaui. Nullam requiem habuit caro noſtra, inquit D. Paul. 2. Corinth. 7. num. 5. ſed omnem tribulationem paſſi ſumus, foris pugnæ, intus timores, &c. & ad Hebr. cap. 11. num. 36. Alij diſtenti ſunt, alij verò ludibria, & verbera experti, inſuper, & vincula, & carceres. Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; In ſolitudinibus errantes, in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis, & hi omnes teſtimonio fidei probati, &c. Grauis ergo perſecutio notata eſt, quæ fit à multis in vnum; implerum eſt hoc in Eccleſia, quæ tot habet perſecutores Martyrum.

Auguſtin. Præparata eſt vniuerſa terra ſanguine Martyrum; floret cælum coronis Martyrum, ornatæ ſunt Eccleſiæ memorijs Martyrum, ſignata ſunt tempora natalibus Martyrum; crebreſcunt ſanitates meritis Martyrum. Et licet ſint multi, tamen non declinaui à teſtimonijs tuis. Gratius eſt hoc inter pericula ſeruari, quod eſt nobis à Deo, vndè in Pſalm. 93. Niſi quia Dominus adiuuit me, paulò minus habitaſſet in inferno anima mea, & Pſalm. 123. Niſi quia Dominus erat in nobis, fortè viuos deglutiſſent nos. Sæuiant odijs, dicit Hieronym. impugnent iniurijs, ego à teſtimonijs erigor; non inclinor, immo vidi præuaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Multæ tribulationes, ſed non multi illas ſuſtinentes; ideò de his dolens iuſtus, ſiuè Eccleſia, quia filios, ſeù ſocios amittat, ex charitate, quam in illos habet, ſequitur dicens.

Vidi

Vidi prævaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. Quod in Baptismo pacti sunt, non obseruauerunt, à misericordia tua declinantes, recesserunt ab illa, & longè facti sunt à te Domine: quia eloquia tua non custodierunt. Sed quod est Dei eloquium, quod non seruauerunt? Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, 2. Timoth. cap. 2. num. 5. In tribulationibus enim defecerunt, negantes, vndè Paul. vt supra nu. 12. Si sustinebimus, & conregnabimus; si negauerimus, & ille negabit nos; si nos credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Vidi prævaricantes, & tabescebam, alibi, Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam, &, Tabescere me fecit zelus meus, quia eloquia tua non custodierunt.

Vide quoniam mandata tua dilexi Domine, Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud: propter quod scilicet, dilexi te, & tabescebam ob prævaricantes illud, quia ex præcepto tuo, vt proximum propter te diligebam illos, antequam essent prævaricantes; nunc verò, quia solus in dilectione tua remansi, vide Domine, quia ego diligo te, fac, vt parturiam ego sterilis, vt perfecta sit charitas Dei, & proximi. Decanta, inquit Dominus, laudem, quæ non pariebas, Isai. 54. num. 1. ad dexteram, & lævam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, &c.

Vide Domine, quoniam mandata dilexi. Quid times Psalmista? quid dubitas iuste Dei, nunquid solum te esse putas? non es solus; quid hìc agis Elia? Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum filij Israel, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, 3. Reg. cap. 19. num. 10. & 18. Quid hìc in ostio speluncæ Elia? at ille, Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel. Vade, dicit Dominus, & reuertere in viam tuam per desertum Damasci, &c. & derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal, &c.

Vidisti prævaricantes, ò Psalmista, ò iuste, ò Synagoga Iudæorum, qui Iudæos à Deo recedentes, & prævaricantes, dixisti vt supra; non sola eris, in Israel adhuc septem millia sunt, quæ ante Baal genua non curuauerunt; nàm & multi ex Iudæis, audito Verbo, percutientes pectora, venerunt ad Iesum, crediderunt in illum; & ex Gentilibus multò plures, & factus es, ò iuste, ò fidelis, vna Ecclesia in caput Gentium, ò Synagoga, ò Apostoli Dei ex vtraque vna. Quia vidit Dominus, quòd dilexisti illum, in misericordia sua viuificauit te. In omni enim terra est Ecclesia Dei, sunt fideles eius; quia In omnem terram exiuit sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Dilata locum tentorij tui, & pelles Tabernaculorum extende, Isai. dicto cap. 54. num. 4. longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida, ad dexteram enim, & ad lævam penetrabis, & semen tuum Gentes hæreditabit, &c. Et quia vidi, dicit, quòd dilecturus esses me, propterea misi filium meum, vt saluaret te, & redimeret te, & in misericordia mea viuificaui te; à principio enim hæc à Deo promissa sunt, ideò sequitur.

Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ. Non à principio in abscondito locutus sum, dicit Dominus Iesus: ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius, Isai. cap. 48. num. 16.

Prin-

Digitized by Google

Principium verborum tuorum veritas, vt nouus homo renatus in Christo viuat. Et in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ, vt deinceps cognoscens, se ad imaginem, similitudinemq. Dei creatum, nihil iudicij, aut iustitiæ eius gerat indignum, dicit Hieronym.

SIN.

Sequitur ergo littera vigesima prima Sin, quæ proponitur, vt curentur vulnera nostra; Sin enim interpretatur super vulnus, sanguine Christi curentur vulnera, vt credentes in illum, perueniant ad Regna cælestia. Persequantur Principes terrena sapientes, qui gratis, idest sine causa, sine ratione in credentes sæuiunt, vt cum causa tamquam delinquentes, pœnas luant in æternum.

Principes persecuti sunt me gratis. Hìc de Apostolis Prophetam loqui credimus, quorum persecutiones latè apparent, & martyria, & væ, & tamen læti facti sunt, propter Domini eloquia in gentes omnes publicata, & prædicata; Sicut qui inuenit spolia multa. Nonnè spolia inuenerunt Apostoli propter eloquia, nàm verbum crescebat, & multiplicabatur numerus Discipulorum in Ierusalem valdè, & multa Sacerdotum turba obediebat fidei. Principes persecuti sunt me gratis, Act. cap. 4. num. 26. Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Iesum, Psalm. 2. Et nunc Domine respice in minas eorum, & da seruis tuis, cum omni fiducia loqui verbum tuum, &c. Et loquebantur verbum Dei cum fiducia, & cap. 13. numer. 46. Gentes cum gaudio susceperunt verbum Dei, quia posuit Iesum Dominus in lucem Gentium, vt esset in salutem vsque ad extremum terræ, Isai. 49. num. 6. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.

Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum: Non timebant Principum, & persequentium tormenta, quia in ipsis verba Dei erant ignita. Quid enim formidabant? Ne scilicet fugientes tormenta, negarent Deum, & ipsi coram Patre negarentur ab illo, Matth. 10. num. 33.

Sin ergo, idest vulnus secundum Ambros. hìc, est non solum corporis, sed mentis, quod oleo quodam mollioris eloquij, & pacifici sermonis suauiter mitescit; sunt fomenta verborum, fomenta cælestium præceptorum, quibus omnis nequitiæ virus aboletur; sunt legis vincula, quæ non adurant, sed magis liberent alligatos. Vulnus est, Principes persecuti sunt me gratis: super vulnus autem est, Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Super vulnus est, quia verbis Domini vulnera dura curantur; Verbum verò Dei est medicamentum super vulnus. Qui igitur vulneratur, curat ad illum Samaritanum custodem operis sui, custodem legis, & gratiæ, vt vulneri suo possit inuenire medicinam verborum cælestium. Pœnitentiam agamus, sicut Dominus dicit, vt curetur vulnus nostrum: & appropinquabit Regnum cælorum. Bona alligatura super vulnus, quæ fracta animæ tuæ ossa connectat, & soliditate reparata in pristinas vires reformet, & discissos actus sine vlla cicatricis offensa restituat, hæc Ambros.

Vulnera ergo persecutio principum; iàm sanus factus, cum lætetur super eloquia Dei. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam, & sequatur me. Venite faciam vos fieri piscatores hominum, & lætabimi-

bimini, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Verbo ergo Domini ſanantur omnia vulnera noſtra. Timorem Domini habeas, & hæc omnia, quæ ſuprà, & infrà dicentur, adijcientur tibi, Sap.cap.1. & Pſalm.33. Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam non eſt inopia timentibus eum. Si timès Dominum, ſimilis eris filio Dei, qui factus humilis deſcendit, vt cum illo & tu humiliatus aſcendas in cælum, 1.Petr. cap.5. Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet, &c. Lætabor ego ſuper eloquia tua, propterea & Principum iuſſa paruifeci, contempſi, & ſicut dicit Paul. ad Philippenſ.3.num.8. Exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Domini mei Ieſu Chriſti, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu.

Principes perſecuti ſunt me gratis. Sed nunquid terreni Principes tantùm? Audi Apoſtol. ad Epheſ.cap.6.nu.14. De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contrà ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus; Perſecuti ſunt me gratis, Pſalm.37.num.7. vide ibi; quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui, ſuperuacuè exprobrauerunt animam meam. Quia in verbis tuis ſuperſperaui. Incidunt verò ipſi in foueam, quam mihi fecerunt, vt ibidem num.8. & Pſalm.7.numer.16. & Prouerb. cap.26.numer.27. Non timet tormenta corporalia, & trepidat Dei eloquia? pugnat patiens, & victor euadit, non conſentiens, ſed permanens in iuſtitia Dei; alioquin non eſſet victor, niſi bellans fortiter reſiſtendo pugnaſſet; ideò cuius cor trepidauerat à verbis Domini, victor factus, lætus factus eſt in eiſdem verbis Domini.

Lætabor, inquit, ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Bona trepidatio, quæ exultationem dat Deum timenti: optimus Domini timor, qui omnem iniquitatem facit odiſſe, & peccatum mortale expellere, & legis Domini dilectionem operando ſepties in claritate vultus ſui Deo laudes gratiarum reddere; & omne ſcandalum expellendo cum Deo pacem habere feſtinat. Veni Domine, & noli tardare, vt relaxes facinora mea, quia mandata tua dilexi, & cuſtodiui ea, quæ dilexi valdè, vt ſemper ſint acceptabiles in conſpectu tuo viæ meæ, qui ſequor te, qui es lux vera, qui omnem hominem illuminas in hunc mundum venientem, Ioan.cap.1. Tu ſcis Domine, quia amo te, & ideò longè Principum minæ fiant à me, qui nec animam meam facio pretioſiorem quàm me. Longè fiant à me concupiſcentia carnis, & terrena volatilia, quæ nunquam in eodem ſtatu permanent, in quibus ſe firmantes, infirmantur in tribulationibus carnis.

Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum. Sed quis te docuit, quòd iniquitas peccatum ſit, vt illam abominareris? Lex Dei me docuit, ad Roman. cap.7.num.7. Peccatum non cognoui, niſi per legem; nàm concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces, & omne peccatum iniquitas eſt, 1.Ioan.cap.3.numer.4. Sed cur dilexiſti legem, & iniquitatem, ſeù peccatum odio habuiſti, & abominatus es? Quia hæc ducit ad mortem;

legis

legis verò Dei obseruantia ad vitam, quæ est Christus. Iniquitatem ergo odio habui, non homines illam exercentes, quia charitas Dei me cogit, vt & proximi salutem desiderem, & exoptem; peccatum verò deleatur, cuius auctor est diabolus, Sapien.cap.2. in fine, Ioan. cap.8.numer.44. Sed si verbum Christi, lex Christi te ducit ad vitam, cur à verbis illius formidauit cor tuum? Timore casto non perit amor, dicit Augustin. Illa formido verborum Dei non facit odium eorumdem verborum Dei, sed integram charitatem, vt ametur Deus, cuius verba timentur, sicut patres à pijs filijs timentur.

Legem ergo tuam dilexi. Quid est lex Dei, nisi verba Dei? Absit ergo, vt in timore pereat amor, vbi castus est timor; legem ergo tuam dilexi, idest verbum tuum, quod purificat mentem à vitijs, Ioan.c.15. Iàm mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis; si enim Baptismus animam purificat, quantò magis verbum Dei? per verbum enim Dei Baptismus purgandi virtutem habet, & sine illo est aqua simplex; accedit enim verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Non ergo illa formido à verbis Domini, non odium, sed ad integram charitatem; vbi est ergo castus timor, non in timore perit amor, Augustin. vt supra, vbi exempla ponit, vide ibi.

Da ergo legis amantem, & dabis Deum illi assistentem. Et quomodò non abominabitur peccatum, & iniquitatem, qui diligit Deum sibi appropinquantem? Quomodò, qui Deum ex corde diligit, non semper laudabit illum? ideò septies, inquit, in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ. Septies enim numerus vniuersitatem indicat, quia omnia tempora septem diebus agũtur, Augustin. Septies in die laudes Deo dat, qui in nocte hac tenebrarum cadit, vt resurgat; cadit septies iustus, quia in nocte, quia homo, sed in die resurgit, quia iustus, Prouerb. cap.24. nu. 16. impij verò in malum corruunt. Laudat, quia iustus Dominus, super iudicia iustitiæ suæ, vnicuique enim secundum opera sua dat Deus, iudicans, & flagellans. Iustitiæ tuæ, idest quibus corrigis, & iustificas filios, quos recipis.

Et ideò Pax multa diligentibus legem tuam. Noli sapere plusquam oporteat sapere, sed ad sobrietatem: ideò cessat scandalum, vbi est vera dilectio, iustus enim ex fide viuit, & altiora te ne quæsieris, nec ex inferioribus scandalum capias, quia non es amplius pusillus; nec incidas in petram scandali, vt Iudæi, & Hæretici; pusillorum enim est scandalizari, Matth.c.18. Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, dicit Dominus, expedit illi, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, &c. sed cur scandalizari vult iustus, qui legem diligit? Eccles. cap. 12. numer. 13. Deum time, & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo; Et cuncta, quæ fiunt adducet Dominus in iudicium pro omni errato, siuè bonum, siuè malum illud sit; in Eccles. verò cap.3.num.22. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit Dominus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus; Non est enim tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. Per misericordiam, & fidem purgantur peccata; per timorem autem Domini declinat quis à malo, Prouerb.cap.15.num.27. hæ autem sunt virtutes, quæ præparatæ sunt diligentibus. Quam verò iusti antiquæ legis spem haberent ex Dei dilectione: declarat hìc dicens.

Expectabam salutare tuum Domine, & mandata tua dilexi; Hanc eamdem

spem

ſpem habent iuſti nouæ legis, dicentes: Ecce Domine nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; Tu Domine ſcis, quia amo te, & animam meam pono pro te. Quando veniet ſalutare tuum? quando hæc erunt? quod ſignum aduentus tui? Marc.cap.13.num.4. Ioan.cap.1.num.18. Matth.25.nu.3. quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſæculi? Videte Eccleſiæ continuatam ſpem in Synagoga, aduentum Chriſti primum deſiderabat, eademq. à Chriſto renouata, poſt aduentum primum, ſecundum expectabat. Et conſidera, quòd de aduentu Ieſu Chriſti vtraque vna facta loquitur. Expectabam, inquit, ſalutare tuum, iuxtà verba legis tuæ, quæ dilexi, propterea, vt veniens viam redemptionis aperires. Diſcipuli verò inquiunt, Quod ſignum aduentus tui, quando ſæculi deſtructio ventura eſt? Multi venient, dicentes, Ego ſum Chriſtus, nolite credere, neque aliquis vos ſeducat, Matth. vt ſupra, & numer. 27. ſicut fulgur exit ab Oriente, & parat in Occidentem, ità erit aduentus filij hominis, & tunc parebit ſignum filij hominis in cælo, &c. & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa, & maieſtate, &c.

Expectabant illi ſalutare Dei: expectabant noſtri, qui etiam mandata Dei dilexerunt, aduentum ſecundum Ieſu Chriſti, per quod ad vniuerſale iudicium veniret.

Sed qui ſunt, qui illud expectant iudicium vniuerſale? qui, inquit, cuſtodiunt teſtimonia Dei, ideò ſequitur, Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer. Quis cuſtodit, niſi qui non negat? hi ſunt Martyres; ſed quare cuſtodiunt? quia diligunt. Ergo plus eſt amare vehementer, quàm cuſtodire: cuſtodiuit, quia patiendo tolerauit, ne amitteret quod habet Religio: quod ait, dilexit, hoc ad charitatem tormentis fortiorem. Seruaui mandata tua, quia ità mandaſti Domine, vt illa ſeruans ſequerer te. Vidit Dominus Apoſtolos, & dixit, Venite poſt me, quia ſum Via, Veritas, & Vita, & ideò omnes viæ meæ in conſpectu tuo, quia tu ſcis Domine, quia paratus ſum tecum venire, & ſi oportuerit me mori tecum, non diſcedam à te.

THAV.

Concluditur Pſalmus littera Thau, quæ interpretatur, Errauit, vel conſummauit, Peccauit Petrus, fleuit amarè, illum reſpexit Dominus, Petrus verò clamans, dicebat, Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo Domine, iuxtà eloquium tuum da mihi intellectum; Longè factus ſum à te, quia negaui te; intret oratio mea in conſpectu tuo, inclina ad me aurem tuam, & quid petis Petre ſancte? Iube me Domine venire ad te; iuxtà eloquium tuum, inquit, da mihi intellectum, vt propter nomẽ tuum ad Præſides ductus, non timeam illorum tormenta, Matth.10.nu.17. Tradent enim vos in concilijs, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos: & ad Reges, & ad Præſides ducemini, propter me in teſtimonium illis, & gentibus. Nolite cogitare tunc, quid, aut quomodò loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; Spiritus enim Patris veſtri eſt, qui loquitur in vobis, &c. propterea ſequitur.

Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me iuſtificationes tuas Nõ eructat, niſi prius repletus ſit; repleri deſiderat Spiritu ſancto, vt hymnũ dicere poſſit

Deo docenti, non enim eſtis vos, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris mei, qui loquitur in vobis; hanc ſpiritus repletionē deſiderat Pſalmiſta, vt quaſi ebrius gratia Spiritus ſancti laudes Deo dicere poſſit cum ſpiritu vehementi, ſicut in Act.c.2. Loquebantur varijs linguis, pro vt Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Non enim hi ebrij ſunt, dicebat Petrus, cum ſit hora diei tertia, ità erat omniū laudandi Deum vehementia, iuxtà Ioel. Propbetam c.2. Quando ergo, dicit iuſtus iſte, venerit Spiritus ſanctus, cum complebuntur dies Pentecoſtes, & erunt pariter omnes in Chriſtum credentes, in eodem loco, & fiet de cælo ſonus tāquam aduenientis ſpiritus vehementis, apparuerintq. illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, &c. tunc replebuntur omnes Spiritu ſancto, loquentes laudes Dei varijs linguis, provt Spiritus ſanctus dabit eloqui illis.

Eructabunt, inquit, iſti, præmiſſa præuidendo, & prophetando, labia mea hymnum cum docueris me iuſtificationes. Et quidem iuxtà Ioelem vt ſupra, ſuper ſeruos meos, & ſuper ancillas meas effundam de ſpiritu meo, &c. Iſti ergo duo verſiculi de Spiritus ſancti aduentu in Diſcipulos, & alios credentes intelligendi ſunt. Tunc pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, verbum tuum, in quo eſt ſalus, & redemptio noſtra; à quo eloquio tuo procedenti omnia mandata ſunt æquitas. Quid enim æquius, quàm mandata Dei cuſtodire? Si mandata ſunt ad ſalutem noſtram, cur non amplectemur ea? ſi Dominus Ieſus illa prius cœpit facere, poſteà docere, cur quæ ad doctrinam noſtram, ad ſalutem noſtram ordinata ſunt, & quæ prius ille fecit, & nos non faciemus? Æquiſſima ſunt ergo omnia mandata Dei, & ideò cuſtodienda, quia nobis vtilia, ob quorum obſeruantiam dantur nobis Regna cælorum.

Auguſtin. hìc, pronuntiabit, &c. Cum hæc ſe pronuntiaturum dicit, vtique miniſter fit verbi; quamuis enim Deus doceat intrinſecus, tamen fides ex auditu eſt; & quomodò audiunt, niſi à prædicante? neque enim quia Deus dat incrementum, ideò non eſt plantandum, ac irrigandum. Pronuntiabit eloquium tuum lingua mea, nunquid aliud eloquium, quàm illud Dei? Quod ſi eloquium Dei, nunquid ad gloriam proferentis, & non ad Dei laudem, & animarum profectum? nunquid ad fabulas conuertentur? vide 1. ad Timoth.4.num.7. Ineptas autem, & aniles fabulas deuita, exerce teipſum ad pietatem, & 2.Timoth.cap.3. Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes, &c.

Iàm miniſter verbi Dei factus eſt; nàm inſurgunt Principes, & inimici Dei prohibentes, ne in nomine Ieſu Chriſti loquerentur Diſcipuli, Act. Apoſtol.cap.4.num.21. Petrus autem, & Ioannes reſpondentes dixerunt ad eos. Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire, quàm Deum, iudicate, Non enim poſſumus, quæ vidimus non loqui. At illi comminantes dimiſerunt eos, &c.

Fiat manus tua in adiumentum, ne timeam, ſed vt pronuntiem verba, quæ à te didici, mandata tua, quæ elegi, & timorem amore compreſſi.

Concupiui ſalutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea eſt. Certus ſum, quia Saluator veniet Ieſus Chriſtus; lex enim tua, ex qua colligitur Saluatoris aduentus, meditatio mea eſt; in Prophetis enim ſcriptum eſt de promiſſione tua, quòd tu Domine ſancte Pater mittes, qui ſaluando ſaluabit

gra-

gratis, Saluatorem Iesum. Ipsum ergo videre concupierat iustus iste, quem de vtero Virginis, illis adhùc temporibus credebat venturum, pro vt ex legis meditatione percipiebat, & tunc qui prius mortalem se norat, viso inspiritu Saluatoris aduentu cœpit credere, quia anima sua tunc redempta viuet, & laudabit Saluatorem, qui in iudicio ipsum iustum credentem adiuuabit, ne pereat; Vndè Diuus Hieronymus hìc; Absorpta, inquit, terrenæ corruptionis infirmitate, viuere se confitetur Deo per adiutorium iudiciorum eius. Et quis non viderit, dicit Diuus Augustinus, quantùm adiuuerit Ecclesiam sanguis Ecclesiæ, quanta ex illa semente seges toto Orbe surrexerit?

Nouissimè prorsus aperit se, & quæ persona per totum Psalmum loquebatur ostendit; Fiat manus tua, vt saluet me, quæ manus Domini, nisi filius eius? Isai. cap. 53. & brachium Domini cui reuelatum est? & Psal. 117. Dextera Domini fecit virtutem. Tunc viuet anima mea, & laudabit te, quia qui est Creator, fiet Saluator, filius ex semine ipsius Dauid, Ioan. cap. 1. numer. 14. qui habitabit in nobis. Hunc Ecclesia concupiscit, cuius anima, nempè eius fideles, viuet, & quotidie non cessabit laudare illum, quia iudicia ipsius adiuuabunt eam.

Erraui sicut ouis, quæ perijt, quia nondum pastor errantem me, fideles meos quæsiuit; quære nunc Domine, quia venisti, seruum tuum, Ecclesiam tuam, fideles tuos, quia mandata tua non sum oblitus. Non sum amplius ouis errans. Humeris tuis reportari deprecor, vt gaudia Angelis de mea inuentione tribuantur.

Sed si superius dixit, Et de mandatis tuis non erraui, & hìc, Mandata tua non sum oblitus, quomodò ait, Erraui sicut ouis, quæ perijt, quære seruum tuum, &c. Multi conantur ità hæc concordare, vt hìc id dumtaxat dicere velit, infirmus sum, & impotens, ideò auxilij tui indigens, sicut ouis, quæ perijt, vt non sit sermo de errore, quo erratur à via mandatorum Dei, sed quo exul à patria, pulsus à suis sedibus, vt de Dauide legitur, & etiã de Iudæis.

Sed pace illorum dixero, non de expulsione à sede sua, non deniq. de alijs Iudæorum exilijs, & expulsionibus intelligit, qui Saluatorem, vt veniret, & illum viuificaret, desiderabat, vt in hoc Psalmo, sed de errore à via veritatis, quem fecit Dauid peccando, & præcipuè quando homicidium, & adulterium commisit, cui pro pœna iniuncta gladius, qui non erat à domo eius recessurus, & etiam quando populum numerare fecit, pro quo pestem sibi à Deo immitti voluit, quia melius censuit in manus Domini incidere, quàm in manus hominum.

Errauit, sicut ouis, quæ perijt, qui recessit à via Domini; mandata Domini tamen non est oblitus, quia confitens peccata, & eorum pœnitens meruit liberari, & peccatum suum transferri. Quære nunc, inquit, Domine pœnitentem, & ad te clamantem; cui quotiescumque ingemuerit, & ad te clamauerit, parcere promisisti, Qui à me peccante longè factus per memet fueras, quære seruum tuum appropinquans mihi, quia mandata tua non sum oblitus.

Digitized by Google

SOLILOQVIVM.

EIA anima mea, recogita quot vicibus erraueris, qui octogeſimum, & ſecundum annum hodierno die attingis. Quoties dimiſſa ſunt tibi à Deo peccata, & nihilominus à via veritatis diſcedens, ſemper per montes, & caduca pertranſis, errando? In humeris paſtoris ouium ad ouile ducta, & tamen adhùc à peccando non deſiſtis. Domine Ieſu ſeruum tuum quære; ſicq. in via mandatorum tuorum fac me ambulare, vt te toto corde exquirens dignus ſim, qui propterea nuncuper beatus. Recede à malo anima mea, ſi vis cum iuſtis in vijs Domini & ipſa ambulare. Non me derelinquas Domine vſquequaque, quia iuſtificationes tuas requiram, & cuſtodiam, vt amplius non peccem tibi.

Retribue Domine mihi ſeruo tuo, vt cuſtodiens ſermones tuos, aperiantur oculi mei, & conſiderem mirabilia tua in omni tempore. Et quid poterunt principes aduerſantes, ſi oculi mei in cuſtodiendo ſermones tuos erunt vigilantes?

Da mihi Domine intellectum, vt ſcrutando mandata tua, in timore tuo ſeruem illa, quid enim iucundius mandatorum tuorum dilectione? Veniat Domine miſericordia tua, vt ſalutare tuum deſcendat ſuper me.

Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti, cum pœnitens, & dolens fuero: vt non recorderis iniquitatis meæ. Spes iſta me conſolata eſt in humilitate mea, quia eloquium tuum viuificauit me.

In hac ergo peregrinatione mea, in hac tenebrarum valle, tui ſemper memor ero Domine; quia priuſquam humiliarer, ego deliqui. Et tamen bonitatem cum ſeruo tuo feciſti, quia mandatis tuis credidi, bonitatem quæſo, & diſciplinam, & ſcientiam doce me.

Veniant mihi miſerationes tuæ, & viuam, & non confundar ab expectatione mea. Veni iàm Domine, iàm enim ſenex factus, & ſicut vter in pruina, & quando conſolaberis me? quot amplius ſunt dies mei, quando facies de perſequentibus me iudicium? Narrauerunt mihi iniqui, ſenſus ſcilicet mei, fabulationes, ſed non vt lex tua, quia caro aduerſus ſpiritum: omnes enim viæ tuæ, miſericordia, & veritas, cætera caduca, & mortalia; ſecundum miſericordiam tuam viuifica me, vt cuſtodiam teſtimonia oris tui.

Martha, Martha, cuius diem feſtum hodie celebramus, ſolicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium, Maria optimam partem ſibi elegit, quæ non auferetur ab ea; quia in æternum Domine verbum tuum permanet in cælo. Illa in adminiſtrando, hæc in laudando, & Deum glorificando. In æternum verbum tuum permanet in cælo; illa verò in adminiſtrando viam elegit, vt & placeret Deo: vtraque bonum faciendo, ſed melius iſta in laudando verbum, per quod permanet in cælo; ſim vſque huc Domine Martha, vt miniſterium implendo, paſcam te Dominum, in pauperibus ijs minimis, qui te mihi repræſentant Ieſum Chriſtum, vt & ego in naui ſine velo, verbo tuo perducar in ſalutis vitæ portum, tibi ſeruiendo.

In æternum & ego non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viui-

ficaſti

Digitized by Google

ficasti me, tuus sum ego, saluum me fac, quia iustificationes tuas exquisiui. Omnes peccatores, vt me perderent, expectauerunt, testimonia tamen tua intelligendo, omnis consummationis vidi finem.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, quæ prudentem me fecerunt super senes, & super docentes me. Sit lucerna pedibus meis verbum tuum, vt non transgrediar vias tuas. Anima mea in manibus meis semper, ità vt bonum, quod ante me posuisti, elegerim, malum autem abiecerim, quia tu Domine adiuuisti me. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me. Sermone tuo intellectum meum illumina, qui intellectum das paruulis. Ecce os meum aperio, vt vnà cum spiritu tuo attraham & mandatorum tuorum obseruantiam. Aspice in me, & miserere mei, vt non dominetur mihi iniustitia. Ignitum sit mihi eloquium tuum, vt tibi appropinquet deprecatio mea. Fiat manus tua, vt saluet me. Erraui sicut ouis, quæ perijt; pœnitens tamen sum, quapropter tu, quem pastorem bonum in me sæpius probaui, quære amabo & nunc seruum tuum, cum mandata tua non sim oblitus: Eia & tu Aduocata mea Maria Mater Christi oculos tuos ad me conuerte; vt te suscipiente me seruum tuum, valeam ad Deum meum peruenire. Amen.

IN PSALMVM CXIX.

Ad Dominum cum tribularer clamaui: & exaudiuit me.

CANTICVM Græduum. Primum canticum graduum, seù potius ascensionum; qui sunt numero 15. & vsque ad Psalmum 134. ordine consequuntur, vt ad summum perducant, & in atria Domini peruenientes dicere possimus, iuxtà Psal. 133. Ecce nunc benedicite Dominum, omnes serui Domini, in atrijs domus Dei nostri. Qui verò sint isti gradus, per quos ad Dominum ascendere possimus, declarat Propheta primò, dicens, Ad Dominum cum tribularer, &c.

Primus ergo gradus, siuè prima ascensio erit, vt cum à Domino tribulamur, patientes ab eo inueniamur, tentat enim Deus nos aliquando, vt probet, vt in cap. 3. Sapien. num. 4. & 5. Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se; Gradus quoque isti in Psalmis distinctis hìc explicati, in libro Ecclesiastici leguntur aliquo modo cap. 2. dum ibi docetur quomodò sequentes Deum præparentur; primò ad sustentandas tribulationes, Fili quippè dicitur, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem; deprime cor tuum, idest humilia, & sustine. Hìc autem dicitur, Ad Dominum cum tribularer clamaui, &c.

Sequitur secundus gradus Ecclesiastici, Inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus; Psalmus verò secundus, Leuaui oculos meos in montes, vndè veniet auxilium mihi, & prosequitur.

Tertius verò ascensionis gradus, Sustine sustentationes Dei, coniungere Deo, & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua; Omne, quod applicitum

tibi fuerit accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum, &c. homines verò receptibiles in camino humiliationis, Pſalmus verò 3. Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes noſtri, &c.

Sequitur quartus gradus aſcenſionis in Pſal. 4. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis, Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, quoniam multum repleti ſumus deſpectione; Eccleſiaſticus, Crede Deo, & recuperabit te, & dirige viam tuam, & ſpera in illum, ſerua timorem illius, & in illo veteraſce.

Quintus verò aſcenſionis Pſalmus, Niſi quia Dominus erat in nobis, &c. forte homines deglutiſſent nos, &c. Sapiens ille; Metuentes Dominum ſuſtinete miſericordiam eius, & non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illi, & non euacuabitur merces veſtra.

Sextus Pſalmus graduum, Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion non commouebitur in æternum, &c. Eccleſiaſticus, Qui timetis Dominum, ſperate in illum, & in oblectationem veniet vobis miſericordia.

Septimus gradus Pſalmi, In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus, ſicut conſolati, & Eccleſiaſticus, Qui timetis Dominum diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra.

Octauus Pſalmi gradus, Niſi Dominus ædificauerit domum, &c. Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris; Beatus, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis, non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta; Eccleſiaſticus; Reſpicite nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.

Nonus Pſalmus, Beati omnes, qui timent Dominum, &c. qui ambulant in vijs eius; Sapiens ille, Quis enim permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt, aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum?

Decimus graduum Pſalmus; Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, &c. Eccleſiaſticus, Et protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate.

Vndecimus Pſalmus, De profundis clamaui ad te Domine, Eccleſiaſticus, Væ duplici corde, & labijs ſceleſtis, & manibus maleſacientibus, & peccatori, terram ingredienti duabus vijs.

Pſalmus duodecimus, Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei; quia nempè humiliatum eſt cor meum, quod eſt ſacrificium Deo. Eccleſiaſticus contrà diſſolutos corde, inquit, Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo, & ideò non protegentur ab eo.

Decimus tertius Pſalmus, Memento Domine Dauid, &c. & alijs duobus Pſalm. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, &c. & Ecce nunc benedicite Dominum, omnes ſerui Domini, reſpondent hæc, quæ in libro Eccleſiaſtici, Qui diligunt Dominum conſeruabunt viam illius. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita ſunt ei: & qui diligunt eum, replebuntur lege ipſius, præparabunt corda ſua, & in conſpectu eius ſanctificabunt animas ſuas, & cuſtodient mandata illius, & patientiam habebunt vſque ad inſpectionem illius, dicentes, Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum, cum ipſo enim eſt miſericordia, quia magnus Dominus,

Gra-

Digitized by Google

Gradus ergo ascensionis hi esse videntur, primus tribulatio cum lætitia, secundus timor Domini cum dilectione, tertius spes in Domino cum fide, quartus inuocatio Dei cum gratiarum actione, quintus humilitas, vt exaltemur, sextus fides in Deo, vt liberemur à malo, septimus confidentia in Domino, quia misericordia eius præueniet nos, octauus dilectio ex corde Domini, quia illuminabuntur corda nostra, nonus spera in Domino, & non confunderis in sæcula: decimus, constans sis in mandatorum Dei obseruatione, & non derelinqueris: vndecimus, sæpè expugnatus es à iuuentute, de præteritis consolabitur senectus tua, sustine igitur: duodecimus, de profundis perturbationum clama, & Dominus eripiet te de manu inimicorum, sustine ergo martyrium: decimus tertius, mansuetus non insleris, quia Dominus disperdet elatos; detestare ergo peccata tua, & non apprehendet te superbia: decimus quartus, hæc supradicta faciens, videbis, quàm sit bonũ, & iucundum, &c. charitas ergo remanet; Qui ergo diligis Dominum, conserua vias illius, & quæ beneplacita sunt ei, inquiras: decimus quintus, tunc expectabis aduentum Domini, vt iudicando te ponat ad dexteram suam, dicens, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini.

Hi sunt gradus ascensionum, per quos ambulantes inueniemus Dominum, & Angelos suos exultantes. Hæc pauca dicere volui, relinquens alijs in explicatione istorum: quindecim graduum, quæ magna ipsis videntur, & sunt consideratione digna.

Incipit ergo primus Cantici graduum Psalmus. Ad Dominum cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me: Hieronym. Tres res in vno versiculo velociter explicantur, angustia, preces, & exauditio; tribulatur namq. omnis, qui piè viuere in Christo desiderat; vndè Apostol. 2. Timoth. cap. 3. nu. 12. Qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutiones patientur; oportet ergo, vt non vocum elatione, sed cordis humilitate proclamemus ad Dominum, si cupimus exaudiri. Vide ergo, quid ingresso in ascensionis gradus occurrat; tribulatur, Dominum confitetur clamando, & exauditur.

Summa Psalmi huius hæc est. Labia detrahentium non inficiunt quem benè munitum inuehiunt, verbis Domini, quæ sunt, sicut sagittæ acutæ contrà aduersarios.

Clamat ergo iàm in ouili positus, in gradum ascensionis ingressus, Domine libera me à lingua dolosa, & à labijs iniquis; & Dominus exaudiens illum respondet: Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguã dolosam? si iàm in gradu ascensionis ingressus, fide, & spe, & charitate es munitus? Cum quibus pugnas? cum carbonibus desolatorijs, Psalm. 139. num. 11. Cadent super eos carbones, in ignem deijcies eos, & non subsistent; Nonnè in nomine meo etiam dæmonia eijciuntur? Nonnè ipsi dæmones clamant, quia antè tempus Dominus venerit torquere illos? Matth. c. 8. nu. 29. sagittæ potentis acutæ sunt. Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei. Mittè nos, dicebant dæmones, in gregem porcorum. Ite, dixit Dominus, & illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis. Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs. Proijciantur & tentantes te verbis Domini in porcos, quando aggrediuntur tentationes diabolicæ, & carnales, vt sustinentes tribulationes, demergantur cum porcinis tentationibus suis in mare inferni.

Vel

Vel dicamus, ſagittas potentis acutas eſſe, & eloquium Domini ignitum vehementer, quod in carbones deſolatorios tranſiet, & faciet illos viuos, ità vt conuerſi & ipſi ad Dominum, expulſis dæmonibus, fiant & ex doloſis veraces, & ex iniquis iuſti, ſeruientes Domino, Tobiæ cap.8. Poſtquam verò cœnauerunt,&c. Tobias protulit de Caſſidili ſuo partem iecoris, poſuitq. eam ſuper carbones viuos, tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti. Quid enim eſt fumus ex cordis piſcis particula, niſi orationes Sanctorum? Tobiæ cap.6. nu.5. Sit ad Deum oratio tua ex corde, fiat in proximum tuum charitas perfecta, vt fumus ignitus tuæ orationis aſcendat in conſpectu Domini, carbonesq. igne charitatis ſuccenſi, fiant ardentes in dilectione Dei, & tunc lucratus eris fratrem. Sagittæ ergo potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs. Præpara tu animam ad verbum Dei ſuſcipiendum; nàm vt dicitur in lib. Prouerb. cap. 16. num. 1. Hominis eſt præparare animam, & Domini gubernare linguam. Veruntamen eſt, vt dicit Auguſt. 2. Ioannis cap.5. contrà Pelag. quòd præparare cor non ſit ſine Dei gratia. Sint ergo ſagittæ acutæ in corde tuo, & Dominus dabit virtutem, cui non poterunt contradicere aduerſarij, Luc.cap.21.num.5.

Ad Dominum ergo, inquit, cum tribularer clamaui. Quis iſtius iuſti clamor? in quo tempore clamat? Cum tribulatur; Sed cur tribulatur? Quia peccauit, quia deliquit. Sed quomodò exauditus? Quia pœnitens, & confeſſus abſolutus eſt. Sed ſi abſolutus, & pœnitens, à quibus liberari feſtinat? A labijs iniquis, & à lingua doloſa. Rei huius, labijq. doloſi exemplum ab Euangelio habemus, Luc.cap.7.num.39. Quid dicis Phariſæe, qui Dominum inuitaſti? Hic, ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum; quia peccatrix eſt. Peccatorum multitudine premebatur mulier, ſed à maiori lacrymarum effuſione, confuſa, & doloroſa, quia peccauit, & ad pedes Domini, in quem ſpem habebat, & multum diligebat, proſtrata, lacrymis illos rigabat, & capillis tergebat. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; cui autem minus dimittitur, minus diligit. Quid dicunt tentatores? Peccaſti multum. Ideò qui potuit, dimiſit multum; confide, inquit Dominus, remittuntur tibi peccata tua. Quid dicunt labia iniqua? peccaſti multum, veniunt ſpiritales tentatores, iſta etiam opponentes, iniquè cogitantes iniuſta lingua. Non recordatur Dominus iniquitatum, ſi receſſerit ab illis iniquus, benè agens, Ezech.cap.18. & 33.

Sagittæ acutæ cum carbonibus vaſtatoribus, ſiuè deſolatorijs. Recogito coram Domino omnes annos meos; ſed in amaritudine animæ meæ, vt plus pœnitens, magis merear à Domino exaudiri, Iſai.cap.38. numer.15. Quia tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, Pſal.50. vndè Dominus in Iſai. cap.1.num.18. Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur.

Cupit etiam à lingua doloſa liberari, ab adulatoribus, & doloſis. Vt accuſarent enim Dominum; ſcimus, dicebant doloſi Iudæi, quia verax es, & non eſt tibi perſonarum acceptio. Licet ne dare cenſum Cæſari, an non? Matth. capit.22. numer.17. Cognita autem nequitia illorum, quid me tentatis hypocritæ? dixit Ieſus, habet enim lingua doloſa quodammodò pallium conſulentis, habet tamen venenum perimentis, dicit Auguſtin. Lingua

dolo-

doloſa dicta eſt, habet enim imaginem conſulendi, & perniciem nocendi.

Aſcenderat ad primum gradum cæcus ille euangelicus, tentatur à labijs iniquis, & à lingua doloſa, dicentibus ei: Tu totus natus es in peccato, & nos doces? Nos ſcimus, quia hic peccator eſt, Ioan. cap. 9. numer. 34. & eiecerunt eum foras, ſagittæ potentis acutæ. Quid reſpondit carbonibus mortuis iſte cæcus nunc videns? Vultis & vos Diſcipuli eius fieri? Niſi eſſet hic à Deo non poterat facere quidquam. Carbones mortui remanſerunt, quia verbum Dei negauerunt; non profuit illis euidens cæci viſio, quorum cor, ſicut carbones mortuum erat; Vndè Auguſtin. hìc carbones: dicuntur, qui ſe conuertunt ad Dominum, de mortuis reuiuiſcunt; antequam enim carbones accendantur, extincti ſunt, & mortui dicuntur; viui verò ſunt, quando ardent. Audi, inquit Auguſtin. homines mirari, & dicere, ego illum noui, quàm ebrioſus fuit, quàm ſceleratus, &c. modò quomodò ſeruit, quàm innocens factus eſt. Noli, inquit, mirari, carbo eſt, viuum gaudes, quem extinctum plangebas.

Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Quomodò exauditus? Niſi quia poſtquam ingreſſus eſt primum gradum ſalutis, cognouit, quia prius totus in peccato poſitus erat; poſtquam autem peccatum per legem Dei cognouit, timuit, dum in hoc ſæculo permaneret; ne iterum caderet in peccato, quibus prius inuolutus erat. Iàm igniti facti ſunt carbones iuſti huius, verùm quia in hoc ſæculo adhùc inter malos, & bonos eſt illius conuerſatio; ideò inquit.

Heù mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multum fuit incola anima mea; incola ſum in terra, non enim eſt hìc hæreditas mea Iſrael, Pſalm. 118. num. 19. In terra enim aliena habito, inquit & incola, quia per peccatum longè factus ſum exul à patria mea cæleſti, ideò tu Domine veniſti, vt ad illam me reduceres. Incolatus meus prolongatus eſt, quia necdum ſatis dolens, & pœnitens, tibi Domino, cui peccaui, plenè ſatisfeci; habitans cum habitantibus Cedar, cum habitantibus in triſtitia, in nigredine peccati.

Vel cum Auguſtino dicamus, Incolatus, quia non in patria illa Ieruſalem, vbi omnes boni. Omnis, qui ab illa peregrinatur, inter malos eſt, nec à malis recedere poteſt, niſi cum ad Angelorum ſocietatem redierit, vt ibi ſit, vndè peregrinatur, miſeri peregrini ab illa patria, vbi eſt omnis bonitatis plenitudo, omnis ſcientiæ, & ſapientiæ intelligentia, &c. Magna patria, & miſeri ſunt omnes peregrini ab illa patria. Vox Eccleſiæ laborantis in illa, vox illius, qui à finibus terræ clamat, Pſalm. 60. numer. 3. Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me, num. 21. Hæc eſt enim Eccleſia Dei, quæ clamat, de qua dicitur, Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

Heù mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar. Cur doles ſancte Dei, Eccleſia ſancta? Cur non gaudes, quod accola venit, qui non erat tecum, neque cum Deo, aduena quondam tuus adiungetur tibi, & gentes ſemen tuum hæreditabit: Ciuitates deſertas inhabitaſti, Iſai. cap. 54. num. 4. & 25. Cur nunc doles, cui dictum eſt ibidem à Domino, vt non timeas, quia non confunderis: incolatus tuus prolongatus eſt, vt quæ

prius

prius ſterilis eras, ò Gentilitas, nunc adiuncta es Deo. Lætare, inquit Paul. ad Galat. c.4. propè finem, ſterilis quæ non paris, erumpe,& clama quæ non parturis,quia multi filij deſertæ,magis quàm eius,quæ habet virum; quia ſeminaſti fidem Chriſti in omnem terram, & miſertus eſt tui; qui anteà eras abſque miſericordia, Oſe.cap.2.nu.23. cui non populo ei dictum eſt à Deo,Populus meus es tu,& tu viciſſim illi, Deus meus es tu, 1.Petr.1.nu.10. ad Rom.cap.9. nu.25.

Heù mihi, dicit Eccleſia ex Iudæa, & ex Gentilitate, ex vtraque vna; deo meo doleo incolatu, non quia filios pariam Deo,cui ſeruire debeãt omni tempore; ſed quia habitaui cum habitantibus Cedar; non quia ego ſim in tenebris ambulans; lucet enim in me lux Chriſti, neque tenebræ me apprehendunt, ſed quia & ſi à mari vſque ad mare,& vbique locorum ſim Dei Eccleſia,multi tamen meorum in monte Cedar adhùc habitant, nomen habent Chriſtianum, longè tamen ſunt à Chriſto vero Deo Redemptore, & luce vera, perſiſtentes in tenebris, Hinc etiam Paul. ad Galat. cap.4. nu.9. Nunc autem, inquit, cum cognouiſſetis Deum, immo cogniti ſitis à Deo, quomodò conuertimini iterum ad infirma.

Habitaui cum habitantibus Cedar, qui terrenis obſcurati longè facti ſunt ab Eccleſia Dei; Vel dicamus, Habitaui cum habitantibus Cedar, donec Dominus dederit vinitores, ideſt Apoſtolos, & Prædicatores eius, ex eodem loco, ex Iudæa ſcilicet, ad expugnandam vallem Achan, ad aperiendam ſpem, vt ſcilicet ſublatis Idolis, & Iudæorum ſuperſtitionibus, atque Gentilium, vt poſt turbationem illam, de qua per Ioſu. cap. 7. num. 25. factam per Achan, ſequantur proſpera. Tribulatur Eccleſia, in qua ſunt multi Achan, & hæretici; habitat cum habitantibus Cedar Eccleſia Iuſtorum, clamauit, vt prædicationibus illius, ſublatis hæreticorum tenebroſis opinionibus; vna ſit ſalutis omnium ſpes, Oſe. cap. 2. num. 15. ſublatus eſt Achan de illius valle. Vide ex tribulatione, quæ ſint bona ſubſecuta, ad Rom. cap.5. nu. 3. Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Cum habitatoribus ergo Cedar habitat, donec ſublatis Idolis, & peruerſorum opinionibus. Vna ſit omnium Eccleſia Dei, per quam ad cæleſtem patriam perueniamus. Non gemas itaque, non fleas,quòd turbaris in hoc mari, quia cum fratrem lucratus fueris, maior tibi gloria erit, in patria. Et cum nondum adimpleti ſint dies, vt omnes credant in illum, per quem ſalus facta eſt mundo; tu magiſtra veritatis Eccleſia, quæ alios patientiam doces, ſuſtine tribulationes in patientia, vt cum his, qui oderunt pacem, ſis & tu pacifica, & cum loqueris verba vitæ, & ipſi, & ſi gratis te impugnantes, conuerſi ad Dominum, ſuſcipiant inſitum verbum, & carbones incendantur charitate Dei.

Secundum recentiores, Pſalmus iſte magis conuenit Chriſto capiti noſtro viatori, ſecundum carnis paſſibilis conditionem; in oratione enim Dei pernoctans clamauit, & in horto, Si poſſibile eſt, tranſeat calix iſte, & demum in Cruce, & pro ſua reuerentia exauditus eſt. Exaltatus eſt à Domino, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Paſſus eſt etiam labia iniqua, & linguas doloſas vſque ad mortem; Incolatus illius prolongatus eſt, nàm & ipſe dixit Iudæis, Generatio adultera, & incredula quamdiù apud vos ero, quamdiù vos patiar? Matth.12.num.39.

Ha-

Habitauit in Cedar, & cum hominibus reputatus est, & habitauit in nobis, Ioan. cap. 1. quamuis ipse lux esset, & tenebræ eum non comprehenderint, cum maledicerętur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur; verè pacificus inter odientes pacem, Ioan. 15. ità vt meritò dicere potuerit, odio habuerunt me gratis.

SOLILOQVIVM.

IN tribulationibus constituta anima mea, confuge ad ad Deum tuum, & totis visceribus tuis ad illum clama. Omnipotens,& misericors Deus,qui me diù incolam, peccatorem sustinuisti, nunc pœnitentem, & dolentem eripe me à tribulationibus cunctis, & potissimum à labijs detrahentium iniquorum libera me, vt sagittis potentiæ tuæ acutis præmuniti tua dilectione, incendantur carbones aliàs mortuorum affectuum meorum, simul cum ijs item carbonibus per iniquitatem mortuis, qui iniquè me persequuntur, & desolare contèndunt; sicq. tua sancta adiuta ope, nullis iàm amplius obruar impugnationibus: tametsi id perfectè post expletum incolatum mecum in Cedar, ac tenebricoso mundo isto, exhibendum cælesti spero in patria. Virgo Maria Dei Genitrix, cuius Assumptionis diem celebramus, exaltata super sydera, porrige & tu aures mihi in valle Cedar existenti, vt tua intercessione libera sit à malis omnibus anima mea. Amen.

IN PSALMVM CXX.

Leuaui oculos meos in montes: vndè veniet auxilium mihi.

CANTICVM graduum, Titulus: Canticum graduum, ascensionis scilicet, & est secundus gradus, vide supra.

Continuatur ad præcedentem, in illo quippè actum de iustorum tribulatione,& patientia, Cæterum quia multum valet oratio ad Deum, & Sanctorum inuocatio, & exempla, si sequamur illa, ad impetrandum auxilium à Domino, ideò consequenter de his Psalmus iste tractans sic incipit.

Leuaui oculos meos in montes, vndè veniet auxilium mihi. Montes enim sunt omnes sancti Dei, Psal.49. Montes in circuitu eius, num.4. vbi August. & Psalm.71.num.3. Suscipiant montes pacem populo, &c. August. in Psal.89, litera K. Tom.8.

Summa hæc esse videtur, Ecclesiæ fortitudo mons Christus, & sancti eius.

Leuaui igitur oculos, inquit iustus tribulatus, ad montes; Quid est oculos ad montes leuare, nisi in angustijs, & tribulationibus constitutos ante oculos suos Apostolorum, & Martyrum, & Virginum, in confessione Iesu Christi persistentium exempla ponere, & auxilium eorum inuocare? Fugiant ad montes, quos in valle hac lacrymarum persecuti sunt, Marc. cap.13.num.14. nec descendant tollere aliquid de domo sua. Inuocat ergo sanctos, qui auxilium expectat à Domino, multiplicatis enim intercessoribus largitur Dominus, vndè

Iob

Iob cap. 5. in princ. Voca ergo si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere. In persecutionibus enim, quæ genera imaginari possunt tormentorum, quæ non sint in exemplo Martyrum exequuta per Tyrannos? Leua ergo oculos tuos in montes, qui in fide tentaris, & in Moyse, Psalmis, & Prophetis testimonium Christi videbis, Ioan.cap.5.num.39. quibus & illius accedant opera, ibidem Ioan. nu.36. & cap.10. nu.25. Ioannes sit testis, & testimonium perhibeat veritati, immo & Discipuli eius, Ioan.cap.3. num.28. Ipsi vos, (loquebatur enim Ioannes ad suos Discipulos, & ad Iudæos, dicens) mihi testimonium perhibebitis, quòd dixerim vobis; nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem, & facta erat quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione, & venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei; Rabbi qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Quibus Ioannes respondens, dixit, Non potest homo accipere quidquam, nisi ei fuerit datum de cælo, ipsi vos mihi testimonium perhiberis, quòd dixerim, non sum ego Christus, sed quòd missus sum ante illum. Qui credit in filium, habet vitam æternam, &c. qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum; & de Apostolis quid? Luc. cap.24.num.34. Vos autem testes horum, & ego mitto promissum Patris mei in vos. Et in Actibus Apostolorum per totum librum, ipsi testes sunt.

Qui ergo leuat oculos ad montes, exempla eorum cognoscet, in quibus quæcumque persecutionum genera, & tribulationes inueniri possint, immo & imaginari, reperiuntur exempla; ad ipsos ergo leua oculos tuos, & auxilium, quod à Domino procedit, habebis; Hac de re etiam admonet Dominus per Baruch cap.4.num.36. Circumspice Ierusalem ad Orientem, & vide iucunditatem à Deo tibi venientem, ecce enim veniunt filij tui, quos dimisisti dispersos, venient collecti ab Oriente, vsque ad Occidentem, in verbo sancti gaudentes in honorem Dei; & Augustin. hìc. Iàm illuminati sunt montes, iàm ortus est Sol iustitiæ, iàm ab Apostolis prædicatum est Euangelium, prædicatæ sunt Scripturæ, patuerunt omnia sacramenta, conscissum est velum, patuit secretum Templi, leuent oculos suos in montes, vndè veniet auxilium illis. Non præsumant tamen de montibus, quia ipsi montes non à se lucent, sed ab illo lucent, de quo Ioan.cap.1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; Et si montes homines clari, quis maior Ioanne Baptista? Matth.cap.11. Vide hunc montem lucentem, audi confitentem; Nos omnes, inquit, de plenitudine eius accepimus; non ergo à montibus est tibi auxilium, sed à quo acceperunt plenitudinem.

Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum, & terram, A Iesu Christo, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil; qui est & Deus, & ab ipso facta sunt, vt sint; & Dominus, quia omnia, quæ sunt, ineffabiliter possidet. Et quid amplius nos docet iustus noster? Et non det in commotionem pedem tuum. Non transeas ad extranea, quia non dormit, qui vigilat super omnia, quia neque dormiet, qui custodit te: vndè Paul. 1.Corinth. cap.10. numer.12. Iàcq. inquit, qui se existimat stare, videat, ne cadat; & ad Rom.cap.1. nu.20. Vide bonitatem, & seueritatem Dei; in eos, qui ceciderunt, seueritatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & seueritatem,

si tu

ſi tu excideris. Iàm in ſecundo aſcenſionis gradu es; vide ne pedem tuum retrahas, ne tentatio te apprehendat, vide ne affectus humani in aliud trahant: noli confidere quòd ſis in Eccleſia, quòdve oculi tui leuati ſint ad montes, ſtà in gradu. Nàm qui aſcenderat ſupra, & Altiſſimo ſimilis voluit fieri; ſtabat ſurſum, & cecidit deorſum, erat Angelus, & factus eſt diabolus. Auguſtinus. Vndè motus eſt illi pes? ſuperbia cecidit, Angelus in cælo, diabolus in inferno per ſuam ſuperbiam, Iſai. 14. num. 12. Fuge ſuperbiam, quæ ſola tendit ad ruinam. Tu verò ſub tegmine alarum Dei ambula, Pſalm. 35. num. 6. vt in humilitate poſitus, non moueatur ab illa pes tuus. Spera in Deo, vt torrente voluptatis ſuæ potum accipiens, ebrius in illo tu fias; quia apud illum eſt fons vitæ. Non veniat ergo tibi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non mouebit te.

Aſcendiſti primum gradum, quia in Deo proficere cœpiſti; ſequere proficiendo, diuinam defenſionem petendo, & tunc quis contradicet tibi? quia obuiabit tibi, ſi congruè ſecundum ſequaris gradum auxilium Dei petens ex corde? Iuſtus enim in æternum non commouebitur, Prouerb. 10. nu. 30. Non det in commotionem pedem tuum, neque dormiet, qui cuſtodit te, Admonet ergo iuſtus, vt ſperans in Deo non det in commotionem pedem ſuum; rationemq. tacitè reddit, quia neque dormiet, qui cuſtodit te, quaſi dicat, ne tu cogites, quia non ſit cura de omnibus, neque vigilet ſuper omnes. Caue tibi, & attende diligenter auditui tuo, quoniam cum ſubuerſore tuo ambulas, Eccleſ. 13. num. 17. vigila ergo, ne capiaris, vt ibi, quia & ipſe vigilat, ne deſpiciaris ab aliquo, neque cadas. Non te moueat affectus malus, qui habes cuſtodem vigilem.

Auguſtin. Vocatur iſte, vt aſcendat, non vt cadat, vt à conualle plorationis proficiat, non in tumore ſuperbiæ deficiat. Ait Deo, Ne des ad mouendum pedes meos; & Dominus illi, Neque dormitet, qui cuſtodit te. Vna ſententia facta eſt ex duabus vocibus. Homo dicit aſcendẽs, & cantans canticum nouũ, canticum graduum, ne des ad mouendum pedem meum, dicis mihi, adde, neque dormitet, qui cuſtodit te, & non mouebitur pes tuus. Dixerat autem ille, nunquid in poteſtate mea eſt, vt non dormitet, qui cuſtodit me, volo, vt non dormiat, neque dormitet; ergo illum tibi elige, qui non dormiet, neque dormitabit, & non mouebitur pes tuus. Deus nunquam eſt dormiens, ſi vis habere cuſtodem non dormientem, neque dormitantem, ecce non dormiet, neque dormitabit, qui cuſtodit Iſrael. Eſto ergo tu Iſrael, ſcilicet homo videns Deum per fidem, viſurus deindè & per ſpeciem; interim enim cum pertranſierit Chriſtus, poſteriora eius videbis, Exod. 33. in fine, Ioan. 13. nu. 21. Cum veniſſet, inquit hora, vt pertranſiret de mundo ad Patrem Dominus noſter Ieſus Chriſtus; Paſcha enim tranſitus interpretatur, quem fecit Dominus de morte ad vitam, de mundo ad Patrem, quia reſurrexit, & voluit videri. Quid eſt hoc, ait idem Auguſtin. hìc, cum credideris in poſteriora peruenies ad viſionem faciei? cum credideris, inquit, in id, quod poſterius pro te factus eſt Chriſtus, cum credideris in id, quod poſterius ſuſcepit Chriſtus, nàm primo facies eius, quæ eſt? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, poſteriora ſunt, Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Cum ergo credis in hoc, quod pro te factũ eſt Verbum, & reſurrexit

in carne, ne tu de tua carne desperares, efficeris Israel, & tunc factus Israel, non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.

Quis verò sit, qui custodit, declarat; Dominus custodiet te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam. Ad cuius versiculi intelligentiam, vellem, vt connexionem præcedentium considerares, & ex illis videbis quid intelligat Propheta per ista verba; Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.

Incipit ergo iustus iste, qui ex fide viuit, narrans, quòd ideò tribulatus clamat ad Deum, (piè enim viuentibus non deficiunt tribulationes) & quòd auxilium expectat. Leuaui, inquit, ego tribulatus oculos meos in montes, vndè veniet auxilium mihi à Domino. Verùm quia iàm ascensionis gradus duos ascendit, non tentatur supra id quod possit, non dat in commotionem pedem suum, cui stat in custodiam Dominus, qui non dormit, neque dormitat. Tu ergo cum sis in custodiendis mandatis Dei vigilans, & Dominus, qui non dormitat, neque dormit super te, adeòq. non te derelinquet. Immo eius protectio super manum dexteram tuam.

Iàm terrena dereliquit iustus iste, quæ per sinistram demonstrantur, quia transitoria. Ex parte ergo tua viriliter age, fortis esto in bello, quia Dominus supponet manum suam, potentiam suam, virtutem suam super brachium tuum, super fortitudinem tuam, idest vt destruas iniquum, & vltorem. Leua itaque oculos tuos in montes, sta in excelso, iacta voluntatem, & cogitatum tuum in Domino, & ipse supponens manum suam, faciens te potentem, adiuuabit te, qui relinquens sinistram, idest temporalia, secutus es dexteram, idest æterna.

Vel dicamus; Habes sinistram, idest temporalia, quæ tibi Deus dedit, manus tua ea distribuat, Et dextera Dei amplexabitur te, Cantic. cap. 2. numer. 6. eritquè semper protectio tua, Læua eius sub capite meo, Augustin. Sinistra eius sub capite meo, deorsum enim est sinistra, sursum verò dextera. Sinistram supponit ad consolationem; dexteram verò ad protectionem; super sinistram sit caput tuum, idest fides tua, vbi est Christus, vt quæ habes à Deo sub capite tuo ponas, idest de illis in paueres disponas, & erunt sub capite tuo Christo; qui ideò illa tibi dedit, vt pauperibus distribuas. Quod enim vni ex meis minimis feciſtis, mihi feciſtis; & dextera manus eius amplexabitur te, idest proteget te, vt nullus valeat contrà te. Quæ verò sit sinistra, quæ dextera, declaratur in Prouerb. cap. 3. nu. 15. Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra eius diuitiæ, & gloria, longæuum est, viuere in æternum; longumq. pro æternitate ponitur; longa ergo vita in dextera eius, at verò diuitiæ, & gloria, idest huius vitæ sufficientia, quæ ab hominibus existimantur; sinistra est.

Sed quid si iustus in dignitatibus prosperatur, vel in tribulationibus valdè cruciatur? sequitur Psalmus, Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem. Nonnè quia magnus fueris effectus, magnitudo illa, dignitas quæuis designata per Solem, ità inflammabit, vt vrat te, scilicet vt non cognoscas, quia cum hæc sint transitoria, te faciunt relinquere æterna? quod tamen sub diuina protectione tibi existenti minimè continget, Neque tribulatio, quæ per Lunam, seù noctem accipitur, discedere te faciet à via recta, vndè Paulus, an

an-

Digitized by Google

anguſtia? an fames? &c. & ad Hebr. 3. nu. 18. in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt, & eis, qui tentantur auxiliari; Vndè Hieronym. hìc, Iuſtus nec in proſperis eleuari poteſt, nec in triſtibus deijci, quod in die, & nocte, hoc in Sole ſignificatur, & Luna.

Vel aliter dicamus. Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem. Si credis reſurrectionem Chriſti á mortuis, dies iàm eſt in te, quia ipſe eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non ideò Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter vrit te, ideſt fidem tuam vacillare faciet, ne ſcandalizeris; quia cum ipſe Deus ſit, quem totus non capit Orbis, per quem omnia facta ſunt, qui in Mariæ Virginis viſceribus ſe claudere dignatus eſt pro ſalute tua; cum Paulo fideli dicas, O altitudo ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Paul. ad Roman. capit. 11. numer. 33. Per diem mundi ſapientes Sol non vret, vt non euaneſcant in cogitationibus ſuis, nec cor eorum obſcuretur tamquam inſipiens, ad Roman. cap. 1. num. 16. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti; Iuſtitia enim Dei reuelatur in eo ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt, iuſtus ex fide viuit. Non vritur ergo à Sole, qui eſt Chriſtus, qui in ſapientia non errat; & qui in Eccleſia, & in carne Domini, & in his, quæ pro nobis temporalia geſta ſunt, non errat, Non vrit Luna; Auguſtin. omnis autem homo, quamuis iàm in Chriſtum crediderit, aut ibi errat, aut ibi ſi non in illo fit, quod dictum eſt, Dominus tegumentum tuum ſuper manum dexteræ tuæ: quaſi per diem à Sole, & vritur à Luna per noctem.

Sed quid eſt vſtio? ſcandalum, 2. Corinth. cap. 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Per diem ergo, dicit Auguſtin. Sol non vret te, neque Luna per noctem, quia Dominus cuſtodiet te ab omni malo, à ſcandalis in Sole, & à ſcandalis in Luna; ab omni malo te cuſtodit, qui eſt tegumentum tuum ſuper manum dexteræ tuæ; qui non dormit, neque dormitabit, ne tenteris vltrà quàm poſſis; ſi in fide permanſeris, ad Roman. 11. num. 20.

Dominus cuſtodiat te ab omni malo; cuſtodiat animam tuam Dominus. Sed nunquid à corporis pœna? quia confitetur Domino; quia non lapſus ſit pes eius? A malo, inquit, animæ intelligit, ne labatur pes eius in delictum. Corpus aduerſarij occidere poſſunt, non animam, quam cuſtodiri à Domino petit, qui fidelem iàm in ſecundo aſcenſionis gradu inuenit. Propterea dicit Pſalmiſta, Cuſtodiat Dominus introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc, & vſque in ſæculum. Non enim incipiens, ſed proficiens conſideratur, quando à corpore eius anima recedit, tunc cuſtodiam exitus petit, vt in exitu, in fine protegatur, ne in infernum, in chaos præcipitetur, ſed cum Lazaro ſempiterna requie perfruatur.

Dominus cuſtodiat animam tuam ab omni malo; Auguſtin. A ſcandalis in Sole, & Luna poſitis, & à perſecutoribus, & cuſtodiat animam tuam à perſecutoribus, ne cadat, & ſi corpus occidatur, non flectatur animus.

Dominus cuſtodiat introitum, & exitum tuum, introitus ſcilicet, quando in tentationes intramus, nàm ſicut fornax vas figuli probat, ità homines iuſtos probat tentatio tribulationis, quando vincimus eximus, intrantes

cuſtodit, vt ſana fide intremus, & humiles, ne in tentationis fornace per ſuperbiam crememur, & etiam dum non ſinit tentari ſupra vires exitum cuſtodit, hæc ex Auguſtin. Faciat ergo Dominus cum tentatione prouentum, vt cum exierimus, ſalui ſimus.

SOLILOQVIVM.

LEVAVI oculos meos in montes, & in ſenectute iàm exiſtens, auxilium tuum Domine imploro, vt in hac via tua mihi ſis corona dignitatis in cælo. Credo enim, quia tu es Deus, qui cælum, & terram feciſti, & vt me redimeres, ex Maria Virgine carnem noſtram ſuſcipiens, paſſus, & à Iudæis crucifixus, mortuus, & reſurgens in cælum aſcendiſti. Non dedi pedem meum in commotionem, cum hoc firmiter credam; tu enim ſcis Domine, quia amo te, qui ſuper Iſrael non dormis; ſim & ego Iſrael videns Deum, vt ab omni malo cuſtodias animam meam, vt nec in proſperis eleuer, nec in triſtibus deijciar; ſed ità introitum, & exitum meum ex hac vita cuſtodi, vt tua cuſtodia protectus, euadam pœnas vltionis.

Sancte Ioannes Baptiſta Domini Præcurſor, cuius feſtum colimus, qui viam Domino præparaſti in Eremo, cuius & mors præmium extitit ſaltatricis filiæ adulteræ, & inceſtuoſæ dignæ tua reprehenſione. Qui viam iuſtitiæ ingreſſus, nec commouiſti pedem, quia Dominus cuſtodiuit te; intercede pro me miſero peccatore, vt recedens à malo, & ſeruiens Deo, & Domino meo Ieſu Chriſto, merear & ego per miſericordiam ſuam ad illum peruenire, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Sub tuum præſidium Virgo Dei Genitrix Maria, confugio, meam ſuſcipias deprecationem, vt à periculis cunctis, tua protectione cuſtodiar. Amen.

IN PSALMVM CXXI.

Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: In domum Domini ibimus.

TITVLVS, Canticum graduum, vt dixi ſupra. Tertius aſcenſionis gradus.

Continuatur ad præcedentes duos primos, vbi primum de his, qui Deo ſeruire volunt, quòd tribulabuntur, in ſecundo quòd tribulati, ad Dominum leuantes oculos, & patientes auxilium deſuper expectant; in hoc verò tertio gradu meritò patientes, & in Deum ſperantes, & oculos ſuos leuantes, læti laudes Domino canentes eorum quiſque dicit, Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi. Tribulatur, ſuſtinet, ſperat, lætatur, quia tuta iàm ſpe confidit in domo eſſe Domini, vbi eſt pax in æternum. Beati ergo, qui tribulati ſunt corde, & ſpes illorum in Domino, nàm lætantes in domum Domini ibunt.

Summa, Lætetur anima iuſti, quæ de terrenis transferenda eſt ad regna cæleſtia.

Læta-

Digitized by Google

Lætatus, inquit, in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Anima iuſti dum in hoc ſæculo moratur, quia cum habitantibus Cedar habitat; cum his, qui bella volunt eſt pacifica, & impugnatur, tribulatur, quia incolatus ſuus prolongatur, inueterauit inter omnes inimicos ſuos, Pſalm.6. num.7. ideò turbatur oculus eius, permanet in innocentia ſua non commouetur pes eius, firmus in fide, oculos ad cælum leuat, auxilium à Domino ſperat, accepit diuinum reſponſum à Spiritu ſancto, per Prophetas, Apoſtolos, Martyres, & alios Sanctos Dei, vt ſuſtinens Dominum viriliter agat, & confortetur cor ſuum, quia in domum Domini ibit, vbi eſt pax perpetua, vita æterna, & gloria ſempiterna.

Sed cum lætetur iſte iuſtus, cur poſtmodum dicit, in domum Domini ibimus? Qui ſunt illum comitantes, quos lætantes inuitat, & gaudentes? Declarat id infrà, dicens; Illùc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini Domini. Fideles ergo Chriſtum confitentes, & videntes, Iſrael enim confitens, ſeù Deum videns; qui ſcilicet credunt Ieſum Chriſtum filium Dei ante ſæcula genitum, cuius poſteriora videmus, quia Verbum quod erat à principio caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, &c. Ioan. dicto cap.1. hos inuitat Dauid ad lætandum, & in fide permanendum, quia cum Dauide, & cæteris ſanctis Apoſtolis, Martyribus, & Prophetis, ibunt in domum Domini, non manufactam, non terrenam, ſed cæleſtem, æternam, in qua gloria, & diuitiæ, & iuſtitia Domini manet in ſæculum ſæculi, Pſalm.111. numer.3. Benè ergo clamauit iuſtus, quòd incolatus eius eſſet prolongatus, cupiens cum Paulo diſſolui, & eſſe cum Chriſto, ad Philippenſ. cap.3. numer.23. Adhùc ſuſtinete modicum ſancti Dei, donec impleatur numerus fratrum veſtrorum, non enim coronatur, niſi qui legitimè certauerit, ideſt niſi miles Chriſti, qui vſque ad finem determinatum pugnando, ſteterit in bello; Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia eſt merces operi tuo, ait Dominus, & reuerteris de terra inimici, & eſt ſpes nouiſſimis tuis, dicit Dominus, Ierem.31. nu.16. Et quamuis lætus ſit in ijs, quæ dicta ſunt ei, neceſſe tamen eſt, vt vſque ad finem in bonis operibus perſeueret.

Lætatus ſum; ſed in quo lætatus? quia diues? quia in conſpectu gentium apparens in dignitate poſitus, glorioſus in imperio, & poteſtate terrena? Lætatur in verbis Domini: lætatur quia tribulatur, quia patiens, quia ſperat in Domino, Pſalm.89.num.15. Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti; annis, quibus vidimus mala. Et quid dicit Dominus? Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me, Matth.c.16. num.24. Ideò læti, & gaudentes ibant Apoſtoli à conſpectu concilij, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, Act.5.num.41.

Bernard. in lib. Sermon. diuerſ. Sermone de Fallacia præſentis vitæ fol.351. littera E. Non nobis glorioſa veſtis, non glorioſa domus, ſed ipſa gloria promittitur, ſi quid verò illorum, aut ſimilium dicitur, figura eſt. Iuſtorum autem expectatio non aliquid lætum, ſed ipſa lætitia eſt. Gaudent in cibis, gaudent in pompis, & diuitijs, & in vitijs homines gaudent, ſed luctus extrema occupat eiuſmodi gaudiorum; cum gaudium, quod in materia eſt conuertibili, mutari neceſſe ſit, re mutata: Accenditur cereus, non purum lumen eſt,

Digitized by Google

ſed lucerna; ſiquidem ignis ipſe propria fomenta conſummit, nec niſi ipſa conſumptione fouetur, porro deficiente materia, etiam ipſe deficiet. Sicut ergo flammæ illius extrema fumus occupat, & caligo, ſic lætitia lætæ rei in triſtitiam commutatur. Nobis autem non fauum mellis, ſed puriſſimum, & liquidiſſimum mel repoſuit Deus, ipſam planè lætitiam, vitam, gloriam, pacem, voluptatem, amœnitatem, felicitatem, iucunditatem, & exultationem theſaurizauit nobis Dominus Deus noſter, & hæc omnia vnum, vt ſit participatio Ieruſalem in idipſum, & hoc vnum, & idipſum, non niſi ipſe, Apoſtolo dicente, quoniam Deus erit omnia in omnibus, &c.

Neque verò cum propterea à gaudio extollimur, peccatum eſt, ſi extollentiam oculorum non habuerimus, ſed magis humiles Deo gratias agamus. Vndè Gregor. quem refert Bernard. in Serm. 55. de Modo benè viuendi fol. 1327. littera B. Lætitia præſentis vitæ, ità eſt agenda, vt amaritudo ſequentis iudicij nunquam recedat à memoria, &c. cum bona ergo agimus, mala, quæ fecimus, ad memoriam reducamus, vt dum culpam certè cognoſcimus, nunquam de bono opere incauti lætemur. Vera ergo lætitia eſt ſperantium in Domino, quia Dominus habitat in illis, Pſalm. 5. num. 13. ità gaudet iuſtus in his, quæ dicta ſunt nobis, in domum Domini ibimus, ſi ſtantes erunt pedes noſtri, vt non declinemus à via.

Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus, quia ſtantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Ieruſalem. Stantes erant pedes, quia affectus noſtri, operationes noſtræ ſtabiles in Eccleſiæ atrijs iuxtà traditiones, quæ in Eccleſia ſunt Apoſtolorum, Prophetarum, & Sanctorum Euangelium Domini noſtri prædicantium; nàm iàm in tertium aſcenſionis gradum ingreſſi erant, in Eccleſiam introierant; per atria enim Euangelium, per atria prophetia, & præſens Eccleſia, iàm ergo in Eccleſiam ingreſſi, & ſtantes vniformes populo Dei, Auguſtin. & alij in Pſalm. 95. num. 8. in atrijs tuis, ò Ieruſalem, ò Eccleſia cæleſtis Dei, ſtantes ergo erant in Apoſtolorum, & Prophetarum doctrina, per quam lætantur, qui in domum Domini per hanc viam ingrediuntur iuſti, fortes, conſtantes, & in aliquo non deuiantes à veritate Dei.

Quòd verò ſermo hic ſit, non de terrena Ieruſalem, quæ nunquam voluit congregari à Deo, ſicut à gallina congregantur pulli ſui, ſed de cæleſti, cuius lapides ſancti, & ſine macula ſunt, Deum laudantes, ex eo patet, quod dicitur, Ieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum; In quam non intrabit aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, Apocalypſ. cap. 21. nu. 26. Cuius participatio eius in idipſum, quia Dominus Deus omnipotens Templum eſt illius, & Agnus, omnes enim de gloria ipſius participabimus. Ipſe Ieſus Sol illius eſt, & in ipſo omnes videbimus lumen, & ambulabunt gentes in lumine eius, dicto cap. 21. Auguſtin. hìc, Quid eſt idipſum? idipſum eſt, quod ſemper eodem modo eſt, ideſt, æternum.

Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini, tribus tribus, ideſt multæ turbæ diuerſarum gentium, Dominum Ieſum Chriſtum confitentium, phraſi illa Hebraica, qua Geneſ. numer. 10. Vallis autem ſilueſtris habebat puteos multos bituminis, hebræ puteos, puteos bituminis, & ideò dicit teſtimonium Iſrael, ſcili-

Digitized by Google

ſcilicet propter quorum teſtimonia demonſtratur, quia Iſrael ſunt, quia nempè ſequentes præcepta Dei, prævalent Deo. Tribus enim nunc cum alijs tribubus mixtæ non cognoſcuntur, ſicut granum quando eſt cum palea, quia totum palea putatur, ſed cum ſeparabuntur, apparebit granum; tunc erit teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini Domini. Hieron. hìc. Illùc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini, non peccato obnoxiæ, ſed tribus Domini, quæ cognoſcentes Dominum illum ſequi non diſtulerunt; quod ad gentes eſt referendũ, &c. teſtimonium Iſrael, vt eum condemnet, quia ille eum in multis oſtenſum miraculis non cognouit; tribus verò gentium ſtatim cognitum receperunt, Act. cap. 13. nu. 48. Audientes autem gentes gauiſæ ſunt, & ideò ſicut de Regina Auſtri, & Niniuitæ illos condemnabunt, Luc. cap. 11. num. 30.

Sequitur igitur, Quia illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid. Sedes ergo ſedent in iudicio? in Iſai. cap. 66. in princ. declaratur, quæ ſint ſedes Dei, vbi dicitur, Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Cælum Apoſtoli ſunt, & iuſti, Cæli enarrant gloriam Dei, Pſalm. 18. ſi ergo cæli Apoſtoli ſunt, ergo ipſi Dei ſedes ſunt; vndè Auguſtin. Qui ſunt cæli, niſi iuſti? qui cælum, ipſi cæli. quia quæ Eccleſia, ipſæ Eccleſiæ, ſic ſunt multæ, vt vna ſit; ſic ergo, & iuſti, ità ſunt iuſti cælum, vt cæli ſint, in ipſis autem ſedet Deus, & de ipſis iudicat Deus. Quia illìc ſederunt ſedes. Qui ſunt ſedes? de quibus dictum eſt, Anima iuſti ſedes ſapientiæ. Qui ſunt ſedes? cæli. Qui ſunt cæli? Cælum. Quid eſt Cælum? de quo Dominus dicit, Cælum mihi ſedes eſt; & ipſi iuſti ſunt ſedes, & habent ſedes, & in illa Ieruſalem ſedebunt ſedes. Ad quam rem? In iudicium: Sedebitis ſuper duodecim ſedes iudicantes, &c. quos dicit iudicantes? eos, qui ſunt in terra; qui facti ſunt cælum, ipſi iudicabunt, quos ad dexteram, & quos ad ſiniſtram, &c. & Dominus iudicabit cum illis: Vndè Iſai. cap. 3. nu. 14. Dominus ad iudicium veniet cum Senioribus populi ſui, & Principibus eius, Matth. c. 25. Venite benedicti, qui ad dexteram erunt, &c. ijs verò, qui ad ſiniſtram, cum Iudice ijdem dicent, Ite maledicti in ignem, &c.

Iudicabunt iſti duodecim ſedes Iſrael, eos quibus datum eſt noſſe verbum Dei, myſteria Dei, Chriſtianos nempè bonos, & malos, vt qui bona egerunt, eant in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum. Sed quid de cæteris gentibus? iàm illæ iudicatæ ſunt, Ioan. cap. 3. numer. 36. quia in incredulitate ipſorum moriuntur, in infernum, ideò dicit, iudicantes Tribus Iſrael, Ioan. cap. 5. num. 24. Qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſit à morte in vitam; non venit in iudicium ſcilicet condemnationis, veniet tamen in iudicium diſcuſſionis, & præmiationis, vt ibidem Lyran. Sedes ergo ſuper domum Dauid, ideſt ſuper familiam Chriſti, cui dederunt cibum in tempore opportuno; iuxtà id Matth. c. 24. Mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ſuos à quatuor ventis, à ſummis cælorum, vſque ad terminos eorum.

Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem, & abundantia diligentibus te; Auguſtin. Hieronym. & alij, Rogate exponunt, interrogate, quæ ad pacem ſunt Ieruſalem, ideſt interrogate, quæ ad pacem pertineant huius ciuitatis Ieruſalem, & ſequimini eam; vt per dilectionem pacis, fructũ conſequamini æternæ

bea-

beatitudinis. Sed ſi iàm ſederunt ſuper ſedes, vt iudicent, quomodò interrogandi, vt diligant, qui iàm in iudicium vocati, debent iudicari, vt ſi bona egerint, ponantur ad dexteram, &c. & eò magis dicitur, quia illìc ſederunt in iudicio, ideſt ſedebunt, nondum enim erat iudicium. Crederem ego, quòd iſti iuſti, hæ ſedes, ideſt Apoſtoli, & Prædicatores, ideò monentur à Pſalmiſta, vt docentes populum, illa, quæ ſunt pacis Ieruſalem oſtendant, hoc eſt, charitatem in alterutrum prædicent, vndè ſequitur Pſalmiſta, dicens.

Quia erit abundantia diligentibus, nàm etſi amphoram aquæ frigidæ pauper ille dederit ex charitate proximo, Matth.cap.10.num.42. non perdet mercedem ſuam, tantum enim illi imputabitur, quantum Zachæo, qui dimidium patrimonij donauit pauperibus, Matth.cap.10. & Luc. cap.19. Impar enim facultas, ſed non impar charitas, Auguſtin. hìc. Iuxtà ergo, quod per Dominum Diſcipulis mandatum eſt, vt ibi per Matth.d.cap.10.num.7. Euntes prædicate, dicentes, quia appropinquauit Regnum cælorum, & hæc accipienda.

Rogate quæ ad pacem, ideſt docete, quæ ad pacem in Eccleſia Dei ſunt, neceſſariò per fideles facienda, ideſt Dei dilectionem, & proximi. Rogate ergo, ò fideles, ò iuſti Deum omnipotentem, vt nobis, in hac Ieruſalem exiſtentibus adaugeat, fidem, ſpem, & charitatem, vbi enim hæc abundant, pax multa diligentibus illam ciuitatem, & non eſt illis ſcandalum, immo abundantia diligentibus illam; plenitudo autem deliciarum, & ſufficientia diuitiarum ipſe Deus, ipſe idipſum, cuius participatio eſt ciuitatis in idipſum, ipſe erit abundantia noſtra; Auguſtin. littera H. ſed vndè? Per charitatem, hoc eſt per virtutem, vndè Ioan. cap.19. in fine, Rogo, vt ſint vnum nobiſcum. Fiat ergo pax in virtute tua, quia virtus tua, dilectio tua. Quàm magna dilectionis virtus, quæ mortem vincit, Cantic.cap.8. num.6. Fortis eſt vt mors dilectio, nulla enim potentia humana reſiſtit morti, & tamen viribus eius eſt comparata charitas. Auguſtin. Ipſa charitas occidit quod fuimus, vt ſimus quod non eramus, in nobis dilectio facit quandam mortem. Ipſa morte mortuus erat, qui dicebat, Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo, ad Galat.c.6. numer. 14. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto, ad Coloſſenſ.cap.3.numer.3. Charitas ergo ſit in nobis, quod eſt vinculum perfectionis, & pax Chriſti exultet in cordibus noſtris, in qua vocati ſumus in vno corpore, dicto cap.3.nu.15. Qui Deum, ac Ieruſalem ſanctam diligunt, abundanter retribuitur illis, nàm ex inopia abundantia; hìc enim inopes, ibi abundantes; hìc infirmi, ibi firmi; hìc egeni, ibi diuites. Quid enim dederunt hìc? quod acceperunt ad tempus, & Deus retribuit illis in æternum. Quid te plenum putas hìc? ò diues, qui poſteà eges, & eſuris, tumor eſt tibi, qui putas diuitem eſſe, quia ſepulchrum erit domus tua in æternum, quia Domini viam non cognouiſti, Pſalm.5.num.11. Errauimus, inquiunt, qui in inferno poſiti ſunt, à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis, Sap.5.num.6.

Fiat ergo pax in virtute tua, quæ eſt ipſe Chriſtus, vt pax Chriſti, quæ exuperat omnem ſenſum, ad Philippenſ.cap.4.num.3. cuſtodiens corda noſtra, & intelligentias noſtras in Chriſto Ieſu, faciat etiam abundantiam in turribus noſtris, in cæleſti patria vbi ceſſant omnia aduerſantia; hæredes enim Dei ſumus, & cohæredes Chriſti, in cuius Regno manſiones multæ ſunt, & fortes.

Pro-

Digitized by Google

Propter fratres meos, & proximos meos loquebar pacem de te. Suprà dixerat Propheta, Illùc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini ad confitendum nomini Domini, omnes enim iuſti populus Domini ſunt, Iſai. cap. 60. nu. 21. & cap. 43. nu. 7. Et omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum. De populo Gentili loquitur, qui verbum Domini gaudens ſuſcepit, vnà cum Iudæorum multis; qui & ipſi fidem ſuſceperunt Ieſu Chriſti; hos enim fratres, & proximos appellat Dauid. Dicit ergo Eccleſiæ Dei, & Iudæis, & Gentilibus vna factæ, ò Eccleſia Dei de te loquebar ſupra pacem, quia ibi eſt pax, vbi Deus inhabitat, propter fratres meos, & proximos meos, qui adiungentur tibi, quæ es domus Dei; ideò quæſiui bona tibi, Ioan. cap. 17 littera D. Quæ bona quæſiuit? audi; Pater rogo, vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, ego in illis, & tu in me; vt videant gloriam meam. Precatur enim Patrem pro proximis fratribus; qui efficiunt ciuitatem Regis æterni, cui hæc bona quæſiuit, vt in vnam ciuitatis illius tranſiret habitationem, & ideò ſuperius dixerat Dominus in Ioan. d. cap. 17. Non pro eis rogo tantùm, ſed & pro eis, qui crediturí ſunt in me per verbum eorum.

SOLILOQVIVM.

LÆTARE anima mea in his, quæ dicta ſunt tibi; nàm ſi firmiter crediderís, & in vijs Domini ambulaueris, in domum Domini ibis, vt in æternum in idipſum gloria Domini fruaris. Sedesq. Domini cum alijs iuſtis ad iudicandum efficieris. Da quæſumus Domine mihi ſeruo tuo, nomen tuum confitenti, perpetuam in te dilectionem, & in proximum, vt in vnitate fidei Eccleſiæ tuæ ambulans, & iucunda in munitiſſima per virtutem tuam eadem Eccleſia perfruens pace, in cæleſtem Ieruſalem merear, per gratiam tuam ſecurus peruenire. O Glorioſa Domina, cuius hodie diem infra Octauam Natiuitatis tuæ celebramus feſtiuitatis, intercede pro me, vt in Exaltatione ſanctæ Crucis filij tui Domini mei Ieſu Chriſti, exultans lætus per illam tranſiens merear, te intercedente, aſſequi, quod filius tuus diligentibus ſe promiſit, ad illum peruenire, qui cum Deo Patre, & Spiritu ſancto viuit in ſæculorum ſæcula. Amen.

IN PSALMVM CXXII.

Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.

CANTICVM Graduum. O manifeſtam Dei erga iuſtos ſuos miſericordiam, ò ineffabilem Dei prouidentiam in tribulatos, & iuſtos; quia accepti ſunt Deo, neceſſe, inquit Angelus, vt tentatio probet illos, Tob. cap. 12. nu. 14. Ingreditur, ille iuſtus in Eccleſiam Dei credit, Ieſum Chriſtum eſſe Dei, filium carnem ſumpſiſſe, paſſum, & ſepultum, & reſurrexiſſe. Et quid illi promittitur, quia gratiam Dei recepit? audi factam Paulo promiſſionem; quum conuerſus eſt ad Dominum, Act. cap. 9. num. 15. Anania vade, quoniam vas electionis

eſt

eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael. Et quid dabis illi Domine Ieſu? ego, inquit, oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Sed nunquid ſemel, aut bis tantùm perſecutiones, & flagella paſſus eſt Paulus? 2. Corinth.cap.11.nu.23. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modùm, in mortibus frequenter; à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi; ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundo maris fui, &c. in fame, & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate, &c. & num.29. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Et tamen gloriatur in tribulationibus, probauit illum Dominus.

Iuſtus verò noſter primum aſcendens gradum, tribulatur, & clamans ad Dominum exauditur, ſed quomodò exauditur? Suſtine, inquit Dominus, ſuſtine, quia ego tecum ſum. Quid detur tibi ad linguam doloſam? Sagittæ potentis acutæ. Leuat oculos ſuos in montes; audit, legit, credit Scripturæ ſanctæ, Euangelio; confirmatus in fide, patienter ſuſtinet, Leuaui, inquit, oculos meos in montes; non dedit in commotionem pedem ſuum, auxilium ſperat à Domino, & lætatur in tribulationibus, quia ſuſtinentibus promittitur Regnum cælorum. Nunc magis in fide corroboratus, oculos non ad montes tantùm, ſed ad illum, qui habitat in cælis, ad Dominum Ieſum Chriſtum, qui ſtat à dextris virtutis Dei, Act. cap.7. nu.55. dicens, Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.

Titulus, Canticum graduum, & eſt quartus gradus: inter quaſlibet anguſtias conſtanter de Domino præſumere, donec miſertus exaudiat. Documentum noſtrum, ne in multitudine tribulationum ſuccumbamus, ſed ſperantes, oculos humiliationis ad Dominum extollentes, auxilium ab illo petamus, Sap. cap.3. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori, & quod à nobis eſt iter, exterminium: illi autem ſunt in pace. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. In paucis vexati, in multis benè diſponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos ſe, &c.

Continuari videtur hic per Hieronym. ad præcedentes, vbi de aſcenſu tribulati fidelis, qui dudum ad montes oculos ſuſtulerit, nunc in quarto gradu, vt iàm dixi, aſcenſionis pandit, oculos ad ipſum cælorum habitatorem erexiſſe.

Summa, iuſti proficiſcentis affectus, qui in quarto gradu aſcenſionis meruit oculos ad Deum leuare, qui habitat in cælis.

Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Vnus eſt, qui oculos leuauit, & plures ſunt, qui miſericordiam petunt; ibi, Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri. Quis ergo vnus eſt ille, qui oculos ad Dominum leuat? vel quæ eſt illa, quæ ancillæ Dominæ ſeruienti ſe comparat. Vnus ille eſt fidelis Deo, quia & ſi plures, & multi ſint fideles, & iuſti, Vnus tamen dicitur, cum corpus Chriſti capitis ſint; Vnum ſunt in Chriſto, quia Chriſtus eſt in illis, & illi in Chriſto, Ioan.cap.17. in fine, & ſupra diximus; plures ſunt Eccleſiæ in toto terrarum orbe, vna tamen eſt Eccleſia, vna omnium fides, vnum Baptiſma ſub vno iuſto, qui eſt Chriſtus, Pſalm. 10. nu.8. Iuſtus es Domine, iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit vna ancilla, vna Eccleſia, ſicut oculus ancillæ in manibus Dominæ ſuæ: Vnus ergo, & vna; quæ in humilitate, & ſpe firma-

oculos

oculos mentis ad Dominum eleuat, ad cuius Ancillæ humilitatem reſpiciens Deus, cum illa habitat ſemper. Et ideò in cælis habitare dicitur Dominus, quia anima iuſti eſt Thronus Dei, eſt ſedes Ieſu Chriſti, qui nunquam diſcedit ab illa, vndè Pſalm.90. num.vlt. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.

Et ideò Dominus Saulo perſequenti dixit, Saule, Saule, cur me perſequeris? Act.cap.9. nu.3. Erat in cælo Dominus,& Saulus in terra Eccleſiam Dei perſequens; Clamat Eccleſia ad Deum, clamat Deus ad perſecutorem Saulum; Eccleſia auditur à Deo, perſecutor proſternitur in terram non videns. Clamat Saulus ad Dominum, dicens, Quis es Domine? Reſponſum accepit, Ego ſum Ieſus Chriſtus, quem tu perſequeris; & baptizatus viſum recepit, & ex Saulo factus eſt Paulus prædicator veritatis. Aperiuntur oculi Pauli poſt baptiſmum,& gratiam receptam. Huius iuſti in quarto aſcenſionis gradu oculi eleuantur ad Deum, in cælis habitantem; Prædicator fit Paulus, intercedit Eccleſia, ſeù iuſtus pro captiuis, &, vt conuertantur ad Dominum exoptans, inſtat, petit, rogat, dicens, Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos. In cælis eſt Dominus, vbi habitat; in iuſtis eſt Dominus, cum quibus factus eſt vnus; quid mirum ſi illius oculi Ieſum ſedentem in cælo reſpiciunt; ſi Dominum in corde iuſti ſedentem habent. Deum appropinquantem ſibi habet, qui illum ex toto corde ſuo diligit, oculis mentis videt, cuius cor eſt in manu Dei reſpicientis illud.

Voce magna clamat, qui tribulari cœpit in primo aſcenſionis gradu; perfectus verò, & in quarto gradu confirmatus non amplius clamat, ſed oculis ſuis videt Deum, illum auxiliari præparatum; quia iàm eſt factus Templum Dei, 1.Corinth.c.3.nu.16. & ſpiritus Dei habitat in illo; hinc ſequitur Eccleſia Magiſtra nos admonens,& docens, & dicens, O fideles, ò iuſti in hac miſeriarum valle poſiti, oculos veſtros ad Dominum, qui in cælis eſt, eleuate, & ibidem firmam ſpem, & fidem habete, donec miſereatur veſtri.

Vel aliter dicamus, Quòd iuſtus noſter Propheta, fratres, & ſorores admonens, dicat, Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus Dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ſic vos cum timore, & tremore apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta, cum exarſerit in breui ira eius, Pſalm.2. nu.11. & 12.

Sed cur non dixit, Sicut oculi ancillarum,ſicut dixit oculi ſeruorum? Quia, omnes ſerui Dei ſumus, ſed non omnes mulieres regulariter habent Dominã, adeòq. non omnes mulieres ſunt ancillæ; plures quidem ſunt ſerui etiam Reges; vndè Abraham ſeruus meus, Dauid, Iacob,&c. ſed cur hanc dominorum ſimilitudinem in ſeruis Dei ponit? Rationem eſſe dicerem,quia ſi oculi ſeruorũ in manibus dominorum carnalium ſunt, ità quidem ſunt ſolum, vt timor illos apprehendat, ne magis ij contrà ipſos iraſcantur, non tamen ità eſt in ſeruis, Domino ſeruientibus, qui ſemper paratus eſt parcere pœnitentibus. Ne differas tamen confiteri peccata, quoniam, inquit, ſicut fur, veniet Dominus; neſcimus diem, neque horam, in breui enim exardeſcit ira eius, beati tamen omnes, qui confidunt in eo, ſi apprehenderint diſciplinam eius. Si ergo oculi ſeruorum temporalem timent Dominum, cur timere non debent eum, qui poteſt perdere animam in gehennam, & ſaluare? Dum viuens es ergo pœnitentiã agas, quia poſt mortem non eſt confeſſio, Eccleſ.cap.17. nu.26. ità viuens agas, ne

contrà

Digitized by Google

contrà te iraſcatur Dominus, & de via iſta pereas, d. Pſalm. 2. propè finem. Ità ergo ſint oculi ad Dominum Deum, donec miſereatur noſtri; non demoreris in errore impiorum, Eccleſ. d. cap. 17. nu. 26. loquitur ergo Pſalmiſta exemplificando à communiter accidentibus de ſeruis, in plurali, quia plures ſunt, & illis eſt maior cura de omnibus.

Vel dicamus, ancillam eſſe Eccleſiam Dei, quæ ideò in ſingulari poſita eſt, quia vna eſt, tametſi ſecum habeat multitudinem ancillarum Dei, Pſalm. 44. num. 11. Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate, circumdata eſt varietate ancillarum, Virginum, Martyrum, Viduarum, quibus timorem Domini antepoſuit, Venite, inquiens, filiæ, audite me, timorem Domini docebo vos. Domina eſt is ipſe, qui & Dominus, Domina dictus, vt eſt virtus, & ſapientia Dei, à dextris Domini igitur ſtat, ideſt ſapientiæ, & virtutis Dei. Vel ancillam quidem dicamus Eccleſiam, Dominam verò beatam Virginem Mariam, Dominam Angelorum, & noſtram; Illam ergo exoremus, vt pro nobis ad Dominum noſtrum intercedat ſemper. Sicut ergo ſupra ad montes, vndè auxilium Eccleſiæ venit à Domino, Sic nunc eadem Eccleſia in quarto gradu aſcenſionis, & maioris afflictionis; ad cælum oculos cum ſuis fidelibus leuat, ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, eademq. in veſtitu circumdata varietate, leuat oculos ad Dei Genitricem Dominam cæli, ac terræ, ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, & eſt ſenſus; Serui, ideſt fideles, qui fidem ſuſceperunt à Diſcipulis, à Prophetis, Martyres ſcilicet, & Confeſſores oculos ad cælum in ſuis tribulationibus conuertunt; ità oculi ancillæ, ideſt eiuſdem Eccleſiæ, Virgines nempè, & Viduæ leuantes cum alijs ſeruis Martyribus oculos in cælum, ad Mariam Dominam, illam inuocant, auxiliumq. ab ea efflagitant, vt liberentur à tribulationibus, quæ eas inuenerunt nimis.

Diuus autem Hieronym. hìc, Et ſerui ſumus, & ancillæ ſumus, ille Dominus eſt, & Domina eſt; mirum ſi ancillæ ſumus, & ille Domina eſt; non tamen hoc mirum eſt, quia ancillæ ſumus, Eccleſiæ enim ſumus; nec mirum, quia & ipſe Domina eſt, quia virtus, & ſapientia eſt, 1. Corinth. cap. 1. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus verò ſtultitiam, ipſis verò vocatis Iudæis, & Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Cum multis perſecutionum generibus ſubijcimur oportet nos ſemper in Dei auxilio oculorum intentionem ſine vllo vitio continere defixam, quoaduſquè nobis miſericordiam largiatur.

Sint ergo oculi noſtri ad Dominum, quia illi peccauimus, nec falli is poteſt, quia omnia ſibi nota ſunt; Si temporalem Dominũ metuimus, quia forſan illi peccauimus, & ipſe de illis eſt inſcius; quid ſi Domino peccamus, cuius ira in breui exardeſcit, beati omnes, qui ſperant in eo, parcit pœnitenti, iraſcitur contrà non ſe conuertentem ad ipſum.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, quia multum repleti ſumus deſpectione. Vide quomodò vnus in pluribus: vnus oculos leuat, & vt Deus miſereatur noſtri, exclamat hìc, etiam miſerere noſtri Domine, quia multum repleti ſumus deſpectione; Omnes ergo vnum ſumus, nàm charitatis participatione plures homines, vnum ſumus, & plura membra vnum cum Chriſto; ideò oculi ſeruorum, & oculi ancillæ; vnum ſunt; hæredes enim Dei, cohæ-

cohæredes autem Christi, ad Roman.d.cap.8. Vnum sumus, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, ad Ephes. cap. 2. misit Dominus filium suum; vnum sumus omnes cum Christo, qui eamdem naturam habemus, Emmanuel enim vocatus est, Deus scilicet nobiscum.

Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia nimis despiciunt nos inimici nostri. Si me persecuti sunt, & vos persequentur; vnum sunt, quia propter charitatem Dei, & illius dilectionem, & ipsi Martyres sancti patiuntur, qui non faciunt animam suam pretiosiorem quam seipsos; non rogant, vt tormenta non recipiant, sed quòd illorum tormenta à Deo recipiantur, vt persequentibus etiam proficiant, ijdemq. conuertantur, vt in carbonibus ignis accendatur, & ardentes & ipsi in charitate Dei fideles inueniantur.

Misericordiam desiderat, qui multum despicitur, multum deridetur ab iniquis. O vos stultos, & infelices Sanctorum persecutores, an ignoratis, quia Dominus irridebit vos, & subsannabit? Psalm. 2. numer. 4. Vos vitam iustorum cogitatis insaniam, & ecce illi inter filios Dei, vos verò in profundo inferni, Sapien. cap. 5. numer. 4. Prouerbior. cap. 14. numer. 2. Ambulans recto itinere, despicitur ab eo, qui insani graditur via. Misericordiam verò petunt iusti à Domino, & exaudiuntur, Iob cap. 12. numer. 4. Qui deridetur inuocabit Dominum, & exaudiet eum, deridetur enim iusti simplicitas.

Sed quæri potest, cur misereri petant iusti, & iterum misereri, quia, inquiunt, multum repleti sumus despectione, gaudentes ad martyrium incedunt, & quia despiciuntur, misereri instanter petunt, atque liberari. Quid est hoc? nisi quia despicientes illos, despiciunt & Dominum; Zelus enim domus Dei comedit illos, Psalm. 68. num. 10. & in Psalm. 118. num. 139. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei, miserere Domine nostri, vt scilicet iniquorum istorum peruersæ operationes cessent in sanctos suos ad correptionem iniquorum illorum, Sap. 1. num. 9.

Quia multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Magna iustorum afflictio, qui pauperem vitam ducentes iuxtà Euangelij doctrinam, Vendite quæ habetis, & date pauperibus, Luc. cap. 12. numer. 35. à diuitibus deridentur, & propter illorum superbiam affliguntur, & despiciuntur; ignorant, quia diuites eguerunt, quærentes autem Dominum, non minuentur omni bono, Psalm. 33. numer. 11. Finem Sanctorum insaniam, & sine honore reputabant, Sacramenta enim Dei non intelligebant, Sap. cap. 2. in fine, & dicto cap. 5. numer. 7. Lassati sumus, dicebant iniusti, in via iniquitatis, & perditionis, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? & numer. 13. In malignitate nostra consumpti sumus; talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt. Multum est ergo repleta anima nostra confusione scilicet, quia factus sum opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

SOLILOQVIVM.

QVID tibi profuit anima mea, quia multum elongata sit vita tua in hac mundi morte continuata, nisi in te reuersa, cum seruis, & ancillis Domini oculos tuos ad Deum, qui in cælis habitat, eleuaueris? donec misereatur tui, quia peccasti nimis. Miserere, miserere animæ meæ Domine Iesu, quia confusa opprobria passa sum, nimis & despecta, quia peccaui tibi, & malum coram te feci. O te beatam animam meam, si auxiliante Deo, ascensiones in corde tuo disposueris in valle lacrymarum, in loco, quem posuit, Psalm.89.numer.6. O vos Line post Petrum primus Pontifex, & Tecla Magistri Discipula, qui semper oculos in cælum habentes meruistis Regna cælestia: quia passi estis multa in hac mortali vita, intercedite pro me, vt pœnitenti mihi, deleantur peccata mea. Miserere mihi Domine, quia ecce oculi mei gementes ad te sunt, vt dimittas delicta mea. Virgo Maria Dei Genitrix in vestitu deaurato, circumdata varietate, intercessione tua, merear pœnitens, & sub tuum confugiens præsidium inter electos tuos, gloriæ veste circumdatus, ante filium tuum Dominum Iesum Christum incolumis præsentari. Amen.

IN PSALMVM CXXIII.

Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: nisi quia Dominus erat in nobis.

CANTICVM graduum. Continuatur ad præcedentem, in quo de tribulationibus iustorum in quarto gradu ascendentium, in cælum inhabitantem Dominum oculos eleuantium: Verùm quia & multi in re, & alij in spe firma tribulationes euaserunt, & ab illis liberati sunt, aut in effectu, vel in spe liberabuntur ab illis; vt, & si pauperes, cælum tamen ingrediantur & diuites: propterea gaudentes cantant, laudes Deo dantes, & dicentes, Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, &c.

Titulus ergo, Canticum graduum, de quo superius dictum est.

Summa, Canticum exultantium, quia à Domino de tribulationibus sunt liberati. Sed si in multis lætitia, quomodò in Israel Canticum? nisi quia multi vnus sunt, & vnus multi: vnum enim caput Christus, nos membra illius, vnum corpus facimus Christus in cælo, non est tamen præcisum caput à corpore suo in terra, vt latius suprà diximus de Saulo, nunc Paulo Act. Apostol. dicto cap.9. cui dictum est, Quid me persequeris Saule? & tamen Christus erat in cælo, & corpus eius, quod persequebatur in terra. Vnus ergo populus Christi, vnus Christus, vna Ecclesia cantant ascendentes; aliquando vnus cantat, aliquando multi, omnes tamen cum Christo vnum faciunt, Act. Apostol. cap.17 numer.28. in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, ad Ephes. cap.4.numer.4. Vnum corpus, vnus Dominus, vna fides,

vnum

vnum Baptiſma, vnus Deus, & Pater omnium, qui ſuper omnes, ſuper omnia, & in omnibus nobis, num. 5.

Auguſtin. Cantant, quia amant, & deſiderant; tribulantur, cantant tamen, quia hoc eſt proprium huius ſæculi tribulari; cantant, quia in futuro ſperant ſæculo, in ſpe enim viuimus, cum aliàs moreremur. Quare gaudium in tribulatione? quia ſpes noſtra certa eſt, quaſi iàm res perfecta ſit, iuxtà illud, 2. Corinth. cap. 5. nu. 4. Nàm & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita, &c. & nu. 7. Per fidem ambulamus, & non per ſpeciem, audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum, vndè Pſal. 33. Sperate in Domino omnes ſancti, quia non eſt inopia ſperantibus, & timentibus eum; & Pſalm. 5. Lætentur omnes, qui ſperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Niſi ergo quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, &c. ſperet Eccleſia Dei, omnis congregatio populi effundat coram illo corda ſua, quia Deus adiutor eſt eius in æternum, Pſalm. 90. nu. 10. O fidelium fides, & in Domino ſpes certa, adhùc in tribulationibus ſunt, & tametſi tentationes, & væ creſcant, tamquam liberos ſe vident, quia ſpes in Deum immortalis apud eos, & cantant, iubilant, gratias agunt; non quia ab ipſis victoria ſit reſiſtendi, & patienter mala ſuſtinendi, ſed Deo, à quo bona cuncta procedunt, gloriam dantes. Niſi quia, dicunt, Dominus erat in nobis, ù Iſrael, ò Eccleſia, ò fideles, niſi quia Dominus erat in nobis; non ex nobis, non ex virtute noſtra, cum exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutiſſent nos, animas quippè noſtras deglutire, nedum carnes deuorare conabantur.

Sed quomodò deglutiuntur animæ? quando relicto Domino, terrena ſequimur, & mors viuos abſorbet, quia Dominus dereliquit nos, Sap. d. cap. 2. Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, &c. Fruamur bonis, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra, &c. Circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, &c. imitantes diabolum, qui ſunt ex parte illius, &c. Auguſtin. Multi abſorbentur, qui ſciunt, malum eſſe, & lingua conſentiunt; derelinquunt fidem Chriſti, & cum iniquis reputantur. Viuos abſorbuiſſent homines, niſi Dominus eſſet in bonis, in iuſtis.

Non ſic abſorbet Eccleſia: Petro dicitur macta, & manduca, non viuos abſorbe, Act. cap. 10. num. 13. Auguſtin. Quomodò ergo Petrus, ideſt Eccleſia mactat, & ſic manducat, & quomodò iſti, qui inſurrexerunt ſuper nos, forſitan viuos abſorbuiſſent nos, niſi quia Dominus erat in nobis? quia in Eccleſiæ corpus nemo intrat, niſi prius occiſus, moritur quod fuit, vt ſit quod non fuit; Alioquin qui non occiditur, & manducatur ab Eccleſia, eſſe in numero populi poteſt, qui oculis humanis videtur, in numero autem populi, qui cognitus Deo eſt, de quo dicit Apoſtolus 2. Timoth. cap. 2. numer. 19. Cognouit Dominus, qui ſunt eius, non poteſt eſſe niſi manducatus, nec manducari poterit, niſi primò mactatus. Venit Paganus, adhùc in illo Idololatria viuit, inſerendus eſt membris Chriſti, neceſſe eſt manducetur, vt inſeratur, ſed non poteſt manducari ab Eccleſia, niſi primò mactatus, renuntiet ſæculo, tunc mactatur; credat in Deum, tunc manducatur, Eccleſia ergo abſorbet multos,

ſed non viuos, cui dicitur, Macta, & manduca, nullum enim manducat, ideſt membris inſerit, niſi mactatum, ideſt diabolo renunciantem; mactatur ergo in malo, ſed viuificatur in bono, qui manducatur à Petro.

Vel dicamus, Macta prius, vt confitens peccata renunciet diabolo, & pompis eius; deindè manduca, & abſoluens eum à peccatis, vel baptizans, peccata eius delendo, & ab illis abſolutum dimittendo relinquas, Sacerdos enim peccata populi manducare dicitur, Oſe.4.num.8.

Auguſtin. in Pſalm.30. littera N. Verè mirabilis egeſtas, & fames, quandoquidem eos, quos Domino lucramur, quodammodò manducat Eccleſia; quid eſt manducat? in corpus ſuum traijcit, quidquid enim manducamus, in corpus noſtrum traijcimus. Hoc agit Eccleſia per ſanctos, eſurit, quos lucrari vult; & quos lucrata fuerit aliquo modo manducat, cuius perſonam gerebat Petrus, quando ei de cælo ſubmiſſus eſt diſcus plenus omnibus animalibus, quadrupedibus, reptilibus, & volatilibus, quibus omnes gentes ſignificabantur. Præfigurabat Dominus Eccleſiam, quòd omnes gentes erat tranſuoratura, & in corpus ſuum conuerſura, & ait Petro, macta, & manduca. O Eccleſia, hoc eſt Petre, quia ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, macta, & manduca, prius macta, & ſic manduca; occide quod ſunt, & fac quod es, &c. Viuos ergo deglutit inimicus, vt impœnitentes traducat inferius; mactat Eccleſia peccatorem, vt in eius viſcera tranſlatus cum iuſtis perducatur in cælum.

Cum iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos, Iob cap.5.num.2. Verè ſtultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia. Liberantur iuſti, quia Deus cum illis eſt: interficiuntur iracundi; & paruulum, ideſt. ſine mente, & errantem, atque deceptum, populum nempè inſipientem occidit inuidia. Quid enim facimus, aiebant; quia totus mundus vadit poſt ipſum, hæcquè aiebant, cum paulò ante dixiſſent eidem. Magiſter ſcimus, quia verax es, & in veritate Dei doces.

Furor illorum contrà Dominum, contrà Diſcipulos iraſcitur, niſi Dominus eſſet cum illis, aqua iræ, & furoris Iudæorum abſorbuiſſet illos; clamant, crucifige, ducuntur Diſcipuli in carceres: liberantur à Deo, Act. Apoſtol. cap.5. & per totum; ſed ecce quia ira ſuper illos, & furor conuertitur, nec lapis ſuper lapidem relictus eſt, pro vt prædictum eſt eis à Domino, & ferè omnes occiſi ſunt, Matth.cap.24. in princ. Luc. cap.21.numer.6. & quod reliquum fuit ex illis, à Romanis captiuum factum eſt, & ſerui pretio viliſſimo venundati, vt in lib. Ioſeph. de Bello Iudaico, & adhùc deſolationis Ieruſalem patet ſignum, & illorum perditionis; Nimirum iræ, & furori, aquæ riuulus, vel flumen rapidum æquiparetur; ira enim animi tempeſtas, & furor ſine ratione; talis quippè eſt iſtorum aqua, quæ cum impetu fluit, ſed citò tranſit; Vndè D. Hieronym. hìc. Commotiones malarum mentium qui ſanctos Dei abſorbere quærunt, aquis comparantur, ſed habitante in ſanctis Domino, deorſum defluunt, & decurrunt. Hunc torrentem aquæ, Deo adiuuante, pertranſiuit anima noſtra, & ſtante auxilio Domini, forſitan pertranſiſſet etiam aquam intolerabilem, quæ ſcilicet tranſuadari non poteſt; Auguſtin. legit, aquam ſine ſubſtantia: & ait non dubitatiuè, ſed aſſertiuè, pro, vtique, ſicut Pſalm.80.num.13. Pro nihilo forſan inimicos eorum

humi-

humiliaſſem. Quæ aqua ſine ſubſtantia, niſi vitia,& peccata,& huius vitæ dulcedo, quæ ſunt ſine ſubſtantia,& inopiam habent: egeſtatem non ſubſtantiam: tranſeunt enim hæc omnia ſine fructu; immo cum pœna tranſeunt, quia in infernum detruduntur peccatores, & iniqui, opus ſine iuſtitia, gaudium de arca, vt crucietur in inferno.

Non conſentias ergo tu illis, & aqua non abſorbebit te: conſtans ſis in fide, quia etſi cum impetu fluat, tranſitura tamen eſt cum prouentu tuo. Auguſtin. Adhùc quamdiù ſæculum hoc naſcendo, & moriendo currit, torrens eſt; hinc de iſto torrente perſecutiones; hinc bibit ille primus caput noſtrum, de quo in Pſalm.109. De torrente in via bibit. De torrente aqua illa, quæ populum perſecutorem ſignificat, inde bibit ille, qui dixit Diſcipulis, Matth.cap.20. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? In via bibit, quia tranſiens bibit, non hæſit, quia paſſus eſt, & reſurrexit, & aſcendit per quod & nobis tranſire dedit. Exaltatum eſt caput noſtrum, quid timet corpus torrentem?

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Sitiebant ſanguinem vt effunderent, & ſanguis iuſti ſuper illos, & ſuper filios eorum. Ipſi perditi, iuſti liberati; ipſi cruciantur in inferno, & ſancti iubilant in cælo. Hieronym. hìc, Dentes horum torrentium, numeroſitas eſt vitiorum, à quibus ne capiamur, gratia Dei eruimur.

More ferarum ſitiebant ſanguinem humanum, Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum, immo anima iuſti erepta eſt ſicut paſſer de laqueo venantium,laqueum parauerunt pedibus noſtris, Pſal.56. num.6. Incuruauerunt animam meam, foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam; laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Quomodò contritus laqueus, niſi quia in plures partes, & peccatorum genera transfuſus, & diuiſus. Et ideò contritio, & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt, non eſt timor Domini ante oculos eorum. Omnes enim viæ malorum, plenæ ſunt doloribus, & miſeria, & ideò via impiorum contritio dicitur,& infelicitas: contritio, quia, & terit, & teritur, dum alij nocet, & ſibi: infelicitas, quia ad infernum ducit, & ideò laqueus contritus, quia à vijs iniquis non reuertuntur mali. Nota quia dicit in captionem dentibus eorum, & infra, Laqueus contritus; remanent enim peccatorum dentes, quia durante ſæculo, durant peccata, permanent iniqui, vt trahant alios ad ſe, & deglutiant. Sed ſi conuerteris te ad Dominum; remanent dentes peccatorum, laqueus tamen illorum, adiuuante Domino, conteritur, & nihil tibi nocere poterit; immo & dentes etiam eorum conteret Dominus, vt tibi non noceant, Pſalm.3.num.7. Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa, dentes peccatorum contriuiſti; Deus enim conteret dentes eorum in ore ipſorum, Pſalm.57. numer.7. molas leonum confringet Dominus. Quia adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum, & terram, hoc eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen, huius nominis adiutorio mortis laquei vincuntur.

SOLILOQVIVM.

DOMINE Iesu Redemptor, & Creator meus adauge, ait anima mea, mihi fidem, adiuua incredulitatem meam, vt nomini tuo innixa, & signo sanctæ Crucis tuæ munita, tecum sim, & tecum laborem, vt non prævalente mihi homine, inoffensa ab inimicis meis euadam. Aqua iniquorum non me absorbeat, sed vinculis peccatorum disruptis, incolumis, te adiuuante, euadam, & ego liber factus, benedicam te Dominum meum omni tempore, qui cælum, & terram feciſti, mihi quoque spem dediſti, & me ab insidijs diaboli eripuiſti. Libera me Deus Redemptor meus & ab omnibus inquinamentis meis, vt tibi valeam cum omni humilitate, & cordis simplicitate seruire; scio enim quòd in te sperans, non infirmabor. Sancte Michael Archangele, cuius festum agimus, in die tremenda, me defende, vt appensus in statera, non reperiar minus habens: Virgo Maria Dei Genitrix, & Domina intercede pro me, vt in hac ærumnosa vita non offendam pedem meum, sed iniquorum versutias euadens, per passionem filij tui, ope tua, merear ad imperturbabilem peruenire quietem. Amen.

IN PSALMVM CXXIV.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.

CANTICVM graduum. Continuatur ad præcedentem; cum enim in illo actum sit de instantibus periculis effugiendis, Deo adiutore, & de illorum liberatione, quia Deus erat cum populo suo; in Psalmo isto consequenter docemur nos populus Christi, qualiter cauenda sint & futura, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.

Summa ergo est, Crede in Deum, fac bonum, vt pax tibi sit.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion; non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem. Non ergo qui extrà Ierusalem sunt, possunt confidere in Domino, Qui enim non intrant per ostium in ouile ouium, fures sunt, & latrones, Ioan. cap. 10. num. 1. non intra montes sunt, qui ergo sunt in hac Ecclesia, & confidunt in Domino, qui eos de manibus omnium inimicorum eripiet, Psalm. 30. num. 16. De militanti Ecclesia intelligunt multi, vt sit sensus secundum meam opinionem, qui sunt de Ecclesia, & illius præcepta seruant, vt placentes Deo perueniant ad illam cælestem, de qua in Apocalyps. Ioan. cap. 21. numer. 10. Vidi ciuitatem nouam Ierusalem, descendentem de cælo, à Deo paratam, & de qua idem Ioan. in cap. penult. Apocalyps. numer. 23. dicit, quia non eget Sole; quia Christus est Sol ipsius. Hi igitur habitatores Ierusalem, Ecclesiam scilicet Dei, confidentes in Domino, & solum Deum præ oculis habentes, sicut mons Sion stabiles erunt, & non com-

Digitized by Google

commouebuntur in æternum, quia vſque ad conſummationem ſæculi nobiſcum erit Dominus, Matth. cap.28.numer.20.

Nec de cæleſti illa Ieruſalem adaptari verba ſequentia videntur poſſe, Quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas, item, Benefac Domine bonis, &c. Declinantes autem in obligationes, &c. in cælo enim non eſt iniquitas, nec declinatio ab obligatione. De iſta ergo Eccleſia, cuius caput eſt Chriſtus, loqui videtur, in qua non omnes ſalui fiunt, ſed qui hìc in Domino confidunt, propter quam confidentiam, datur etiam ſalus hìc, de qua in multis locis, Confide fili, quia fides tua te ſaluum fecit, O mulier magna eſt fides tua, & Ioan. cap. 19. Qui enim ſunt taliter confidentes in Eccleſia Dei, ſicut mons Sion, munientur fortitudine, quia Dominus loco montium, qui ſunt in circuitu Ieruſalem, erit in circuitu populi ſui ſic confidentis. Montes cadent in die Iudicij, confitemur; Verum eſt etiam, quia tunc iuſti ſalui fient, & iniuſti peribunt, hæc eſt enim poteſtas, quæ data eſt Domino Ieſu Chriſto in cælo, & in terra.

Qui in terrena Ieruſalē, in Eccleſia ſcilicet militanti, quamuis ſint captiuati, Martyres facti, & vt dicit Paul. in cauernis, in ſpeluncis, quibus non erat dignus mundus; quia fuerunt ſtabiles, & conſtantes, & Dominus erat cum illis, Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace, Sap. cap. 3. & 5. Semperq. erunt in Eccleſia Dei confidentes, tribulati, & qui fortes erunt, ſicut mons Sion, quia in circuitu Eccleſiæ ſuæ Dominus erit, contrà quam portæ inferi non prævalebunt.

Qui verò ſit iſte mons Sion, declarat iuſtus noſter, dicens, Dominus in circuitu populi ſui; Videre vis iſtius montis fortitudinem? Ioan. c. 10. ipſe Dominus declarat, dicens. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea, Ioan. cap. 10. nu. 28. & cap. 17. nu. 7. quos mihi dediſti Pater, cuſtodiui, qui ſunt, &c. Sed qui erunt montes in circuitu iſtius Eccleſiæ? Apoſtoli, ſancti Patres, & Prophetæ, & Pontifices, ad quos ſpectat illius defenſio ab hæreticis, & iniquis. Verùm quia intra Eccleſiam militantem ſunt boni, & mali, ſunt peccatores, & iuſti, iſtorum iuſtorum confidentium Dominus eſt in circuitu, vt non commoueantur in æternum; omnes enim iuſti populus Dei, Iſai. cap. 43. num. 7. & cap. 60. num. 21. Populus autem tuus omnes iuſti.

Qui confidunt in Domino. Sextus gradus aſcenſionis, eſt confidentia in Deum, quam debet habere cupiens aſcendere in cælum. Qui ergo confidit in Domino, non curat proſperitates de hoc mundo, non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti; non inuidet felicioribus, quia ſunt apparentes, & relinquunt in morte poſſidentes; non zelat, pacem peccatorum videns, lapis enim ſine manibus comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Daniel cap. 2. nu. 45. hæc enim non ſtant cum lapide Chriſto Ieſu, Laudate habitatores petræ, de vertice montium clamabunt, &c. Iſai. cap. 42. num. 11. quia requieſcet manus Domini in monte iſto, & præcipitabit mortem in ſempiternum, Iſai. cap. 25. num. 8. & 11. Triturabitur Moab, ideſt Diabolus ſub eo, ſicut triturantur paleæ in plauſtro.

Quàm bonus Deus Iſrael ſuper iuſtis, ſuper his, qui recto ſunt corde, Pſalm. 72.

Digitized by Google

Psalm.72.num.1. Iactant se iniqui; humiles corde vident, & spernunt, quia pauperem vitam ducunt, ipsi verò diuites, & abundantes. Augustin. hìc. Quàm bonus Deus Israel, aiebat iustus, rectis corde? quum intuitus est, & inspexit felicitatem peccatorum, & vidit, habere pacem, se autem laborem; Narrauit enim hæc cum iàm euasisset, cum iàm recto corde Deo inhæsisset, narrauit præterita pericula sua, ergo bonus Deus Israel rectis corde. Et hi sunt, qui Deum non reprehendunt, item qui voluntatem suam ad voluntatem Dei dirigunt, non voluntatem Dei, ad voluntatem suam curuare conantes, rectum si quis vult habere cor; faciet quod Deus vult, noli Deum velle facere, quod vis tu. Vidit Deus quod omnia, quæ fecerat, erant valde bona, & tu quis es, qui Deum reprehendere audes, & præsumis?

Non relinquet Dominus virgam, idest sceptrum, & dominium, quod habet in peccatores, super sortem iustorum. Nunquid qui reprehendere audes Deum, relinquet te incolumem? Vidi impium superexaltatum; quæsiui eum, & non est inuentus, cum superbia transiuit ad inferos, Psalm.36.numer.35. Et transiui, & ecce non erat. Aliquando propter disciplinam bonorum dominantur impij; non semper tamen dominantur, & tunc vt probet rectos corde, hoc facit Deus, Sap.d.cap.3. Tentat illos Deus, vt inueniat illos dignos se; In paucis vexati, in multis benè disponentur, ibidem num.5.

Vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, qui sub Dei protectione iàm sunt computati, Sap.cap.5. in princ. Transiui, & ecce non erat superbus; transiui, inquit, citò, & ecce quasi vmbra perierunt, transierunt enim, dixerunt superbi, diuitiæ, & superbia illorum tamquam vmbra, vt ibidem Sap.d.cap.5. num.10. In malignitate, dixerunt, nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt, quoniam spes impij tamquam lanugo, quæ à vento tollitur.

Benefac Domine bonis, & rectis corde. Qui vel boni sunt in opere, vel recti habentur in fide; Hieronym.hìc. Recti ergo corde, qui diligunt Deum, & faciunt bonum.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniustitiam. Idest quorum facta mirati sunt, quia eorum præsentes lætitias amauerunt, & futura supplicia non crediderunt. Pax verò rectis corde, pax illis annunciatur. Hanc pacem montes suscipiunt, & colles iustitiam; Christus illis prædicatur, qui est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluit; & quia filij sumus, hæreditatem habebimus, idest pacem, quæ est piorum possessio, & hæredum, qui sunt in vnione; filij ergo recti corde, Matth.cap.5. Beati pacifici, quia filij Dei vocabuntur.

Conclusio Psalmi est ergo, pax super Ierusalem, quæ visio pacis dicitur, Israel verò, videns Deum interpretatur. Non ergo moueberis in æternum, si habitaueris in Ierusalem, quia pax Dei erit tecum, quia pax est super Israel, idest quia Deum videbis; ergo dicit Augustin. Israel, qui videns Deum est, videns pacem est, & ipse Israel est, & Ierusalem, quia populus ille Dei, ipse est ciuitas Dei.

Non est ergo pax declinantibus in obligationem; & si dicunt pax tecum, & trahunt secum illos, qui respondent, & cum spiritu tuo, qui malus est,

ideò

ideò mentitur vterque, qui declinauit à fide. Auguſtin. hìc in fine. Hinc Eccleſ. cap.41.numer.11. Væ vobis viris impijs, qui reliquiſtis legem Domini, Altiſſimi, & ſi nati fueritis, in maledictione naſcemini, & ſi mortui fueritis, in maledictione erit pars veſtra; omnia quæ de terra ſunt, in terram conuertentur, ſic impij à maledicto in perditionem, & nomen impij delebitur.

SOLILOQVIVM.

QVID turbaris anima mea, ſi habitans in Ieruſalem, & permanens in Eccleſia, Dominus in circuitu tuo inſtar montium ipſam circumdantium Ieruſalem? confide in illo, qui eripiet te de manibus peccatorum, & non præualebunt amplius aduerſus te, is enim corripiet illos. Sicut mons Sion firma ne commoueatis, Dominus enim bonis, & rectis corde benefacit, qui habitant in Ieruſalem, & illorum protector eſt; malos verò malè perdet: & pax erit ſuper Iſrael. Confide ergo in Domino, in quo eſt pax, & vita tua. Sancte Marce Pontifex, cuius hodie feſtum colimus, qui Epiſcopum Oſtienſem in conſecratione Pontificis, vt pallio vteretur, decoraſti, duasq. Baſilicas inſtituiſti, intercede pro me, vt dignè veſtigia tua ſequendo, valeam Deo tuo, & Deo meo ſeruire, cum Sergio, Baccho, Marcello, & Apuleio, quorum memoria eſt hodie in Eccleſia. Tu verò ſpes mea Virgo Dei Genitrix Maria, memor mei eſto, quia ſeruus tuus ſum ego, vt te intercedente, firmus in opere, & fide, valeam præcepta filij tui adimplendo, ad te peruenire. Amen.

IN PSALMVM CXXV.

In conuertendo Dominus captiuitatem Sion: facti ſumus ſicut conſolati.

CANTICVM graduum. In præcedenti Pſalmo actum eſt, quomodò pericula futura peccandi fugienda ſint, vt Deus ſit nobiſcum; verùm quia incertum an de Babylonica peccati ſeruitute ſignum aliquod liberationis nobis ſit; ideò ponitur ſeptimus gradus aſcenſionis, quòd tunc, quando erimus ſicut quaſi conſolati, captiuitas Sion in nobis conuertetur.

In conuertendo igitur Dominus captiuitatem, qua vincti in peccatis tenebamur, tunc facti erimus quaſi conſolati. Sed quando, & quomodò quaſi conſolati, erimus? Quando nempè imitati fuerimus quæ Dominus Ieſus in carne poſitus fecit, ità & nos fecerimus; humilis enim factus, patiens, percuſſus, flagellatus, ſpinea corona coronatus, gemens, crucifixus, & mortuus, vt nos à morte liberaret, ſepultus reſurrexit à mortuis. Si ergo tu ſimilis illi eris in tribulationibus, in lacrymarum effuſione, in patientia, in humilitate, quaſi conſolatus dici poteris, ſi vſque ad mortem firmus extiteris, vt perfectè conſolatus gaudijs perfruaris æternis.

Summa hæc eſt, contritione, & pœnitentia delentur noſtra peccata.

Vel,

Digitized by Google

Vel, In tribulationibus ſuſtinentes, & pro Chriſto patientes, quaſi conſolati, liberamur à captiuitate peccati.

In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati. Si facti ſumus ſicut conſolati, ergo iàm conuerſa erat captiuitas Babylonis; ſed ſi ità eſt, quomodò inferius verſ. 5. dicitur, Conuerte Domine captiuitatem noſtram? De Babylonica captiuitate loqui videtur Pſalmiſta; & ideò ſicut conſolati, non tamen verè conſolati, nàm futurum ſperabant, vt dicit S. Auguſtin. de Ciuit. Dei cap. 45. lib. 18. in princ. Quando Gens Iudæa cœpit non habere Propheras, procul dubio deterior facta eſt, eo ſcilicet tempore, quo ſe ſperabat, inſtaurato Templo, poſt captiuitatem, quæ fuit in Babylonia, meliorem fore. Propheta verò noſter non ſic ſperaſſe videtur, quia non conſolabatur, ſed ſicut conſolatus ad tempus videbat reſtauratam; tametſi contrarium credebant cæteri Iudæi vulgares ex Aggæi Prophetæ dictis in cap. 2. nu. 10. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum, & in loco iſto dabo pacem.

Conuerte Domine captiuitatem noſtram, vt qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metant, tunc dicent inter gentes, magnificauit Dominus facere cum eis, & de ſecundo iſto Templo Eccleſiæ Dei, qui dicit Aggæus? Adhùc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum, & terram, mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum, magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ pluſquam primæ, dicit Dominus, & in loco iſto dabo pacẽ, &c. Quis deſideratus cunctis gentibus? Quis omnes gentes mouit? Synagoga, & domus illa quoties deſtructa, multis cladibus afflicta; ab Alexandro ſubiugata, & quamuis ex Ægypto Philadelphus illos, & Cyrus ex Babylonia demiſerit, & inſtaurationem Templi conceſſerit, contriti tamen iterum bellis, quæ in libris Macabæorum explicantur, & poſt hæc à Rege Alexandriæ Tolemæo, qui eſt appellatus Epiphanes, indè ab Antiocho Rege Syriæ ad idola colenda compulſi: & Templum inſtauratum, repletum tamen ſacrilegis gentium ſuperſtitionibus, &c. Sicut ergo conſolati ad tempus, nàm demum à Romanis deſolata ciuitas, ſolo æquata, Gens captiuata, & vili pretio vendita, & hæc

In conuerſione à captiuitate Babylonica, & poſt aduentum Domini. Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione; tunc dicent inter gentes, magnificauit Dominus facere cum eis, facti ſumus lætantes. Conuerte Domine captiuitatem noſtram, quia & ſi ab illa corporali captiuitate liberati, non tamen à ſeruitute peccati, quare dicebant, Veni Domine, noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ: Conuerte Domine captiuitatem noſtram ſicut torrens in Auſtro. Tunc in generali remiſsione gaudebunt, ſibi veniam precantes.

Conuerte Domine, ſicut torrens conuertitur in Auſtro, ideſt auſtro flante, qui eſt calidus ventus, quo torrentes ſoluuntur, vt currant. Per illum Spiritus ſanctus ſignificatur, ſicut per Aquilonem frigidum ventum diabolus; vndè Cantic. cap. 4. nu. 16. Surge Aquilo, & veni Auſter, & perfla hortum Sponſæ, vt fluant aromata illius, vndè Eccleſ. cap. 3. nu. 18. Sicut glacies in ſereno, ità ſoluuntur peccata tua; peccata enim ligant, ne benè operemur, vel ad patriam curramus, vt frigus, vel glacies, ne aqua currat; quando autem flat calidus ventus Auſter, liqueſcit glacies, implentur torrentes, ſic flante Spiritu ſancto

ſolui-

Digitized by Google

ſoluimur à peccatis, & currimus ad patriam. In quo curſu labor quidem eſt, ſed non ideò deſiſtendum, quia qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent, & faciunt, quæ ſupra diximus ex Aggæ. cap. 2. Non ergo de captiuitate Babylonis ſolum loquitur Pſalmiſta, ſed de vera peccatorum captiuitate, quæ niſi per aduentum Domini, & eius ſanguinis effuſionem fit; tunc enim eſt vera lætitia, exhibitis contritione, & tribulationibus, vt in perpetuum ſit lætitia.

In conuertendo Dominus ex Sion captiuitatem, facti ſumus ſicut conſolati, Auguſtin. ideſt, Gauiſi ſumus tamquam conſolationem accipientes, conſolatio autem non eſt, niſi miſerorum, & gementium. Quare ergo conſolati ſumus, niſi quia adhùc gemimus? gemimus quidem in re, ſed conſolamur in ſpe; cum autem res tranſierit, de gemitu gaudium veniet æternum, vbi opus non erit conſolatione, quia nulla miſeria lauciabimur, hæc Auguſtinus. Vndè Iſai. cap. 38. num. 15. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: Ecce in pace amaritudo mea amariſsima.

Cum conuerterit Dominus captiuitatem Sion, ad Roman. cap. 6. numer. 21. Quem fructum tunc habuiſtis in his, in quibus nunc erubeſcitis? Sed quomodò nunc erubeſcimus, niſi per gratiam Dei peccatores fuiſſe cognouiſſemus? Conuertit Dominus Sion hominem à captiuitate peccati, oſtendens illi viam, qua gradiatur ad Sion cæleſtem Ieruſalem Angelorum æternam. Poſtquam flentes, & dolentes in captiuitate huius mundi confuſionis, (ſic enim Babylon interpretatur) viam Chriſti ſequentes, de Sion iſta Babylonica peruenerimus ad noſtram, & Angelorum ciuitatem Sion.

Auguſtin. hìc. Homo, cuius eſt Ieruſalem, venditus ſub peccato, factus eſt peregrinus, de propagine ipſius natum eſt genus humanum, & impleuit terras captiuitas Sion: & iſta captiuitas Sion, vmbra Sion, quam acceperunt Iudæi, in imagine, in figura fuit in captiuitate, in Babylonia, & poſt ſeptuaginta annos redijt ille populus ad ciuitatem ſuam: ſeptuaginta anni ſignificant omne tempus, quod ſeptem diebus voluitur, cum autem tranſierit omne tempus, tunc redimus nos ad cæleſtem, & æternam patriam noſtram; quomodò ille populus poſt ſeptuaginta annos redijt à captiuitate Babyloniæ. Babylonia enim, quæ interpretatur confuſio, eſt mundus iſte. Videte, ſi non eſt confuſio tota vita humana. Quidquid agunt homines in ſpe vana, quando cognouerint quid agant, erubeſcunt. Quare laborant? Cui laborant? Filijs meis, inquit, Et ipſi cui? filijs ſuis; Et ipſi, quibus? Filijs ſuis; nemo ergò ſibi. Hæc Auguſtin.

Sicut conſolati. Non ad ſimilitudiuem, ſed quia gementes, afflicti, verè erant conſolati; gaudebant in tribulationibus. Quia prior Dominus Ieſus reſurrexit, ſpem nobis dedit, qui prius in miſeria pro nobis poſitus, vt nos afflicti, & gementes conſolemur. Hæc eſt via Domini, cur per ipſam nos non ibimus? Et ſi per illam viam ibimus, cur diabolum, & ſatellites eius timebimus? Iàm redempti ſumus, veſtigia Redemptoris ſequamur, & ſalui erimus; neminem enim vincit diabolus, niſi volentem; non accedas ad illum, neque ille tanget te; debilis enim eſt hoſtis, qui non vincit niſi volentem. Non recedas tu à via Chriſti, & diabolus non accedet ad te. Iuſſit ergo Dominus, vt ipſum ſequaris, tu ambula, & conſolaberis.

Tunc repletum eſt os noſtrum gaudio, & lingua noſtra exultatione,

Quan-

Quando enim redemptio facta est ; quando intellexerunt, se mundatos ab inquinamentis, tunc gaudium illis fuit in cordis ore, & lingua eorum repleta est exultatione. Cogitationes enim de corde locuti sunt, & corde. Vndè in Euangel. Marc. cap. 2. numer. 7. & 8. Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur? blasphemat, quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quòd sic cogitarent intrà se, dicit illis, Quid ista cogitatis in cordibus vestris? de corde enim exeunt cogitationes, Matth. cap. 15. numer. 18. Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem; De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ; hæc coinquinant hominem, &c. Augustinus, Illi insultabant Domino, quia non lotis manibus manducabant Discipuli; & non erat illis iustitia; nisi in oculis hominum; Dominus verò quærit munditiam nostram interiorem; quæ si fuerit, necesse est, vt & quæ foris sunt, munda sint. Mundate, inquit, quæ intus sunt, & quæ foris sunt, munda erunt. Iudæi insultabant, qui munditiam foris habebant, & intus maculis pleni erant; similiter intrà se loquenti Pharisæo Iesus respondit, quia cogitationes hominũ ipse videt, & Luc. 7. num. 37. & 40.

Tunc dicent inter gentes; magnificauit Dominus facere cum eis, magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes. Hi duo versiculi iunctim sumendi videntur, vt agnoscamus ex Iudæis, & Gentibus factam esse vnam Ecclesiam. Gentes, quæ prædestinatæ erant, videntes Apostolorum signa, facta inter Iudæos, dicebant, Dominus magnificauit facere cum eis, idest multas virtutes inter illos posuit. Et cum ipsis Iudæis verbum Dei prædicarent Apostoli, & illud repulissent, & conuersi essent ad gentes, iuxtà illud Isai. 49. numer. 6. Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Ecce quia ex Iudæis crediderunt in Domino, nàm ad prædicationem primam Petri tria millia conuersi sunt ad Dominum, Act. cap. 2. numer. 40. & cap. 4. numer. 4. & factus est numerus credentium quinque millia, &c. magnificauit Dominus facere cum eis, vt in d. cap. 4. num. 16. Notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Ierusalem. Manifestum est, & non possumus negare, dicebant Iudæi.

Gentiles prædestinati videntes signa in Ierusalem, magnificentiam, dicebant, fecit Dominus cum eis. Respondent qui spiritu prophetiæ erant insigniti à Domino. Magnificauit Dominus facere nobiscum, quasi dicerent. Gaudete vos etiam, ò qui suscipitis verbum Domini, quia nobiscum & vos estis, nàm magnificauit Dominus facere nobiscum, & facti sumus lætantes, quia & vos læti verbum Domini suscipietis, Act. cap. 13. num. 48. Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & num. 52. Discipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu sancto. Facta est autem vnica Ecclesia Dei, nonnè magnificata est omni benedictione, & virtute, cum corpus sit, cuius caput est Christus.

Gregor. in id cap. 6. Iob. Quid est homo, quia magnificas eum? in lib. 8. Moral. cap. 16. littera B. circà Dei erga hominem magnificentiam hæc habet. Hominem Deus magnificat, quia largitate rationis ditat, infusione gratiæ visitat, honore collatæ virtutis exaltat. Cumq. per semetipsum nihil sit, esse tamen

eum

eum cognitionis ſuæ participem, benignitatis munere concedit. Sed erga eumdem magnificatum hominem cor ſuum Dominus apponit, quia poſt dona iudicium exerit, merita ſubtiliter penſat, pondera vehementer examinat, & tantò ab eo poſt diſtrictius pœnas exigit, quantò hunc impenſo munere largius præuenit. Vir igitur ſanctus immenſitatem ſupernæ maieſtatis aſpiciat, atque ad infirmitatem propriam conſiderationis oculum reducat, &c. Quæ tamen toti Eccleſiæ non competunt corpori, quatenus ſemper cum Chriſto capite ſuo permanet inconcuſſa.

Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro. Vide, quomodò nunc Propheta vnitatem Eccleſiæ prophetizet, quamuis ſuprà in principio lætus, quia à captiuitate Babylonica liberatus; hìc verò conuerte, inquit, captiuitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro, quia ſub diabolo captiui tenebamur. Non enim in diebus Dauid captiuitas aliqua facta eſt, ſed ſub diabolo mundus captiuus erat; ideòq. ſicut torrens in Auſtro, quia aduentus Domini factus eſt, vt lux gentibus eſſet. In omni enim terra ſunt Eccleſiæ, & verbum Dei prædicatur, cum ſit vna Eccleſia. Sed antequam verbum reciperent Gentiles, & Iudæi crederent in Ieſum; frigidi ferè vniuerſi, qui mundum incolebant per peccatum, & congelati erant ab Aquilone diabolo; Ideòq. Dauid rogat, vt Spiritus ſanctus varijs linguis ignitis ſuper credentes illos, tamquam ventus validus deſcenderet, ac ſicut torrens ſuper credentes Gentiles, & Iudæos deflueret. Torrens dicitur aqua veniens cum impetu, impetus erit miſericordia Dei ad irrigandos, & inebriandos.

Auguſtin. Pſalm. 35. littera F. pag. 98. Et torrente voluptatis tuæ potabis eos; Voluptas enim illa eſt, quaſi torrens inebrians ſitientes, ſatiauit omnes: ſpem ponant, vt inebriati habeant rem, Quo fonte irrigantur? & vndè currit tantus torrens voluptatis eius? Apud Dominum, & ideò ſequitur, Quoniam apud te eſt fons vitæ, ideſt Chriſtus, qui venit in carne, vt irrigaret fauces tuas ſitientes. Satiabit enim ſperantem, qui irrigauit ſitientem, hæc D. Auguſtin. vndè Cantic. cap. 4. numer. 16. Surge Aquilo, & veni Auſter, & perfla hortum ſponſæ, vt fluant aromata eius, Vt ſicut glacies in ſereno, ità ſoluantur peccata tua, Eccleſ. cap. 3. num. 17. Peccata enim ligant nos ne benè operemur, & ad patriam curramus, ſicut frigus, vel glacies aquam, ne currat. Quando autem flat calidus Auſter, liqueſcit glacies, implentur torrentes; ſic flante Spiritu ſancto, ſoluimur à peccatis, & currimus ad patriam. Fateor in hoc curſu eſſe laborem, ſed & magna ſimul eſt conſolatio, & lætitia; vndè ſequitur.

Qui ſeminat in lacrymis, in exultatione metet. Et ad hoc propoſitum ponamus hìc, quæ per Gregor. in Moral. lib. 27. cap. 18. ſuper illis verbis, Iob cap. 37. numer. 9. Ab interioribus egredietur tempeſtas, & ab Arcturo frigus, littera D. fol. 926. dicit enim, Aqua in gelu verſa fuerat, dum, eunte poſt Deum mundo, Iudæa in inuidia pigra remanebat, ſed quia ſupernæ poteſtati ſuppetijt, etiam tantæ crudelitatis duritiam ſoluere, atque ad amandum ſe corda infidelium liquare; Poſt hoc gelu mox benè ſubditur; & rurſum latiſſimæ funduntur aquæ. Poſt gelu quippè Dominus latiſſimas aquas fudit, quia poſtquam Iudæorum fæuitiam vſque ad mortem pertulit, eorum corda protinus ab infidelitatis duritia amoris ſui aſpiratione liqueſecit, vt tantò poſt

Digitized by Google

desiderabilius ad obediendum currerent, quantò præceptis illius prius obstinatius restitissent, &c. De his aquis, idest ad Deum currentibus populis rursum in Psalm. 147. Mittet verbum suum, & liquefaciet ea, flabit spiritus eius, & fluent aquæ, aquæ de gelu currunt, quia plerique ex duris persecutoribus magni Prædicatores fiunt; gelu igitur in aquam liquatur, cum torpor interni frigoris ad irrigationem vertitur prædicationis. An Paulus gelu non erat, qui acceptis Epistolis Damascum pergens in corde fidelium, quasi in terra, iactata verbi Dei semina, ne ad perfectionem operum surgerent, restringere quærebat? Sed hoc gelu in aquam redijt, quia quos persequendo prius premere studuit, hos postmodum fluentis sanctæ exhortationis infudit, vt tantò vberior electorum messis exurgeret, quantò hanc imber Dei etiam ab ore persecutoris irrigaret; hæc Gregor.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Exijt qui seminat seminare semen suum, Matth. cap. 13. numer. 3. Qui seminat in lacrymis, centuplum colligit, quia in bonam terram semen proijcit; laborat seminando, sed colligendo fructus exultat. Exeat ergo prius, qui seminare cupit in lacrymis, in labore, in bonitate; quod est exire, declarat Dominus, dicens Abrahæ, Egredere de domo tua, & de cognatione tua, Genes. 12. n. 1. Act. c. 7. Peruenit in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi, idest vt peregrinaretur in angustijs, in tenebris; sed faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. Euntes ibant, & flebant. Et post hæc quid? Venientes autem venient portantes manipulos suos. Requiritur ergo fideli, & speranti, vt exeat de cognatione, & de domo sua, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, Matth. 19. num. 21. & Apostoli Petrus, & alij, ecce Domine quia reliquimus omnia, & secuti sumus te, Matth. cap. 19. num. 27. Reliquerunt, & secuti sunt laborantem, afflictum, gementem.

Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, vt venientes venirent portantes manipulos suos cum exultatione. Euntes prædicate Euangelium in vniuersum mundum; &, si me persecuti sunt, & vos persequentur, Ioan. 15. num. 20. non est seruus maior Domino suo. Domine ecce quinque talenta tradidisti mihi, euge serue fidelis, &c. Matth. 25. num. 20. intra in gaudium Domini tui, &c. Vndè Dominus per Ioan. c. 16. num. 20. Vos tristabimini, & mundus gaudebit, sed tristitia vestra conuertetur in gaudium. Redempti ergo in consolatione, si in via lacrymas effuderint in charitate, venient portantes manipulos suos cum exultatione, vbi erit in perpetuum gaudium cum pace, quod nobis concedat Dominus per merita passionis suæ.

Antequam huic Psalmo finem imponamus, verba Augustini hìc circà vltimum versiculum ponere mihi visum est, quæ sunt dulciora melle. Mutua charitas necessaria est, vt diues egeat, & miser illi succurat, è contrà misero diues subueniat, vt in exemplis, quæ ibi per Augustinum dantur; in eo enim quod habet, diues est, in eo quod ille non habet, pauper est; in hac enim vita cum labore hæc fieri videntur. Nos verò non deficiamus, in lacrymis si seminamus, in gaudio metemus. Mittamus semina bona, bonam voluntatem, bona opera. Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua; flebant, quia inter miseros erant, & miseri erant, &c. Melius est, vt omnes beati regnent in illa patria, quàm vt sint, quibus impendatur misericor-

ricordia ; tamen quamdiù sunt, quibus impendatur misericordia, non deficiamus in ista ærumna mittere semina ; etsi cum fletu seminamus, tamen cum gaudio metemus, In illa enim resurrectione mortuorum venientes venient cum exultatione, portantes manipulos suos, ideſt tunc quisque recipiet fructum seminis, coronam gaudiorum, & exultationis. Tunc erit triumphus lætantium, & ipsi morti insultantium, in qua gemebatur ; Tunc dicent morti, Vbi est mors contentio tua ? vbi est mors aculeus tuus ? Gaudent igitur, quia portant manipulos suos, quia euntes ibant, & flebant mittentes semina sua ; & hoc, quia seminant in lacrymis, in gaudio metent.

SOLILOQVIVM.

QVIA in Iericho descendisti anima mea, & vulnerata à latronibus captiua remansisti ; ecce transit Christus, ascendas iàm & tu cum illo, vt libera effecta à captiuitate, gaudio repleatur os tuum, & lingua tua exultatione. Magnificauit enim Dominus tecum misericordiam suam, nàm mortua eras, & ecce viues in sæcula, si in dilectione eius vsque in finem sine mortali culpa permanseris. Veni sancte Spiritus, reple cor meum tuo amore, vt dolens, quia peccaui tibi, pœnitentiæ fructum benedictionis inueniam : atque ad te veniens, portem manipulos meos cum exultatione.

O Maria Virgo aduocata nostra, cuius hodie memoriam facimus in Sabbato, succurre mihi captiuo, adhùc in tenebris permanenti, vt filium tuum Iesum Christum, lucem meam sequendo, tenebras euadam huius sæculi, & coram eo, merear à te præsentari ad illius dexteram in iudicio. Amen.

IN PSALMVM CXXVI.

Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

CANTICVM graduum Salomonis. Post Sion captiuatam, eiusque liberationem à Babylonica tyrannide lætabantur Iudæi, quia domum Salomonis iàm destructam, iterum instaurare incipiebant, quam in perpetuum duraturam sperabant, in qua gloria Domini esset, & iuxtà Aggæi propheiam cap. 2. maiorem gloriam in ista sperabant esse futuram. Materiales erant illi, & futuram gloriam spiritualem non intelligebant, & tamen legere poterant, quod scriptum erat, dicente Domino. Adhùc vnum modicum erat, vt veniret desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria. Dauid verò, vt sensum Scripturæ illis aperiret, quia de aduentu Domini intelligendum id erat, quamuis in eodem Psalmo superiori satis apertè dixisset de Domini aduentu, & tunc de conuertenda tota gente à captiuitate diaboli, in hoc clarius

rius loquens docet, quòd non de captiuitate à Babylonica ſeruitute, ſed de gente à peccato captiuata, non de domo Domini manu hominum ædificata, ſed de domo Dei ab ipſomet Deo ædificata, & in æternum duratura; vndè Iſai. cap.33.numer.21. Locus fluuiorum riui latiſſimi, & patentes, quæ verba D. Gregor. in lib.18. Moral. cap.21. fol.722.littera B. Teſtamenti veteris dicta, quaſi anguſti, & clauſi riui fuerunt, qui immenſas ſcientiæ ſententias collectione obſcuriſſima conſtringebant; at contrà doctrinam ſanctæ Eccleſiæ riui, & lati, & patentes ſunt; quia eius dicta, & inuenientibus multa ſunt, & quærentibus plena; Vndè Iob ibi dicit, Profunda fluuiorum ſcrutatus eſt, & abſcondita produxit in lucem. Quia dum ſuis expoſitoribus intelligentiæ ſpiritum infudit, antiquas prophetantium obſcuritates aperuit, & hoc iàm ſancta Eccleſia per ſpiritum agnoſcit, quod Synagoga prius per litteram intelligere omnino non valuit.

Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Non enim ſalus ab hominibus, ſed à Deo, & Domino Ieſu Chriſto, qui de cælis deſcendit, & Templum ſe fecit, carnem noſtram aſſumendo, vt liberaret morte ſua nos à peccato: Iudæis enim ſupradicta in figura contingebant noui teſtamenti, ſalus ergo nobis à Domino, qui Templum ipſius ſumus, cuius cuſtodia ipſe eſt, vt infrà dicemus.

Et hæc erit continuatio, quia non in Templo Salomonis manufacto, ſed in Templo Dei eſt noſtra ſaluatio, non de captiuitate Babylonica, ſed de peccati diabolici redemptione.

Quare verò in titulo huius Pſalmi tantùm Cantici graduum additum ſit Salomonis, Auguſtinus hìc multa dicit. Et primò ſciendum eſt, quòd dictum eſt Canticum aſcenſionis, quia vox cantat aſcendentis in affectu pietatis, & charitatis ad illam ſupernam Ieruſalem, cui ſuſpiramus, quamdiù peregrinamur, & vbi lætabimur, cum à peregrinatione redierimus; Qui ergo proficit, aſcendit, & cadit ab ea, qui deficit; aſcendit autem qui Deum amat, qui ſæculum amat, cadit; non ergo pedibus aſcendimus, vel deſcendimus.

Salomonis dicitur Pſalmus, qui octauus aſcenſionis gradus eſt; vt intelligamus, quia, quæ dixit, prophetico ſpiritu, & Spiritu ſancto dictante, non tamquam hominem, at in typum Eccleſiæ ſanctæ pronuntiaſſe. Ideòq. mentionem feciſſe Salomonis, ad diſtinctionem veri Templi manu ipſiuſmet Ieſu Chriſti ædificati, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, ne quis in virtute ſua confideret, vt dicit Ierem. cap.7.numer.4. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini eſt. Noli confidere, dicebat Dauid, in Templo manufacto tuo; ſi propter delictum tuum receſſeris à Deo, Deus non erit in Templo tuo, fruſtrà enim laboraſti, ſi propter delicta tua à Deo receſſiſti, niſi enim Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.

Sed ſi mulierculas alienigenas adamauit, & poſt Idola illarum, & Deos alienos ambulauit, quomodò tot documenta ſancta, dictante Spiritu ſancto, compoſuit? Auguſtin. reſpondet, quomodò primus homo in Paradiſo vir bonus à Deo creatus, & cecidit ab illo? Nonnè cecidit etiam Angelus de cælo, & factus eſt diabolus? Remanent documenta, quæ à Spiritu ſancto, ipſe

verò

verò Salomon, quia peccauit, eiectus de Templo, quod eſt præfiguratum ab illo; vide quæ in Ezech. dicta ſunt, cap. 18. & cap. 33.

Summa Pſalmi hæc videtur; Si domum Dei ingredi vis, ſpiritualia quæras, & terrena dimittas. Vel in vanum laborat, qui domum Dei non cuſtodit.

Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Quæ eſt domus Dei? niſi qui diligunt Dominum Ieſum Chriſtum? Iſai. cap. 60. num. 20. Populus tuus omnes iuſti, &c. Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum; minimus erit in mille; ideſt parua familia repleta plurimis fidelibus, & paruulus, ideſt parua domus in gentem fortiſſimam, ideſt magnam, quis tu populo meus, vt ab homine decipiaris mortali, & ſuperbo hæretico, qui quaſi fœnum ità areſcet? Iſai. 51. num. 12. In vanum laborauerunt, qui ſine Domino ædificant eam; & Iſai. 43. num. 7. Et omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.

In octauo ergo aſcenſionis gradu noli gloriari, quiſquis extiteris in illo, quaſi tu domum Dei ædificaueris; Dominus enim eſt, qui ædificat, tu verò ne in vanum glorieris, quod domum Dei ædificaueris, Dominus enim Ieſus Chriſtus eſt, qui ædificat; vndè Auguſtin. hìc. Dominus ædificat domum, Dominus Ieſus Chriſtus ædificat domum ſuam. Laborant multi in ædificando, ſed ſi ille non ædificet, in vanum laborauerunt ædificantes eam; laborantes autem ſumus omnes miniſtri Chriſti, omnes, qui prædicant verbum Dei. Omnes currimus. omnes laboramus, omnes ædificamus, modò, & ante nos alij cucurrerunt, laborauerunt, ædificauerunt, ſed niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt ædificantes eam. Vndè Paul. ad Galat. cap. 4. Timeo, ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis, obſeruabant enim illi dies, menſes, & annos, &c. nos enim loquimur foris, ille ædificat intus, quomodò audiatis, nos aduertimus, quid cogitetis, ille ſolus nouit, qui cogitationes veſtras videt, Luc. c. 7. Ipſe ædificat, ipſe monet, ipſe terret, ipſe intellectum aperit, ipſe ad fidem applicat ſenſum veſtrum; & tamen laboramus & nos tamquam operarij, ſed niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant, ædificantes eam.

Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam. Domus ergo prius ædificanda, deindè ciuitas cuſtodienda. Non enim ſufficit te eſſe Chriſtianum, te in domo eſſe Dei, niſi & ciuitas cuſtodiatur à Domino, vt te recipiat in æterna tabernacula. Quomodò illorum eſt domus hæreticorum, & paganorum qui longè ſunt à Domino? qui Pſeudoeccleſiæ ſunt; qui nec per oſtium poſſunt introire in ouile, cuius cuſtos eſt Dominus, cuius domus à Domino ædificata eſt? Fures ſanè ſunt, & latrones, qui non intrant per oſtium in ouile Domini in Eccleſiam Dei, cuius caput eſt Ieſus Chriſtus. Hieronym. Fidelis anima accipitur ciuitas æterni Regis, quæ ciuibus bonis, ideſt honeſtis moribus frequentatur, quam nullius poteſt tueri cuſtodia, niſi illius, qui non dormitans protegit Iſrael, ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael, Pſalm. 120. numer. 4. ſed quid erit de illis, qui tamquam fures introeunt in domum tuam, in ciuitatem tuam? In ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges, Pſalm. 72. num. 20.

Hinc Auguſtin. in Pſalm. 98. littera B. Eſt autem omnis anima Sion, ſi in-

Digitized by Google

tendis videre lucem, quæ videnda eſt, Sion verò dicta eſt ciuitas, quæ eſt Ieruſalem, dicta autem ex interpretatione quadam nomen accipiendo, quia Sion ſpeculatio dicitur, viſio, & contemplatio. Speculari enim proſpicere eſt, vel conſpicere, vel intendere, vt videas. Si ergo Sion eſt anima, niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam. Nàm ſi intendis videre lucem, vt ſis Sion, vt ciuitas Dei ſis; ſi tu ad tuam intendis, tenebraberis; ſi ad lucem illius attenderis, illuminaberis. Si ergo Sion ciuitas Dei eſt, quæ eſt ciuitas Dei, niſi ſancta Eccleſia? Homines enim amantes ſe inuicem, & amantes Deum, qui in illis habitat, faciunt ciuitatem Dei, quia lege quadam ciuitas continetur, lex ipſa eorum charitas eſt, & ipſa charitas Deus eſt, 1. Ioan. cap. 4. littera D. Qui ergo plenus charitate, plenus Deo eſt, & multi pleni charitate ciuitatem faciunt Deo. In illa ergo eſt magnus Deus, ideſt in Eccleſia, quæ Sion vocatur, in illa eſto, & non erit præter te Deus, & Dominus cuſtodiet ciuitatem tuam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris. In tenebris ambulat, qui ante lucem ſurgere voluerit, qui vult ſapere pluſquam oportet. Loquebatur Dominus cum Petro de paſſione ſua, Matth. cap. 16. num. 21. Matth. cap. 10. num. 24. Quid dicis Petre? vis Magiſtrum docere? non eſt Diſcipulus ſuprà Magiſtrum. Abſit hoc à te Domine, Matth. cap. 16. Venerat Dominus, vt ſaluaret, & tu generis humani redemptionem impedire quæris? Vade retrò Satana, tu me ſequere; Retrò incedas poſt me, ne in tenebris ante lucem ſurgas, non eſt bonum hìc eſſe, Matth. cap. 17. numer. 4. audi vocem Patris, in monte dicentis, Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite; non dixit, ipſum docete, ipſi conſulite, ante lucem noli ambulare. Surgite poſtquam ſederitis, poſtquam in humilitate poſiti fueritis, poſtquam documenta Dei didiceritis, quia ſic oportebat pati Chriſtum, & ità intrare in gloriam ſuam, Luc. cap. 24. num. 26. Et tunc poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris, poſt lucem abeuntes, cum illo in gloriam intrabitis.

Sed cui dictum eſt, ſurgite poſtquam ſederitis? Niſi illis, qui manducant panem doloris; illis nempè, qui abnegantes propria deſideria, qui Crucem Domini tollentes ſuper ſe ſequuntur illum, qui in humilitate ſedentes, & pœnitentiam agentes, in corde exultant, gradum aſcendentes, vt cum Chriſto viuentes, & cum Chriſto reſurgant, illum glorificantes.

Auguſtin. Benè ſurgis, quia ſediſti: modò iubemur ſedere. Quando erit noſtra reſurrectio? quando fuit Domini; ad eum attende, qui te præceſſit; nàm ſi non ipſum attendis, in vanum eſt tibi ante lucem ſurgere. Ipſe Dominus quando exaltatus eſt? Cum mortuus eſt, ergo & tuam exaltationem poſt mortem ſpera; in reſurrectione mortuorum ſpera, quia ille reſurrexit, & aſcendit. Sed vbi dormiuit? In Cruce, Quando dormiuit in Cruce, ſignum geſtabat, immo implebat, quod ſignificatum erat in Adam, quia cum dormiret Adam, coſta illi detracta eſt, & Eua facta eſt; ſic & Dominus cum dormiret in Cruce, latus eius lancea percuſſum eſt, & Sacramenta profluxerunt; vndè facta eſt Eccleſia, Eccleſia enim coniux Domini facta eſt, de latere; ſed quomodò illa non eſt facta, niſi de latere dormientis, ſic iſta non eſt facta niſi de latere dormientis. Si ergo ille non reſurrexit niſi mortuus,

tu

Digitized by Google

tu exaltationem ſperas, niſi poſthanc vitam? Sed vt doceat te iſte Pſalmus, quando interrogares, quando ſurgam, fortaſſis priuſquam ſedero.

Cum dederit, ait, dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris. Non ergo ante ſomnum eſt reſurrectio dilectorum, quid enim ſomnus, niſi requietio dilectis, mors verò infidelibus; vt in perpetuum in inferno permaneant. Dilectis ſomnus datur à Domino, vt hæredes ſint fideles in domo Domini. Quæ eſt hæreditas Domini? Filij merces fructus ventris. Illorum ergo, quos parit Eccleſia filios, & quorum vſque in finem eſt bonitas, merces eſt fructus ventris; fructum ventris ego dicerem Ieſum Chriſtum, filium Virginis Mariæ, cuius venter peperit filium ſine peccato; & remanente ea Virgine poſt partum, talem etiam ſalutamus in oratione Angelica, dicentes, Benedictus fructus ventris tui Ieſus. Vel ſi cum Auguſtino, & alijs dicamus de filijs Eccleſiæ intellexiſſe, de quibus Paulus dixit ad Galat. cap.4. nu. 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis. Mater ipſa erit Eccleſia, & coniux Ieſu Chriſti, ad quam Iſai.cap.54. Decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas, quoniàm multi filij deſertæ magis quàm eius, quæ habet virum, & nu.6. quia vt mulierem derelictam, & merentem ſpiritu vocauit te Dominus,& vxorem ab adoleſcentia abiectam, dixit Deus tuus,&c.

Propterea Auguſtinus. Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris, Quando dicit fructus ventris, parturiti ſunt filij iſti: eſt quædam mulier, in qua ſpiritaliter oſtenditur, quod dictum eſt Euæ, in gemitu parturies: parit enim Eccleſia coniux Chriſti, & ſi parturit,in cuius figura etiam Eua mater viuorum appellata eſt,& poſt aliqua verba. Abundabunt iuſti, qui diffuſi ſunt modò toto orbe terrarum, genuit illos Eccleſia, parturit illos Eccleſia, in illa autem reſurrectione mortuorum apparebit partus Eccleſiæ, tranſiet dolor, & gemitus, & quid dicetur? ecce hæreditas Domini filii merces fructus ventris. Quæ eſt ipſa merces? ipſa merces reſurgere à mortuis; ſurgere poſtquam ſediſti; lætari poſtquam manducaſti panem doloris. Cuius ventris? Eccleſiæ.

Nos verò dicimus mercedem, filium ventris Ieſum Chriſtum, ipſe enim eſt merces iuſtorum. Vndè ipſe Thomæ Aquinati, & oranti dixit, Benè ſcripſiſti de me Thoma; quam mercedem habebis? Nullam reſpondit ille, niſi teipſum Domine Ieſu, & Ioan.cap.17. nu.24. Volo Pater, vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, & ſuprà nu.20. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per Verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint, &c. Merces, quia hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti, ad Rom.cap.8. num.17. Filij ergo fructus ventris, quia extra Eccleſiam non eſt ſalus; ſicut nec omnes ſunt filij ventris, ſed qui dilecti ſunt, & vſque in finem permanſerunt. Venter enim Eccleſiæ vt Eua,& Rebecca parturientes in dolore bonos, & malos, de prima Dominus reſpexit ad munera Abel, de ſecunda autem ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui; ità in Eccleſia ſunt boni,& mali,& ideò mali, vt per exempla bonorum fiant & ipſi boni, & ità boni fratres lucrati ſunt malos, & maiorem recipient à Domino mercedem, vndè ſequitur Pſalm.

Sicut ſagittæ in manu potentis, ità filij excuſſorum. Dicit Hieron. hìc, excuſſos, expeditos, & accinctos ad prælium vocat; quod Verbum inquit,in libris Eſdræ interpretes tranſtulerunt, vt ſcilicet à filijs ſuis tamquam fortioribus ex-

pu-

pugnentur. Idem verò Hieronym. fusius hunc versiculum declarat in Epistola ad Marcellam 141. in tom. 1. fol. 1175. vt infrà dicemus. Et ideò à filijs excussi & accincti dicuntur, & expediti in Isai. cap. 66. nu. 19. Mittam, inquit, ex eis, qui saluati fuerint ad Gentes in mare in Africam, & Lydiam, tendentes sagittam, &c. & ità filij excussorũ benè possunt intelligi Apostoli, de quibus Baruch cap. 4. nu. 37. Ecce enim venient filij tui, quos dimisisti dispersos; venient collecti ab Oriente vsque ad Occidentem in verbo sancti gaudentes. Piscatores enim sunt, & piscati sunt; vndè Ierem. cap. 16. nu. 15. Viuit Dominus, qui eduxit filios de terrà Aquilonis, & de vniuersis terris, ad quas eieci eos; ecce ego mittam Piscatores multos, & piscabuntur eos, & post hæc mittam eis Venatores multos, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum, 3. Reg. cap. 8. nu. 4. Alienigena, qui non erat de populo tuo Israel, & manus tua fortis, & brachium tuum extentum vbique.

Sicut sagittæ in manu potentis, ità filij excussorum; eleuabunt signum in nationibus procul, Isai. 5. & ità Ierem. 1. Ego posui te, vt euellas, destruas, & dissperdas, & dissipes, ædifices, & plantes, vt educam cæcos in viam, quam nescierunt, & in semitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam, Isai. cap. 42. nu. 16. Quod autem dicitur, sicut sagittæ potentis, ità filij excussorum, scilicet, ità fortes sunt; quid mirum, cum Dominus Iesus antè illos vadat? Isai. cap. 45. nu. 1. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo; & in alio loco cap. 2. num. 11. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo virorum, & incuruabitur sublimitas hominum; nobiscum enim est Dominus vsque ad consummationem sæculi, Matth. cap. 28. nu. 20. & Luc. cap. 2. num. 15. Ego enim dabò vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri. Sicut sagittæ in manu potentis, ità filij Apostoli, scilicet & Discipuli, Isai. cap. 26. num. 6. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum; Vox enim speculatorum tuorum, leuauerunt vocem, Isai. cap. 52. num. 7. nàm misisti legatos procul, & humiliata est vsque ad inferos, &c. Isai. cap. 52. nu. 9. propterea Parum, dicebat Dominus, est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas, ecce enim dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ. Et in Actibus Apostol. cap. 13. num. 47. vide, quomodò Apostoli filij excussorum, Vobis, inquiunt, oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes; & audientes gentes gauisæ sunt, glorificantes nomen Domini.

Filij excussorum qui sint, Hieronym. vt suprà ad Marcellam Epistola 141. Credentium populi interpretantur, & ideò secundum aliquos, Apostolos dicendos, & appellatos ait, quibus in Euangelio Marc. c. 6. præceptum sit, in quamcunque ciuitatem introierint, & non fuerint recepti, excutere puluerem pedum suorum in testimonium non credentium. Et ad obiectionem sibi factam, quod aliud sit excutientium, aliud excussorum, cum excutientes sint, qui excutiunt, excussi verò, qui ab alijs excutiantur; dicit Hieronym. quòd filij excussorum in Hebræo legitur, chen benè hanengurim, quòd Aquila interpretatus est, sicut filij pubertatum, Symmachus, & Teodotion, sicut filij iuuentutis, & aliàs in Græco, exacuti sensus; ex quo manifestum est, adolescentiæ populos intelligi Christianos, secundum illud exemplum, quod Deus suos sanctos in mo-

dum

dum arcus, & ſagittarum dicatur extendere, vt in Zachar. cap. 9. numer. 13. Quoniam extendi mihi Iudam, quaſi arcum, & Iſai. cap. 49. Poſuit me ſicut ſagittam electam, & in pharetra ſua abſcondit me. Denique in ſequenti verſu, exceptis ſeptuaginta, qui aliter tranſtulerunt, & in Hebræo, & in cunctis editionibus ità reperiſſe dicit Hieronym. Beatus vir, qui repleuit pharetram (ſic habet Text. Hebraicus) ex ipſis, quia metaphoram ſemel ſumpſerat ex ſagittis, vt & in pharetra quoque tranſlatio ſeruaretur, excuſſos autem, & conſuetudo ſermonis humani, vegetos, & robuſtos, & expeditos vocat, & ipſi Septuag. Interpretes in Eſdræ lib. Nehem. 4. n. 16. & factum eſt ex die illa medij excuſſorũ faciebant opus, & medij habebant haſtas, ſcuta, & arcus, & thoraces, & principes poſt omnem domum Iuda ædificantium in muro, ex quo & animaduertit, & in præſenti loco pro adoleſcentibus, atque puberibus excuſſos poſitos, non vt ille opinatus eſt, pro Apoſtolis, qui excuſſi à pedum excuſſione dicantur, & librum legiſſe aſſerit, excuſſos Iudæos dici à Templo, & lege, & gratia Domini, pro eo quod eſt reprobos, & eorum eſſe filios Apoſtolos, qui ex ipſorum ſemine procreentur, cui addi poſſunt quæ in Pſalm. 108. num. 23. Sicut vmbra cum declinat, ablatus ſum: & excuſſus ſum ſicut locuſtæ, & in ſimilitudinem ſagittarum manu Domini contineantur.

Simul ergo ſtant iſtæ opiniones, relatæ à Hieronymo; Apoſtoli enim filij Hebræorum fortes, quia vicerunt Regna, adepti ſunt repromiſſiones, ad Hebr. cap. 11. num. 33. obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, &c. fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum, &c. Nonnè & Apoſtoli hæc fecerunt, qui totum mundum fortes in fide Chriſti ſubmiſerunt? & ſi filij excuſſorum, ſi filij, ergo iuuenes, & puberes: excuſſorum autem, cum patres illorum eiecti, expulſi, infideles, increduli, & inimici Dei, qui illum crucifigere auſi ſunt. Ità ergo fortes, vt ſuprà, ſicut ſagittæ in manu potentis. Quis autem Deo potentior, qui & ipſos filios, & fideles, non telis, & armis, ſed virtute, & fide, ità potentes fecit, vt totum mundum ipſorum morte vincerent? Nos inſenſati, dicebant inimici, vitam illorum reputabamus inſaniam, Sap. cap. 5. & ecce quia inter filios Dei reputati ſunt, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Vultis illorum fortitudinem audire? Matth. cap. 17. num. 19. Si fidem habueritis, ſicut granum ſinapis, & dixeritis monti huic, tranſi hinc illùc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis, & mortuis in nomine Ieſu, ſurgite, & ſurgent.

Beatus vir qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta. Quid eſt mundus, niſi mortalium mors, illorum nempè, qui relicto Deo, ſequuntur illum? Non ſic filij excuſſorum, qui deſiderium ſuum in fide Chriſti Ieſu ponentes, relicto mundo, ſecuti ſunt prædicantes Apoſtolos, Beati ſunt, non confundentur, cum loquentur inimicis ſuis in porta. Vndè dicebant Apoſtoli Iudæis prohibentibus de Chriſto illos verba facere, Act. 4. num. 19. Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate,

Loquuntur Diſcipuli in porta, in Chriſto, ianua enim eſt Chriſtus, non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta. Non poſſumus, quæ vidimus, & audiuimus non loqui; comminabantur Iudæi, non confundebantur Apoſtoli, qui loquebantur verba Chriſti; & Gaudentes ibant à conſpectu con-

Digitized by Google

concilij, quia digni facti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, Act.cap.5. num.41. O beati illi, qui impleuerunt deſiderium ſuum ex ipſis, non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta,in domo,in ciuitate Chriſti. Porta domus Chriſtus, Ioan.cap.10.num.7. Ego ſum oſtium ouium, qui ædificauit illam pro ſuis fidelibus, & humilibus, qui panem doloris in vita ſua comederunt, ità afflicti, vt illis mundus non eſſet dignus, ad Hebr. vt ſuprà. Funde, inquit Auguſtin. quod portas, & capax fiere ad id quod non habes; deſideria carnalia, & humana deſideras, fundas illa, non enim implebis deſiderium tuum ex illis; ſi autem deſideras quomodò ceruus ad fontes aquarum; ſi dicis, deſiderat, & deficit anima mea in atria Domini, imples deſiderium tuum ex eis, non quia iàm illi poſſint tale deſiderium implere, ſed tales imitando venis ad eum, qui impleuit deſiderium ipſorum.

Cum loquetur inimicis ſuis in porta, ianua eſt domus, porta ciuitatis, qui eſt ergo ianua domus, ipſe eſt porta ciuitatis, Chriſtus eſt porta ciuitatis, non erubeſcat ergo ille, qui in Chriſto ſtat, in porta prædicat, ideſt palam coram omnibus loquitur, non timeat inimicos, non erubeſcat, vt omnes, quid loquatur ſciant; non lateat, non in abſcondito loquatur. Miſſæ enim ſunt ſagittæ potentis, & vſque ad fines terræ peruenerunt, vt ſciant omnes, quia Chriſtus eſt via, vita, & reſurrectio noſtra, in quo omnes ſaluari poſſunt in illum credentes, & illum confitentes, quia ipſe eſt filius Dei. Beatus ergo vir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis.

SOLILOQVIVM.

ANIMA mea, quæ à Domino ædificata, & in ciuitatem eius extructa es obnixè illum deprecare, vt quod per temet præſtare nequis, ipſe te cuſtodiat, ſimulq. det, ne in vanum labores, Chriſtum veram lucem præcedere obnitens, plusq. ſapiens quàm oporteat ſapere; at humiliter in mortificatione illum ſequaris. Pharetram bonorum deſideriorum præparatam accelera, vt verbo, & exemplo cum filijs excuſſorum Apoſtolorum, ac præfortium Sanctorum ſagittas acutas mittens in corda fidelium,beata & tu dicaris exhibita tuta ſpe obtinendæ mercedis ipſummet Chriſtum Ieſum fructum ventris Mariæ, & Eccleſiæ.

Sancte Euariſte Papa, & Martyr, qui in Parochias Romanam ciuitatem diuiſiſti, vt iacula per Parochos, & Cardinales iacerentur in corda populi Romani, Tuum diem celebrat feſtiuitatis, & martyrij ſancta Mater Eccleſia; tuis adiuua me precibus, vt de manibus inimicorũ eruar, atque audacter in porta, verbo,& opere pro viribus diuinas notas faciam laudes,vt Chriſtum meroedem accipiam: ò Beata Maria virgo, ne me derelinquas in hac vita ærumnoſa impetra, vt dignè in via filij tui ambulem,& te intercedente, ad eum peruenire poſſim per tuam miſericordiam. Amen.

IN

Digitized by Google

IN PSALMVM CXXVII.

Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius;

CANTICVM Graduum. Continuatur ad præcedentem, in quo de domo à Deo ædificata, de Ciuitate ab illo cuſtodienda, & de porta, quæ eſt Chriſtus. In iſto Pſalmo docemur, qui ſint, qui ingredi poſſunt in illam: Beati, inquit, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius.

Præmittitur Titulus tamquam principium neceſſarium, nempè quòd ſit Chriſtianus, quòd ſit inter cantantes Canticum graduum, aſcendere deſiderans cum aſcendentibus ſcilicet in domum Domini, & in ciuitatem illius. Niſi ergo quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non intrat in domum Domini.

Summa hæc eſt. Qui timet Dominum ambulet in vijs eius, ſi vult percipere fructuum, qui eſt Chriſtus.

Incipit ergo, Beati omnes qui timent Dominum, qui caſtè ſeruientes illi, ambulant in vijs eius, qui verò ſint timentes Dominum, declarant hìc Auguſt. Hieronym. & cæteri, qui ſcilicet amore ambulat in vijs eius, & cum timore; timeat ergo, qui amat, & ſemper ſit pauidus, ne cadat, 1. Corinth. c. 10. nu. 12. ſi fructum manuum ſuarum comedere deſiderat. Cur autem primò dictum in plurali, beati omnes, & poſteà in ſingulari, labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit? niſi quia plures vnum ſunt, & vnus plures; vnum ergo in Chriſto ſunt omnes, quia hæc eſt Ieſu Chriſti voluntas, vt illum diligentes, & ſequentes, vnum ſint in Deo Patre, & filio, & Spiritu ſancto, Ioan. cap. 17. propè finem, vt ſuprà fuſius diximus.

Vt ergo cum Chriſto vnum ſimus omnes, tria hæc requiruntur; Fides, Spes, & Charitas, timor facit ſapientem, Charitas veſtigia Ieſu Chriſti ſequentem, ſpes, quia laborando panem doloris manducaſti manuum tuarum fructum, Chriſtum Ieſum ſcilicet habebis, & benè tibi erit in æternum, Luc. cap. 14. num. 16. Beatus, qui manducabit panem in Regno Dei; hic eſt enim panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex illo manducet, non moriatur in æternum, Ioan. 6. cap. 27. & nu. 35. Panis enim Dei eſt, qui de cælo deſcendit, Ego ſum panis vitæ, & num. 48. cum ſequen. Timor ergo in via, labor in profectione, vt quando manducabis, Beatus ſis, & benè ſit tibi.

Beati ergo, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. Hic eſt verus, & caſtus timor, nàm ambulat in vijs Domini, qui diligit Dominum; non enim in vijs Domini ambularet, niſi dilectio illum præcederet, neque vera eſſet dilectio, niſi comitaretur timor, ne Dominum peccando amitteret, atque ab illo longè fieret, Eccleſ. cap. 3. num. 4. Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit ſe ab illis, & in oratione dierum exaudietur.

Qui ambulant, inquit, in vijs eius. Requiritur ergo continuatio dilectionis, & deambulatio in vijs eius, Eccleſ. cap. 2. nu. 6. Serua, inquit, timorem illius, & in illo veteraſce, & nu. 18. Qui diligunt Dominum conſeruabunt viam illius, & num. 18. Qui timent Dominum cuſtodiunt mandata illius, & patientiam habebunt vſque ad inſpectionem illius, dicentes, Si pœnitentiam non egerimus,

inci-

incideremus in manus Domini, & non in manus hominum, & Dominus in Ioan.cap.14. nu.15. Si diligitis me, mandata mea ſeruate, & iterum, Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui diligit me, ibid. Ioan.nu.21.

Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit. Modò in plurali, nunc in perſona ſingulari, & benè tibi erit. Dici poteſt Prophetam hìc tres perſonas repræſentaſſe, videlicet ſuimet, dicentis, Beati ſunt, qui timent Dominum, & ambulant in vijs eius; alteram verò Dei Patris ad Ieſum Chriſtum, ibi: Vxor tua ſicut vitis abundans, & filij tui, &c. tertiam Eccleſiæ, ibi: Ecce ſic benedicetur homo, &c. & quæ ſequuntur.

Prima pars clara ad litteram eſt, pronuntiat enim quæ in re ſuperueniant bona timentibus Deum; Quòad ſecundam verò partem, Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, iàm ſuprà in præcedenti Pſalmo diximus, Chriſtum eſſe caput, nos verò membra eius, Eccleſiam verò vxorem ſeù ſponſam, quæ filios Domino parit; ſicut vitis abundans. Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Qui ſunt iſti filij? Audi Eccleſ. d. c. 3. in princ.

Filij ſapientiæ Eccleſia iuſtorum, & natio illorum obedientia, & dilectio. Filij ergo tui, ideſt opera tua bona, fructus manuum tuarum in circuitu menſæ tuæ, quæ eſt enim menſa Domini, niſi ipſe Dominus? Luc. cap.22.

Filij tui ſicut nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ. Beda Serm.18.de Sanctis, Sanctorum, inquit, omnium triumphis Eccleſia coronatur; Et poſt pauca, Dumq. Catholica Mater Eccleſia, per totum Orbem longè, latèq. diffuſa in ipſo Capite ſuo Ieſu Chriſto edocta, contumelias, cruces, & mortem didicit non timere, magis, magisq. roborata eſt, non reſiſtendo, ſed perferendo. O verè beata mater Eccleſia, quam ſic honor diuinæ dignationis illuminat: quam vincentium glorioſus Martyrum ſanguis exornat, quam inuiolatæ confeſſionis candida induit virginitas, floribus eius nec roſæ, nec lilia deſunt, &c. Filij eius ſicut nouellæ oliuarum.

Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuę. Qui ambulat in vijs Domini, & timet Deum, Beatus certè homo ille, in ſua enim mente in omnibus affectibus ſuis, in bono abundant in corpore ſuo, & anima, ſicut vitis abundans in lateribus domus ſuæ, vt omnia exteriora excludens nonniſi, quæ virtutis ſunt, & Deo beneplacita admittat, ſemper in ſpe firma, & viridi obſeruantia, Deo ſeruiendi ſoli ſit intenta, & non alij. Hæc faciens manuum tuarum fructum manducabis, & benè tibi erit, quia beatus eris, quia ambulas in vijs Domini. Et quem fructum manus eius operata eſt? Ioan.cap.6 nu.27. operata eſt non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dedit illi, qui ſecutus eſt ipſum, & ambulauit in vijs eius. Vel cum Paul.ad Hebr. cap.5. nu.13. dicamus, cum is perfectus iàm ſit in timore Domini, & ambulet in vijs eius; omnis, inquit Paulus, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt; perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, & mali. Ad bonum enim ſe exercuit iuſtus iſte operando manibus ſuis in cibando pauperes, & in charitate Dei, & in timore, lacrymis ſuis lectum ſuum rigando, & cinerem tamquam panem manducando; hoc eſt opus manuum ſuarum, quod eſt pro cibo, quem manducat, ideò Beatus, quia opus manuum eius Deus non deſpexit.

Vxor

Digitized by Google

Vxor tua, &c. ò beata terra, ò felix anima, cuius Agricola pater, cuius vitis Christus, in quo tu manes, vt fructum afferas, & ex illo manducans, Sicut vitis abundás in lateribus domus tuæ circumdata, vt secura perducaris in Regnum cælorum. Augustin. in Ioan. Tract. 80. Iste locus Euangelicus fratres, vbi se dicit Dominus vitem, & Discipulos suos palmites, secundum hoc dicit, quòd est caput Ecclesiæ, nosq. membra eius, Mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, vnius quippè naturæ sunt vitis, & palmites, propter quod cum esset Deus, cuius naturæ non sumus, factus est homo, vt in illo esset vitis humana natura, cuius & nos homines palmites esse possemus. Pater & ego, dicit Christus, vnum sumus, ergo Iesus Christus Agricola est, & vitis. Et quis sic circumdata anima, poterit de manibus tuis illam eripere? Ioan. 10. num. 28. Ideò filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ, ne traharis, te cooperante, ad aliena. Exurge Domine in præcepto, quod mandasti, & Synagoga populorum circumdabit te, ideſt Ecclesia iustorum, Psalm. 7. num. 8.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum, qui ambulat in vijs eius. Ecce quàm copiosa sit merces iusti in terra, & in cælo. Membrum Christi factus est, & quis aduersarius eius? Et quis contradicet illi? Tabernaculum enim Dei factus es. Augustin. Ecce sic benedicetur homo, &c. Ille est homo, qui sunt homines, & ipsi homines homo, quia multi vnum, quia Christus vnus.

Benedicat te Dominus ex Sion, Ponantur hìc Augustini aurea verba. Videbas, ait, forsan eorum, qui non timent Dominum, vxores fœcundas, & filios mensam Patris circumdantes, nescio quò ibas, & non ex Sion. Benedicat te Dominus, sed ex Sion. Noli quærere illas benedictiones, quæ non sunt ex Sion; nàm, quamuis & illorum sit Domini benedictio; nàm quis diues esset, si Dominus nollet? non tamen de Sion est ista benedictio. Benedicat te Dominus ex Sion, vt videas bona Ierusalem; nàm illa bona non sunt Ierusalem, nàm illis dictum est, Crescite, & multiplicamini, & hoc auibus donatum est à Domino. Non enim iàm felicitas est habere filios, sed bonos habere; de nutriendis labora, si nati fuerint. Si autem non nati, age gratias Deo, fortè minus solicitus eris, & tamen sterilis non remansisti illius matris, fortè filij pro te nascuntur spiritaliter de ista matre, qui sunt in nouellis oliuarum, circumeuntes mensam Domini. Consoletur ergo te Deus, vt videas bona Ierusalem, quia æterna sunt, & ibi est Rex ille, qui ait, ego sum, qui sum. Quæ enim bona ista terrena, quæ non stant, labuntur, fluunt.

Filij sunt paruuli, blandiris paruulis, blandiuntur paruuli, nunquid stant in eo? optas, vt crescant, vt accedat ætas optas; Sed vide, cum accedit vna, altera moritur. Veniente pueritia, moritur infantia: veniente adolescentia, moritur pueritia: veniente iuuentute, moritur adolescentia: veniente senectute, moritur iuuentus: veniente morte, moritur omnis ætas. Quot optas gradus ætatis, tot simul optas & mortes ætatum. Nàm deindè nati sunt tibi filij in terra tecum victuri, an potius excluſuri, & succeſſuri? ad eos gaudes, qui nati sunt, vt excludaris? Quantò magis gaudendum est ad filios, cum quibus permanebis, & ad illum Patrem, cui nati sumus non morituri: Sed vt nos cum illo semper viuamus. Ipsa sunt bona Ierusalem: quia ipsa stant. Videamus ergo bona Ierusalem, non ista, quæ cæcus videt, illa enim Ierusalem

itized by Google

omnibus diebus vitæ videntur; ſi vita tua æterna fuerit, in æternum illa videbis, &c. Non ergo tu illa bona videas, quæ poſt mortem non videbis, nec cum diuite Epulone ſepeliaris in inferno: Aurum, &c. domus ornatas videre, non eſt videre, quia non ſunt bona, tranſitoria secum, plus eſt enim pauperi videre cælum ſtellatum, quàm diuiti tectum inauratum, &c. quæ per te videre poteris.

Sequitur Pſalmus, Vt videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. Quæ timenti Deum bona deſideret, declarat, dicens, Benedicat te Dominus ex Sion, æterna nempè benedictione, quæ iuſtis datur, quorum Ieruſalem eſt ciuitas, quæ dicitur pacis viſio, quæ conſtruitur in cælis viuis ex lapidibus, vt factus æternus, fruatur illis æternaliter omnibus diebus vitæ ſuæ, quæ æterna erit: ſed non tantùm vt videat bona Ieruſalem in æternum; at vt filij quoque, & illius filiorum filij fruantur pace, quam ſemper in terris amauerunt, pace ſuper Ieruſalem: opera enim bona tua, quæ hìc feciſti, in cælis apparent, vt & tu illorum fructibus fruaris, qui dicuntur filij filiorum, in ſæcula ſæculorum, &c. Dici pariter poteſt filios filiorum eſſe pauperes, qui ex eleemoſynis tuis paſcuntur in terris, Dominum Ieſum Chriſtum hìc repræſentantes. Paſcis hìc pauperes, vt Chriſtum videas in Ieruſalem: opera bona ſequuntur benefacientem, opera enim illorum ſequuntur illos. Et ideò pacem ſuper Iſrael habebis, ideſt Ieſum Chriſtum, qui eſt vera pax; vel vt videas filios filiorum tuorum, retributionem tibi à Domino precantes bonorum, quæ feciſti in vita, vt pace Chriſti fruaris in æternum.

SOLILOQVIVM.

QVIS mihi det vt inter illos adnumerer, qui filiali timore Dominum timent, in virtutum vijs eius ambulantes. Sanè & ipſe beatum tunc me cenſerem. Concede quæſo bone Ieſu, in tuis laborem obſequijs, vt benè ſit animæ meæ fructum comedenti laborum meorum. Mens mea, coniux mea ſit bonis cogitationibus, bonisq. deſiderijs in animæ meæ lateribus, inſtar tot filiorum exuberans, veluti vitis vberrima. Sintque prædicti filij mei me circumquaque ambientes, quaſi nouellæ olivarum. O vtinam, benedictio, quæ mihi à Domino, tota ſit ex Sion, & Ieruſalē cæleſti, vt in æternum æternis fruar fructibus. Videamq. opera, quæ fecerim bona, vt filios bonarum cogitationum, bonorumq. deſideriorum filiorum mentis meæ, me in cælo ſequentia. Vbi & Dei ſumma cum pace, perfruar viſione.

O Virgo Maria, ne me derelinquas in via, vt Crucem portare valeam, donec ad te per Dei gratiam perueniam: omnes Sancti, & Sanctæ Dei ſuccurrite mihi, vt in die Iudicij audiam & ego cum iuſtis vocem dicentis, Venite benedicti Patris mei.

IN

Digitized by Google

IN PSALMVM CXXVIII.

Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſrael.

CANTICVM graduum. Continuari poſſe videtur ad præcedentem; cum enim ibi actum ſit de beatitudinibus, & benedictionibus Deum timentium, & in vijs eius ambulantium. Nunc conſequenter Eccleſia Dei, ſeù Iſrael, qui Deo præualens interpretatur, dicit iuſtis, & Deum ſequi volentibus. Iàm magnitudinem, ò Chriſtiane præmiorum audire ſi te delectat, etiam laborum, & tribulationum certamen non te deterreat, ſciens, quia hæc eſt Dei voluntas, vt illum ſequi volentes, tollant & ipſi crucem ſuam, & poſt illum abeant, Matth. cap. 16. num. 24. Et, ne nouum tibi videatur, ſcias, inquit Propheta, in principio Eccleſiæ, in illius iuuentute hoc factum eſſe, vt in Abel, qui occiſus eſt à fratre Cain iniquo, & in alijs, qui ab Auguſtino hìc enarrantur, qui tunc Eccleſiam conſtituebant.

Sæpe expugnauerunt me, inquit Eccleſia, à iuuentute mea, & nunc in Chriſto Ieſu, cuius Euangelium eſt prædicatum; vndè in Pſalm. 39. num. 10. Annunciaui, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum; multiplicati enim ſunt ſuper numerum, quia in toto Orbe terrarum exiuit ſonus Apoſtolorum, & Eccleſia in qualibet parte mundi reperitur: & Diuus Auguſtinus hìc, Quid eſt ſuper numerum? non ſolum, inquit, illi, qui crediderunt, & qui pertinent ad numerum Sanctorum, ſed plures iniqui, & pertulerunt iuſti iniquos in Eccleſia. Nunquid modò ſolum, ex quo enumerat, ex quo commemorat? Ideò ne modò miraretur Eccleſia, vel ne quiſquam in Eccleſia miraretur, volens eſſe membrum Eccleſiæ, audiat & ipſam Eccleſiam Matrem ſuam, dicentem ſibi, Noli mirari ad iſta fili, ſæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. Magnum affectum hoc indicat, ſic cœpiſſe Pſalmum; Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. Attamen videtur non ſimpliciter cœpiſſe, ſed reſpondiſſe cogitantibus, & dicentibus, quanta mala perferimus, quanta ſcandala crebreſcunt quotidie, quando iniqui intrant in Eccleſiam, & portamus eos?

Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, nec Eccleſiam ſeneſcentem expugnare ceſſauerunt, nec illam delere potuerunt. Sæpe expugnauerunt, etenim non potuerunt mihi, dicit Eccleſia, ſcilicet prævalere. Expugnauerunt ſæpe, cum ſint quotidie hæretici, & iniqui; cæterum nec portæ inferi prævaluerunt aduerſus me, quæ nec voluntatibus, & illorum relaxationibus conſentire volui, vt in peccatum me traherent; & benè, immaculata eſt enim Eccleſia Dei, & ideò.

Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam. Sicut zizania inter triticum, vt ferrem, donec tempus meſſis adueniret, donec zizania ad comburendum euellantur.

Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores. Nàm qui intrà Eccleſiam erant, non tamen de Eccleſia erant, non ex Sion benedicti fabricauerunt,

vt nomine Eccleſiæ puſillos deciperent, prolongauerunt iniquitatem ſuam, quia neceſſe eſt, vt veniant ſcandala, væ tamen illi, per quem ſcandalum venit. Quia Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum, nonnè contremiſcis, ſi Scripturæ Dei credideris? Nullus mundus eſt à peccato, & quis noſtrum cum Publicano, Luc.cap.18.num.13. tundens pectus non dicit Deo, vt parcat ſibi peccatori, ne gladius in ceruices noſtras incidat? Recedat ſuperbia, propter quam conciduntur ceruices, & corpora. Iunge ergo te Deo, vt tui peccatoris ſis perſecutor acerrimus; non te iactabis cum illo, qui dicebat, ſe non eſſe ſicut Publicanum illum, qui pectus ſuum tundens; vt ſibi Deus parceret, oculis in terram deiectis, veniam petebat; ſed cum Pſalmiſta clama, Domine miſerere mei, quia peccaui tibi, Pſalm.40.

Confundantur, & auertantur retrorſum omnes, qui oderunt Sion. Quid te iactas in Eccleſia, ſi non obſeruaueris eius mandata? Nonnè odiſti, ſi non obſeruaſti? & ſi non obſeruas, nonnè contemnis? Cum te videris condemnari, quid tibi proderit, poſt mortem confiteri? Fiant, inquit, ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit; non enim habent radices, propterea fœno in tecto comparantur; non enim ſuccum viriditatis habent, ideò ante iudicium Dei ſicci euelluntur, & aridi, vt in puluerem reducantur; adeòq. implere non poteſt ex illis, manum ſuam qui metet, nec ſinum ſuum, qui manipulos colliget. Auguſtin. Venturi enim ſunt meſſores, & collecturi ſunt triticum in horreum, & zizania alligabunt, & mittent in ignem. Sicut fœnum tectorum expurgatur, & quod inde euellitur, in ignem mittitur, quia priuſquam euelleretur aruit, & quia non implet manus meſſor, ideò ſequitur.

De quo non impleuit manum ſuam, qui metet, & ſinum ſuum, qui manipulos colliget, Angeli enim Dei, quibus datum eſt colligere fructus, quomodò colligent illos, qui & viridi facti ſunt ſteriles, infructuoſi, & aridi? nec colligent meſſores, nec à tranſeuntibus benedictionem accipient, ſicut in tritico datur à tranſeuntibus benedictio, ideò ſequitur.

Et non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini ſuper vos, benediximus vobis in nomine Domini; Præterierunt etiam illi vulneratum in via iacentem; venit tamen Samaritanus, & curare fecit illum, Luc. cap.10. numer.34. Venerunt Apoſtoli, & benedictionem Domini ſuper illos deprecabantur, dicentes, Benediximus vobis in nomine Domini, vt recedentes à peccato, & pœnitentes ſalui & vos facti, cum meſſoribus in horreum Domini ingrediamini. Sed qui ſunt illi, quibus non prædicauerunt Apoſtoli, quos & Angeli non collegerunt? Iudæi perfidi, quibus dictum eſt ab Apoſtolis, Quia vos verbum Dei non recepiſtis, ecce conuertimur ad gentes; Act.13.nu.46. Relictis ergo infructuoſis, aridisq. operibus feramus, quæ & meſſorum manum, & manipulos colligentium repleant ſimul.

SO-

Digitized by Google

SOLILOQVIVM.

QVID turbaris anima, ſi tentationes aſcendunt in te, & in iuſtorum corda? An maior tu eris Eccleſia, & matre tua? A iuuentute ſua dicit, ipſa ſe expugnatam, ſed non potuerunt aduerſus eam inimici, & impedire, quin magis creſceret in filiorum dilatatione, vt magis gratiam Dei mereretur accipere. Ità tu anima mea pugna, & erit victoria tua; Dominus enim tecum erit, vt non ſuccumbas in illis. Et concidet peccatorum ceruices, vt illæſa remaneas in die extrema. Sancti Dei, qui pertranſiſtis in via, ſuccurrat mihi interceſſio veſtra, oratio veſtra, benedictio veſtra, vt in nomine Ieſu expellens omnia aduerſantia, merear in tritici manipulos in cæleſte deferri horreum, combuſtis zizanijs. Sancte Gregori Thaumaturge ſic appellatus propter miraculorum multitudinem, qui etiam montem oratione tua aliò tranſtuliſti, Eccleſiæ ædificationem impedientem, montem etiam tentationum, & peccatorum ab anima mea transferri, oratione tua impetra, vt immunis ab omni ſcelere valeam tecum præcepta Dei adimplere; Maria Virgo dulciſſima Mater Chriſti ſuccurre mihi miſero peccatori, vt te intercedente, valeam Domino meo filio tuo ſeruire, Amen.

IN PSALMVM CXXIX.

De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

CANTICVM graduum. Notandum eſt, quia non ſine myſterio ſexto loco poſitus eſt iſte Pſalmus in ordine pœnitentialium Pſalmorum, & in ordine Cantici graduum vndecimus eſt. Senarius namque numerus perfectum ſignificat, vt nouerimus, quamuis aliquis perfectus quomodolibet ſe intelligat, non tamen ſine peccato eſſe, pro quo neceſſaria ſit pœnitentia; quia eſt ſenarius cum vndenario, vt ſcilicet non tantùm in iuuentute ſe pœniteat peccaſſe, ſed toto tempore vitæ ſuæ, vſquequò ad numerum duodenarium perfectum perueniat, vbi eſt pax ſine perturbatione aliqua.

Suprà ergo viſum eſt de iuſti perpetuo bello, & expugnatione, nunc ponitur medicina, vt à delicto liberatus, fortis in bello perſiſtat, nempè oratione clamando, vt exaudiat Dominus preces eius, & ideò in Pœnitentialibus in ſexto numero, hìc verò in Canticis graduum in vndenario, vt quamuis in gradibus ſalutis quis ambulet, videat, ne cadat, ſed ſe peccatorem confitens dicat, De profundis ad te Domine clamo, nàm ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?

Summa erit, vt quiſque pœnitens ſit, & oret.

In prima parte, confitens ſe miſerum pœnitentem, miſericordiam Iudicis captat, quia humiliatur, & ideò magna ſperat; in ſecunda verò parte lætus,

quia bona ſperat, ibi, Speret Iſrael in Domino, &c. De profundis clamaui ad te Domine. Hìc ergo excluditur ſuperbus, quem Deus à longè cognoſcit, vt niſi humilietur, cum Lucifero detrudatur in infernum; qui enim in humanis exiſtens peccatorum profunditatem, propter ſuam ſuperbiam non cognouit, in profundum proiectus, cum peccatorum profunditate mortuus ſepelitur.

Facit quod idem dixit Matth.cap.15.num.17. hypocritæ, &c. de profundis clamant & hypocritæ, vel timentes mandata hominum, & non Dei, vel etiam vt hìc recipiant mercedem, vt videantur nempè ab hominibus. Arcta eſt via, & anguſta porta, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam, de profundis ergo ſunt, ore clamant, ſed non corde, Matth. 2.num.14.

Noſce teipſum, ò amice, cui propterea data eſt lex, vt noſcas te, & videas, in quantis periculis, & ærumnis poſitus ſis, & tunc de profundis clama non ore tantùm, ſed corde contrito, & humiliato, de profundo calamitatum, quibus ferè mergeris, & obrueris, clama ad Deum.

Auguſtin. Quiſquis ſe in profundo intellexerit, clamat, gemit, ſuſpirat, & donec de profundo eruatur, & veniat ad eum, qui ſuper omnes abyſſos ſedet, ſuper Cherubim, ſuper omnia, quæ creauit, non ſolum corporalia, ſed etiam ſpiritualia, donec ad eum veniat anima, donec à bello liberetur imago ipſius, quæ eſt homo, quæ in hoc profundo tamquam aſſiduis fluctibus exagitato detrita eſt, & niſi renouetur, & reparetur à Deo, qui illam impreſsit, quando formauit hominem. Idoneus potuit eſſe homo ad caſum, non eſt idoneus ad reſurrectionem ſuam, qui ſemper in profundo eſt, clama de profundo, vt ſurgas de profundo, vt per clamorem de imo libereris à Deo.

De profundis cordis humiliatus clamat iuſtus iſte, cùm in vndenario graduum poſitus, nec in ſua confidit virtute, ſed ad Dominum conuerſus exclamat, non ſecurus in valle, Domine exaudi vocem meam, dum ergo de profundo clamat, ſurgit de profundo; ſi ergo non clamat quis de profundo, valdè eſt in profundo peccatorum, Prouerb. 18. Impius cum venerit in profundũ malorum, contemnit, ſicut quando ægrotus non ſentit febrem, mortale ſignum eſt; vndè Eccleſ.cap.10. Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti, ideſt ſecundum Bonauenturam, ibi cogitationes peccatorum ſibi ſuccedentes perdunt intentionem, & ità multa bona; quia vnctio docet nos de omnibus, Ioan. 1. cap. 2.num.27. clamat iſte, & vndè vox clamantis, niſi de profundo malorum? peccatorem ſe confitetur, ſpe clamat, etenim qui venit ſoluere peccata, dedit etiam ſpem in profundo poſito peccatori.

Iuſtus eſt iſte noſter Pſalmiſta, & tamen non inuenit de ſua iuſtitia præſumendum; & quodammodò totus peccatis repletus, de profundo iniquitatum ſuarum expergefactus, clamat ad Dominum. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Si iuſtus ſic clamat ad Dominum, & quid faciet iniquus homo totus poſitus in maligno, niſi clamore magno excitans Dominum, quaſi dormientem dicat, Domine, ſi iniquitates obſeruaueris, quis ſuſtinebit?

Fiant Domine aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ, qui non iuſtos, ſed peccatores veniſti vocare ad te. Clamat de profundis, qui taliter à peccatis oppreſſus longè factus à Domino remanet, ſicut ſus in ſtercore

Digitized by Google

ſœcis inuolutus; habens tamen fidem ad Dominum clamat, qui miſericors eſt, & liberabit eum à perditione, & pœnam peccatorum dimittet.

Sed nunquid in tempore erit exauditio illius? A cuſtodia, inquit, matutina vſque ad noctem, ſperet Iſrael in Domino, Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Vndè Iſai. cap. 1. numer. 16. Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis; quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere. Et venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Confide in Domino peccator, quia maior eſt miſericordia Domini, tua iniquitate. Ante noctem pœnitere, quia in inferno ſemper nox eſt, ſemper durat aduerſitas abſque vlla ſpe. Non enim poſt mortem eſt confeſsio. Dum in mundo exiſtis cogita, quòd hìc non eſt dies ſine nocte, vt ſciens lucem, & in illa progrediens, ſemper in te luceat dies: vt in tenebris luceat, & tenebræ non te comprehendant: vt cum luce ambulans, quæ eſt Chriſtus, perducaris in cælum, vbi non eſt nox, neque tenebræ, ſed ſemper dies eſt, Apocalypſ. 21. num. 23.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ. Clamat peccator: de profundo clamat peccatorum ſuorum, ò miſericordia Dei Altiſſimi; clamat, quia prius erigendo aures audiuit à Domino ſe perditum ire. Audiuit, reſipiſcit, dolet de peccatis, clamat in ſpe ſibi data. Clamat ex corde, qui fidem habet in Redemptore, illum excitante. Qui venit peccata ſoluere, dedit etiam ſpem in profundo poſito peccatori. Sed cur omnes aſſerit eſſe peccatores? Vt ad parcendum facilius induceret, qui pro omnibus paſſus eſt, vt à peccatis illos abſolueret, Iſai. cap. 53. numer. 8. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum, &c. & iniquitates eorum ipſe portabit, & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit; clementiam ergo Domini excitat, qui venit, vt ſaluaret, & hæ ſunt Domini aures, clementia ſcilicet, & pietas, 2. Paralip. 6. nu. 4. Aperiantur quæſo oculi tui, & aures tuæ intentæ ſint ad orationem, quæ fit in loco iſto, & in Pſal. 114. docet nos Propheta, quando Dominus aures ſuas nobis orantibus inclinat, quando ſcilicet exaudit. Dilexi, inquit, quoniam exaudiuit Dominus vocem orationis meæ, quia inclinauit aurem, &c. Pœniteat ergo te ex corde, quia peccaſti Domino, ipſe exaudiet orationem tuam, ipſe propitius eſt ad parcendum, & propè eſt illum inuocanti.

Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? De profundo clamauit, quia bonum aliquod reſpicere ſatagens, nullumquè inuenit, immo vitam ſuam totam coopertam vidit flagitijs. Vndè Auguſtin. Cum tanta, & tàm multa peccata vndique, & cateruas ſcelerum ſuorum videret, tamquam expaueſcens exclamauit, dicens. Si iniquitates obſeruaueris, quis ſuſtinebit? Non dixit, ego non ſuſtinebo; ſed quis ſuſtinebit? Vidit enim propè totam vitam humanam circumlatrari peccatis ſuis, accuſari omnes conſcientias cogitationibus ſuis, non inueniri cor caſtum præſumens de ſua iuſtitia. Si ergo cor caſtum non poteſt inueniri, quod præſumat de ſua iuſtitia, præſumat omnium cor de miſericordia Dei, & dicat Deo; Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?

Hinc documentum accipimus, quanti ſit valoris Eccleſiæ oratio, & gemitus pro peccatis populi delinquentis, & à via Domini recedentis. De profundis cla-

clamat iuſtus, & Eccleſia, vt exaudiatur oratio, qua ad Deum clamat pro peccatorum populi remiſſione. Suſtinete, inquit, animæ populi mei Chriſtiani in verbo eius, ſperantes in Domino, apud quem eſt copioſa redemptio propter miſericordiam ſuam,& ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius; alloquitur enim populum fidelem, ſed natura infecta peccatorem, Pſalm. 138. num. 15. Et ſubſtantia mea in inferioribus terræ: ſi enim de terra homo ſumpſit exordium, terrenum fundamentum erit ſubſtantia carnis; ab ipſa igitur carnalis tentatio oritur, ex qua laceratur, velut enim tinea homo conſummitur, cum de ſe oritur, vndè conteratur.

Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? quaſi dicat, Tu ſolus Domine, qui innocens es, & apud quem eſt propitiatio, adiuua nos, & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum.

Quia apud te propitiatio eſt. Sed quid Dominus dicit per Ierem. cap. 18. num. 8. Si pœnitentiam egerit gens iſta à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei, &c. & ſi fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum, vt facerem ei; Et nunc dic viro Iuda, & habitatoribus Ieruſalem, dicens. Hæc dicit Dominus, Ecce ego fingo contrà vos malum, & cogito contrà vos cogitationem, Reuertatur vnuſquiſque à via ſua mala. Ad te pertinet peccator, vt ità dicam, propitiatio, quotieſcunque receſſeris à malo, & de perpetratis facies pœnitentiam, quia Dominus ſupponit manum ſuam; vt, te recedente à malo, & bonum faciente, deleat peccata tua. Apud Dominum ergo erit propitiatio, ſi apud te erit à malo reuocatio, & de peccato tuo feceris pœnitentiam. Dicas & tu anima mea, De profundis clamaui ad te Domine, qui ex toto corde meo, ex cordis mei profundo, ad te clamo, dicens, Domine peccaui, miſerere mei; de profundo aquarum multarum, ideſt lacrymas ex oculis effundens, lectum meum rigaui Domine, parce mihi peccatori, qui propter legem tuam ſuſtinui te Domine, propter legem ſcilicet miſericordiæ, & charitatis, quæ viuificat, ſuſtinui, quæ peccata condonat, & de cætero monet, ne offendat homo; & ſi titubaui remedium dat orandi, dimitte nobis debita noſtra, &c. Et quia hanc legem dediſti in ipſa neceſſitate, ſuſtinui te, expectans, quando venias, & liberes ab omni neceſſitate, Auguſtin. Sine hac lege miſericordiæ, & charitatis, qua alter alterius onera portat, nullus ſuſtinet, vel fruſtra ſuſtinet.

Propter legem tuam ſuſtinui te Domine. Ex obſeruantia ergo legis, venit propitiatio Dei. Quod legis mandatum? charitatis Dei, & proximi; confitere Domino in humilitate cordis, & oris tui, & proximo ne feceris, quod tibi non vis fieri, ad Galat. cap. 6. numer. 2. Inuicem onera veſtra portate, & ſic implebitis legem Chriſti. Et ſi præoccupatus fuerit aliquis in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum ne & tu tenteris, ibidem Paul. vide Auguſtinum hìc littera H.

Suſtinuit anima mea in verbo eius. Quod verbum eius? Verbum, de quo Habac. cap. 2. num. 3. quia adhùc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur; ſi moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit; ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo. Iuſtus verò

verò noſter, Eccleſia Dei nempè ex fide viuit, ideò ſequitur, dicens, Sperauit anima mea in Domino. A principio vſque ad finem ſæculi, à cuſtodia matutina vſque ad noctem, à conſtitutione mundi vſque ad diem Iudicij, à cuſtodia matutina vſque ad noctem, ideſt ad illud tridui tempus, quo Domini Corpus ſtetit in ſepulchro vſque ad Dominici diem in aurora matutina, quando ſurrexit Dominus, & aſcendit in cælum, vſque ad ſecundum aduentum, quando cæli mouendi ſunt, & terra, quia Sol, & Luna non dabunt lumen ſuum, Matth. cap. 24. nu. 22. Et ſic vſque ad noctem ſemper ſperandum eſſe in Domino, docet nos iuſtus iſte. Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio, & ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius, quia in fine reliquiæ Iſrael ſaluæ fient, Iſai. cap. 10. nu. 21. & ad Rom. 9. nu. 27.

SOLILOQVIVM.

DE profundis clamauit Eccleſia, vt Dominus veniens veniret, vt mundum in peccatis ſeneſcentem redimendo ſaluaret. Ecce exaudita oratio illius eſt, iàm enim Angelo annunciante, in Mariæ Virginis ventre conceptus eſt, & hodie annua ſolemnitas ab Eccleſia celebratur, iàm carnem ſuſcepit tuam, ò miſera anima mea, quæ tali honore decorata es, vt portans Dominus peccata tua ab illis te redimeret, ſanguine ſuo te ſaluaret, & morte, ac reſurrectione ſua te ſecum in Paradiſum duceret. Expectans expectauit te, vt pœniteret, & viam ſuam, ideſt in ipſo Chriſto, qui eſt Via, Veritas, & Vita tua, ſecum incedentem viuificaret. Et quid moraris? patiens fuit Dominus, dans tibi tempus, & locum pœnitentiæ; ad illum reuertere anima mea, quia pœnitendi iàm venit tempus; clama ne ceſſes, ſpera in Deo, qui multus eſt ad ignoſcendum, & apud illum eſt propitiatio, & redemptio tua, vt redimat te ab omnibus iniquitatibus tuis. Accelera Domine, vt eruas me. Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij; nàm ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? A cuſtodia matutina vſque ad noctem in te ſpero Domine. Veni Domine, noli tardare, vt relaxes facinora animæ meæ. Et tu Beata Virgo Mater miſericordiæ, mater diuinæ gratiæ adiuua me apud filium tuum, vt à pœnis eripiar, quas pro peccatis meis mereor. Amen.

IN PSALMVM CXXX.

Domine non eſt exaltatum cor meum: neque elati ſunt oculi mei.

CANTICVM Graduum. Cum ſuprà de mirabilibus ſibi à Domino factis Dauid locutus fuiſſet, deq. illius humilitate in Pſalmo iſto de imitatione tractat eiuſdem humilitatis ipſius, vt nimirũ ſequens Redemptorem, humiliatum ſe pariter oſtenderet cõteſtans, fideles quosq. in humilitate Domino ſeruire debere. Hæcq. eſt ipſius Pſalmi ſumma.

Incipit ergo Canticum duodecimum graduum numeri perfectionis in humilitate conſiſtens, & ait, Domine non eſt exaltatum cor meum. Magis namq. dele-

delectatur Dominus humilitate, quàm sacrificiorum, ac victimarum occisione, Isai. cap. 1. Domine, dicebat ille Pharisæus, non sum sicut cæteri hominum, raptores, adulteri, &c. eleemosynas do, & quæ sequuntur; stans verò publicanus, nec oculos audens ad cælum leuare percutiebat pectus suum, dicens, Domine propitius esto mihi peccatori, Luc. cap. 18. nu. 13. Descendit hic iustificatus ab illo; Sacrificium enim Deo acceptum, cor contritum, & humiliatum, Psal. 50. Et ratio est, quia humilis similis factus est Domino, qui pro nobis humiliatus est vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Christo ergo Iesu Domino nostro verba huius Psalmi magis adaptantur, qui quamuis Deus esset, & homo, non tamen est exaltatum cor eius, sed humiliatum, neque elati sunt oculi eius, vt mundanam gloriam appeteret, nàm dicebat, gloria mea est, vt faciam voluntatem Patris mei, qui in cælis est; neque elati sunt oculi mei, quia signum superbiæ exterius non ostendit, immo passus est, quia voluit.

Neque ambulaui in magnis. Etenim sedens super pullum Asinæ, qui Dominus erat cæli, & terræ, humilem se ostendebat populo suo, quantò enim maior erat, in omnibus se humiliauit, Eccles. cap. 3. Si non humiliter sentiebam, quatenus homo factus, quòad ipsam humanitatem minorē se Patre dicebat, sed exaltauit animam suam, quia quòad diuinitatem vnum se Deum prædicabat cum Patre, & Spiritu sancto, & ipse vnus est: Philippe, qui videt me, videt, & Patrem meum. Pater in me est, & ego in Patre, Ioan. cap. 14. nu. 9. Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor; Pater autem in me manens ipse facit opera. Sed exaltaui animam meam, Isai. cap. 5. nu. 21. Sicut enim Pater resuscitat mortuos, & viuificat, sic & filius quos vult, viuificat.

Sed quid datum est tibi Domine, qui ità humilis factus redemisti me? Sicut, inquit, ablactatus est super matrem suam, ità retributio in anima mea. Sicut infans aliquis incumbens super matrem suam, ideſt indigens foueri sinu matris, perit, si sit ablactatus, ideſt à lacte matris separatus. Ità, ait, & ego hanc retributionem tantæ meæ humiliationis à matre mea Synagoga retuli, quòd ab ipsa reiectus perij. Occisus à principibus Iudæorum. Hæc siquidem est retributio Domino facta, qui venerat, vt saluaret illos.

Speret Israel in Domino ex hoc nunc, & vsque in sæculum. Quid Israel nisi videns Iesum, & quis videt Deum, nisi corde mundus? Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, Matth. cap. 5. num. 8. Persecutio, & afflictio est iusti retributio, spera tu humilis corde in Deo, qui in fine non te derelinquet. Audi Dominum per Isai. cap. 49. num. 15. Non dicas, dereliquit me Dominus, Nunquid enim dicit Dominus, obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.

SOLILOQVIVM.

ERVBESCE anima mea, si in exaltatione parmanens amiseris cælestia, & Ecclesiæ lac concupisti, vt panem Christum manducares, in quo veræ delitiæ sunt dignè manducantibus illum, in quo est vita æterna. Iàm ablactatus es à matre tua, ab Ecclesia; nunc tibi remanet retributio, vt dignè comedens panem Christum, & tu cum illo mente, & conuersatione permaneas in

cælo,

cælo, vbi aperta eiusdem frueris visione; ibi spera, ibi exaltare in Domino puro corde, vt dignè valeas laudes eius annunciare.

Lucia Virgo, cuius festum hodie colimus, quæ castè, & piè viuendo facta es Templum Spiritus sancti, & propterea sperans in Domino Paschasij tyrannidem superasti, sicut tu per intercessionem beatæ Agathæ matri sanitatem impetrasti, ità pro me, & domo mea intercedere digneris, vt corda nostra mundantes, Deum videre mereamur per gratiam Spiritus sancti, & humiliati terrena spernentes, ad Deum corda nostra eleuentur. Mater glorioſissima per intercessionem tuam deleantur nostra delicta, vt humiliatæ salus fiat huic domui. Amen.

IN PSALMVM CXXXI.

Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.

CANTICVM graduum. Qui meritò ad præcedentem continuatur, vbi de humilitate dictum est, sine qua, impossibile est placere Deo, subsequitur ergo Templi spiritualis ædificatio, quia sine prævia humilitate, non fit spiritualis Templi constructio; ideò sequitur Psalmus decimus tertius graduum, Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.

Summa hæc est, præcedat humilitas in eo, qui vult fieri domus Dei, qui vult videre faciem Dei; beati enim dicuntur humiles, quia ipsi Deum videbunt, Matth. dicto cap. 5. Memento ergo Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.

Duo colliguntur ex hoc Psalmi principio, quæ in Dauide, in iusto Dei seruo, zelus nempè domus Dei, & mansuetudo, atque humilitas, Primum ipsemet patefecit Dauid, cum dixerit, zelus domus tuæ comedit me, Psalm. 68. num. 10. & Psalm. 118. num. 139. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Nec non in expugnatione Goliath, 1. Reg. c. 17. num. 37. inquiens, Quis est iste incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis? & num. 44. & ipsi maledicenti Philistæo in Dijs suis, Dauid occurrit in baculo, & funda, cum quinque lapidibus, dicens, Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo, & ego veni ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, & percussit eum, vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israel, & infixus est lapis in fronte Goliath, num. 49. & cecidit in faciem suam super terram. Non enim in gladio, & hasta saluat Dominus, dicebat Dauid, qui manu fortis interpretatur, quia manus Domini erit cum illo, & brachium Domini confortauit eum, Psalm. 88. numer. 22.

Secunda est mansuetudo, & eiusdem Dauid humilitas, nàm & si Saulem Regem in manu illius Dominus dederit, vt illum in crypta ventrem exonerantem, potuisset occidere, 1. Reg. cap. 24. num. 10. attamen pepercit tibi, dixit, oculus meus, num. 11. quamuis te Dominus mihi tradiderit, non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est. Considera humi-

humilitatem, inimicum ſuum Dominum vocat, ſe verò canem nuncupat, & vnum pulicem. O magna humilitas manu potentis, ò manſuetudinis immenſitas, quia Saul Chriſtus Domini erat, noluit illum vel attingere: Memento, inquit, zelantis Dauidis affectus, in Dei Eccleſiam, & in vnctum Dei manſuetudinem, & modeſtiam, iuxtà id, Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari, Pſalm.104.num.15.

Sed nunquid propter ſupradicta duo tantùm memoria Dauid in æternum? Audi Eccleſ. cap.47.num.9. De omni corde ſuo laudauit Dominum? & videbis, quanta ſit illius digna memoria, In celebrationibus decus, in laudibus Dei continuus, in Dei Templi ornamento ſplendor, Dominus purgauit peccata eius, &c. & cætera de quibus in Eccleſ. d.cap.47.

Memento Domine Dauid, Bonitatis ſcilicet, & iuſtitiæ illius, quia peccatorum illius pœnitentis non eſt amplius apud te memoria, Ezech.c.18.& 33. Facta ſunt alba ſicut nix, per ipſius pœnitentiam; & propter bona opera, Iſai. cap.1.& inuentus eſt homo ſecundũ cor Dei, ex cuius ſemine voluit in mundum venire, & carnem ex carne ſua aſſumere.

Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob, ſed quando iurauit? idem Pſalm.118. Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Quomodò ſtatuit? ſtatim, ac illum vouentem Dominus adiuuit, vouit enim Domino Deo, & qui hortatus eſt, vt voueret, ipſe adiuuauit eum, vt redderet, dicit Auguſtinus. Vtinam, dicebat, dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas; Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore, Pſalm.118. In toto corde meo exquiſiui te. Sicut iuraui Domino, votum voui Deo Iacob. Voluntariè enim ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine. Aptius tamen, qui in hac manſuetudine vouit is dicendus, qui tamquam ouis ad occiſionem ductus eſt; ille enim venit, vt eos, qui perditi erant, ſaluaret, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, Matth.18.num.11.

Auguſtin. hìc littera E. Vbi quærebat locum Domino? manſuetus erat, qui illum in ſe quærebat; quomodò enim eſt locus Domino? Audi Iſai. cap.66. Super quem requieſcet ſpiritus meus, ſuper humilem, & quietum, & tremẽtem verba mea? Vis ergo eſſe locus Domini? eſto humilis, & quietus, & tremens verba Dei, & tu ipſe efficieris quod quæris, humiles enim corde ſaluabit Dominus, Pſalm.33.num.19.

Si introiero in tabernaculum domus meæ. Quomodò intrabis, ſi Dominum non dilexeris? & quomodò diliges, ſi poſt illum in hac vita non ambulaueris? quid enim dixit ipſe Dominus? Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me, diligendo Dominum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis, Matth.c.16.num.24. Vndè Apoſtol. Tit. cap.2.numer.12. Abnegemus impietatem, & propria deſideria, ſobriè, iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Quis non intrat per oſtium tabernaculi ſui? Qui oculis ſuis ſomnum quærit, & palpebris dormitationem, & cum venerit Dominus, dormientem illum inueniens, vitæ oſtium illi claudens, dicat illi, neſcio te. Erat media nox, & quinque illæ Virgines prudentes non dormiebant, ſed oleum bonorum operum ſemper ſecum portantes exierunt obuiam ſponſo, Matth.25.nu.1. vndè Pſalm.75.nu.6.

de

de dormientibus, inquit, dormierunt somnum suum; & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis; terrenæ enim felicitates sunt somnia dormientium, quæ citò transeunt.

Augustin. dat exemplum in somniante, dicens, & quomodò qui videt thesauros in somnis diues est, sed euigilabit, & pauper erit, sic omnia ista, vana huius sæculi, de quibus homines gaudent, in somno gaudent, euigilabunt quando nolunt, si non modò euigilant, quando vtile est, & inuenient, somnia illa fuisse, & transisse, sicut dicit Scriptura, velut somnium exurgentis, Psalm. 72. numer. 20. Velut somnium surgentium Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Sed neque, inquit, iustus iste, dedit palpebris suis dormitationem, ne crescentibus spinis suffocarent sementem, non enim dormitationem palpebris admisit, quia nec tentationibus terrenis, nec diabolicis consensit, immo nec temporibus suis requiem, ne illa terrena cogitando, somnum prouocárent ad oculos. Vis euigilare, & non dormire, nec dormitare? Noli te credere tali delectationi; maiores dolores habebis, quàm suauitates; ista cogitatione quasi confricans frontem, excutis somnum, vt ponas locum Domino, Tabernaculum Deo Iacob.

Hìc datur forma illis, qui volunt ædificare Tabernaculum Dei, eidemquè locum inuenire, nempè vt ipsi sint Tabernaculum Dei, dum militant in hac vita; vt quietis locum hìc fugiant, & post hanc vitam requiescent in pace. Quomodò enim quiesces in domo tua, ò peccator in strato lecti tui, vbi somnus, & mors, Quomodò vbi tenebræ, & lubricum, Dominum inuenire poteris, qui de lecto suo surgens, in lecto Crucis vt te saluaret, se collocauit. Sequere Dominum, & erit in te Tabernaculum eius, & locus erit tibi in cælo: sub capite spinoso, non decet esse membrum delicatum. Tabernaculum tuum, ò peccator sit cum gementibus, vt domus tua in cælo sit cum laudantibus. Non ergo quid temporale delectet te, ne tempora tua somnum inducentia, & oculos tuos grauantia mortis somnum inducant, sed quasi frontem tuam confricans somnum excute, vt vigilans Domino locum parare possis, & Tabernaculum illius fies.

Neque te terreat, quòd peccator sis, ecce quia in Ephrata, & in campis siluæ te inueniet, ideſt in hoc sæculo te peccatorem inueniet, & cum gentibus idololatrantem, non enim venit Dominus vocare iustos, sed peccatores, nasci voluit inter Iudæos, sed inter gentes inueniri voluit, Isai. cap. 49. numer. 6. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus Redemptor Israel, sanctus eius ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem; in tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui, & seruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas, vt diceres his, qui vincti sunt, Exite, & his, qui in tenebris reuelamini, Super vias pascentur, &c. vndè Apostoli à Iudæis verbum Dei audire recusantibus recedentes, Gentibus verbum Dei prædicantes, Act. cap. 13. num. 46. dixerunt, Vobis, scilicet Iudæis, prius oportebat loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes; sic enim præcepit nobis Dominus.

Ecce audiuimus eam in Ephrata, & in campis ſiluæ. Nàm audientes Gentes, gauiſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt, &c. crede in Dominum, inuoca illum, & eris eius Tabernaculum; audi Dominum per Iſai. dicentem, Et omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum, Iſai. cap.43.nu.7. & 10. Verè vos teſtes mei, dicit Dominus, & ſeruus meus, quem elegi, & idem Iſai. cap.60. num.10. Populus autem tuus omnes iuſti; Neque in Tabernaculum domus eorum introibant, ideſt non quæ ſua erant, quærebant, ſed omnia ad pedes Apoſtolorum ponebant, Erat enim cor vnum eorum, & anima vna, Act.c.4. numer.34. Ne palpebræ ſomnum ad oculos eorum inducerent, ſed vigilantes quærebant Dominum, & inuenientes illum alacriter ſuſceperunt, & facti ſunt Tabernaculum Dei, & intrantes in domum, pacem, & quietem ſempiternam inuenerunt, dicentes, ecce

Introibimus in Tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius. Introibimus per Chriſtum, quem adoramus in terram, vbi ſteterunt pedes eius, introibimus in cælum, vbi eſt ſedes eius; adorabimus in terra, vbi eſt ſcabellum pedum eius, Iſai. cap.66.numer.1. vbi naſcens de Virgine, & triginta tres annos Dominus illam peragrauit, vt terrena ad pedes eius nos ponentes, ideſt illa deſpicientes, ſecum nos perduceret ad regna cæleſtia.

Intrauimus, vt ibi permaneamus: intrauimus per oſtium, non aliundè, vt fur, & latro; ſed vbi intrauimus? In domum Dei Iacob, per oſtium, quod eſt Chriſtus, & verbum illius audiuimus, Ioan.10.num.8. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Fur non venit, niſi vt furetur, & mactet, & perdat.

Auguſtin. hìc litteta B. Intrabimus in tabernacula eius. Cuius? Domini Dei Iacob, qui intrant, vt inhabitent, ipſi ſunt, qui intrantur, vt inhabitentur, in domum tuam; vt inhabites, intras; in domum Dei, vt inhabiteris: eſt enim melior Dominus, qui cum te cœperit inhabitare, beatum te facit; nàm ſi tu ab illo non habiteris, miſer eris. Et paulò inferius. Adorauimus, vbi ſteterunt pedes eius. Cuius pedes? Domini, an ipſius domus Domini? Domus enim Domini eſt, vbi dicit, quia debet adorari, præter illam non exaudit Deus ad vitam æternam.

Sed vbi ſteterunt pedes eius, & qui ſunt pedes eius? Mons Dei, mons pinguis, ipſe Chriſtus, de quo Iſai. 2.nu.2. Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent, Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit vos vias ſuas; & ambulauimus in ſemitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem, &c. Et qui ſunt pedes eius? Apoſtoli, quibus dictum eſt, Ite, & prædicate Euangelium omni creaturæ, Iſai. 52. Quàm pulchri ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion regnabit Deus tuus, vox ſpeculatorum tuorum leuauerunt vocem, ſimul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, & Nahum c.1. Ecce ſuper montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem, vndè ad Rom.10. nu.15. Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.

In-

Introibimus in Tabernaculum Dei Iacob. Quomodò Tabernaculum Dei Iacob introibimus? per verbum, quod audiuimus, & est euangelizatum nobis per Apostolos, & per Ecclesiam suam sanctam, Et factum est conuiuium pinguium in monte hoc euangelizato Christo Iesu, qui dixit, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus vestris, Matth. cap.11. numer.28. Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis, vt quid suspicamini montes coagulatos, Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem, Psalm.67. numer.15. mons, per quem docemur vias Domini, Isai. dicto cap.2. Mons, super omnes colles, quia præter illum non est alius mons, in quo multi populi iustificabuntur, & nigrore peccatorum in candorem iustitiæ commutato super niuem dealbabuntur in Selmon monte altissimo; Mons pinguis, quia in eo habitat Deus, ideò coagulatus etiam, qui plenus est gratiæ, & veritatis, vide quæ dixi in d. Psalm.67.

Surge Domine in requiem tuam; tu, & arca sanctificationis tuæ. Tu nempè, qui in sepulchro triduo permansisti, & ad inferos descendisti, vt Patres liberares. Surgat & arca tua, quæ sæpe à iuuentute sua expugnata à peccatoribus, & non potuerunt illi, Psalm.129. numer.8. exurge à mortuis, ne dormias conturbatus, Psalm.56.numer.5. Exurge gloria mea, & dixisti, exurgam diluculo, numer.9. exurge, qui iàm dormisti, & somnum cœpisti; surge in requiem tuam tu, & Ecclesia tua, quam sanctificasti. Iàm surrexit caput Christus, quia Dominus suscepit illum, Psalm.3.numer.6. ne turberis Ecclesia Dei, quare enim relicto Domino, fugisti? Marc. cap.14. numer.50. benè dixit Dominus, quia omnes scandalizabimini in ista nocte, percusso pastore, scriptum est Zachar. capit. 13. numer.7. dispergentur oues gregis, Marc. cap.14. numer.27. Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem, & estis tristes? ò stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonnè hæc oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam? Exurge Ecclesia Dei. Caput tuum Christus surrexit, ne timeas minas Iudicum, quia Dominus est tecum vsque ad consummationem sæculi, Matth.28.num.20. palpare, & videre, docet Ecclesia iustos suos, quia Christus resurrexit in corpore, & nos cum eo resurgemus, Ioan.cap.5.numer.29. & cap.11.num.25.

Sacerdotes tui induantur iustitiam, & Sancti tui exultent. An ignoratis, quia Sancti, vt dicit Paul. 1.Corinth. cap.6.numer.2. de hoc mundo iudicabunt? Sacerdotes tui induantur iustitiam. Quam iustitiam? Ierem. cap. 1. numer.10. Ecce constitui te hodie super gentes, & super Regna, vt euellas, & destruas, & dispердas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Vide Psalm.149. numer.7. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis; Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Vt faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis eius. Quomodò verò intelligantur hæc verba, Deo adiuuante, cum ad illius Psalmi expositionem peruenerimus, declarabimus; interim vide Paul. 2.Timoth. cap.4. numer.2. Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina; & bonum certamen certasti, gladius enim bis acutus est verbum Dei; bis

igitized by Google

acutus, quia eum, quem ferit, separat à mundo, & separat à te, quod te impedit. Sancti tui induantur iustitiam, vt occisos verbo Dei viuere faciant, Deuteronom. cap. 32. numer. 39. percutiam, vt sanem. Et sancti Dei exultatione exultabunt, nàm maius erit gaudium in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm suprà nonaginta nouem, qui non egent pœnitentia, Luc. 15. num. 7.

Sacerdotes tui induantur iustitiam, Act. Apostol. cap. 13. numer. 46. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes, &c. Sed nunquid omnes Iudæi repulsi sunt? quid dicis Propheta?

Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui. Ideoquè multi pœnitentes secuti sunt Dominum ex Iudæis, Act. Apostol. cap. 2. numer. 41. & per totum, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia, &c. Saluamini à generatione ista prana, dicebat Petrus, & in alio loco Ioannes, genimina viperarum, Matth. cap. 3. numer. 7. iàm enim securis ad radicem arborum posita est, numer. 10. Reliquiæ tamen Israel saluæ fient, Isai. cap. 10. numer. 22. Ecce quomodò Sacerdotes Dei induti sunt iustitiam; ecce quomodò, qui crediderunt lætantes saluantur; ecce quantum valeant preces seruorum Dei, quorum precibus facies Christi non est auersa à multis, Isai. dicto cap. 10. numer. 22. ad Roman. cap. 9. numer. 27. Si fuerit numerus filiorum Israel, tamquam arena maris, reliquiæ saluæ fient; Ergo propter Dauid rogat, vt non auertat faciem Christi, cui responsum datur, cum illico subijcitur.

Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Iurauit Dominus, quia ipse est veritas, & non fallit, 2. Reg. cap. 7 numer. 27. & verba eius sunt vera. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Quis est fructus ventris? nisi Iesus Christus ex Maria Virgine, de progenie Dauid, vt dixit Angelus, Luc. cap. 1. in Salutatione Beatæ Virginis, Aue Maria, gratia plena. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, &, Quod ex te nascetur vocabitur filius Dei; Benedictus ergo fructus ventris tui Iesus, cuius regni non est finis. Sedet spiritualiter in sede Patris Dauid, cui omnis potestas data est, & facultas, & imperium, in cælo, & in terra, Matth. 28. num. 18. & vt baptizati, credentesq. in illum, & seruantes præcepta illius, vnum sint cum illo, Ioan. 17. num. 24.

Et non pœnitebit eum, non enim in Deo est pœnitentia: Diuus Augustinus hìc littera H. Quid est non pœnitebit eum? non mutabit, non enim dolorem pœnitentiæ patitur Deus, aut in aliquo fallitur, vt velit corrigere, in quo errauit, sed quomodò hominem, cum pœnitet, mutare vult; quod fecit; hìc vbi audis, quia pœnitet Deum, mutationem ipsam spera. Aliter illam fecit Deus, quamuis nomine pœnitentiæ appellet, aliter tu: tu enim facis, quia erraueras; ille autem facit, quia vindicat, aut liberat. Mutauit Regnum Saul, cum pœniteret eum, sicut dictum est in eo ipso loco; 1. Regum cap. 15. numer. 30. vbi Scriptura dicit pœnituit eum; paulò post dicit; non enim sic est vt homo, vt pœniteat eum. Cum ergo mutat opera sua per incommutabile consilium suum, propter ipsam non consilij, sed

ſed operis mutationem pœnitere dicitur, &c. Hìc autem iuraſſe dicitur, & non pœnituiſſe eum, quia ideò venturum ſe dixit, vt redimeret, Sic enim dilexit mundum, vt filium ſuum Vnigenitum daret.

Perditio tua eſt ex te, ò peccator, ò Iſrael, tantummodo in Domino auxilium tuum, Oſe.cap.13.num.9. Miſericors, & miſerator eſt Dominus, ſed & iuſtus, & in æternum non commouebitur, Pſalm.111.num.4. Dat locum pœnitentiæ, vt tibi ſit locus miſericordiæ, ſi te pœnituerit peccaſſe, Sap.12. iuſtitiam autem diligit, quatenus in peccato permaneas, vt puniat te, iuſtitia, & correctio ſedes eius, & hoc eſt, quod in Ierem. dicitur cap.18.numer.8. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei; ideſt non diſpergam miſericordiam meam ab eo, & ideò ſcriptum eſt Eccleſ. cap.11. numer.27. In die bonorum ne ſis immemor ſis malorum, & in die malorum ne immemor ſis bonorum: quoniam facilè eſt coram Deo in die oblitus retribuere vnicuique ſecundum vias ſuas.

Propoſita eſt ergo nobis per aduentum Domini vita, & mors; maledictio, & benedictio, pro qua iurauit Dominus Patribus tuis, Abraham, Iſaac, & Iacob, vt daret illam eis, Deuteronom.cap.30.num.29. & Eccleſ.c.15.nu.14. Deus adiecit mandata, & præcepta, ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi, Eccleſ.cap.15.num.14. Si ergo peccas, & te pœniteat; eſt qui miſerando, parcat Deus; ſi malum egeris, & in illo deceſſeris, eſt iuſtitia Dei, quæ te condemnet. Deus ergo verax eſt, & non mutatur, quocirca ſequitur Pſalm. dicens.

Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos. Ecce conditio, quæ promiſſioni apponitur. Si cuſtodierint præcepta. Cuſtodias, & ſedebis, & filius Dauid eris: Vndè Ioan. cap.8. iactantibus Iudæis, ſe filios Abrahæ eſſe, dixit Dominus, opera Abrahæ facite, ſi filij Abrahæ vultis eſſe, qui ergo Dei opera faciunt, filij Dauid ſunt, filij Ieſu Chriſti ſunt. Vndè dicit Auguſtin. Quomodò nos dicimus filios Dauid, qui de ſtirpe eius non ſumus ſecundum carnem? Reſtat, vt filij non ſimus, niſi imitando fidem; niſi colendo Deum, ſicut & ille coluit. Si ergo, quod tibi per ſtirpem non ſperas, per facta non vis aſſequi, quomodò in te complebitur, quòd ſedebis ſuper ſedem Dauid? Et ſi in te non complebitur, putas, quia non complebitur, & quomodò inuenit eam in campis ſaltuum? & quomodò ſteterunt pedes eius, qualiſcunque ergo fueris, illa domus ſtabit.

Et filij eorum vſque in ſæculum ſedebunt ſuper ſedem tuam. Ideſt opera eorum, fructus eorum rememorabuntur vſque in ſæculum ſæculi, ſedentes ſuper eam, ideſt tales fructus habebunt, vt ſpes eorum non fallat, ſed veniat, quò ſperat.

Vel ità per filios accipe homines, per filios eorum imitatores, vndè Paul. 1.Corinth. cap.4.num.15. filios vocat, quos per Euangelium genuit, dicens, Nàm ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres, nàm in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui. Rogo ergo vos imi-

imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Itaque qui imitatores ſunt Chriſti, hi filij Dauid vocantur, & ſedebunt in ſede eius in ſæcula, ſicquè & filij, qui naſcentur ex ipſis, ſi imitatores Chriſti erunt; Non ergo ſtirpe filij Dauid, ſed cultu Dei, & fide vocantur, nec de carne eſt gloria, ſed de fide in Chriſtum, ſpe, & charitate.

In ſede Dauid ſedebunt, ideſt participes erunt beatitudinis Chriſti. Et teſtimonia mea hæc quæ docebo eos. Ergo loquitur de lege Chriſti, hæc enim ſunt illius teſtimonia, quæ reliquit Diſcipulis ſuis prædicanda, Matth.cap.28. num.20. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi, vt intelligamus filios vſque in ſæculum ſæculi imitatores fore Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi. Quia erit ſemper nobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi, nunquid de fortitudine Sion, & de Turri Ieruſalem intelligit? Non certè, quia deſtructa fuit; ſedes verò Domini eſt in perpetuum; quomodò hæc requies Domini, ſi deſtructa, non habitabit in ea; De Eccleſia Dei ergo intelligit, quam ipſe Dominus elegit, ideò Iſai. cap.43.num.19. Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoſcetis ea, quia citò veniet, qui venturus eſt, quia veniens veniet, & non tardabit, dicit Habac. cap.2.num.3. Ideòq. dicit populum iſtum, formaui mihi, num.21. & ibidem numer.7. Educ foras populum cæcum, & oculos habentem, ſurdum, & aures ei ſunt, quia filios ſuos de longinquo attulit Dominus, qui nomen ſuum inuocant, & in gloriam ſuam creauit eos, formauit eos, & fecit eos.

Quoniam elegit Dominus Sion in habitationem ſibi. Non enim nos elegimus noſmetipſos per merita noſtra, ſed ipſe elegit nos per miſericordiã ſuam, quod ipſe Dominus per Ioannem declarauit cap.15.n.16. dicens, Non vos elegiſtis me, ſed ego elegi vos de mundo: & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat, &c. O magnam electorum dignitatem; ò maximam Domini noſtri Ieſu Chriſti charitatem, cum in ſeipſo habeat requiem, & requiem etiam ſuam eſſe voluit habitare cum hominibus, ac Templum ipſius dignos nos fecit eſſe, 2.Corinth.6.nu.16. & hoc propter magnam charitatem, qua diligit nos.

Hæc requies mea, inquit, habitare cum electis meis, hæc requies mea in ſæculum ſæculi non ad modicum tempus, ſed continuò in ſæculum ſæculi, quatenus tu non diſcedas ab illo. Sed cum tu anima mea in ipſo requiem habeas in æternum, cur peccando diſcedes ab illo, vt in ſæculum ſæculi cremeris in igne? Surge pœnitens, recedas à malo, quia Dominus paratus eſt te recipere cum gaudio magno. Audi quid Dominus de te dicat, quæ per peccatum vidua facta eras, omniq. auxilio te deſertam eſſe cognoſcebas; & illius percipe opem. Dedit namque tibi intellectum, vt pœnitens reuertereris ad illum.

Viduam, inquit, benedicens benedicam, pauperes eius ſaturabo panibus, Auguſtin. hìc littera B. Omnis Eccleſia vna. Vidua eſt, deſerta in hoc ſæculo, ſi noſcit viduitatem ſuam, tunc enim auxilium præſto eſt illi, ideò dicit

Do-

Digitized by Google

Dominus, Luc. 18. cognoſcens iſtam viduitatem; oportere ſemper orare, & non deficere; ideò ſi ille iniquus viduam ſibi interpellantem exaudiuit, quomodò Deus Eccleſiam ſuam clamantem in humilitate, & paupertate ipſius non exaudiet? Humilitatem, & paupertatem requirit Dominus, ſi panibus illius diuinis ſaturari cupimus, ſi tabernaculum eius etiam deſideramus. Pauperes enim ſaturabo panibus; exurgas tu anima mea cum Chriſto, vt magis ſatureris ab illo, non enim tibi ſufficit dicere, Chriſtianus ſum, Templum Dei ſum, ſi in te confidens non agnoſcas Dominum. Non ſatureris in ſuperbia tua, quia non ſaturaberis pane cæleſti; Superbis enim Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam; Iacob. 4. num. 6.

Viduam ergo benedicens benedicam. Omnis etiam anima, dicit Auguſtinus, quæ intelligit ſe deſertam omni auxilio, niſi ſolius Dei; 1. Timoth. cap. 5, nu. 5. Quæ verè vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus die, ac nocte, nàm quæ in delicijs eſt, viuens mortua eſt, &c.

Tu filius viduæ, cum vidua ambula, vt pauper & tu ſis ſpiritu, & ſaturaberis panibus Chriſti. Manducant pingues, & adorant, ſed non ſaturantur; quia ſi Chriſtiani diuitijs affluentes in illis ſperent, & ſi manducent, non ſaturantur, Pſalm. 21. de pauperibus verò dicit Dominus, Matth. cap. 5. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ſaturabuntur. Viduam eius benedicens benedicam, ideſt gloria, cæleſti replebo, & qui ſequuntur illam, pauperes ſcilicet ſpiritu ſaturabuntur.

Auxilium ergo noſtrum à Domino, ſi filij Eccleſiæ ſumus, & diuites gratia Dei in cælo, vbi veræ ſunt diuitiæ. Gloria enim, & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, Pſalm. 111. nu. 3. Ideò Sacerdotes, & iuſti vocantur, quia Chriſtum induuntur, iuxtà illud ad Galat. cap. 3. Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis; hinc ſequitur Pſalmus.

Sacerdotes eius induam ſalutari. Salutare enim noſtrum eſt Chriſtus. Et ſancti eius exultatione exultabunt. Exultationes Dei in faucibus eorum, Pſal. 149. nu. 6. hinc Apoſt. Petr. 1. cap. 2. nu. 9. Vos genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. Qui verò ſint iſti, declarat idem Apoſtol. nempè, qui à deſiderijs carnalibus ſe abſtinent, & ab alijs, quæ militant aduerſus animam; ab ipſis enim prædicatur poteſtas, & imperium Chriſti, Ab iſtis taliter ſe abſtinentibus à terrenis, vt fuerunt Apoſtoli ſancti, & Prædicatores, paratur lucerna Chriſto Domino, prædicando, & docendo, quòd ipſe vera eſt lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vt credentes, & illuminati ſalui fiant.

Vel aliter ſi quod dicitur Illuc, intelligamus de Sacerdotibus, & Prophetis, qui Chriſtum venturum prophetauerunt de domo Dauid naſciturum, & de eius plenitudine poteſtatis, quæ per cornu intelligitur, vndè dixit ipſe Dominus, quia ipſi data ſit omnis poteſtas in cælo, & in terra. Quod adiectum eſt, & paraui lucernam Chriſto meo; de Ioanne intelligatur, benè aptantur verba verſiculi, vt diſtinctè intelligamus Dei promiſſionem per Prophetas prophetatam de Meſſia venturo.

Illùc producam cornu Dauid: paraui lucernam Chriſto meo. Parauit lucernam Chriſto, nàm poſt Baptiſmum, quem Dominus ſuſcepit à Ioanne, vox de cælis deſcendit, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et ipſe-

met

met Christus Ioannem vocat præcursorem suum; Matth.cap.11. num.11. Hic est, de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Et erit sensus, Illùc producam cornu Dauid, ideſt per Prophetas meos, & sanctos Sacerdotes ostendam, dicit Dominus, quia ex Dauide nascetur Messias, & quòd ille erit, cuius aduentus per Ioannem præcursorem demonstrabitur, dicentem, Hic est, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere: hic est, qui cæcos illuminat, mortuos suscitat, pauperes per eum euangelizantur, & Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; hic est, de quo dixi, Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat, & ego nesciebam eum: sed vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens, quia vidi spiritum descendentem, quasi columbam de cælo, & mansit super eum, & ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei, &c.

Illùc producam cornu Dauid. Vis videre prophetantes de cornu Dauid? Audi Zachariam, Luc. 1. nu. 69. Erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius. Etenim & Isai. c. 9. nu. 7. Super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit, &c. Ierem. cap. 23. num. 5. Ecce dies veniunt, & suscitabo Dauid germen iustum, Daniel cap. 2. num. 44. In diebus autem Regnorum illorum suscitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, &c. Illùc producam. Locum scire volens, videat Prophetam Michæam cap. 5. nu. 2. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, &c. de quo Matth. cap. 2. nu. 6. & Zach. cap. 9. num. 9. Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem; Ecce Rex tuus veniet tibi Saluator, & Ierusalem, &c.

Illùc, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem, Isai. cap. 2. nu. 3. Illùc enim ascenderunt tribus tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini Domini. Quia illùc sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid, Psalm. 121. num. 4.

Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea, verba Dei Patris, de quibus etiam Psalm. 2. num. 24. Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos, inimicos scilicet Christi induit confusione. Quid facimus, aiebant, quia hic homo multa signa facit, & totus mundus vadit post illum; melius est, vt vnus moriatur pro populo, & ideò crucifixerunt Dominum; Iudæi confunduntur, quia totus mundus credit in illum: Efflorvit sanctificatio Domini super illum, mortuus resurrexit, & cum illo multa corpora Sanctorum. Ascendit in cælum, & super illum efflorvit sanctificatio Domini. In nomine enim Iesu omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confitetur, quia Dominus Iesus est in gloria Dei Patris, ad Philippens. 2. num. 10. Efflorvit sanctificatio Patris super illum extollente illum Simeone, ac dicente, Viderunt oculi mei hodie salutare tuum, Quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad reuelationem gentium.

SO-

SOLILOQVIVM.

IN Simeonis vlnis ſteriſti Domine ; in corde meo permaneas, quia nihil deſidero præter te. Memento verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti ; ne diſcedas à me, quia pauper ſum, & humilis corde. Me Sacerdotem tuum ſalutari tuo indue, vt omnes ſenſus mei exultent in te. Illuc cornu Dauid producas in me, vt fortis euadens in fide, & ſpe tua inimicos meos induam confuſione, & ſuper me effloreat ſanctificatio tua, benedictio tua, gratia tua, miſericordia tua : Virgo Dei Genitrix Maria, quæ hac die filium tuum in Templo præſentare voluiſti, Templum obnitor eſſe, & ego Domini mei, filij tui, in vlnas intimi cordis mei ponas illum, vt illuc permaneat, donec in cæleſtem patriam veniam ad ipſum, per interceſſionem tuam, & gratiam illius. Amen.

IN PSALMVM CXXXII.

Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.

CANTICVM graduum Dauid. Continuatur ad præcedentem, vbi de benedictione viduæ Deum deprecaneis, ac de illius pauperum ſaturatione, & quia hæc ex vnitatis Eccleſiæ charitate proueniunt, ideò hìc ponitur, quàm ſit bonum, & iucundum in eadem charitate eſſe vnitum.

Quæ verò ſit iſta fratrum tàm iucunda vnitas, declarauit Dominus Ioan. 17. num. 12. vbi dixit, Quos dediſti mihi cuſtodiui ; qui autem in cuſtodia Ieſu Chriſti ſunt, habent gaudium impletum in ſemetipſos. Sed nunquid de Diſcipulis tantùm loquitur ? Audi quid adijciat Dominus ibidem numer. 20. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me. Audientes ergo, & credentes, animoq. contrito, & in ſpiritu humilitatis orantes cum vidua, ideſt Eccleſia ibi dicuntur in vnum habitare, hoc enim idem declarat Dominus per Ioannem in d. cap. nu. 21. dicens, Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.

Ecce ergo quàm bonum, & iucundum ſit habitare per fidem, per humiliratem, & paupertatem, in vnum. Habitant enim ſimul, quia quamuis (vt aliàs diximus) plures ſint Eccleſiæ, plures Chriſtiani, vna tamen Eccleſia, vnus Dei populus, Iſai. cap. 60. num. 20. Populus autem tuus omnes iuſti, qui ſimul habitare dicuntur, idem Iſai. cap. 43. numer. 9. Omnes gentes congregatæ ſunt ſimul, & collectæ ſunt tribus, quæ verbum Domini gaudentes ſuſceperunt, & nomen Domini inuocauerunt, Act. Apoſtol. cap. 13. numer. 48. Vndè Eccleſ. cap. 12. numer. 14. Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo.

Ecce ergo virtus Eccleſiæ, & ſeruorum eius, qui pauperes ſpiritus in ea com-

Digitized by Google

commorantur, & benedictionibus Domini replentur. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Sed quomodò dicunt ſapientes mundi malum bonum, cum in Eccleſia ſequentes Dominum pauperes ſpiritu, atque affectu eſſe debeant. Adoleſcenti ſanè illi, qui ipſum ſequi velle dicebat, & quid faciendum perquirebat, Vade, dixit Dominus, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, & ſequere me; Quia ad hæc verba is triſtis abijt, malum id reputans, Matth. cap.19.num.21. Subiecit Dominus Diſcipulis, Difficile eſt diuitem intrare in Regnum cælorum, apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum autem omnia poſsibilia ſunt. Væ vobis, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes. Væ vobis, qui dicitis bonum malum, & malum bonum, Iſai. cap.5. numer.20. ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. In ſpinas ſemen proijcis, ò Chriſtiane, quia affectum magis habes in diuitijs, quàm in cæli theſauris, creſcunt ſpinæ, & ſuffocant ſemen; abijt adoleſcens, quia diuitiarum affectus verbum Dei ſuffocauerunt, Matth.13.num.23.

Ecce quàm bonum, & iucundum habitare fratres in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, qui promittit in cælis theſaurum illis, qui ex toto corde, ex totis viribus ipſum ſequuntur. Diues es, iucundus eris, ſi diſpergendo pauperibus dederis, vndè Pſalm. 111. num. 15. Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio; quia in æternum non commouebitur. Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde, miſericors, & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe, quia diuitiæ, & gloria in domo eius. Ecce ergo demonſtrat ille, qui verbis explicare non valet, quale ſit bonum, & quàm iucundum habitare in vnum ſcilicet Deum, qui trinus, & vnus eſt. Bonum vtile, & iucundum, ac delectabile, cætera autem præter hoc, quod dictum eſt habitare in vnum, non ſunt bona, ſed tenebræ, & lubricum; Diuitiæ ergo ſi affluant, nolite cor apponere, Pſalm.61.numer.11; bonum, & iucundum in vnum Deum habitare.

Dat exemplum de vnguento, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron; alibi dicitur, oleum effuſum nomen tuum, Cantic.1. quàm dulce, & ſuaue eſt nomen tuum Domine, Trahe me poſt te, ideò in odorem vnguentorum tuorũ cucurrerunt adoleſcentulæ; Viduæ illi defecerat oleum, & creuerat debitum, hìc creſcit oleum, & perijt debitum, creuerat cupiditas, & perierat charitas, per aduentum Domini & redempta ſunt peccata, & perijt iniquitas, quia venit Eliſæus in domo Viduæ, ideſt Chriſtus in Eccleſia ſua, 4.Reg.4.n.1. creuit oleum, creuit charitas, per augmentum olei Vidua liberata, ideſt Eccleſia, congregat filios ſuos in charitate, quos liberat de peccato per aduentum gratię filij Dei; Propterea dat exemplum olei, & vnguenti effuſi, quod deſcendit de capite in barbã Aaron; Chriſti ſcilicet, quod per affluentiam, & etiam in oram veſtimenti eius deſcendit in nos, iàm non populum eius nunc verò populum eius. Charitas enim Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, ad Roman. cap.5. nu.5. Et idcircò gentes, quæ ad ſalutarem Baptiſmum percipiendum Eccleſiæ offeruntur, & chriſma, & oleum benedictionis accipiunt, vt iàm non vaſa vacua, vt ante Baptiſmum erant, ſed Deo plena, vt Templum Dei eſſe mereantur, vide Auguſtin. Tom.10. de Temp. Serm.205. lit.E.

Sicut

Sicut vnguentum in capite, ideſt de Diuinitatis ſermone, ideò dicebat Dominus, verba, quæ ego vobis loquor, non à me ipſo loquor, ſed Pater meus eſt, qui loquitur in me. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, quæ deſcendunt in barbam Aaron, Chriſti ſcilicet Sacerdotis magni, in Diſcipulos, & in credentes, fortes in bello, vt pugnent cum antiquo ſerpente. Quod vnguentum, quod verbum, deſcendit in oram veſtimenti, ideò dicitur, Induite vos nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis, ad Epheſ. cap. 4. nu. 24.

Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion, Hermon enim cõdemnatio lingua noſtra dicitur, ſeù deſtructio, quia verbum Dei non receperunt Iudæi in Synagoga; immo Chriſtum occiderunt, ideò Synagoga eorum deſerta remanſit, Luc. 19. Ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & nõ relinquent in te lapidem ſuper lapidẽ, eo quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Et ros Hermon deſcendit in Sion, in Eccleſiam deſcendit, quia ex vtroque populo facta eſt vna Eccleſia, 2. Corinth. c. 14. Deſcendit, vt ſi aliqui ex Iſrael ſpiritu veritatis renouarentur, & ipſi deſcenderent in montem Sion, provt in fine, & reliquiæ Iſrael ſaluæ fient, Iſai. cap. 10. nu. 21. Mons Sion, mons Dei, mons pinguis, Iſai. cap. 25. nu 6. mons, in quo requieſcet manus Domini in illo, vt montem Hermon diſperdat, & diſſipet eum in ſempiternum, ibid. num. 8. Hieron. hìc littera B. Ros enim Domini aptè fuit in populo Iudæorum, qui poſteà anathematizatus eſt, & benedictio illa, quæ antè deſcendebat in populum anáthematizatum poſteà deſcendit in montem Sion, hoc eſt in Eccleſiam, in nos, ſi tamen de Eccleſia ſumus, Eccleſiam autem dico dogmatum veritatem, Chriſti confeſſionem. Nos in ædificium ſumus. Si ergo ſumus in Eccleſia, ſi habemus fidem Eccleſiæ, fidem Apoſtolorum, fidem Chriſti dogmatum veritates. Montes ſumus Sion. Nolumus eſſe de valle, ſed montes Sion. Habet enim Sion valles ſuas, habet & campum. De valle, vbi eſt peccator; de Sion deſcendiſti in vallem; fuge peccatum, & per pœnitentiam aſcende ad colles, ad operationes virtutis, vt de collibus ad montem Sion reuertaris ad Eccleſiam Dei, vt nouus homo Chriſtum indutus in ſanctitate, & iuſtitia veritatis permaneas.

Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculũ. Si quis enim non manſerit in vite excidetur, & in ignem mittetur, qui ergo fideliter panem Domini manducat, & ſanguinem eius bibit, manet in Chriſto, vita æterna noſtra; confiteamur ergo Chriſtum, vt cum ipſo habeamus vitam æternam in ſæcula ſæculorum.

Ecce quàm bonum illìc habitare fratres in vnum, vt vnanimes vno ore orantes Deum, Dei benedictionem recipiant in æternum.

SOLILOQVIVM.

SVRGE, illuminare anima mea, quia hodie apparuit Saluator mundi in humilitate, paupertate, & charitate ſua, vt tu in vnguenti ſuauitate, quod de Diuinitate ſua deſcendit in oram veſtimenti, infundaris rore verbi ſui in Sion in Eccleſia ſua. Vt vna cum illo effecta diſcas, quàm ſit bonum, & iucundum habitare fratres in vnum. Illìc enim eſt benedictio Domini, & in ſæculum vita,

quam

Digitized by Google

quam tibi præſtare dignetur, qui eſt vita tua. Non aurum, thus, & myrrham tibi offero Virgo Maria benedicta, ſed quod eiſdem muneribus declaratur, immolatur, & ſummitur, Ieſum Chriſtum filium tuum in altari quotidie tibi offero, vt te intercedente, per manus Angeli in ſublime altare tuum perferatur, vt omni benedictione cæleſti replera, merear gaudijs ſempiternis perfrui. Amen.

IN PSALMVM CXXXIII.

Ecce nunc benedicite Dominum, omnes ſerui Domini.

CANTICVM graduum. Hoc eſt vltimum Canticorum graduum, per quod ſignificatur per aſcenſiones præcedentes, deuentum eſſe ad perfectum ſtatum, vt quis dignus ſeruus ad laudãdum Dominum efficiatur. Vide apud Hieron. probatum quomodò per gradus virtutum aſcendit ad ſuperiora. Cæterum, quia humilitas eſt principalis inter virtutes, quas recenſuit vſque ad duodecimum, in quo poſt omnes virtutes humilitas ponitur, dum dicitur, Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, ſed humiliter ſentiebam, quia fruſtra habemus virtutes, ni ipſæ humilitate Domini coronentur, idcircò aduentum Domini in humilitate poſtulat, dicens, Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius, vt per aduentum Chriſti, & fidem illius congregata Eccleſia ſua, cognoſcamus, quàm bonum, & quàm iucundum ſit habitare fratres in vnum.

Ecce ergo nunc quid facere debent, qui Chriſtum induere volunt, & in vnum habitare cupiunt, quoniam tunc confirmata erit miſericordia Domini ſuper ſeruos: Ecce nunc, dicit, benedicite Dominum, omnes ſerui Domini. Sed ne deſperes tu, qui adhùc per gradus non tranſiſti, neque in domum Domini introiſti, nec in ea ſteteiſti. Scias quòd non ſolum ſermo hic eſt de ſtantibus in domo, ſed de his, qui credituri ſunt in Dominum. In atria domus Domini ingredere, vt per obſeruantiam præceptorum & tu ingrediens domum, experiaris, quàm bonum ſit, & iucundum habitare fratres in vnum, vt vnà cum eius ſeruis & tu benedicas Dominum.

Ecce nunc qui ſtatis in domo Domini, qui per gradus virtutum in atria domus Domini introiſtis, ecce nunc tempus acceptabile, vt benedicentes Dominum, vitam æternam habeatis.

Ecce nunc benedicite Dominum, omnes ſerui Domini. Quare nunc? quia hìc in mundo præmimur tribulationibus, in inſidijs, vt interficiantur innocentes in occultis à diuitibus, Pſalm. 10. nu. 8. Et vos ſerui Domini in vnum collecti, qui per cantica graduum inceſsiſtis, nunc benedicite Dominum, vt per noſtra exempla conuertantur & cæteri.

Auguſtin. Ecce nunc benedicite, ideſt in hoc tempore, nàm poſt tranſactas tribulationes manifeſtum eſt, quia benedictioni Domini vacabimus, dictum eſt enim Pſalm. 83. Beati, qui habitant in domo tua Domine in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Nunc qui ſtatis, qui perſeueraſtis, qui per cantica graduum pertranſiſtis, & mundi crimina viciſtis, qui in domo Domini ſteti-

Digitized by Google

ſtetiſtis, & in atrijs domus Dei noſtri. Nos, qui viuimus, benedicamus Dominum, non enim mortui, qui in tenebris ſedent, neque omnes, qui deſcendunt in infernum, ſed nos qui viuimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc, & vſque in ſæculum, Pſalm. 113. nu. 17. quia habitare nos fecit ſteriles in domo, matrem filiorum lætantem, Pſalm. 112. num. 9. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & vſque in ſæculum, eodem Pſalm. num. 2.

In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum. Ideò ſequitur, In noctibus, vt veram intelligamus benedictionem, quando aduenientibus tribulationibus, & leuantes oculos in cælum, & patientes benedicimus Dominum.

Ideò dicit Auguſtin. In die enim, in rebus proſperis, facilè eſt benedictio Domini, nox enim triſtis res eſt, dies verò res eſt læta. Conſidera Iob, qui in ſtercore poſitus, qui filios, & facultates amiſit, vxori, vt benediceret Domino, & moreretur ſuadenti, reſpondit, Quaſi vna ex mulieribus inſipientibus locuta es. Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum; Adam putris repulit Euam, tamquam dicens, ſufficit, quòd propter te mortalis effectus ſum: valueras in Paradiſo, ſed vinceris in ſtercore, Magna gratia Dei, ſed vndè hoc, niſi quia ros Hermon compluerat illam animam, & dederat Dominus ſuauitatem, vt terra noſtra daret fructum ſuum. Hæc Auguſtin.

Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum, & terram; Plures hortatur, vt benedicant, & ipſe vnum benedicit, quia ex pluribus vnum fecit; quia bonum, & iucundum eſt habitare fratres in vnum; pluralis numerus fratres, ſed ſingularis habitare in vnum, ideò benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum, & terram. Nemo veſtrum dicat, ad me non peruenit iſta benedictio; putas quis eſt, quem benedixit? Benedicat te Dominus ex Sion, vnum benedixit, eſto vnum, & in vno, & perueniet ad te benedictio: Hæc Auguſtin. Non ex monte Hermon, ex quo perditio, ſed ex monte Sion, ex fide in Ieſum Chriſtum, ex quo viduam benedicens benedicit, & pauperes eius ſaturantur panibus.

SOLILOQVIVM.

DIC ānima mea Domino tuo, ecce quia veniſti Domine, & in monte Sion, Eccleſiam tuam congregaſti rore conſperſam, & Spiritu ſancto tuo repleram, omnipotentiam tuam rogo, vt me famulum tuum in noctibus manus meas extollentem, in ſancta dirigas, vt merear per miſericordiam tuam cum ſanctis tuis benedicere nomini tuo, qui cælum, & terram feciſti, & ſanguine tuo me redemiſti: Mater Chriſti Virgo Maria, Aduocata, & Domina mea in hac lacrymarum valle, ſuccurre mihi miſero peccatori, vt per bona opera extendens manus meas in ſancta, benedicens Dominum merear & ego per filij tui gratiam ad te, in ſæcula ſæculorum, vbi habitas, peruenire. Amen.

Digitized by Google

IN PSALMVM CXXXIV.

Laudate nomen Domini, laudate serui Dominum.

TITVLVS Alleluia. Iàm suprà visum est, qui serui Domini dicantur, idest qui per quindecim gradus ascendere cupiunt ad montem Sion. Nunc gaudentes, & in Domino exultantes, atque Alleluia canentes, excitantesq. se inuicem, per Psalmistam, inquiunt, Laudate serui Dominum, laudate nomen Domini, quia redempti ab illo, serui illius facti sumus. Sed nunquid potentiæ illius additur quidpiam, quia nomen ipsius laudatur? Non certè; cui gloriæ, & potentiæ nihil addere possumus; Deus enim, nec melior fit, si laudaueris, nec deterior, si vituperaueris, sed tu laudando melior eris, vituperando deterior, vndè Psalm. 113. num. 17. Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum, sed nos, qui viuimus, qui serui tui sumus. Qui stant in domo Domini, & fortes in atrijs domus Dei nostri benedicunt Domino. Sed nunquid non omnes sunt serui Dei, vel etiam diabolus, & qui in inferno cum illo sunt? An ipsi ad benedicendum nomen Domini Iesu Christi, per eius aduentum, & mortem inuitantur? Serui certè Domini & ipsi sunt. Non tamen isti inuitantur, sed qui sunt in domo Domini, & stant in atrijs eius, vndè dicit, Benedicite serui Dominum, benedicite nomen Domini, vos scilicet, qui statis in domo Domini, & in atrijs domus Dei nostri.

Qui verò hi sint exposuit Iesus, Luc. 22. nu. 28. dicens, Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in Regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim Tribus Israel, hinc Augustin. littera I. Qui statis, non qui ruitis; illi autem stare dicuntur, qui in mandatis eius perseuerant, qui in fide non ficta, & spe firma, & charitate sincera seruiunt Deo, & honorant Ecclesiam eius, & non dant offensionem malè viuendi eis, qui venire volunt, & in via lapides offensionis inueniunt. Sed nunquid Apostoli, quibus dictum est, sedebitis mecũ, relicto Deo, non fugerunt, & Petrus ter Dominum non negauit? ergo & peccatores in Ecclesia existentes Dominũ benedicere non prohibentur. Non prohibentur quidẽ, si qui Apostolos, vt delinquentes imitantur, illos & pœnitentes sequãtur orantes, tunc quippè, benedicere Dominũ poterunt, vt serui sedẽtes in domo Domini, facti enim sunt filij, quia secuti sunt Dominum in tentationibus, propter verbũ Dei multa passi.

Tu ergo, ò peccator pœnitens sequere Dominum, & cum sanctis Apostolis lætus dicere poteris, Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibo, cum stantes erunt pedes mei in atrijs domus Domini Dei mei. In noctibus extolle manus tuas in sancta, & Dominum benedicere poteris, quia apud Dominum est propitiatio, & copiosa apud eum redemptio.

Augustin. Bonus ille manet, vt est, si enim seruos suos ipsos de se benè meritos, prædicatores verbi sui, Rectores Ecclesiæ suæ, venatores nominis sui, obtemperatores mandati sui id docet, vt in conscientia sua habeant dulcedinem bonæ vitæ suæ, ne corrumpantur laudibus, ne frangantur vituperationibus

Digitized by Google

nibus hominum. Quantò magis ipse incommutabilis super omnia, qui hæc docet, nec vtique maior fit, si laudaueris, nec minor si vituperaueris. Sed quóniam nobis expedit laudare Dominum, misericorditer iubet, vt laudemus eum, non arroganter, Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio, non enim solum serui facti sumus, sed filij, & amici Dei, Luc. 12. num. 4. Ioan. 15. num. 15. Iàm non dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis: Recede ergo à peccatis, ò Christiane, si dignè Deum laudare cupis, ne tibi dicat Dominus, si in iniquitate permanseris, Quare assumis testamentum meum per os tuum, & enarras iustitias meas? Psalm. 49. num. 16. Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat, sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei; vide quæ ibi dixi.

Ad nos etiam, qui in atrijs, & in domo Domini stamus, sermo iste dirigitur, ne stantes cadamus, ne in nostra prudentia confidentes proijciamur, quid enim proderit laudatio nostra, si stantes in Ecclesia, sed peccantes ingrati, corde longè fuerimus ab illa? Immo grauior tibi erit pœna, quia ante lucem, quæ est Christus, qui de tenebris vocauit te ad lucem, relicta luce, confugias ad tenebras, vt extincta luce in te, tenebrosus proijciaris in tenebras.

Laudate Dominum, quia bonus Dominus, psallite nomini eius, quoniam suaue. In bonitate sua docet nos iustificationes suas, vt tu conuersus ad illum, & ipse conuertatur ad te, & si pœnitentiam egeris, & ipse Dominus pœnitentiam agat super malo, quod cogitauit, vt faceret tibi, Ierem. 18. nu. 8. & Ezech. 18. nu. 31. & cap. 33. nu. 12. O quàm bonus, & suauis est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, Psalm. 85. Quoniam tu Domine suauis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te, & Psalm. 33. Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus; beatus vir, qui sperat in eo. Laudate ergo ex corde Dominum, quoniam bonus, psallite nomini eius, quoniam suaue.

Quomodò laudabis Dominum ore, si cor tuum erit ab eo longè? Matth. 15. nu. 8. Quomodò psallet, si opera tua iniqua sint, Ioan. 7. nu. 7. Propè ergo dicit Paul. ad Rom. 10. n. 8. sit verbum in ore tuo, & in corde tuo; corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem; omnis enimqui credit in illum non confundetur. In noctibus ergo extollite manus vestras, dicit Psalm. & benedicite Dominum, ideſt ore, & corde lauda Deum, & opera tua concomitentur, & tunc perfecta erit laus, vt Dominum sequi possis. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est, Matth. 5. num. 16. Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini eius, ideſt laudare, & benè operari, & cum Cantico, & cithara, Psalm. 91. num. 1. ideſt verbo, & opere; Vide, quæ ibi dixi.

Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus. Si cuncta quæ fecit bona sunt, multò sanè magis bonus ipse, Genes. 1. Quomodò non erit ipse bonitas? qui facit bonitatem cum seruis suis, Psalm. 118. nu. 65. Confitemini Domino, quoniam bonus, sed quomodò bonus? quoniam in sæculum misericordia eius, Psalm. 105. num. 1. quoniam ipsum manducantibus dat spiritus pinguedinem. Benè operamini, quia iugum eius suauè, & onus leue; manducate, & bibite, quia in Christo manebitis, & Christus in vobis, & qui manducat me, viuet propter me, Ioan. 6. num. 58.

Quoniam Iacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi. Antequàm nascereris, ò Iacob, Deus dilexit te, Esau autem odio habuit, non ergo merita tua præcesserunt, sed gratia Dei præcedit merita tua, ad Roman. 9. nu. 12. Ante prænognitus, ante prædestinatus, ante electus, & vt dicit Augustin. non suis meritis electus; sed gratia Dei inuentus, & viuificatus, sic & omnes gentes. Nàm vt insereretur, quid meruit oleaster, amaritudine baccarum, sterilitate, siluestri? ad Roman. c. 11. Lignum quippè erat siluæ, non agri Dominici, & tamen ille per misericordiam suam, & oleastrum inseruit in oliuam; sed adhuc non erat insertus oleaster, quando Dominus elegit sibi Iacob, Israel in possessionem sibi.

Si Angelus post Luctam dixit, Nequaquam vocabitur amplius Iacob, Genes. cap. 32. nu. 28. sed Israel, quoniam contrà Deum fortis fuit, quomodò Dauid hìc vocat eum Iacob, & Israel, Iacob enim supplantator, Israel verò videns Deum, nisi quia iudicio meo, saluo semper meliori, ex paucis illis Iudæis credentibus, & Gentilitate, vna Ecclesia, vna Dei possessio, vnà domus, & Tabernaculum Deo faciendum erat, Isai. 49. nu. 6. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Iacob, quia supplantator nominatur, quia, relictis Hebræis, electorum possessio peruenit ad Gentes; Israel in possessionem sibi, quia ambo populi electi sunt in possessiones Dei, & Deus est possessio illorum. Ideò claudus remansit Iacob, & neruus emarcuit, vt ostenderetur, quia aliqua pars Iudæorum creditura erat in Dominum; cæterorum verò emarcuit neruus Iacob, quia Regnum Iudæorum dissipatum est, temporalia enim quærebant, & facti serui amiserunt temporalia, & æterna, Isai. cap. 6. nu. 11. Donec desolentur ciuitates absque habitatore, &c. & longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ, &c. Isai. cap. 5. num. 5. Auferam sepem eius, & erit in direptionem, quamuis in fine reliquiæ saluæ fient, Isai. 10. num. 21.

Quia ego cognoui quòd magnus est Dominus, & Deus noster præ omnibus Dijs: Magnus Dominus, quia ipse solus mirabilia fecit, & Deus noster præ omnibus Dijs; Dij enim gentium dæmonia, Deus autem noster cælum, & terram creauit, & fecit, & nos populum perditum, sanguine suo redemit, quia in æternum misericordia eius cum ipso, Psalm. 49. nu. 3. Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos, quia in manu eius sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipsius sunt, quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & siccam manus eius formauerunt.

Quia ego cognoui. Quomodò cognouisti? nemo enim, dicit Dominus, nouit Patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare, Luc. cap. 10. numer. 25. Et nemo scit, quis sit filius, nisi Pater, & quis sit Pater, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Cognoui, quia Prophetam misit me Dominus, & spiritu intelligentiæ suæ reuelauit mihi: cognoui, quia vidi, & consideraui opera Domini, & expani, Iob cap. 27. per totum; cognoui, quia ad Dominum eum tribularer clamaui, & reuelauit in tribulatione aurem suam mihi, Iob cap. 36. num. 15.

Magnus Dominus Deus noster, quia omnia quæcumque voluit, fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Quid dicis insipiens in corde tuo, non est Deus? opera eius considera, vt confitearis, quia Dominus

Deus

Deus fecit hæc omnia, Ioan.cap.14. num.12. Alioquin propter opera ipsa credite. Ecce quàm mirabilia sunt opera Domini, & tamen si tu sine hæsitatione aliqua credideris in illum, in Iesum Christum filium eius, opera, quæ ille fecit, & tu facies & maiora, Ioan. dicto cap.14. num.13. Transierunt montes à loco suo oratione Sanctorum, iuxtà dictum Domini, Matth.17.nu.19. vbi dicitur, Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dicetis monti huic, transi hinc illùc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis; resurrexerunt mortui, iustorum orationibus, qui per fidem vicerunt Regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, &c. fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, ad Hebr.cap.11.num.33. An armis, vel potentia temporali? Non certè, in verbo Domini, Paul.2.Corinth.cap.11.num.27. In labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & siti, in ieiunijs multis, & frigore, & nuditate, &c. Sapien. cap.3.num.5. Stabunt enim iusti in magna constantia, aduersus eos, qui se angustiauerunt, & ecce quomodò computati sunt inter filios Dei. Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Quot Martyres? quot Virgines? quot Doctores? quot Confessores? quorum passionibus, & sanguine totus mundus tractus est in fidem Iesu Christi, in omni enim terra est fundata Ecclesia Dei. Dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt, & vidit Dominus, quia omnia erant valde bona, Genes.c.2. Magnus Dominus Deus noster, qui nos homines mortales fideles, cohæredes in Regno cælorum fecit.

Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit. Fulgura ad terrorem, & vt timentes Dominum, fruamur omni bono. Timorem in gaudium ponit, ideò fulgura in pluuiam fecit, quæ gaudium dat.

Hieronym. Educens nubes ab extremo terræ, ab humilitate terrena eleuans Apostolos, ac Prophetas, & fideles suos. Fulgura in pluuiam fecit, vt primum lumen cognitionis Dei, deindè imbrem doctrinarum infunderent, accepto enim Spiritu sancto, in omnem terram prædicauerunt, & doctrinam Domini effuderunt. Qui producit ventos de thesauris suis. Angelos sanctos de arcanis cælestibus dirigens, qui his nubibus, imbribusq. robur, atque incrementum inferrent: Qui percussit primogenita Ægypti ab homine vsque ad pecus, principalia vitia, atque crimina mundi, hucusquè Hieronym.

Nos verò cum Iob dicamus, vt potentiam, & magnitudinem Dei ostendamus, Qui producit ventos de thesauris suis, sicut & nix thesaurus Domini dicitur, sicut & grando, Iob cap.38.num.22. Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti? Quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnæ, & belli. Per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram? Thesaurum Domini dicimus misericordiam eius, & iustitiam, quia misericors, & iustus est Dominus, qui dat vnicuique secundum opera sua. Nix impinguat terram, grando tollit fructus, Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum, Exod.cap.9.num.24. & 26. tantùm in terra Gessen, vbi erant filij Israel, grando non cecidit. De thesauris suis producit ventos frigidos, & calidos, superbos scilicet homines, & mites, vt isti quando peccant, vexati pœnitentes reuertantur ad Dominum, superbos verò mortificet, & deleat. Vndè Sap.c.12. O quàm bonus, & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus. Idcòq. eos,

Digitized by Google

qui exerrant, partibus corripis, ideſt paulatim, & de quibus peccant admonet nes, & alloqueris, vt relicta malitia, credant in te Domine. Miſit Dominus Moyſen ad Pharaonem, vt dimitteret populum. Induratum eſt cor Pharaonis, tot ſigna in eum patrasti, quoniam iudicans, das locum pœnitentiæ, nu. 19. In decimo ſigno, poſtquam plaga tetigit ipſius domum, & liberos, ac peſtis ipſius viſceribus imminere viſa eſt, aperuit oculos, non ad conuerſionẽ mentis melioris, & pœnitentiam, ſed ad neceſſitatem dimittendi populum, Exod. c. 12. num. 29. ideò ſequitur.

Qui percuſſit primogenita Ægypti ab homine vſque ad pecus; Auguſtin. hìc littera L. Quæ ſunt primogenita noſtra? Mores iſti noſtri, quibus nunc ſeruimus Deo, fides noſtra: Primitias enim habemus ipſam fidem, vndè incipimus, quæ eſt fundamentum noſtrum; nemo enim incipit benè viuere, niſi à fide, Quando cuſtoditur fides noſtra, cætera facile cuſtoditi poſſunt. Nàm quando purgantur homines, quotidie proficiendo in melius, meliusquè viuendo, ipſo interiore homine renouato de die in diem, ſicut dicit Apoſtol. 1. Corinth. cap. 4. Et ſi exterior homo noſter corrumpitur, interior autem renouatur de die in diem, ideò fit, quia primogenita fides viuit, de qua primogenita fide & Apoſtol. ait ad Roman. 8. Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, ideſt dantes iàm Deo primitias ſpiritus noſtri, hoc eſt ipſam fidem, tamquam primogenita noſtra, tamen in nobiſmetipſis ingemiſcimus, adoptionem expectantes redemptionem corporis noſtri. Si ergo magna Dei gratia eſt, vt conſeruetur fides noſtra, magna pœna eſt occidere primogenita, quando homines in afflictione Eccleſiæ conſtituti perdunt fidem, nàm & ipſa Ægyptus afflictio interpretatur. Quicumque ergo affligunt Eccleſiam, quicumque ſcandala in Eccleſia immittunt, & ſi Chriſtiani appellantur, moriuntur primogenita eorum, (& poſt pauca.)

Homines, inquit, ſpiritualiter ſignificari tamquam doctos, propter rationalem animum, per quem eſt homo, per pecora verò indoctos, ſed tamen habentes fidem, nàm non haberent primogenita. Sunt docti, qui affligunt Eccleſiam, ſchiſmata, & hæreſes faciendo, proindè nec in illis inuenis fidem, quoniã facti ſunt Ægyptus, ideſt afflictio populi Dei. Occiſa ſunt primogenita eorum, trahunt poſt ſe turbas indoctas, ipſa ſunt pecora. In hac ergo afflictione, qua Eccleſia affligitur, moritur in affligentibus fides, moriuntur primogenita, & in ipſis doctis, & indoctis, quia occidit Deus primogenita eorum ab homine vſque ad pecus.

Et miſit ſigna, & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem, & in omnes ſeruos eius. Verſiculus eſt clarus ſicut prodigia, & ſigna clara fuerunt, in Pharaonem, populum, & ſeruos eius, videntibus Iudæis, quos ſigna illa nec tetigerunt. Et nota, quia diſtinguit populum à ſeruis Pharaonis, vt ſcias, quia quamuis populus ſit Regi ſubditus, non tamen eſt ſeruus; in populum enim dicit, & in ſeruos eius. Prodigia verò quæ fuerint, per te videre poteris in Exodi à cap. 6. vſque ad 15.

Qui percuſſit gentes multas, & occidit Reges fortes, Sehon Regem Amorrhæorum, & Og Regem Baſan, & omnia Regna Chanaan. Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Iſrael populo ſuo. Sed nunquid quia ſupradicta hæc omnia facta ſunt, (vt videre poteris in Exodo ſupradicto, & in

lib.

lib. Num. cap .21. & Ioſue cap.6. 10. & 12.) non habebunt in ſe myſticas, & ſpirituales declarationes? omnia enim, quæ facta ſunt, ad noſtram doctrinam facta, & ſcripta ſunt, ſi enim corporaliter occidit illos Deus, nec tamen modò ceſſat manus eius, ideò dixit in verſ. infrà num.12.

Domine nomen tuum in æternum, Domine memoriale tuum in generatione, & generationem, Hæc enim contingebant illis in figura, vt nos doceret, qui ſanguine ſuo redempti ſumus, quoniam Dominus vltionum eſt, & liberè agit contra iniquos Chriſtianos, legem ſuam derelinquentes, quos diuerſis nominibus vocat Pſalmiſta; ſicut ex vocabulorum interpretatione comprehendere poteris. Quid enim Pharao Rex Ægyptiorum, niſi diſſipatio? quæ præcedit afflictionem, taliter enim interpretantur Ægyptij; diſſipati namque affligunt Eccleſiam, vt ipſi potius affligantur, ac diſſipentur.

Qui percuſſit Gentes multas, & occidit Reges fortes, Sehon Regem nominat Amorrhæorum, Sehon tentatio oculorum interpretatur, Amorrhæi amaricantes, Auguſtin. amaricantes ergo habent Regem tentationem oculorum, tentatio verò oculorum non eſt, niſi in mendacio oculorum; habet regem mendacem, veritatem non habet, niſi enim mendacium, & ſimulatio præcedat, non ſunt amaricantes in Eccleſia, inde enim amaricant, quia fingunt. Præcedit tentatio oculorum, amaricatio ſequitur, & in ipſo Diabolo præcellit, nàm ſi tentatio oculorum non eſt, quomodò transfigurat ſe in Angelum lucis? 2.Corinth. cap.11.num.15. Occidat manus Domini & illum, & illos; illum, ne inducat: illos, vt corrigantur, etenim in vnoquoque homine occiditur ille Rex, quando damnat ſimulationem, & diligit veritatem, hoc eſt, quando occidit Deus in homine illum Regem, quando homo damnat ſimulationem, & diligit veritatem. Manus Dei non quieſcit agere, nàm quemadmodum egit ad litteram tunc, ſic agitur nunc ſpiritualiter, vt impleat nunc, quod tunc propheticè pronunciauit. Occiſus ergo remanet Sehon Rex Amorrhæorũ.

Og etiam Regem Baſan occidit Dominus; Og concluſio, Baſan confuſio. Quantæ ſunt in Eccleſia confuſiones hæreticorum, & iniquorum, & concluſiones ad malum Diaboli quærentis, ſemper quem deuoret; Malus eſt Rex ille, qui intercludit viam ad Deum, ne fideles credant in illum. Vtinam non eſſent in Eccleſia falſi Chriſtiani, qui non credunt in Deum, nec permittunt alios credere. Benè dixit Dominus, Matth. cap.23.num.13. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, hypocritæ, quia clauditis Regnum cælorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare; & viam intercludunt ad Chriſtum, qui eſt Via, Veritas, & Vita, ne credentes ſalui fiant, miniſtri enim Diaboli ſunt, Ioan. cap.8.num.44.

Auguſtin. littera C. Quid reſtat, niſi vt confundantur, qui non crediderunt, quia concluſio præcedit, & ſequitur confuſio: concluſio præcedit vt Rex, ſequitur confuſio tamquam plebs; quos modò concluſit, vt non credant in Chriſtum. Quando apparuerit Chriſtus, omnes confundentur, & traducent eos ex aduerſo iniquitates eorum. Tunc dicent impij confuſi, Sap. c.5. Quid nobis profuit ſuperbia? errauimus à via. Magna myſteria dicit Auguſtin. diſſipatio ex afflictione, diſſipantur, vt affligantur; magna myſteria, tentatio oculorum, ideſt fallacia Rex amaricantium; fallunt enim, vt amaricent. Concluſio Rex confuſionis, concluduntur enim ne tranſeant ad fidem, & cum-

vene-

Digitized by Google

venerit in quem credimus, confundentur. Sequitur Psalmus.

Et omnia Regna Chanaan percussit, occidit. Sed si Chanaan humiliatus interpretatur, & humiles Deus non despicit, quomodò non saluati sunt? Non est confessio post mortem, non est ista humilitas ad pœnitentiam, sed ad pœnam, Psalm.105.num.40. humiliati sunt in iniquitatibus suis, humilitas hæc in istis non est virtus; sed pœna. Chanaan enim est omnis superbus, qui modò cor suum exaltat, sed in die iudicij humiliabitur. Modò autem non humiliatur, sed paratur humiliationi, idest damnationi.

Omnia ergo regna ista euertit Deus corporaliter tunc, quando Patres nostri educti sunt de terra Ægypti, euertit spiritualiter nunc, nec cessat manus eius vsque in finem; ideò ne istas potentias Dei tunc putes peractas cessasse. Domine nomen tuum inquis in æternum, Domine memoriale tuum in generatione, & generationem. Idest operatio tua semper durat, vt bonis bona tribuas, iniquis verò, & hæreticis pœnas debitas infundas. Tu autem Domine Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, &c. subest enim tibi cum volueris posse, qui cum magna reuerentia nos iudicas, Sap. d. cap.12.num.18. Et memoriale tuum in generatione,& generationem,in regeneratione nempè, qua renascimur per Baptismum, & in altera, qua resurgemus, vt saluemur, vel damnemur, quod Deus auertat; Vnde sequitur versiculus.

Quia iudicabit Dominus populum suum, & in seruis suis deprecabitur. Nunquid cessauerunt opera Dei, postquam tot Reges, & gentes occidit, & populum suum in terram promissionis induxit? peccauit populus suus Prophetas à Deo missos ad illum occidendo; denique filium Dei vnigenitum Iesum Christum, hominem factum, & Deitatem non relinquentem, negauerunt filium Dei esse, & morti eum tradiderunt, nunquid illos non iudicabit? Nunquid dum dies est non operabitur opera Dei, qui illum misit, malos malè perdendo, & pro fidelibus quos dedit illi Pater, deprecando? Ioan. c.17. Audi eumdem Dominum, dicentem, In iudicium in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant, Ioan. cap.9.num.39. Et vndè istud mandatum ò Domine Iesu? in Isai. reperies cap.6.num.8. Vade, & dices populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere; & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius; & aures eius aggraua, & oculos eius claude, &c. Non cognouerunt enim Iudæi diem visitationis Domini, Luc. cap.19.num.44.

Augustin. Iàm iudicata est plebs Iudæorum, separati sunt enim iusti, excæcati sunt superbi, illuminati sunt humiles, ipsum iudicium dixit Isai. cap. 21 n.4. & nunc domus Iacob venite ambulemus in lumine Domini, vnus homo est, siuè Iacob, siuè Israel, vna persona est domus Iacob, & domus Israel; vna Gens, vna Plebs, hanc inuitat, & hanc dimittit. Et nunc iàm certè occidisti Christum, ò domus Iacob, iàm occidisti Christum, iàm caput ante crucem agitasti, iàm pendentem irrisisti, iàm dixisti, Si filius Dei es, descende de cruce, iàm rogauit medicus pro Phrænoticis: Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt, Luc. cap.32. Certè iàm fecisti ista omnia: Et nunc crede in eum, quem occidisti, bibe sanguinem, quem fudisti, proiecisti enim populum tuum, veni domus Iacob, reuertere, & ambulemus in lumine Domini, testimonium perhibe ex te.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam iudicabit Dominus plebem ſuam, & in ſeruis ſuis deprecabitur, iudicauit ſeparando bonos à malis, fideles ab infidelibus Apoſtolos, à Iudæis mendacibus, venite iterum, dico ad lucem Domini, vos, qui iàm verbum repuliſtis, nec illùd audire voluiſtis, Act. Apoſt. cap. 13. num. 47. Iudicabit Dominus plebem ſuam; ſeparauit ergo, & non ibi inueniet, quos in Regnum ſuum reſtituat? planè inueniet, & in ſeruis ſuis aduocabitur, non repulit, ait Apoſt. plebem ſuam, quam præſciuit ad Roman. cap. 11. nàm dicit ipſe, & ego Iſraelita ſum. Ergo iudicabit Dominus plebem ſuam, ſeparando bonos à malis, hoc eſt in ſeruis aduocabitur, à Gentibus ſcilicet, quæ ex omni parte verbum Dei ſuſceperunt alacriter, iuxtà vaticinium Iſai. cap. 49. num. 7. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ, iuxtà illud, quod dicit Dominus per Ioan. cap. 6. numer. 45. ex Iſai. cap. 54. num. 13. & erunt omnes docibiles Dei. Sequitur ſecunda pars, in qua ſimulacra gentium deteſtantur, quia ſimulacra dæmonum ſunt, dicens.

Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. Suprà in alio Pſalmo dicta ſunt, vt rubore magno magis confundantur talia facientes, & credentes. Perfecta enim laus veritatis eſt deſtruere falſitatem, & probat, dicens: Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum, quia opera hominum ſunt, & ſolus Deus ſpiraculum vitæ dat hominibus, Geneſ. cap. 2. Diabolus verò ſimulacra gentium inuenit, vt ſuperbia ſua ſimilis Deo à Gentibus crederetur.

Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Et ità proculdubiò fit, exprimitur namque in eis quædam ſimilitudo Idolorum, non quidem in carne eorum, ſed in interiori homine, aures enim habent, nec audiunt Deum ad ipſos clamantem; oculos habent, non vident fidè; nares habent, nec ſentiunt bonum odorem Chriſti.

Domus Iſrael benedicite Dómino; domus Aaron benedicite Domino. Quæ prius ſterilis, facta es Domina Gentium, Locum tentorij tui dilataſti, & pelles tabernaculorum tuorum extendiſti, longos funiculos tuos feciſti, quia facta es Mater omnium Gentium. Domus Dei iàm diceris; & populus, qui eſt in te, domus Iſrael, quia videt Deum, & in illum credit. Domus Aaron benedicite Dominum, nàm Apoſtoli, & millia circumciſorum crediderunt verbo Dei, benedicite Præpoſiti, benedicite Leuitæ, omnes miniſtri Dei ex ſemine Abrahæ, & Aaron, qui in fide ſemen Abrahæ facti eſtis, ad Roman. cap. 9. num. 7. Non filij ancillæ ſumus, ſed filij liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit.

Qui timetis Deum, benedicite Domino. Gratias agite illi, quia non ex operibus, ſed ex vocante, & miſerante Deo dictum eſt vobis, maior ſeruiet minori; Moyſi dictum eſt, Exod. cap. 33. num. 19. Miſerebor, cuius miſereor, & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor. Miſertus eſt etiam nobis Dominus, quia in Eccleſiam ſuam nos vocauit. Igitur Domino benedicamus, quia nobiſcum fecit miſericordiam ſuam, non ex operibus, quæ fecimus nos, miſertus eſt nobis; nàm ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad ſeruum dominorum, in tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui, & ſeruaui te, &c. Benedicite Dominum domus Iſrael, omnes

gen-

gentes, & dictum est nobis; qui vincti eramus, exite: & qui in tenebris, revelamini: quia misertor noster regit nos; consolatus est enim Dominus populum suum, & pauperum suorum est misertus.

Benedicite domus Israel, domus Aaron, benedic Sion Dominum, quia omnibus his Gentilibus, & in Domino credentibus, velut ornamento vestita es, & circumdedisti tibi eos, velut sponsa, Isai. 49. num. 18. propterea confitearis Domino in Ecclesia magna, & in populo graui laudi eum, Psalm. 34. nu. 18.

Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Ierusalem; Benedictus Dominus ex Sion, quia ex prædicatione Euangelij facti sunt omnes Christiani speculatores verbi Dei, habitantis in Ierusalem, hoc est in pace, vt nos illius speculatores effecti, spretis temporalibus, in idipsum viuamus in pace. Amen.

SOLILOQVIVM.

O ANIMA mea, quæ in atria Domini ambulas, & in domo Domini habitas, cur non est in ore, & in corde tuo laus perpetua? cur nomen Domini inuocando, non erit id semper in ore tuo? Lauda Dominum: laudà illum in vita tua: quamdiù eris, psallas illi. Elegit Iacob, te verò Israel in possessionem sibi. Induens enim nubes ob extremo terræ, vt salua fieres, fulgura in pluuiam fecit, super te gratiam suæ benedictionis infundens. Peccata tua ipse tulit. Lauda Dominum, & in vita tua confitearis peccata tua, ne post mortem tibi sit pœna, quæ ad salutem non est proficua. In domum Israel, in domum Aaron introducta es. Time Dominum, & sequere eius vestigia, vt requiem, & pacem inuenias; & benedicens Dominum ex Sion, sis & tu habitatio illius, qui habitat in Ierusalem, cuius tabernaculum facta es per eius passionem.

Sancte Paule Apostole, vas electionis, & Doctor veritatis, cuius festum præuenimus hodie, intercede pro me, vt tecum conuersus ad Dominum, certus sim, quia Dominus depositum meum seruabit in illũ diem iustus Iudex.

Sancta Maria Dei Genitrix, spes mea, & Dominà mea adiuua me, vt tecum merear incolumis, & sine offensione, ad Dominum Iesum Christum filium tuum peruenire. Amen.

IN PSALMVM CXXXV.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius.

TITVLVS Alleluia. Continuatur ad præcedentem, vbi de laudibus Dei, & de potentia eius: Verùm quia non est legitima laus, nisi in Christiano, præcedat vera confessio, non solum peccatorum, ad quam faciendam inuitantur fideles, quia bonus est Dominus, & misericors; sed & potentiæ laudis Dei confessio, quia Dominus Deus, & filius eius Iesus Christus est filius Dei viui, qui

fecit

fecit cælum, & terram, maria, & flumina, & omnia, quæ in eis sunt, ideò sequitur Psalmus supradictus, Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius, &c.

Virtus huius Psalmi magna est, vt legitur in 2. Paralip. cap. 5. num. 13. vbi dicitur, quod cum cœpissent filij Israel cum centum viginti Sacerdotibus laudes Domini decantare, & dicere, Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius, statim impleuit gloria Domini Templum Dei, ità, vt non possent Sacerdotes stare, & ministrare propter caliginem: Compleuerat enim gloria Domini domum Dei.

Summa. Laus Deo accepta, si præcedat peccatorum confessio, & ipsius Dei potentiæ laudatio.

Et tunc Titulus alleluia, quia gaudium est ità laudanti, & confitenti coram Angelis Dei.

Confitemini Domino, quoniam bonus, confitemini Deo Deorum, confitemini Domino Dominorum, &c. Trina confessio, sed vna potentia, vna bonitas, vna dominatio, & altitudo. Vna bonitas, & suauitas Dei, & hæc ad confessionem peccatorum pertinet, quia pœnitenti semper paratus est Dominus parcere, qui Petro eum interroganti, quoties enim peccauerit in me frater dimittam illi, respondit septies, immo septuagies septies, immo si septies in die ceciderit, Matth. cap. 18. num. 21. & Luc. cap. 17. num. 4. Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam, Ioan. cap. 3. nu. 16. Et ideò ipse multorum peccata tulit, Isai. cap. 53. nu. 4. Si alterutrum peccata confiteamur Iacob. cap. 5. num. 16. Confessio, & pulchritudo in conspectu eius, sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione eius, Psalm. 95. num. 6. Confiteantur ergo Domino crimina nostra, delicta nostra, vt peccatoribus conuersis ad Dominum, dimittantur delicta, & hic est timor Domini, qui prouenit ex confessione: Hunc timendum esse, dixit Dominus, Matth. cap. 10. numer. 28. Qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam; hunc timorem docet nos Eccles. cap. 1. vt fugientes peccata, placeamus, Domino, timor enim Domini expellit peccatum, Eccles. d. cap. 1. num. 27. Serua ergo timorem Domini, & in illo veteraſce, Eccles. cap. 2. num. 6.

Confitemini Domino, & trina confessione bonitatem, & misericordiam eius docet nos laudare, ipsum in timore, confitendo vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate, in Patre scilicet, & Filio, & Spiritu sancto vno Deo; Ternam enim istam repetitionem, dicunt aliqui tres personas respicere, quarum prima absque nullo adiecto significatur nomine Tetragrammaton Iehouah, quia est à nullo dependens, Confitemini, Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius: Constat autem nomen Iehouah à verbo essendi deriuari; adeòq. in illius manifestatione Deus dixit Moysi: Ego enim sum qui sum, dixit Dominus Exod. cap. 3. Esse verò & bonum conuertuntur; quod enim est, bonum est.

Secundus vers. Filio tribuitur Hebraicè Eloi, Eloim; idest Deus Deorum, Iudex omnium, & quidem Diuorum, ideò confitemini Deo Deorum, quoniam in æternum misericordia eius; Deos dicit homines, ad quos sermo Dei factus est, Ioan. cap. 10. num. 35. Augustin. dicit Quia scriptum inuenimus in

alio

alio Pſalmo ſupradicto 81. Deos etiam homines appellatos, ſicuti eſt, Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat; & paulò poſt: Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes, vos autem vt homines moriemini, & ſicut vnus ex Principibus cadetis, & in Ioan. cap. 10. Dominus dicit, quod iam ſupradictum eſt, Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes: ſi illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui ſcriptura, quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi, filius Dei ſum? Non ergo quia boni ſunt omnes, ſed quia ſermo Dei ad illos factus eſt appellati ſunt Dij, nàm ſi propterea boni eſſent omnes, non ſic eos dijudicaret, cum enim dixiſſet, Deus ſtetit in Synagoga Deorum, non ait, in medio Deos, & homines diſcernit, tamquam oſtendens, quid interſit inter Deos, & homines; ſed in medio, inquit, Deos diſcernit; deinde ſequitur, vſquequo iudicatis iniquitatem, quæ vtique non omnibus, ſed quibuſdam dicit, quia diſcernens dicit, & tamen in medio Deos diſcernit, non ergo dicuntur Dij, quia omnes ſint boni, quia illos in medio non dijudicaret Dominus.

Tertius verſ. perſonam reſpicit Spiritus ſancti, Hebraicè Adone Adonim, confitemini Domino Dominorum, quoniam in æternum miſericordia eius, iuxtà illud Pſalm. 32. ſcilicet Miſericordia Domini plena eſt terra, verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Qui facit mirabilia magna ſolus, &c. potentes deponens, & exaltans humiles: Confitebor tibi Domine, quia mirabiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis, Pſalm. 38. num. 13. operuit cælos gloria eius Habac. in ſuo Cantico num. 3. aſpexit, & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi, incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius, vide Auguſtin. in lib. de Ciuit. Dei ad Marcellin. cap. 32.

Confitemini Domino omnipotenti ex operibus eius, & Domino Dominorum, nàm ipſe ſolus in intellectu fecit cælum, & terram propter nos homines, vt quamuis de terra creati, cælo poſt mortem fruamur. Quoniam in æternum miſericordia eius. Sic autem illos fecit luminoſos, vt beneficio luminis illorum cælorum, peruenirem us ad notitiam increati luminis, ideſt Dei, vndè dicitur, cælum mihi ſedes eſt, Iſai. cap. 66. in princ. In intellectu fecit cælos, ideſt in ſapientia ſua, Prouerb. cap. 8. num. 27. ideſt in Ieſu Chriſto filio ſuo, per quem omnia facta ſunt, Ioan. cap. 1. Quæ autem inſuper mirabilia per ſe ſolum fecit Deus, narrat, dicens.

Qui firmauit terram ſuper aquas, qui fecit luminaria magna; Solem in poteſtatem diei, Lunam, & Stellas in poteſtatem noctis, his omnibus additur, quoniam in æternum miſericordia eius, ſicut in alijs primis Pſalmi verſibus, Auguſtin. littera G. Quod hæc omnia facta ſunt per ipſum ratione ſuæ bonitatis, qui creauit omnia bona valdè: non ergo cenſendum quando in ipſis, quæ ſolus fecit, additur quoniam in æternum miſericordia eius, quia propter miſericordiam hæc fecerit, cum ad eius miſericordiam illi pertineant, quos de miſeria liberat, non autem vt eius miſericordiæ fuiſſe intelligamus facere cælum, & terram, & luminaria, cum illud ſit bonitatis eius, qui creauit omnia bona valdè, creauit autem omnia, vt eſſent, hoc verò miſericordiæ, vt à peccatis noſtris mundet nos, & à miſeria liberet in æternum. Cur autem confiteamur, quia in omnium verſuum finibus ponit, quoniam in æter-

æternum misericordia eius, hæc Augustin. Supradicta mirabilia dicuntur Dei, quia ab ipso solo facta sunt.

Cætera verò, quæ in alijs versiculis Dei mirabilia narrantur, ab Angelis, seù hominibus, seù ab alijs Dei ministris facta fuere, de quibus etiam in præcedenti Psalmo, satis dictum est, Quæri forsan poterit, quare prima à Deo solo facta sint mirabilia, cætera verò ab hominibus, seù ab Angelis, & diuersitatis rationem aliam adducere non possum, nisi quòd priora mirabilia à solo Deo facta sunt, quia per se bona sunt, neque vllo tempore diuersitatẽ bonitatis recipiunt, cætera verò ab Angelis, seù hominibus ad pœnam peccantium introducta sunt, & hæc, quia Dominus iustus est, & iustitiam diligit, Deus enim vltionũ liberè agit. Et quamuis misericors sit, æquitatem videt vultus eius, ideò ministros vrentes facit, sicq. dicitur, iustitia plena dextera eius, cum non per se vindictam facit, qui sic mundum dilexit, vt filium suum vnigenitum daret. Postquam verò in peccato obstinatus peccator permansit, pluriesq. spatium pœnitentiæ illi dederit, vt pœnitens reuerteretur ad ipsum, quia post mortem non datur pœnitentia, ministros pœnæ deputauit; ne quia ipse diligit hominem, parcere illi per sanctorum preces quodammodo cogeretur, pro vt contigisse legimus, quando dixit Moysi deprecanti pro populo Iudaico, qui in vituli adoratione ad iram eum excitarat, Dimitte me, vt irascatur furor meus contrà illos, Exod.c.32.num.10. Vndè Propheta noster Dauid aiebat, Melius est mihi incidere in manus Domini, quia ipse misericors est, & benignus, & multæ sunt miserationes eius, quàm in manus hominum, adde, vel etiam Angelorum, qui strictè exequuntur quæ illis à Domino Deo permissa sunt, vndè dictum est Angelo illi percutienti, cesset iàm manus tua, 1.Paralipom. cap.21.num.15.

Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, idquè, quia in æternum misericordia eius respectu Iudæorum, quos afflictos videns, vt liberarentur ab inimicis, quos sæpè monuit per Moysen, & Aaron, vt dimitterent populum suum, ideò

Eduxit Israel de medio eorum in manu potenti, & brachio excelso. Diuisit enim mare rubrum in diuisiones, & Israel per medium eius duxit: & virtutem Pharaonis excussit in mari rubro: & populum suum per desertum traduxit: magnos & fortes Reges percussit, vt terram promissionis populo suo daret, Sehon nempè Regem Amorrhæorum, & Og Regem Basan. Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel seruo suo, populo suo, horum nominum significationem exposuimus in Psalmo præcedenti. In humilitate enim populi sui tribulati, & afflicti memor fuit Dominus, & redemit illos ab inimicis suis, à seruitute enim Pharaonis liberati fuerunt, & Philistinorum, & Nabuchodonosoris. Figura Ecclesiæ, & electorum illius, qui humiles in persecutionibus Tyrannorum, & hæreticorum, & ab insidijs diaboli liberi facti sunt per passionem Christi, Ioan.16.nu.11. & idem Ioan.12. Nunc iudicium est mundi: nunc Princeps huius mundi eijcietur foras; Et ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.

Qui dat escam omni carni. Pluit enim super iustos, & iniustos, & Solem facit oriri super bonos, & malos, Matth.5. orãs enim Ecclesia pro persecutoribus offert se daturã escam, panẽ nempè corporis Christi omnibus ad ipsã accedẽtibus,

ideò dicit, qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia eius.

Confitemini ergo Deo cæli, Deo Deorum, Domino Dominorum, quoniam in æternum est misericordia eius. Venit enim vt nos ad pœnitentiam reuocaret, quia vult omnes homines saluos fieri; ideò dicit Luc. cap. 5. numer. 32. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Laudes ergo debitas Deo reddamus, quia nos à terrenis ad æterna euehit, si bonis operibus credendo in illum, sequamur vestigia eius.

SOLILOQVIVM.

CONFITEARIS anima Domino, quia bonus, & misericors, quia Dominus vniuersorum est, qui non ex opere, quod tu fecisti, sed per gratiam suam, benignus, & humanus apparuit in hoc mundo, vt per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem abundè effudit in te, & in Dei dilectos, sua te iustificaret gratia, vtquè hæres esses secundum spem vitæ æternæ: Quæ narrata sunt Iudæis accidisse, in figura facta sunt, vt non amplius terrenorum hæres, sed æternorum sis, si Dominum Iesum Christum filium Dei confitearis, & præcepta illius sequaris. Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ, qui es Deus Deorum, & Dominus dominantium ex quo omnia, ac Domino meo Iesu Christo, in quo omnia, & tibi Spiritui sancto, qui cum Patre, & Filio trinus, & vnus Deus es, per quem omnia. Quoniam in æternum misericordia tua; per quam mihi misero peccatori, sed pœnitenti dare promisisti salutem. Et te, ò Virgo Maria Dei Genitrix suppliciter exoro, vt intercedas pro me, vt deleantur delicta mea per passionem Iesu Christi filij tui. Amen.

IN PSALMVM CXXXVI.

Super flumina Babylonis, illic sedimus, & flemimus: cum recordaremur tui Sion.

TITVLVS, Psalmus Dauid Ieremiæ: Hunc titulum, quamuis eum in Hebræo non inueniamus, in Latinis tamen, & Græcis reperimus, siuè sit additus à Septuaginta, siuè ab alio, nihil refert, quia quæ vera fuerunt, prædixit Dauid, Ieremias quippè captiuitatem, & tempus captiuitatis septuaginti annorum prophetizauit; Vtrique ergo, & Dauidi, & Ieremiæ aptatur titulus, Dauidi quoad captiuitatem, Ieremiæ verò quoad tempus duraturæ captiuitatis septuaginta scilicet annorum, de quibus Ierem. c. 25. vide Augustin. de Ciuit. Dei, lib. 18. cap. 25.

Continuari ergo potest ad præcedentem, ibi namque actum de vindicta malorum à Deo, & sublenatione populi sui ex tribulationibus inflictis ab inimicis. Cæterum quia dictum est, quòd omnia in figuris contingebant illis, cum omnia ad nostram doctrinam scripta sint, docet nos hìc Propheta, quando Ecclesia, & illius electi ab inimicis tribulantur, & persecutionibus agitantur, quomodò illas debeant sustinere, nempè vt Deum præ oculis semper ha-

habentes, & peccata nostra flentes patienter eas feramus: nàm postquam impleti fuerint dies pœnitentiæ, Deus, qui misericors est, memor nostri castigans inimicos, liberabit Ecclesiam, & iustos eius, Sap. 12. nu. 22. Cum enim, inquit, das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, vt bonitatẽ tuam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur speremus misericordiá tuam.

Summa. Patientia in tribulationibus propter Deum, & temperantia in prosperis mundi.

Patria nostra in cælo est, ab illa peregrinamur propter peccata nostra, Augustin. Hìc stamus, quæ Babylonia vocatur, cui est pax temporalis, finis verò noster est illa, cui pax est æterna Ierusalem vocata hæc visio pacis, Babylonia confusio. In Babylonica ciuitate sunt & iusti, qui tamen etsi pro peccato teneantur ibi, per confessionem tamen exire incipiunt, donec in fine sæculi corpore separentur, vt in Psalm. 64. incip. Te decet hymnus Deus in Sion, tibi reddetur votum in Ierusalem. In illa Sion hymnus cantatur; in hac Babylonica captiuitate sedentes, idest nostram miseriam considerantes flemus. In Sion habitemus, si Deo placere cupimus, hymnum cantantes, & bonum operantes: quamuis super flumina Babylonis permaneamus.

Super flumina Babylonis, non intrà, vel sub, sed suprà sedeatis, omnia, quæ sunt in illa, arbitremur vanitatem vanitatum, mentium superborum elationes, quæ sicut flumina ad interitum currunt; deploremus Deum deprecantes, vt in Sion semper donec viuimus, mente, & corde, & toto animo à terrenis abalienati, ibiq. Deum laudemus, totisq. viribus colamus. Augustin.

Sede super flumina, noli in flumine, noli sub flumine, tamen sede humilis; iàm gaudes, quia in flumine stans lucratus es bona; fles etiam, quia sub flumine amisisti; recordare, quia in hostili patria. Recordare Sion, quæ est dulcis patria tua, & flens dicas cum Dauide Psalm. 114. Tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. Ne abijcias organa tua, quibus laudes Deum; considera, quòd in Babylone, in salicibus in medio eius stas peregrinus, non vt ibi stes, vbi sunt quæ angunt mala; sed super flumina sedeas, existimans omnia ista caduca, & ad modicum duratura, & ideò in illis ambules flendo, vt peruenias immunis in patria tua, vbi stantes erunt pedes tui in atrijs Ierusalem. Flens dicas, dulcis amor patriæ cælestis, quia in mundo non est, nisi superbia, & vanitas; scriptum est enim, Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere, quia spinæ sunt, quæ crescentes, semen natum suffocant, Matth. 13. num. 7. Quomodò suffocant? quia retrahunt homines à desiderio patriæ suæ. An non recordaris illius, qui cum multa bona acquisisset, dixit, Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare; cui dixit Deus, Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti, cuius erunt? sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues, Luc. 12. num. 19.

Quia illìc interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum. Edamus, & simul bibamus, exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, nec agnitus est, quis sit reuersus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tamquam non fuerimus, vmbræ enim transitus est tempus nostrum. Venite fruamur bonis, quæ sunt: vino pretioso, & vnguentis nos repleamus. Hæc est pars nostra,

& hæc eſt ſors. Hæc cogitauerunt, excæcauit enim eos malitia eorum, & neſcierunt ſacramenta Dei, neque ſperauerunt mercedem iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum, quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, Sap. 2. per totum.

Et qui abduxerunt nos, dicebant, Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Tentantes ſcilicet fuerunt, qui nos abduxerunt ab Angelorum ſocietate, vel abduxerunt nos ad alias miſerias. Verba cantionum, interrogauerunt, dicentes, hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodò, reſpondebant, cantabimus canticum Domini in terra aliena? Vos in Babylonia nutriti, vos portat, vos nutrit, Quomodò lux cum tenebris? Quomodò mammonæ, & Deo ſeruire poſſumus? retineatis vos Babyloniam veſtram, nos ſtantes erimus in ſalutari Dei.

Vos narratis nobis fabulationes, ſed nos ſequimur legem Domini, Pſal. 118. Declinate à nobis maligni, quia nos ſcrutamur mandata Dei noſtri, iurauimus, & iudicia Dei cuſtodire ſtatuimus, nec obliuiſcemur ſermones Domini.

Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea. Quia Chriſtus eſt vita mea, quotieſcunque ſequar veſtigia eius, non obliuiſcar vitæ æternæ, quæ eſt in cæleſti Ieruſalem, & quam pro dextera mea habere contendo. In Babylone exiſtentium dextera eorum, dextera iniquitatis, Pſal. 143. nu. 8. Nunquid proprer iniquitatem iuſtus obliuiſcetur vitam æternam? Profectò dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini, hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam, Pſalm. 117. nu. 17. cum ſeq. Dextera mundi diuitiæ, & ſuperbia, diuites verò eſurierunt, & eguerunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono; quia gloria, & diuitiæ in domo Domini, & iuſtitia eius manet in ſæculũ ſæculi, Pſal. 111. nu. 3. vndè Eccleſ. 5. nu. 1. Noli attendere ad poſſeſſiones iniquas, & Ne dixeris, eſt mihi ſufficiens vita, nihil enim proderit in tempore vindictæ, & obductionis, &c. & Sap. 5. num. 8. Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tamquam vmbra, &c. & nu. 16. Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud Altiſſimum. Ideò accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini. Quoniam dextera ſua teget eos, & brachio ſancto ſuo defendet eos, &c. Si ergo oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea, quia tu legem Domini poſuiſti mihi.

In Babylone ſunt boni, & mali, audite, quid dicat Dominus Diſcipulis ipsũ ſequentibus, Ioan. 6. & dicentibus, Durus eſt hic ſermo: dicebat enim illis Ieſus, Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus; neque poteſt aliquis venire ad me, niſi fuerit ei datũ à Patre meo. Ex hoc multi Diſcipulorum eius abierũt retrò, & iàm cum illo non ambulabant. Vos verò duodecim Diſcipuli mei, & cũ illis vultis abire? Petrus verò reſpõdit, Domine, ad quẽ ibimus? Verba vitę ęternę habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. Magna dexteræ Dei virtus, magna res eſt, ſpem habere in Domino, extrà quam non eſt lingua, non eſt intelligentia, non eſt ſcire Deum. Non vult intelligere, vt benè agat, ideò adhærent faucibus ſuis eloquia ſua, qui non loquitur niſi terrena. Muta fiant labia doloſa, & lingua magniloquia. Vt quid enim loquitur,

dicit

Digitized by Google

dicit D. Auguſtin. vt quid ſonat, qui cantica Sion non ſonat? ipſa eſt lingua noſtra Canticum Ieruſalem: Canticum delectationis ſæculi huius, lingua aliena, lingua barbara eſt, quam in captiuitate didicimus, ergo mutus erit Deo, qui oblitus fuerit Ieruſalem; & parum eſt meminiſſe, nàm & hoſtes meminerunt eius, volentes eam euertere, ſed contingat illis, quæ dicuntur in Pſalm. 67. num. 24. Intingatur pes tuus in ſanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo. Lingua mea, ait iuſtus, calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Speciosus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum: Cor meum, & caro mea exultauit in Deum, vt lætitia ſempiterna ſit in caput tuum, vt præponas laudes tui Ieruſalem in principio lætitiæ tuæ. Ibi enim ſumma lætitia eſt, vbi Deo perfruemur, vbi de fraternitate cohæreutæ ſecuri erimus. Nihil enim ibi delectabit niſi bonum, morietur omnis neceſſitas, & orietur ſumma felicitas.

Memor eſto Domine filiorum Edom in die Ieruſalem. Quid eſt, Memor eſto filiorum Edom in die Ieruſalem, niſi quia Patres eorum diem aduentus Domini non cognouerunt? Sicut Patres, ità & filij Edom, & ipſi rubei iuxtà interpretationem vocis Edom, & ſanguinolenti, quia nec Domino crediderunt, ſed ſanctos Dei acriter ſunt perſecuti, & perſequuntur Eccleſiam tuam. Dicant Romani, quid ex hoc crimine iniquis acciderit in Ieruſalem, quis ſuperſtis remanſit in illa? immo nec lapis remanſit ſuper lapidem, iuxtà dictum Domini, Luc. cap. 19. num. 41. Memor eſto filiorum Edom, quia & ipſi non ceſſabunt perſequi Eccleſiam tuam, incipientes in die viſitationis Ieruſalem vſque ad præſens; non enim veriti ſunt filium Dei, viſitantis illos, ſed occiderunt illum, & ſanctos ſuos. Quid faciet Dominus Vineæ, illos perdet, & vineam locabit alijs agricolis, Iſai. cap. 5. num. 5.

Qui dicunt Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea. Iniqui enim ſunt confuſione pleni, duræ ceruicis. Quid dicit Iſai. cap. 6. numer. 11. Vſquequò Domine? & dixit, Donec deſolentur ciuitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquetur deſerta. Et tu Daniel quid dicis? Quanto tempore durabit deſolatio iſta iniquorum? cap. 9. in fine. Occiderunt Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt, & erit in Templo abominatio deſolationis, vſque ad conſummationem, & finem perſeuerabit deſolatio. Miſericordiæ Domini, quia non ſunt conſumpti, Thren. 3. vt reliquiæ Iſrael ſaluæ fiant, Iſai. c. 10. & ad Rom. c. 9. ex Oſe. cap. 2. num. 23.

Filia Babylonis miſera. Beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis. Filia Babylonis, quia non amplius populus Dei, Oſe. cap. 1. num. 10. & cap. 2. num. 23. ad Roman. 9. nu. 26. ſed filia Babylonis, filia confuſionis, filia diaboli, cuius miniſter es, quia opera eius facis Ioan. 8. nu. 44. Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis, ſcilicet Eccleſiæ Dei, quam perſecuta es, & perſequeris vſque in finem ſæculi; Deus certè retribuet, Pſalm. 90. num. 8. Veruntamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis.

Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram, beatus, cui verbum Dei euangelizatum eſt, illudque tenebit. Sed quomodò tenebit? Si ad petram allidet, prauos ſenſus fugiendo, & confitendo, ne poſtquam creuerint, & vberes facti difficilius elidantur ad petram. Non difficultas ex petra, ſed ex

veteri consuetudine peccandi, ex parte tua, Et nihilominus, Si peccata tua, plus quàm coccinum fuerint rubra, & reuertens ad petram lacrymis illa mollificaueris, fient alba sicut nix, Isai. cap. 1. & Ezech. cap. 18. & 33. Beatus ergo, qui resistens diabolo, & tentationibus eius, recurrit ad petram.

Augustin. Hostis maior est, occidatur ad petram: breuis hostis est, elidatur ad petram; & maiores ad petram occidite, & minores ad petram elidite: petra vincat; in petra ædificamini, si non vultis tolli à ventis, seù à pluuia. Si vultis armati esse contrà tentationes in sæculo, crescat, & roboretur desiderium Ierusalem æternæ in cordibus vestris, transeat captiuitas, veniat felicitas, damnabitur hostis extremus, & cum Rege, sine morte triumphabimus.

SOLILOQVIVM.

IN mundi huius Babylone posita anima mea super illius flumina sedeas, & considera, quòd in ea non est firmitas, neque salus, sed omnia vanitas, & præsumptio spiritus. Reuiuisce in Deum proficiendo, quod tibi facilius erit, si cogitatus tuos in malum te tentantes, ad petram, quæ est Christus allides, vt moriantur. Bonum operare, & organa vocis tuæ non cessent, vt libentius agas, quod libenter concinis. Lauda Deum, vt bonorum operum fructum accipias; non de salicibus, qui iuxtà flumen amari, nullum dant fructum. Spes tua sit in Ierusalem, vbi est vita tua cum Christo. Hostis, si maior est, quia est tibi peccandi consuetudo, occidatur ad petram, quæ Christus est, si sit paruus, ad petram pariter allidatur. Confessione humili tolluntur praua quæque consuetudines. In petra ædificata anima mea, nec ventus tentationum nocebit tibi, nec pluuia. Adauge Domine Iesu in corde meo desiderium te videndi: transeat à me captiuitas, veniat felicitas; vt foras hoste maligno eiecto, tecum Iesu Christe triumphans, cælestibus fruar mysterijs. Sancte Petre Apostole Dei, qui hodie beatæ Agathæ mammillas suo pectori restituisti, pectori meo, cordi meo mammillas, charitatem scilicet Dei, & proximi, ità tuis confirma precibus, vt nihil hæsitans, nihil aliud cogitans Deo viuenti, & proximo meo seruire valeam, implens eius præcepta. Regina cæli Mater Domini nostri Iesu Christi, ne me deseras in hac Babylonis confusione, sed adesto mihi efficaci tua solita protectionis ope, vt ad filium tuum, atque ad te valeam peruenire. Amen.

IN PSALMVM CXXXVII.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei.

TITVLVS, Psalmus ipsi Dauid. Ipsi Ecclesiæ, cuius membra nos sumus, vt vocem eius agnoscentes, discamus & nos semper in illa existentes, & Deo placentes, quid agere debeamus.

Continuatur ergo ad præcedentem, quia ibi de Iustis in hoc mundo existentibus, in hac Babylone, & inter iniquos permanentibus; qui ab iniquis ad hymnum cantandum de canticis Sion inuitabantur, quod facere renuerunt.

Quo-

Quomodò autem Domino ſit confitendum, & illum laudando, & illi peccata confitendo, declaratur inhoc Pſalmo. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam audiſti omnia verba oris mei, confitendo ex corde, confitendo integraliter omnia peccata; neque enim ſufficit vnum peccatum confiteri, & alia retinere, ſed integra debet eſſe peccatorum confeſſio, & dolens ex corde, vt Deo accepta ſit; & ideò dixit taliter confitendo, gratias tibi ago Domine, quia audiſti omnia verba oris mei, dimittens peccata mea. In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad Templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo; Laudando, & benedicendo. Confitetur Patri & Dominus, non quia ipſe peccauerit, ſed laudando Dominum, quia paruulis reuelauerit, ipſum eſſe Ieſum Chriſtum. Benedicendo, quia ſic Pater reuelauit filium Ieſum Chriſtum, quibus ipſi placitum eſt; duplex enim eſt confeſſio, peccatorum & laudis Dei.

Auguſtin. hìc Laudando ergo Dominum cantat Eccleſia hymnum, dicens, Confitebor Domino ex toto corde meo, quia audiuit omnia verba oris mei; cũ enim paruula, & ſterilis eſſem, placui Altiſsimo, & ſemen meum gentes hæreditabit, & ciuitates deſertas inhabitabit. Dominatur enim mei, qui fecit me Dominus exercituum, Quia vt mulierem derelictam, & mœrentem Spiritu vocauit me Dominus; Ad punctum enim me dereliquiſſe videbatur, ſed in miſerationibus magnis congregauit me, Iſai. cap. 54. num. 7. in princ. ideò

In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad Templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. In conſpectu Angelorum pſallam tibi, quia ſpretis mundanis, te ſolum Deum quæro, te diligo, quia tu mecum es, & tecum ſemper Angeli tui; coram illis pſallam, vt laudes meas offerant tibi. Conſidera ordinem pſallendi, quem ponit hìc Propheta, nàm primò pœnitens confitetur peccata ſua, & tunc mundus coram Angelis pſallere audet Deo, & illi laudes dare, quia dedit ei intellectum. Increpuerunt renes mei, ideſt interiora mea doçuerunt, vt Dominum prouiderem & proponerem ſemper in conſpectu meo, Pſalm. 15. nu. 7. quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. Ideò pſallam coram Angelis, & adorabo, inquit, ad Templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. O magna dignitas animarum, bonum operantium, nàm Angelis æquales effectæ, Templum Dei ſunt, & cum Angelis collaudant Dominum, 1. Corinth. c. 3. num. 16. Neſcitis quia Templum Dei eſtis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis? Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Quomodò non pſallat coram Angelis Dei, qui à peccatis mundus eſt, & Spiritus ſanctus habitat in illo? hinc Eccleſ. cap. 15. num. 3. Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum, &c. & In medio Eccleſiæ aperiet os eius, & adimplebit illum Spiritu ſapientiæ, & intellectus, & ſtola gloriæ veſtiet illum; Iucunditatem, & exultationem theſaurizauit ſuper illum, & nomine æterno hæreditabit illum, & nu. 8. Et ſucceſſum habebunt vſque ad inſpectionem Dei; In ore enim peccatoris non eſt ſpecioſa laus, &c.

O magna Chriſtianorum dignitas; quæ enim eſt alia natio, quæ Deos appropinquantes ſibi habeat, ſicut Deus Chriſtianorum adeſt nobis. Confitebor tibi, inquit, Domine in toto corde meo, vocem enim cordis audit Dominus, quia ipſe ſolus eſt cordium ſcrutator Pſalm. 7. Auguſtin. Quoniam audiſti omnia

nia verba oris mei, quia confiteor tibi in corde meo, os ergo noſtrum eſt cor noſtrum, ibi enim habemus vocem, quam Deus audit, quam prorſus auris humana non nouit. Ad homines clamabant Suſannæ accuſatores; cor autem eius ad Deum clamabat, exauditur illa, puniuntur iſti, Daniel. cap.13. Cor ergo noſtrum lucidum ſit, vt vox illius perueniat ad Deum: eſt ergo os intus, ibi rogamus, indè rogamus, & ſi hoſpitium, vel domum Deo præparauimus, ibi loquimur, ibi exaudimur; non eſt enim ille longè poſitus ab vnoquoque noſtrum, in quo viuimus, mouemur, & ſumus.

Audiſti verba oris mei. Quia propè eſt illi, qui confeſſus eſt peccata ſua, & receſſit ab iniquitate, ſicut longè eſt à peccatore, à quo longè facta eſt ſalus, Pſalm. 118. nu. 155. Quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt, non enim eſt pax impijs, Iſai. cap. 48. num. 22. Deijce medium parietem peccati, & cum illo es, quem rogas, vt pſallas coram Angelis Dei, & erit gaudium tibi cum illis, Luc. cap. 15. num. 7.

In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad Templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Qui Dominus Angelorum veniſti ad Templum ſanctum tuum, quod ſunt iuſti in terra, & in cælo Angeli: Templum tuum, quod tu tibi feciſti, non manufactum, Iſai. cap. 2. nu. 19. Confitebor nomini tuo. Cur confiteberis? Quia miſericors Dominus, & verax, ideò ſequitur.

Super miſericordia tua, & veritate tua, quoniam magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum. Miſericors enim, & miſerator eſt Dominus, qui dat eſcam timentibus ſe, Pſalm. 110. num. 5. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas, Pſalm. 24. num. 10. Miſericordia, qua peccatorem pœnitentem reſpicis, & veritas, qua remuneras reddendo promiſſiones; per has duas viaſ ad nos venit, & per eaſdem vias nos ad illum ibimus. Has ergo Deo reddamus, miſericordiam in ſubueniendo, veritatem in iudicando; his duabus adiuuamur, his promeremur Deum. In nomine ergo Ieſu ſit noſtra confeſſio, cuius nomen eſt ſuper omne nomen, In illius enim nomine omne genu flectitur, & omnis lingua confitetur, quia Ieſus eſt filius Dei, & eſt in gloria Dei Patris, ad Philipp. cap. 2. num. 10.

Ideò ſequitur, Quia magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum, ideſt Ieſum. Quid enim magnificentius nomine Ieſu, cum Chriſtus ipſe Ieſus non ſolum venerit ſaluare totum mundum, iuxtà eius nominis interpretationem; ſed & Patri ſeipſum obtulerit voluntariè, vt Redempti ab illo vnum eſſemus in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto? Ioan. cap. 17. Deiq. hæredes nos faceret, atque ipſius cohæredes? Quid magnificentius, quàm dare animam ſuam pro amicis ſuis? & illos facere hæredes alicuius forſan ciuitatis? hæredes Regni cælorum facit Dominus. Super omne magnificentia eius, quia totum aliud omne iunctum ſine illo, nec minimam partem præſtare poſſet. Sed quibus hãc exhibuit magnificentiam, an forſan amicis ſolummodò, ſicut is ipſe aiebat traditum eſſe antiquis, diligite amicos veſtros? Non, quin potius pro inimicis ſuis iuxtà doctrinam, quam poſt prædicta ſubiecit; Dico vobis, Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt, Matth. cap. 5. num. 44. Hinc Paul. ad Epheſ. cap. 2. num. 3. Eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri; Deus autem, qui dives eſt in miſericordia propter nimiam charitatem ſuam,

ſuam, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu, vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos, in Chriſto Ieſu.

Super miſericordia tua, & veritate tua pſallam tibi, adorabo ad Templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Et quoniam ſuper omnia magna eſt magnificentia tua, miſericordia tua, non ceſſabo quotidie inuocare te, vt me exaudias, multiplicando in anima mea virtutem. Quam virtutem? virtus in infirmitate perficitur. Multiplicatio ergo virtutis erit augmentum tribulationis, vt ſoli Deo pſallere, & ſeruire poſſet. Nos infirmi dicebat Paul. vos fortes, vos nobiles, nos ignobiles, &c. vſque in hanc horam eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, 1.Corinth. cap.4. num.11. Maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus, &c. Multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ, quia audierunt omnia verba oris mei. Iàm in omnem terram exiuit ſonus verborum tuorum. Lauda ſterilis, quæ non paris, decanta laudem, & hinni; quæ non pariebas, dilata locum tentorij tui, longos fac funiculos tuos, &c. Ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis, & ſemen tuum gentes hæreditabit, Iſai. cap.54. in princ. Confiteor tibi Domine, quoniam audiſti me, & factus es populo tuo Gentili in ſalutem; confitentur enim tibi omnes Reges terræ, quia audierunt verba oris tui.

Hæc figurata ſunt per Gedeonem in lib.Iudic.6. vt dicit Auguſtin.hìc & rectè. Omnia enim verba oris tui prius abſcõdita erant in vna Gente Iudæorum, quibus credita ſunt eloquia Dei, ſed modò vbiq. reuelata ſunt, & ad gentes miſſa, quod ſignificatum eſt in Vellere Gedeonis, qui iturus contrà Madianitas petijt ſignum à Domino, vt Vellus irrigaretur, ſicca manente area; deindè petijt, vt ſiccato Vellere, complueretur area: Area eſt Orbis terrarum, Vellus gens Iudæorum in medio Orbis terrarum habens gratiæ ſacramentum, non in manifeſto, ſed in nube ſecreti tamquam pluuiam in vellere, circà Vellus area exiſtente ſicca, ideſt toto Orbe circà Iudæorum gentem; ſed expreſſo Vellere, ideſt reuelato figurarum ſacramento, pluuia in area, ideſt in toto Orbe manifeſtata eſt, non operta, ſolus Chriſtus ſuauitas pluuiæ eſt, ideſt gratiæ. Hunc ſolum ergo neſcis in ſcripturis ò Iudæe, per quem factæ ſunt ſcripturæ: quem Orbis terrarum recepit: quo irrigata eſt terra, & ità, Vellere ſiccato, omnes Reges terræ audient omnia verba oris tui.

Et cantent in vijs Domini, quoniam magna eſt gloria Domini. Quot Reges, quot Imperatores, & terrarum Duces, relictis terrenis, audientes verbum Domini, ſecuti ſunt illud, cantantes Canticum nouum, ideſt miſericordias Domini, & veritatem eius, Pſalm.88. num.1. ambulantes in vijs Domini humiliter portantes Dominum, non ſe extollentes aduerſus Dominum, ſed gloriam dantes Deo, quia magna eſt gloria Domini.

Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit; Ideſt ſuperbos cognoſcit, vt puniat, vel cognoſcit à longè, dans eis tempus acceptabile, vt conuerti poſſint ad Dominum, Sap. cap.12. & ſi non conuertantur, non eos reſpicit Deus, vt miſereatur; ſed vt vlciſcens contrà illos

diſper-

diſperdat memoriam eorum, Pſalm.33.num.17. Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Oculi Domini ſuper Iuſtos, & aures eius in preces eorum. Hinc canit Eccleſia, Si reſpicis Domine, lapſi ſtabunt, fletuq. culpa ſoluitur.

Si igitur ambulauero in medio tribulationis, dicit Propheta, viuificabis me, & ſuper iram inimicorum meorum extendes manum tuam. Quia dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me; dextera Domini fecit virtutem, non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini, Pſal.117. num.16. in alio loco dicit, Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quid eſt enim tribulatio mundi, niſi vmbra mortis? quis me ſeparabit à charitate Chriſti, dicit Paul. ad Roman. cap.8.num.35. Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? &c. an gladius? ſcriptum eſt enim Pſalm.43. num. 23. Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis, ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos, &c. Dominus enim viuificabit nos; Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Dominus retribuet pro me, Domine miſericordia tua in ſæculum: opera manuum tuarum ne deſpicias. Dominus retribuet pro me; nàm ſuper iram inimicorum meorum extendit manum ſuam, & in alio Pſalm.59.num.14. In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos, tu enim Domine dixiſti, mihi vindicta, & ego retribuam, Deut. cap.32. num.35. & num.43. Laudate Gentes populum eius, quia ſanguinem ſeruorum ſuorum vlciſcetur, & vindictam retribuet in hoſtes eorum. Si ergo per te vlciſci non potes, quia vt dicitur ad Roman. cap.12.numer.19. Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ, & Deo vindicta relinquitur, quare dicis, Domine miſericordia tua in ſæculum, opera manuum tuarum ne deſpicias? ſequere bonitatem, & Dominus erit protector tuus.

Sed reſpondetur, inimici noſtri ſemper viuunt, bonitatem perſequentes, & multiplicantur quotidie; ne innitaris prudentiæ tuæ, ſcriptum eſt Prouerb.3. & in Pſal.37. Inimici autem mei viuunt,& confirmati ſunt ſuper me,& multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè,Qui retribuunt mala pro bonis,detrahebant mihi,quoniam ſequebar bonitatẽ;cur ergo cum ſemper multiplicentur inimici, non ſemper egeamus miſericordia Dei præceptoris noſtri? Ideò dicit, Domine miſericordia tua in ſæculum, ſit ſcilicet ſemper nobiſcum, & opera manuum tuarum ne deſpicias, precando non implorabimus? pro vt in d.Pſal.37. num.22. Ne derelinquas me Domine Deus, ne diſceſſeris à me; intende in adiutorium meum Domine Deus ſalutis meæ. Semper enim egemus gratia Dei, dum ſteterimus ſuper flumina Babylonis;& nunc eſt tempus acceptabile, nunc dies ſalutis, dies ſcilicet ieiunij, & pœnitentiæ, vt Dominus Deus noſter exaudiat orationes noſtras. Alias ad dictum verſiculum interprætationes per te poteris videre in Auguſtin. & alijs hìc ſcribentibus.

SO-

SOLILOQVIVM.

CONFITEOR tibi Domine, quia peccaui tibi, tempus eſt miſerendi, vt in hoc ſacro Ieiunij Quadrageſimalis tempore, in Templo ſancto tuo in conſpectu Angelorum tuorum pſallam tibi. Gratiam tuam multiplica ſuper me, vt in nomine tuo ſic per temporalia tranſeam, vt non amittam æterna. Ne deſpicias me Domine, quia opus manuum tuarum ſum ego; in medio tribulationis meæ viuifica me, quia mitis eſſe contendo, & humilis corde. Audiant Reges terræ, quòd ſalutem me fecit dextera tua, vt & ipſi audientes verba tua, conuertantur ad te. Domine miſericordia tua in æternum, opera manuum tuarum ne deſpicias. Beata Apollonia Chriſti Martyr, quæ læta, & alacri animo, ardentiori Spiritus ſancti igne intus accenſa in ignem te iecisti, & ſpiritum Creatori tuo reddidiſti, pro me interçede ad Dominum, vt eodem igne Spiritus ſancti ſuccenſus, valeam Deo meo, ſpretis omnibus, toto corde inſeruire. Et tu Beata Virgo Maria, quæ in ſexu fragili victoriam martyrij impetraſti, ignem quoque filij tui dilectiſſimi in corde meo impetra, vt ad te ſecurus, dignè valeam peruenire. Amen.

IN PSALMVM CXXXVIII.

Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.

IN finem Pſalmus Dauid. Ad noſtram doctrinam, & inſtructionem Pſalmus iſte hìc poſitus eſt.

Nàm ſuprà dicebat Propheta, quia confeſſus erat coram Domino peccata ſua; ne nos per iſtam confeſſionem ſolam extolleremur, & inanis fieret confeſſio noſtra per noſtram elationem, nunc dicit Propheta, Domine probaſti me, & cognouiſti me. Sed quomodò probauit? niſi quia humilis in tentationibus, & tribulationibus patiens fuit, & libenter pro Chriſti nomine, tentationes ſuſtinuit? ſequitur: Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Quomodò reſurrexiſſet, niſi humilis ex perſecutione remanſiſſet, Ezech. cap. 18. & 33. Iuſtus non poterit viuere in iuſtitia ſua in quacumque die peccauerit. Surgite ergo poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris, Pſalm. 126. Ante confeſſionem ſedet, qui humiliter ſe peccatorem cognoſcens, ad confitendum Domino accedit. Auguſtin. Sedet enim, inquit, homo, quando humiliat ſe in pœnitentia, ſurgit autem remiſſis peccatis, quando erigitur in ſpem vitæ æternæ.

Nolite ergo exaltari, quia confeſsi eſtis. Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquàm ſederitis, qui manducatis panem doloris, Pſalm. 126. num. 2. Quid eſt enim panem doloris manducare, niſi poſt confeſsionem de delictis præteritis pœnitentiam agere, & à futuris abſtinere? Vndè Pſalm. 2. num. 11. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta; Bonitas

enim

Digitized by Google

enim,& charitas exercitium requirunt continuum ; hinc Iſai. cap. 58. num. 9. Si abſtuleris de medio tui catenam, idèſt peccatum , & deſieris extendere digitum , & loqui quod non prodeſt ; cum effuderis eſurienti animam tuam , & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut Meridies . Auguſtin. littera C. Panem doloris pœnitentes manducant , qui cantant iuxtà Pſalm. 41. num. 4. Factæ ſunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte . Quid eſt enim ſurgite poſtquam ſediſtis? nolite exaltari , niſi prius humiliati fueritis ; multi enim volunt ſurgere antequam ſederint , volunt ſe iuſtos videri , antequam peccatores ſe eſſe confeſsi ſint . Tu cognouiſti ſeſſionem meam , & reſurrectionem meam , coram oculis tuis peccata confeſſus ſum , & tua gratia iuſtificatus ſum .

Confitetur ergo ſed pœnitens, & in Deo ſperans , die, ac nocte lacrymas effundens , & manducans panem doloris , & tunc dicere poteſt cum Pſalmiſta , Domine probaſti me , & cognouiſti me , tu cognouiſti ſeſſionem meam , & reſurrectionem meam ; & humilitatem meam , in confitendo , quia peccaui tibi ; & reſurrectionem meam , quia pœnitens perſtiti flens, & dolens, quod malum coram te feci . Et hæc eſt continuatio præcedentis , ad præſentem Pſalmum . Vt ſciat quiſque quia perſeuerantia requiritur in humilitate , & in ſpe ; niſi enim quis permanſerit in bonitate vſque ad finem , ſaluus eſſe non poterit , Vide Paul. 2. Corinth. 6. ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus,in neceſsitatibus,&c. in longanimitate , & ſcientia , &c. quæ per te videre poteris .

Titulus . Pſalmus Dauid in finem,ideſt in Chriſtum,vt aliàs fuſius diximus.

Summa . Humilitas præcedat confeſsionem , perſeuerantia ſequatur, & tuta erit reſurrectionis ſpes, ſi vſque ad finem durabit pœnitentia .

Humilis factus eſt , quando deſcendit de cælo , & homo factus eſt ; laudem Dei Patris confeſſus eſt, quia ipſe immunis erat à peccato ; Vndè dixit ; Quis ex vobis arguet me de peccato ? Ioan. 8. num. 46. perſeuerauit vſque in finem ; nàm tamquam ouis ad occiſionem ductus eſt, nec vnquam os ſuum aperuit , immo pro iniquis Patrem deprecatus eſt , dicens , Domine , ignoſce illis , non enim ſciunt quid faciunt.

Domine probaſti me. Dominum vocat Patrem, quia ipſo maior erat quatenus homine ; vt verò erat & Deus, qualis Pater , talis Filius, talis Spiritus ſanctus,Dominus Pater,Dominus Filius,Dominus Spiritus ſanctus, vndè ipſe dixit Ioan. 10. Ego , & Pater vnum ſumus; ego in Patre,& Pater in me eſt . Philippe qui videt me , & Patrem meum videt , Ioan cap. 14. Domine probaſti me .

Sed ſi vnus eſt Deus, quomodò inquit , probaſti me ? Non quia prius non nouiſſet , ſed vt alijs notum faceret ; probaſti me , nàm formam ſerui accepi, quia volui , Iſai. 53. num. 7. Domine ecce probaſti me , & cognouiſti humilitatem meam , nàm tu dixiſti , quòd ſi poſuero pro peccato animam meam, videbo ſemen longæuum , & voluntas tua in manibus meis dirigetur . Tu probaſti , tu cognouiſti , quia humilis factus , crucifixus , & mortem ſuſtinui , & reſurrexi , quia volui , Ioan. cap. 10. nu. 17. Propterea me diligit Pater , quia ego pono animam meam , vt iterum ſumam eam . Nemo tollit eam à me , ſed ego pono eam à meipſo,& poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam .

Domine probasti me, quia tu Domine tentasti me, Sapien. cap. 3. & cognouisti me. Quia iustum me inueniſti te dignum; tamquam enim aurum in fornace, dicit Propheta, probasti illos, & quasi holocausti hostiam accepisti illos. Tu cognouisti sessionem meam, quia humiles spiritu saluasti; & resurrectionem meam, quia ad te conuersus viuificasti me, vt sciam, & faciam testimonia tua, Psalm. 118. numer. 17. & 37. & hæc de membris Christi, ideſt de fidelibus, si verba Psalmi ad illos dirigere volumus, nos enim membra Christi sumus; dicit Paul. 1. Corinth. cap. 6. num. 15. & 2. Corinth. c. 6. ideò sequitur.

Intellexisti cogitationes meas de longè, semitam meam, & funiculum meum inuestigasti; Versiculus iste loquitur de membris Christi, cum verba Ilius nullo modo Christo adaptari possint, cum longè à Christo sint mala, qui totus bonus sit: loquitur is ergo de membris sui corporis, ideſt de his, qui cogitant mala in cordibus suis, vndè in Euangelio Pharisæis dicebat, Quare cogitatis mala in cordibus vestris? Dominus enim viderat cogitationes illorum, non solum ergo intelligit, sed illas videt, Matth. 9. num. 4. & c. 16. nu. 8. Marc. 2. num. 6. De longè cognoscit Dominus in omnium cordibus cogitationes bonas, & malas, & omnes vias eorum præuidit.

Exemplum dat hìc Augustin. de filio Prodigo, qui omnem substantiam suam consumpsit cum meretricibus, & de siliquis porcorum, quos custodiebat, non poterat saturari. Profectus enim erat in regionem longinquam, Luc. cap. 15. num. 13. & ibi omnia bona sua consumpserat. Vide quia etsi in regione longinqua in se reuersus cogitat, Patrem adire, & peccatum suum confiteri. Et quamuis adhùc longè esset à Patre itinerando, vidit illum Pater eius, & misericordia motus occurrens cecidit super collum eius; iàm enim contritum, & pœnitentem cognouerat illum, & postquam confessus est, quia prodigus filius peccauerat. Proferte, inquit Pater ad seruos, stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes ejus, & epulantes, & gaudentes in symphonia, & choro recepit illum, quia gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, Luc. 15. numer. 7.

Longè enim factus erat populus Gentilis à Deo, alter frater, ideſt Prophetæ, & Sancti, qui non receſſerunt ab eo, dicebant, Domine, parce huic populo Iudæorum, & ne des hæreditatem tuam alienis, vel, vt dicebat Moyses, dele me de libro tuo. Cognouit Dominus sessionem populi Gentilis in iniquitatibus positi, verbum misit in cor illius, alacriter illud suscepit, & ab iniquitatibus receſſit, Act. Apostol. cap. 13. & Isai. cap. 49. num. 6. Parum est, vt sis mihi seruus, ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas; ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, &, Dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas; Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt, &c. tu ergo cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam; nàm, ablato pariete, facta est vna Ecclesia.

Et omnes vias meas præuidisti, quia non est sermo in lingua mea. Non erat in populo Gentili sermo aliquis, quia longè erant à vero: cum tamen Dominus reprobaret cogitationes populorũ, de cælo enim respexit Dominus, &

Digitized by Google

vidit omnes filios hominum, de præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram, qui finxit ſingillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum, Pſalm.33.num.10. Cognouit ſeſſionem illius populi, in vmbra mortis ſedentis, & vidit, quia cogitationes illius vanæ erant, tametſi non erat ſermo in lingua illius: Deus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt, Pſalm.93.num.11. Tu cognouiſti ſeſſionem, & per verbum tuum ante ſæcula cognouiſti reſurrectionem.

Ecce tu Domine cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua: tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Omnia antiqua, & nouiſſima cognouiſti, quia & præterita, & futura tibi præſentia ſunt, præterita, vt miſericordia tua tempore opportuno deleres illa; ſi cum illo, qui de ſiliquis porcorum non poterat ſatiari, pœnitentes, & dolentes ad te Deum Patrem omnipotentem conuerſi, & contriti, de præteritisq. confeſſi, venerint, & flentes in pœnitentia permanſerint. Quocircà cognoui, & confiteor, quia tu me formaſti, & ſanguine tuo redemiſti, & manum tuam ſuper me poſuiſti, dans mihi intellectum, vt ſciam mandata tua, & vt me illa cuſtodiente, eſſent manus tuæ in defenſione mea. Si verò à te auerſus recederem, manus tuæ eſſent in correctione mea, in punitione mea. Nàm ſi digitus tuus tetigerit me, & deleor, quid erit ſi manus tua venerit ſuper me? Longè fac manum tuam à me, Exod.8.num.19. Dixerant malefici ad Pharaonem, Digitus Dei eſt hic, quid ergo manus tua facere poterit? Sap.11.nu.18. Quis enim delinquens, manum tuam effugere poterit? Sap.16.num.16. Humiliare anima mea illi, qui te fecit, & redemit, & tunc expecta manum eius in adiutorium, Eccleſ.c.13.num.19. In manu Dei proſperitas hominis, & ſuper faciem Scribæ imponet honorem ſuum, Eccleſ.1.num.5.

Et ideò mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam. Auguſtin. hìc, Mirificata eſt, inquit, ſcientia tua ex me: inualuit, non potero ad illam, ſubaudi, ex me; non potero ad illam ex me, cum ergo potero, non potero niſi ex te. Ecce inueniens in longinquo fugitiuum, non latere oculos eius, à quo fugit, & quò iturus eſt, cuius limen iàm eſt inueſtigatus? videte quid dicat. Quò ibo à ſpiritu tuo? ex peccato ergo meo mirabilis facta eſt ſcientia ex me. Mihi enim non facilè eſt contemplari te, quem ſuperbus reliqui, vt prius erat cum eſſem apud te quando dixi, da mihi portionem ſubſtantiæ meæ. Confortata eſt, vel inualuit adeò, quòd & ego non potero ad eam attingere ex me.

Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Quia Domine probaſti me, & probata virtus corripit inſipientes; mirabilis ſcientia tua facta eſt in me, per quam didici, quia tu es in omnibus, & vbique locorum, & ſpiritus tuus replenit Orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia ſcientiam habet vocis, Sap.1.num.7. Scientiam ſcilicet omnium ſermonum me reprehendentium, quia portionem petij à te, & diſcedens, & in partes longinquas abiens, longè etiam factus ſum à te, & cognoui, quòd à facie tua fugere non poteram, quia ſpiritus tuus erat vbique. Et dixi in me reuerſus, Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Reuertar ergo ad Patrem meum, & confeſſus delictum meum, & pœnitens conuertar ad illum, & per ſuam miſericordiam ſcio, quòd recipiet me, & viuificabit me.

Si

Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum ades. Inuenit conſilium, inquit Diuus Auguſtin. & hoc ab illo, qui eum iàm reuocare dignatur inſpiratum, dicens, Quò fugiam te iratum? Nuſquam; quia Si aſcendero in cælum me ſuperbiendo, inueniam te repreſſorem; ſi iuſtitia mea ſuperbiero; tu ibi es ad percutiendum, cuius eſt vera iuſtitia, ſi peccando venero in profundum malorum, & hoc eſt deſcendere in Infernum, vbi non datur laus Deo, & nolens confiteri dicam, quis me videt? etiam illic ades, vt vindices. Hæc conſiderans, & expaueſcens, bonum conſilium capit in ſe reuerſus, dicens.

Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Scio quid faciam. Diluculo duas pennas ſumam, charitatis nempè, diligendo Deum, & proximum, quia iàm hora eſt de ſomno ſurgere diluculo; non me tricabo, Eccleſ. cap. 51. num. 15. non confundar confiteri peccata mea, Eccleſ. cap. 4. numer. 30. & laudabo Dominum, & in miſerationibus illius gloriabor, quia magna miſericordia Domini, & propitiatio illius ſe conuertentibus ad eum; nec amplius demorabor in erroribus impiorum, ſed in partes vadam ſæculi ſancti cum viuis, & dantibus confeſſionem Deo, Eccleſ. 17. n. 25. & tunc ſi habitauero in extremis maris, in medio tribulationum non timebo mala, quoniam tu Domine mecum eris.

Etenim illùc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Ne mergar, quaſi in aëre non tangens cælum per elationem, nec terram per deſperationem. Et tenebit me, ne recidam, ſed perſeuerem, dextera tua, ideſt gratia tua. Surgam diluculo, non dormiam, nè forſitan tenebræ conculcent me, ne propter frigus ab operibus charitatis ceſſando in æſtate mendicare cogar, & non detur mihi fructus, Prouerb. 20. num. 4.

Sed nunquid dicit iſte confeſſus, forſitan tenebræ iſtæ conculcabunt me? Non equidem, quia nox mea illuminatio mea in delicijs meis erit. Quæ ſunt deliciæ tuæ? Eſſe cum Domino, ſicut deliciæ Domini, eſſe cum filijs hominum. Si ità eſt, quomodò dubitas, quòd tenebræ conculcabunt te, ſi tenebræ non poſſunt comprehendere Dominum; Lux enim in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, dicit Ioan. cap. 1. Ne verearis ergo ſequi Dominum, quia nox, in qua habitas in delicijs tuis, illuminatio erit. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt, Ioan. vt ſupra. Non ergo tenebræ conculcabunt te, quinimmo nox illuminatio tua erit, qui credens in Dominum, filius factus es, eras iàm in tenebris, quæ amplius te non comprehendunt, ideò ſequitur Pſalm.

Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius, ità & lumen eius. Non enim tenebræ tenebreſcent, nec obſcurabuntur à te, qui confeſſus, & pœnitens es ſecutus vias Domini, immo nox, in qua habitas, ideſt in mundo iſto, ſicut dies illuminabitur, quia nox iſta te illuminabit, nempè notum tibi erit, omnia terrena iſta, vanitates eſſe, & vanos illa ſequentes; & ideò ſicut tenebræ eius, nox & ibi non erunt, ità & lumen proficuum erit tibi, vt in tenebris lumen ſalutis videas.

Vel cum Diuo Auguſtino dicamus. Sicut tenebræ eius, ſic & lumen

eius, nec felicitas huius sæculi nos beatos facit, nec aduersitas miseros. Opus est iustitiam tenere, fidem diligere, sperare in Deum, diligere Deum, diligere & proximum; post istos labores habebimus indefessam lucem, habebimus diem sine Occasu. Transit quidquid est in ista nocte lucidum, & tenebrosum. Quibus addi potest illud Apocalyps. cap. 21. numer. 23. Et ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt lucrant in ea, nàm claritas Dei illuminauit eam, &c. Nonnè & hæc declarant versiculi subsequentes Prophetæ.

Quoniam, inquit, tu possedisti renes meos, suscepisti me de vtero matris meæ. Possedisti renes meos, vt tibi casto corpore seruirem, de vtero matris meæ, Ecclesiæ nempè sanctæ, vt mundo corde factus per Baptismum, tibi casto corde seruirem. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & psalmum dicam, Psalm. 56. nu. 10. Vndè Paul. ad Galat. c. 1. n. 15. Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, &c.

Augustin. hìc littera A. Ergo ille, qui Paulum segregauit ab vtero matris suæ, ipse & nos segregauit ab vtero matris nostræ, Babyloniæ scilicet illius. Fructus Synagogæ matris Pauli non erant, sed folia tantùm, nos verò ab vtero Babyloniæ suscepti spem habeamus fructus pœnitentiæ dignos facientes. Iàm non nouimus malum, nisi offendere Deum, & non perduci ad illa, quæ promisit; nec nouimus bonum, nisi promereri Deum, & perduci ad illa, quæ promittit. Quid illa bona mundi huius, & mala mundi huius? Indifferenter habeamus, quia iàm suscepti ab vtero matris nostræ, indifferenter ea habentes, dicimus, sicut tenebræ eius, sic & lumen eius.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis. Confiteor tibi, quia ad me spectat honorem confessionis, & laudis tibi tribuere, vt à te peccatorum accipiam remissionem. Tibi Domine ex corde confiteor, quia aliàs remissionem non expecto, Tu enim dixisti peccatori, Quare assumis testamentum meum per os tuum, & enarras iustitias meas? Psalm. 46. num. 19. erit enim qui te rapiat, & non erit qui eripiat. Confiteor ergo tibi, quia terribiliter magnificatus es; tu enim terribilis es, & quis resistet tibi? de cælo auditum fecisti iudicium, terra tremuit, & quieuit, Psalm. 75. numer. 8. cum exurgeret in iudicium Deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, cum in iudicio exurrexeris, vt mansuetos saluos faceres; terribilis in iudicando peccatores impœnitentes, magnificus in saluando confitentes.

Terribilis, qui aufert spiritum Principum, terribilis apud Reges terræ. Magnificus in pauperes spiritu, & humiles corde, qui facis, vt solium gloriæ teneant, Psalm. 75. nu. 13. Augustin. verò hìc, Eo ipso, quòd te miramur, terribilis es: cum timore gaudemus, timemus enim ne de donis tuis nos extollentes per superbiam mereamur amittere, quod humilitate percepimus. Confiteor, quia mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet valde, ideò scrutata est ea anima mea, Psalm. 118. numer. 129. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectũ dat paruulis: iàm cognoscit anima mea valdè, quoniam ex vtero matris meæ suscepisti me, cum antea mirificata esset scientia

tua

tua ex me: inualuerat, nec poteram ad illam. Vndè modò aperui os meum, & attraxi ſpiritum? Quia nox illuminatio mea in delicijs meis eſt, quia venit gratia tua, & illuminauit tenebras meas, quia tu poſſediſti renes meos, & de vtero matris meæ ſuſcepiſti me.

Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ. Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? an nuditas? an gladius? an anguſtiæ? &c. ad Roman.cap.8.num.35. Non eſt occultatum os meum à te, quia tu fortitudo mea, Pſalm.30.numer.4. quamuis ſubſtantia mea in inferioribus terræ. Quomodò abſconditum, ſi tu feciſti illud? abſconditum ab hominibus, ſed non à te; Quid ſit abſconditum declarat Dominus, Matth.cap.10.num.19. Cum autem tradent vos in concilijs, nolite cogitare, quomodò, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim eſtis vos, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Os ergo à fortitudine dicitur, quam Dominus dat timentibus eum, & nemo cognoſcit illam. Vndè Sapien. cap.5. Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Non eſt occultatum os meum à te, ſed hominibus iuſtos perſequentibus; vndè Matth.cap.11.num.25. Confiteor tibi Domine Pater cæli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis: Et in alio loco dicitur, Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & ecce quomodò computati ſunt inter filios Dei, d.cap.5.num.4.

Auguſtin. hìc littera B. Oſſium firmitas quædam eſt interior, quia in oſſibus firmitas, & fortitudo intelligitur, eſt ergo quædam animæ interior vis, vbi firmitas non frangitur; quod enim Deus in abſcondito fecit firmum, in nobis frangi non poteſt, Pſalm.61. in princ. & numer.6. Veruntamen Deo ſubiecta eſto anima mea, quoniam ab ipſo patientia mea, vndè, Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni facti ſunt pro nomine Ieſu contumelias pati, & 2.Corinth.cap.6.nu.10. quaſi triſtes ex contumelijs, opprobrijs, & perſecutionibus, &c. ſemper autem gaudentes, habebant enim oſſum interius abſconditum, ideò foris triſtes videbantur, intus autem gaudebant Deo, & gloriabantur in tribulationibus, ad Roman.5.num.3. Non eſt abſconditum os meum à te, quod feciſti in abſcondito, & ſi ſubſtantia mea in inferioribus terræ ſit.

Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto. Supra dixit, Probaſti me, & cognouiſti me Domine, cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam; Nunc verò quomodò hæc ſibi euenerint, declarat, dicens, Quia os meum quod feciſti tu Domine in abſcondito, non eſt occultatum à te. Pro quo non vt Petrus, qui negauit, quia nondum os occultum habuerat, niſi poſtquam tu illum te negantem reſpexiſti, ſed ego pro te mori paratus ſum, quia fortitudinem tuam in ſpiritu meo, in corde meo, ità firmiter firmaſti, vt mundi tormenta non timeam. Et ſi ſubſtantia mea in inferioribus terræ poſita ſit, ideſt circumdatus ſim carne fragili, tamen ſubſiſtam, quia fortitudinem meam in corde meo tu poſuiſti, & ità ſanctus iſte quaſi maior Angelo videtur, nunquid mirum ſi Angelus fortis ſit, cum carne hac corruptibili non ſit circumdatus? Meritò autem iſte ſanctus quaſi ſe iactat, cum ipſum Dominus vallauerit, & fortitudine ſua circumdederit? nõ ergo ex ſe,

ſed ex Deo fortitudo ſua, cui propterea gratias agit. Alioquin dicebat Satan Iob cap.2.num.5. Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, &c. nec peccauit labijs ſuis, quamuis plagis affectus, & vlceribus plenus. Ità etiam in Petro, & cæteris Apoſtolis, & alijs innumerabilibus Martyribus, qui in patientia tormenta tolerantes viceruntregna, operati ſunt iuſtitiam, & filij Dei vocati ſunt. Sine carnis fragilitate cecidit primò è cælis Angelus, & cum fragilitate item carnis multò Angelis fortior apparuit homo.

Iuſtus quoque noſter Chriſtus de ſe proferre hæc potuit cum fortis fuerit, & ſubſtantia eius in inferioribus terræ, quia noſtram carnem fragilem aſſumpſit, nec tamen inuentus eſt dolus in ore ipſius; Et propterea ſicut Luciſer Angelus auctor mortis, ità fortis iſte noſter auctor vitæ, ſi ille de cælis cecidit in terram, & in inferiores partes illius; noſter iuſtus de terra eleuatus eſt in cælum, & ſedet ad dexteram Patris, vt ſeruos fortes, & fideles ipſius de terris perduceret in cælum; quocircà ſequitur Pſalmus in perſona capitis loquēs.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur, dies formabuntur, & nemo in eis. Imperfectum meum, ideſt antequam membra mea in vtero conciperentur, viderunt oculi tui, & in libro tuo ſcriptæ reperiuntur illorum infirmitates, & peccata; Vndè Iacob dilexiſti antequam naſceretur, & Eſau odio habuiſti, Geneſ.c.25.num.23. & Rebeccæ dictum eſt per Angelum, (lamentabatur enim, quia concepiſſet,) Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusq. populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori, &c. In libro tuo ſcribentur, nàm Eſau prius naſcitur, & Iacob plantam eius tenebat; vnus gnarus, alter ſimplex. Imperfectum meum viderunt oculi tui, quia nemo ſine peccato naſcitur, nec infans vnius diei. Benè autem ſubijcitur, Dies formabuntur, & nemo in eis, Quando Dominus venit, & redemit nos, nemo in eis, qui in peccatis inuolutus erat, cognouit lucem, Patrem ſcilicet, & filij eius diuinitatem, niſi cui voluerit Pater reuelare, nemo enim cognouit Patrem niſi filius, inquit Dominus, & cui voluerit filius reuelare, Matth.11.num.27.

Dies ergo formabuntur in terris, vt per aduentum Domini cognoſcant electi Patrem per filium, & filium per Patrem, vndè dictum eſt in Transfiguratione Domini per Patrem ad Diſcipulos, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, Matth.17.num.5. & in alio loco Ioan.14.num.9. Philippo interroganti, Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis, reſpondit Dominus, Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum, quia ego in Patre, & Pater in me eſt, venit enim hora, cum non in prouerbijs loquar vobis, ſed palam de Patre meo annunciabo vobis, Ioan.16.num.26. Dies formabuntur, vt per totum mundum Euangelium Chriſti prædicetur, vt credentes ſalui fiant. Et nemo in eis. Nàm quando veniet filius hominis putas ne inueniet fidem in mundo? Luc.18.num.8. nemo enim bonus, niſi ſolus Deus, idem. Luc.d.cap.18.num.19.

Hieronym. hìc. Tu omnes in die formas, tu cunctos vis effici filios Dei, ſed nullus eſt in hominibus, qui non peccato obnoxius ſiat, & per hoc noctis filius eſſe incipiat; nec quiſquam iplorum luce ipſius Dei toto vitæ ſuæ tempore digna perficiat. Vndè & Apoſtolus ad eos, qui filij noctis eſſe ceſſauerunt, 1.Theſſalon. cap.4.num.8. Nos autem fratres non ſumus filij noctis, ſed

filij

filij Dei. Imperfectum meum viderunt oculi tui, Petrus negauit, cæteri Discipuli fugam arripuerunt, & quid amplius? Postquam dixerunt Domino, Nunc palam nobis loqueris, nunc scimus quoniam filius Dei es, Ioan. cap. 16. num. 29. capto nihilominus Domino, fugam arripuerunt, pro vt prædixerat illis Dominus, Ioan. d. cap. 16. num. 32. Et quid amplius? ecce nunc tertia dies est, dicebant, & sperabamus. O stulti, & tardi corde ad credendum, Luc. cap. 24. num. 25.

Aliter imperfectum meum viderunt oculi tui, dies formabuntur, & nemo in eis defecit. Nàm lux mundi facti sunt: vos enim lux mundi estis; eratis enim aliquandò tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate, ad Ephes. cap. 5. num. 8. Quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis, Dies formati sunt, quia lux Domini in eis posita est, ego enim vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, Matth. cap. 28. num. 20. Et nemo in eis defecit, Ioan. cap. 17. nu. 6. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, sermonem tuum seruauerunt, nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt, & clarificatus sum in eis, & nemo in eis defecit. Quos dedisti mihi, custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis, &c. ideò sequitur.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum; Nàm dies formati, & in libro vitæ scripti, quando Spiritus sanctus descendit in illos, nimis, ideſt valdè confortatus est principatus eorum, nàm facti sunt Apostoli Duces Gregis, & Pastores Ecclesiæ, & ipsis claues Regni cælorum traditæ sunt. Nemo sanè in eis fuit, qui non errauerit per diem, cum in hoc mundo essem, me derelinquentibus vniuersis; sed non perierunt, quia imperfectum meum viderunt oculi tui. Timor enim Petri erat, dicit Augustin. quando dixit Domino, nequaquam Domine hoc fiat, vt moriaris, Matth. cap. 16. nu. 23. timor, inquit, erat, ne in forma serui periret forma Dei, cur non potius præsumpsit, quòd ex forma Dei, reuiuisceret forma serui?

Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur, exurrexi, & adhùc sum tecum. Suprà dixerat, Nimis confortatus est principatus eorum, constituit enim eos principes super omnem terram, vt memores sint nominis eius in omni progenie, & generatione. Dinumerabo, inquit nunc Dominus, eos, quia nomina eorum scripta sunt in libro vitæ. Et super arenam multiplicabuntur, Genes. cap. 22. num. 17. Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris.

Et Iob cap. 25. num. 3. Nunquid est numerus militum eius? quod exponens Greg. lib. 27. Moral. cap. 7. In cognitione, ait, humanæ rationis numerus non est spirituum supernorum, quia quanta sit illa frequentia inuisibilis exercitus, de quo per Daniel. cap. 7. num. 10. dicitur, Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei, supernorum enim Angelorum, & spirituum numerus infinitus est. Hinc Ioan. Apocal. cap. 7. num. 9. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum in conspectu Agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, &c. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Sed quis loquitur, & quem alloquitur? Iesus Christus nempè Deus ad Ecclesiam suam loquitur, Isai. cap. 54. numer. 2. Dilata

locum tentorij tui,& pelles tabernaculorum tuorum extende, longos fac funiculos tuos, &c. Ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & num. 15. Ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi.

Tacitæ ergo respondet petitioni Ecclesiæ rogantis, & dicentis, exurge Domine adiuua Ecclesiam tuam, vt numerus credentium augeatur. Nec mirum, nàm suprà dixit, os meum non est occultatum à te, Deus enim scrutator cordium. Exurrexi, respondit Dominus, & adhùc sum tecum vsque ad consummationem sæculi, Matth. cap. 28. numer. 20. Nonnè me vidit Stephanus stantem à dextris virtutis Dei? Act. cap. 7. num. 56. Exurrexi, & adhùc sum tecum, Dicat Saulus, nunc Paulus, cui dictum est cur me persequeris? Act. cap. 9. num. 4. Et adhùc sum tecum, ideò sequitur.

Si occideris Deus peccatores, viri sanguinum declinate à me. Quia semen illorum ab initio erat maledictum, nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum, quis enim dicet tibi, Quid fecisti? Aut quis stabit contrà judicium tuum, Sap. cap. 12, nu. 11. viri sanguinum declinate à me; in Ecclesia enim sunt iusti, & peccatores, iusti confortantur à Deo, peccatores verò puniuntur morte Gehennæ, quibus dictum est per Dominum, Matth. c. 23. numer. 13. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, hypocritæ, quia clauditis Regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare, Luc. cap. 10. num. 52. Væ vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant prohibuistis; væ vobis hæreticis, qui falsas doctrinas feminatis, quia Deus vos condemnabit in Gehennam, viri sanguinum, viri homicidæ declinate à me.

Quia dicitis in cogitatione, quòd iusti Deum sequentes accipient in vanitate ciuitates suas. Audite, quid ex vobis dicant in inferno positi, Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore, Sap. 5. Ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est, dicunt hæretici. Discedite ab Ecclesia viri sanguinum, quia dicitis in cogitatione, accipient in vanitate ciuitates suas. Nàm si cogitationes nostras malas punit Deus, cum ipsi non sint abscondita hominum corda, quid faciet de vobis, qui super tecta mala prædicatis? Sed hæc verba, dicit Augustin. hæreticorum sunt, qui iustos vocant viros sanguinum, vt declinent ab illis, ne & ipsi occidantur. O malignantes hæretici, inter vos stant iusti, vt per iustos vos iniqui iusti efficiamini.

Si occideris Deus peccatores. Forsitan dubitatis Dauidem impedire, quia bono exemplo nostro prohibeamus ingressum vestrum in Regnum cælorum à quo excluſi estis; An tu Domine, inquit, nescis, quod qui oderunt te, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Hæretici enim (inquit Augustin.) accusant bonorum communionem in malis, quasi sint illi iusti; cur exigunt à me messis ante tempus separationem corporalem, vt ante tempus ventilationis perdam sustinentiam tolerandi paleam? viri sanguinum, vos hæretici, declinate à me, quos odio perfecto odiui, & zelo domus tuæ Domine super tuos inimicos tabescebam. Quia legem tuam præteribant, ideò perfecto odio oderam illos, non personas, sed peccata illorum, non naturam, sed iniquitates illorum, Augustin. Vt nec propter homines vitia diligerem, nec propter

vitia

vitia homines oderim? quomodò commixtione malorum conteminor? ſicut calumniantur mihi inimici tui, qui & inimici mei facti ſunt.

Ad principium ergo Dauid reuertitur, Tu Domine dicens, probaſti me, & cognouiſti me, iterum dico, Proba me Deus, & ſcito cor meum, & cognoſce ſemitas meas. Nunc de peccatoribus Chriſtianis in communione cum fidelibus in Eccleſia exiſtentibus; prius enim locutus eſt de hæreticis, qui diuiſionem quærebant à iuſtis, dicentes, diſcedite à nobis viri ſanguinum, tales enim nos vocant, quia pœnitentes, & dolentes affligimus corpora noſtra, pro vt credo, vel quia voluntariè pro Chriſti nomine tormentis impiorum ſubijcimur. Dicit ergo, Proba me Deus, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas. In alio loco, Probaſti cor meum Domine, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, &c. Pſalm. 16. num. 3. Et vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna, Vt vnus tecum factus, perfruar & ego gaudijs ſempiternis. Deduc me in Chriſto, qui eſt via, & vita æterna, Ioan. cap. 14. num. 6. Faciem tuam illumina ſuper me, vt non diſcedam à via tua in hac nocte tenebroſa. Et ſi via iniquitatis eſt in me, deduc me in via æterna, per miſericordiam tuam. Erue me à circumdantibus me, Pſalm. 31. num. 7. & quia inpeteraui inter inimicos meos, ne diſcedam à te.

SOLILOQVIVM.

PROBASTI me Domine, qui ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam cognouiſti, ſemitas tuas doce me, quia mandatis tuis credidi. Tu ſuper me manum tuam poſuiſti, vt deducat me. A viro iniquo, & à periculis inferni ne caderem, brachium tuum me teneat. Lux tua lucear in me, vt nox tenebrarum iſtarum fiat mihi, ſicut dies illuminata à te, vt me tenebræ non comprehendant. Mirabilis eſt ſcientia tua ex me; tu enim ex vtero matris meæ cognouiſti me, mirabilior eſt miſericordia tua, quia perditum ſanguine tuo pretioſo redemiſti me. Vre Domine renes meos, & cor meum, vt in ſemitis tuis incedentem, deducas me ad te: Vide humilitatem meam, & laborem meum, vt dimittas omnia peccata mea. Salue glorioſa Virgo Maria, & pro me filium tuum Ieſum Chriſtum exora, vt eius lux in tenebris meis luceat, & nox iſta ſicut dies illuminetur, ſicq. longè fiant à me omnia peccata, vt dignus, tua interceſſione, efficiar promiſſionibus Chriſti, Amen.

IN PSALMVM CXXXIX

Eripe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.

TITVLVS, In finem Pſalmus Dauid. Vt perfecta ſit laudatio dictum eſt ab exiſtente in corpore Chriſti, in Eccleſia Dei, In finem, ideſt in Chriſtum Pſalmus Dauid, in ſpiritu, non ſecundum hominem, non ſecundum carnem Dauid, ſed ſecundum eum, qui ex ſemine Dauid factus eſt homo Chriſtus. Cum ergo audis Pſalmum dicere, In finem, cordà conuertantur ad Chriſtum, Finis enim legis Chriſtus eſt ad iuſtitiam omni credenti, ad Roman. cap. 10.

Nàm, vt dicit Auguſtin. & ipſum Dauid non intelligo, niſi ipſum, qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem; interim propter genus congruit nomen, genus carnale à Dauid, genus ſpirituale ſupra Dauid.

Continuatur ad præcedentem Pſalmus iſte, quia cum in illo actum eſſet de plurimis, & pereximijs gratijs præſtitis à Deo iuſtis, conſequenter in hoc id pertractatum, quod ab eodem Deo iuſtis ipſis contingere videtur mali, cum tamen illud ipſum ſit bonum illis, quod nimirum inter improbos ſint, & conuerſentur in Eccleſia.

Summa hæc eſt, Oratio Eccleſiæ, ac iuſtorum, vt in mutua conuerſatione peccatores conuertantur ad Dominum, & iuſti conſeruentur ad bonum.

Incipit ergo Pſalmus, Eripe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me. Quis eſt iſte homo malus, niſi ille, qui eſt auctor peccati Diabolus, qui per inuidiam introduxit mortem in mundum? Sap. cap. 2. in fine. Eripe me ab homine illo malo, & inimico, qui ſeminauit zizania in campo, vbi ſeminatum erat bonum triticum, Matth. cap. 13. num. 28. Eripe me, quia vſque ad meſſem durant zizania: exime me, ne cum illis comburar in igne.

Eripe me, vt ereptus à malo illo, & à quolibet pariter viro iniquo liberatus, atque in te confirmatus, confitens tibi cum iuſtis tuis, habitare valeam in tabernaculo tuo.

Nota, quia inſtat iuſtus noſter ab homine malo eripi, à viro verò iniquo, inquit, libera me, quid eſt hoc? Niſi quia eripi à manibus diaboli ſpectat potiſſimum ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, prius enim inimici Dei, & ſerui diaboli eramus, ad Coloſſ. cap. 1. num. 20. Nouit ipſe Dominus, quod emerit, quia nouit quanti emerit, & quantum dederit, ſe enim totum obtulit in cruce ſacrificium, Iſai. c. 53. quia voluit. Tenebantur namque homines captiui ſub diabolo, & dæmonibus ſeruiebant, ſed per ipſum redempti ſunt à captiuitate. Etenim homines vendere ſe potuerunt, ſed redimere ſe non potuerunt, venit Redemptor, & dedit pretium, fudit ſanguinem ſuum, emit Orbem terrarum, ſanguis Chriſti pretium eſt, hæc Auguſtin. in Pſalm. 95. littera C.

Per virum iniquum intelliges hominem quemq; trahentem ad malum, immo & ſeipſum, quatenus à ſuis concupiſcentijs ad malum itidem allicitur, vt is ſit ſenſus, quo aliàs dictum eſt: Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo, liberans me ab homine iniquo; quia, Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Clamat contrà ſeipſum Dauid in Pſalm. 3. Pœnitentialium, aliàs 37. nu. 3. Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum, & rationem reddens, quoniam lumbi mei, inquit, impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea: afflictus ſum à gemitu cordis mei, quia putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ.

Vndè Iacob. in ſua Epiſtola Canonica cap. 1. numer. 14. Quilibet tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Deindè concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem, hinc Auguſtin. 1. Confeſſ. 15. Quid miſerius miſero non miſeranti ſeipſum? & cum alieni comedunt robur tuum, ipſe neſcis; Cani effunduntur

in

in te, & ipſe ignoras. Has infirmitates, & peccata, quæ ex membrorum illuſionibus proueniunt deplorans Ieremias in cap. 15. num. 18. Quare, inquit, factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis, renuit curari? facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium, Delectare videntur illuſiones, & tentationes concupiſcentiæ, fit in illis habitus delectabilis; at in ſe reuerſus miſer homo periculum mortis inuenit, & animæ ſuæ perditionem. Plaga fit deſperabilis, quia illám curare renuit, de die in diem tranſgrediens in illis, quia quaſi mendaciũ aquarum infidelium, facta eſt illi homini peccatori in immunditijs ſuis delectatio. Pedem fixit, arena conſenſit, aqua turbida creſcit, & figentem pedem in arenam totum hominem ſurripit, ſubmergit, & ſuffocat illum. Hæc eſt enim aquarum deceptio, aqua parum in arena appareat, figit inſcius pedem in arena, non ſe ſubmergendum credit, conſentiensq. tentationibs fit habitus ex conſuetudine peccandi. Cæterum ſecundum Auguſt. hìc, vir iniquus eſt qui nocet, & omnis malus nocet, vel ſibi, vel alij, quamuis alteri aliquando nocere non videatur, quia vel ebrius ſit, vel luxurioſus, qui ſolum ſibi nocere videtur, alteri tamen etiam nocet ſaltem exemplo, quia tecum viuit, & ad id, quod agit te inuitat; ex voluptate ergo, & quibus alijs nocere non videbatur procedit, quo te pungit, quia rapiet alijs, poſtquàm totum ſuum luxuriosè conſumpſerit. Exemplum dat Auguſtin. de ſpinis, quæ ſunt lenes in radice quod tamen pungunt, inde procedit ex radice leni, vndè non punget ſpina, ſi radix incendatur, hinc ſequitur Pſalmus.

Qui cogitauerunt iniquitates in corde, tota die conſtituebant prælia. Ideſt eripe me à ſupradictis malis hominibus, qui non ſolum perſequuntur lacerantes, & proximum occidentes, ſed etiam mala cogitantes in cordibus ſuis, & tota die cõſtituunt prælia. Ab alienis iſtis eripe me Domine, & ab occultis meis munda me; Magiſter bone dicebant, vt deciperent in ſermone, Matth. c. 22. num. 13. Licet ne cenſum dare Cæſari nec ne? cognita autem malitia, reſpondit. Quid me tentatis hypocritæ? tota die conſtituebant prælia. Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit, ſi hunc dimittimus, venient Romani, & tollent locum noſtrum, Ioan. cap. 11. num. 48. & Concilium fecerunt, vt Ieſum dolo tenerent, & occiderent, Matth. cap. 26. numer. 4. Marc. cap. 14. in princ.

Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis, venenum aſpidum ſub labijs eorum. Serpentes genimina viperarum; Matth. cap. 23. nu. 33. quomodo fugieris à iudicio Gehennæ? Matth. cap. 2. num. 7. & Luc. cap. 3. num. 7. & in Prouerb. 25. numer. 16. Iaculum, & gladius, & lingua acuta homo, qui loquitur contrà proximum ſuum mendacium, & falſum teſtimonium. Hieron. Venenum aſpidum ſub labijs eorum, quoniam videntur amicitiæ verba habere, ſed plena ſunt veneno mortifero, de hæreticis loquitur Pſalmus, & de infidelibus Iudæis, Pſalm. 56. num. 5. Filij hominum dentes eorum arma, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.

Cuſtodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me. Hæc etiam Apoſtolus prætuidens, quia in Eccleſia Dei futuri erant hæretici, Act. cap. 20. numer. 29. ait, Scio enim quòd poſt diſceſſionem meam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant Diſcipulos poſt ſe. Vbi Lyran. ſcio quòd

falſi

gitized by Google

falsi Apostoli ad decipiendum vos, & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, idest hæretici corrumpentes articulos fidei.

Qui verò sint isti lupi rapaces, declarat Dominus in Euangelio Matth. cap. 7. & cap. 23. per totum, & præcipuè numer. 33. & clariùs D. Bernard. in Serm. ad Pastores, littera C. fol. 1760. vbi quærit, qui sint isti lupi, & dicit. Tyranni, & Raptores sæculi, qui propria tentati concupiscentia, vel ingenita compulsi maleuolentia incendunt Ecclesias, vastant ouilia Christi, spoliant pupillos, & viduas, proscriptionem inducunt pauperibus; Deum blasphemant in suis operibus, &c. deindè sequitur post multa. Fures sunt hæretici, & latrones, qui veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, vt dicit Dominus per Matth. d. cap. 7. num. 15. Fures latenter nocendo, mala cogitantes in cordibus suis, latrones apertè sæuiendo, tota die constituentes prælia. Custodi me Domine de manu peccatoris, & ab iniquorum, & hæreticorum confusione: libera Ecclesiam tuam ab ijs, qui gloriantur in malitia, & potentes sunt in iniquitate, tota die iniustitias cogitantes lingua sua, sicut nouacula acuta facientes dolum, destruas illos Domine, & euellas de terra viuentium, Psalm. 51. per totum.

Custodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me. Quid est, Custodi me de manu peccatoris? Quis est peccator, nisi diabolus, vt dixi suprà, qui nullam habet potestatem, nisi quam tu Domine illi dederis, nisi quam tu permisseris illi; eum relaxas, vt per illum melior efficiatur iustus, in tentationibus se exercendo, vel vt qui malus est, bonus efficiatur.

Custodi me Domine de manu peccatoris. Tu Domine dixisti, quia nemo rapit de manu tua oues, quæ tibi à Patre datæ sunt, Ioan. cap. 10. num. 28. adeòq. Iob cap. 2. num. 3. Vndè venis Satan? dixisti, Circuiui, ait ille, terram, & perambulaui eam. Tu verò ad illum, Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhùc retinens innocentiam? tu autem commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra. Pellem pro pelle, respondit Satan, alioquin mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, &c. Vide, quia nullam habet Satan potestatem, nisi quam illi permittit Deus. Ecce inquit Deus ad illum, in manu tua est; veruntamen animam illius serua. Non enim abstulit à se Dominus potestatem, quandocunque illi dederit limitatam. Serua, inquit, animam eius, Hinc S. Greg. lib. 3. Moral. in d. cap. 2. Iob. cap. 3. Ecce iterum permissionem vulneris comitatur custodia protectionis, & electum suum diuina dispensatio custodiendo deserit, deferendo custodit; alia illius prodit, alia protegit. Si enim totum Iob defereret in manu tanti aduersarij; homo quid esset? In ipsa ergo iustitia permissionis, permiscetur quædam libra pietatis, quatenus in vno, eodemq. certamine, & seruus humilis ex oppressione proficiat, & hostis superbus ex permissione succumbat. Manui itaq. aduersarij sanctus vir traditur, sed tamen in intimis adiutorij sui manu retinetur.

Ideò dicit, custodi me de manu inimici, vt nemo me rapiat de manu tua Domine; veruntamen animam illius serua, ne irrumpere animam meam audeat, sicut ergo Dominus inducere nos in tentationem dicitur, si nos ab aduersario induci patiatur, ità aduersarius seruare animam dicitur, cum hanc tentando

supe-

superare prohibetur, custodi ergo me Domine de manu inimici, quia tuum est velle, tua est potentia.

Et ab hominibus iniquis eripe me. Idest à ministris eiusdem, seù membris suis; qui enim faciunt opera diaboli, ministri sunt diaboli, Ioan. cap. 8. numer. 44. nec longè sunt ab homine iusto, qui quærunt animam eius perdere. Audi Dominum Matth. c. 15. nu. 11. quæ sint coinquinantia hominem. Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem; de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, &c. idcircò ab hominibus iniquis eripe me, vt prius cor mundum crees in me, & spiritum rectum innoues in visceribus meis, vt & hæc ab hominibus iniquis audiendo, non confundar, sed procul sit cor meum ab illorum immunditia, & iniquitate.

Qui cogitauerunt supplantare gressus meos; absconderunt superbi laqueum mihi; Dicentes, & non rectè cogitantes; Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominum, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis, &c. Venite ergo fruamur bonis, & non prætereat nos flos temporis; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, Sapien. cap. 2. Nescierunt sacramenta tua Domine, superbi iniquè agebant vsquequaque.

Libera me Domine, vt non declinem à lege tua, & ne permittas retrahi, & ab illis supplantari, vt non relinquam mandata tua; hi enim iniqui homines, nec ingrediuntur Regnum tuum, nec alios ingredi permittunt, solatium est enim miseris socios habere pœnarum. Superbi sunt, & inuidi, propterea filij diaboli, ideoquè & funes extenderunt in laqueum, iuxtà iter scandalum posuerunt mihi, peccata sua anteponentes, & iustum tuum tentantes, vt simul cum ipsis in foueam cadat; Vndè Augustin. hìc, Quare inuides iusto, ò homo iniuste? quia vis videri iustus? citò fac quod melius est, & facilius eris. Et post pauca. Si inuides iusto, res in voluntate est: esto, quod doles, esse alterum; non enim empturus es, quod tu non es, & alius est, gratis constat, citò constat, pax hominibus in terra bonæ voluntatis. Illi autem superbi absconderunt muscipulam, quæsierunt supplantare gressus meos rectos, & restes extenderunt in muscipulas pedibus meis, quas restes Isai. c. 5. num. 18. funiculos vocat, dicens, Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Quis verò sit funiculus, vel restis, dicit Augustin. hoc declarare Ioan. cap. 2. num. 15. quando Dominus flagellum de resticulis fecit, vndè expulit eos de Templo, qui ibi malè versabantur, & significauit nobis, quomodò intelligamus restes, quia criminibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur; omnis enim peccator perseuerans in peccatis suis, addit peccata peccatis, & cum deberet accusatione peccati sui corrigi, defensione duplicat, quod confessione posset auferri, & plerumquè aliis peccatis vult munitus esse: sequitur igitur.

Dixi Domino, Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis meæ. Deus est illorum venter, qui parauerunt laqueum pedibus meis; eorumdem est superbia, quia alios secum trahere volunt in superbiam, in diaboli filiationem, vt simul trahant & iustos in gehennam. Non enim diabolus est Dominus, sed vilis creatura, qui per passionem Domini foràs iectus, in iustos

quidquam non habet, Ioan. cap. 14. numer. 32. immo debilis hostis, qui non vincit nisi volentem.

Te verò Dominum Iesum Christum Deum de Deo, Creatorem, & Redemptorem meum ex corde confiteor, quia solus tu Deus meus es cum Patre, & Spiritu sancto, exaudi vocem deprecationis meæ, quæ ex corde procedit contrà istos in charitate bellantem, vt spretis illorum illecebris, & incantationibus, iustè viuendo, & in iustitia perseuerando vsque in finem, gratiam, & gloriam tuam assequi valeam. Exaudi Domine deprecationem meam, intende voci orationis meæ, cum deprecor; à timore inimici eripe animam meam; quia tu solus Dominus, tu solus Altissimus Iesu Christe in gloria Patris residens.

Domine, Domine virtus salutis meæ obumbrasti super caput meum in die belli. Domine Deus Creator, Domine Deus, & homo, Redemptor meus, virtus salutis meæ, quia in ditione tua cuncta sunt posita: qui virtutem, & fortitudinem dedisti mihi, vt me nemo de manu tua possit eripere. Ideò in die belli obumbrasti super caput meum, vt spretis terrenis, solum te Deum, & Dominum meum respicerem, præcinxisti me virtute tua ad bellum, vt supplantares insurgentes in me subtus me, Psalm. 18. num. 19.

Non tradas me Domine à desiderio meo peccatori. Quia te solum Deum, & Redemptorem meum quæro, Psalm. 18. num. 37. dilata gressus meos subtus me, & non infirmabuntur vestigia mea; persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant; Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos. Ideò tormenta diaboli non timeo.

Augustin. hìc. Ecce quo mihi valeat vmbraculum tuum, vt æstum non patiar à meipso, & quid mihi peccator ille faceret quantumlibet sæuiret? Illud ora quantũ potes, vt à desiderio tuo non tradat Deus peccatori. Tu enim desiderio tuo facis locum diabolo. Ecce enim diabolus proposuit lucrum, & inuitauit ad fraudem; lucrum enim habere non potes, nisi fraudem feceris. Sed lucrum esca est, fraus laqueus. Sic attendas escam, vt videas & laqueum, quia lucrum non potes adipisci, nisi fraudem feceris: fraudem autem si feceris capieris. Non ideò dico capieris, quia inuenieris. Aliquando enim non inuenieris, sed ab hominibus, à Deo autem capieris, & traheris, & occideris. Omnis enim, qui talia facit, perimit seipsum. Ibi ergo est esca, ibi est & laqueus. Fræna desiderium, & non cades in laqueum. Si autem vicerit te desiderium escæ, mittit tibi collum in laqueum, & capiet te auceps animarum. Ne tradas me à desiderio meo peccatori, inde obũbratur in die belli. Desideriũ enim æstus facit: vmbraculũ autem Domini temperat desiderium, vt possimus refrænare quo capiebamur, & non ità æstuemus, vt ad laqueum perducamur.

Tu Domine obumbrasti caput meum in die belli, caput verò iniquorum, & circuitus eorum, superbia circumeuntes, & quærentes quem deuorent. circuit totam terram diabolus, & labor illius, & sequentium eum operiet eos, qui à falsa sua assertione superantur. Nouit enim Dominus pios de tentatione eripere: iniustos verò cruciandos reseruare in die iudicij, 2. Petr. cap. 2. num. 9. Et tamquam irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias, &c.

Cadent

Cadent ſuper eos carbones, in ignem deijcies eos. Auguſtin. Cadent ſuper eos carbones ignis in terra, & deijcies eos, ideſt in hac vita, antequam veniat ignis æternus.

Cadent ſuper eos carbones, nàm qui tentantur, vel tentationibus conſentiunt, ſtatim vt carbones denigrantur, quia amiſſo Dei timore, deturpantur in ignominiarum, & delictorum ſpurtitijs, & ſicut carbones fiunt ſine luce, proſpicientes in tenebris. Et quid illis accidit? niſi quòd Dominus relinquit eos in deſiderium cordis eorum, & carbones luxuriæ accenduntur in illis, ità vt in miſerijs non ſubſiſtentes huius ſæculi, tradantur in ignem perpetuum, vt ſemper morientes, nunquam moriantur, in perpetuo igne remanentes, ſine pœnitentiæ fructu pœnitentes, quia poſt mortem non eſt pœnitentia.

Caput circuitus eorum, cum enim firmitatem aliquam non habeant, neque caput conſtans, quia de ſuperbia cadunt in reliqua vitia, quæ ſunt filiæ ſuperbiæ, vtpote in luxuriam, auaritiam, & cætera, quæ ſequuntur ex ſuperbia, ad quæ, vt audientes cum illis deſcendant, trahere conantur doloſis verbis. Labor labiorum ipſorum operiet eos, quia ſuper eos carbones cadent, & igniti igne infernali comburentur in æternum, & ſine fine cremabuntur. Laborem labiorum vocat, quia & in vitijs eſt labor, iuxtà illud Matth. c. 2, numer. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, requies enim in virtute; confuſio in libidine; ſeruitus in cupiditate; libertas in charitate; vitia ergo tollas, vt pereant in te libidinis actus. Hoc fit clamando ad Deum, quando tentaris ab illis, caſtigando corpus tuum, & ſi peccaueris, pœnitentiam de peccatis tuis agendo, lacrymis illa irrigare conando, & auxilium à Domino deuotè petendo, vt dimittat peccata tua. Cæterum laborem fuge, qui fit ex peccato, quia hic labor ducit te in peccatorum confuſionem, & poſt hoc in ignem æternum. Quatenus ergo carbones, ideſt tentationes ſuper te cadant, in ignem deijcies eos; & in miſerijs non ſubſiſtent; Igne enim amoris Dei accendantur carbones tui, Pſalm. 65. numer. 12. Tranſiuimus per ignem, & aquam, & induxiſti nos in refrigerium, & non erunt amplius carbones, ſed ignis amoris Dei viuificabit te, & vitia, & tentationes extinguentur, Pſal. 17. numer. 7. In tribulatione inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui, Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo, & nu. 30. Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum.

Carbones ergo alij ad pœnam, alij verò dicit Auguſtin. ad ſalutem, vndè Pſalm. 110. Quid detur tibi, aut quid adijcietur tibi ad linguam doloſam? Sagittæ, inquit, potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs, ideſt verba Dei cor transfigentia, & vetuſtarem perimentia, amoremq. gignentia. Carbones tenebras deſignant, color indicat, ſed cum ad eos acceſſerit flamma charitatis, & ex mortuis reuixerint, quid ait Apoſtol. ad Epheſ. 5. Fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; carbo fuit Apoſtolus, qui prius fuit blaſphemus, & perſecutor, 1. Timoth. cap. 1. Niger, & extinctus, miſericordiam verò conſecutus, accenſus eſt de cælo; vox Chriſti accendit illum, perijt in eo tota nigredo: cœpit feruens ſpiritu, quo accendebatur, & alios accendere, in alios enim veniunt, vt accendantur, in alios vt deijciantur, vndè Paul 2. Corinth. cap. 3. Quibuſdam ſumus odor mortis in mortem, quibuſdam odor

Digitized by Google

vitæ in vitam; ſiquidem audiunt improbi iuſtos clamantes ſpiritu, videntq. candentes luce, & eis inuidendo cadunt; hoc eſt, quod ſuperueniunt illis in terra, & deijciuntur in terra, ideſt in hac vita, vltra illam pœnam, quæ ſeruatur impijs. Carbones iſti illos deijciunt, antequam veniat ignis æternus. Decidat ſuper eos carbones ignis in terra, & in miſerijs non ſubſiſtent. Iuſtus autem ſubſiſtit, vtdè ad Roman.c.5. Sed gloriamur in tribulationibus, &c. qui verò preſſuras patiuntur, & non ſuſtinent, nec valent tolerare, decidunt in iniquitates malas, quia traduntur à deſiderio ſuo peccatori.

Vir linguoſus non dirigetur in terra, virum iniuſtum mala capient in interitu. Vir linguoſus, qui ad detrahendum veritati falſa componit, ac docet, eſt hæreticus, quin & Iudæus, & cæteri diaboli miniſtri, quibus dicitur in Pſalm.49.numer.16. Iniquè quare aſſumis teſtamentum meum per os tuum, niſi ad decipiendum iuſtum, & pauperem. Talis linguoſus non dirigerur in terra; inuoluit enim ſententias ſermonibus imperitis, Iob 38. nu.2. tales ſunt inimici Crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt, ad Philippenſ.3. num.19. Non dirigentur iſti in terra, quatenus in dolo, & detractionibus, & in peruerſis doctrinis permanſerint, quia impœnitentes peribunt, & linguis ſuis dolosè egerunt, Deuteronom.cap.4.num.25. Dominus Deus tuus ignis conſummens eſt, ſi genueritis filios, ac nepotes, & morati fueritis in terra, deceptiq. feceritis vobis aliquam ſimilitudinem patrantes malum coram Domino Deo veſtro, vt eum ad iracundiam prouocetis, teſtes inuoco hodie cælum, & terram, citò perituros vos eſſe de terra, &c. lingua enim dicitur ignis, vt dixit D.Thomas in cap.3.Iacob. propter ſui mobilitatem, ſiuè velocitatem, & Iſai.5.nu.24. propter hoc ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, &c.

Virum iniuſtum mala capient in interitu. Ad differentiam bonorum, quos mala apprehendunt, quando ab iniquis affliguntur, cruciantur, vel aliàs quomodocunque mala illos apprehendunt, ſemper tamen Deo gratias agentes, libenter ſuſtinẽt, vt bona recipiant ex malis; Dominus enim voluit probare illos, vt pace fruantur in æternum, Sap.c.3. & 5. ad Hebr.12. Flagellat enim Dominus filium, quem recipit. Virum iniuſtum mala capient in interitu ad maiorem illorum pœnam, & vt ad maiora tormenta deducantur in infernum.

Cognoui, quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum. Supra dixerat, Virum iniuſtum mala capient in interitu. Vide iuſtum Dei iudicium, & iuſtitiam; malum malis, malum & bonis, diſpar tamen exitus; iudicium inopibus quidem iuſtitiam eſurientibus, Regnum cælorum, & vindicta pauperum ſpiritu; reprobis autem mala, pœnæ æternæ. Ex malis ergo bona bonis; ex malis item peiora malis, cruciatus æterni; illis in remunerationem, quia ſuſtinuerunt; iſtis verò in pœnam, quia mala commiſerunt, Pſalm.73.num.21. pauper, & inops laudabunt nomen tuum. Exurge Deus, iudica cauſam meam, memor eſto impropriorum tuorum, eorum, quæ ab inſipiente ſunt tota die, ne obliuiſcaris voces inimicorum tuorum, ſuperbia eorum, qui te oderunt aſcendit ſemper.

Veruntamen iuſti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo. Quid eſt iuſtos confiteri nomini Domini, niſi reddere Domino, quod ſuum eſt, & dare gloriam nomini eius; quia is eum fecit, non autem

ſeipſum

ſeipſum fecit, & ideò non gloriatur, quia ſeipſum fecerit, ſed confitetur, quia Dominus illum fecit; vndè dicit Apoſtol. 2.Corinth.cap.10.num.18. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur, non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Iuſtus ergo iſte dicitur, quia quidquid habet, confitetur, Domini eſſe, 1.Corinth.cap.4.nu.7. Ideò Dauid ait, Verumtamen iuſti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo. Iuſti enim, & recti cum vultu Domini habitant, quia timorem habent, & amorem, iuxtà illud, Timete Dominum omnes ſancti eius, quia non eſt inopia timentibus eum, Pſalm.33.numer.10. Qui timent Dominum, ſperant in illum. Habitant ergo cum vultu Domini, qui in amore, & timore ſeruiunt illi. Quare ſeruiamus Domino in timore, & exultemus ei cum tremore, apprehendamus diſciplinam, ne iraſcatur Dominus, & pereamus de via iuſta, Pſalm.2.num.12. Beati enim omnes, qui timent Dominum.

SOLILOQVIVM.

IAM dies Paſchales ſunt indulgentiæ, & remiſſionis, anima mea, ità incedas in illis, vt relaxatione corporis, puritas non obſcuretur cordis, ità vt ab omni luxu, & peccatis abſtineas, vt quidquid modò, corporali abſtinentia non acquiris, mentis aſſequaris puritate. Hoc ſanè ſine Dei auxilio, & virtute non fit, & ideò cum ſancto tuo hìc Dauide ad Deum & tu anima mea ità preces effundas, vt te ab homine malo, & iniquo eripiat, dicens, Domine Deus virtus ſalutis meæ libera me à deſiderijs meis, à peccatoribus, & à circumſtantibus me malignis eripe me. Deus meus exaudi vocem deprecationis meæ. Succendantur in me concupiſcentiæ, affectuumq. carbones, relictisq. iniquitatibus, igne tui amoris incendantur, vt obſcuritas peccatorum deleatur, ne in me amplius carbonis nigredo ſubſiſtat. Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum, vt ſumas vindictam pauperum; tremor, & timor venerunt ſuper me, & ſimul ex tui dilectione cum vultu tuo habitare deſidero, ne diſcedas à me, Virgo glorioſa Maria tempus gaudij, & lætitiæ eſt, cum iàm reſurrexerit Dominus Ieſus Chriſtus filius tuus, memento mei, & intercede, vt cum latrone Deum confitente, & ego Ieſum audiam pollicentem, Mecum eris in Paradiſo. Amen.

IN PSALMVM CXL.

Domine clamaui ad te, exaudi me: intende voci meæ, cum clamauero ad te.

TITVLVS. Pſalmus Dauid; eſtquè Pſalmus iſte eiuſdem argumenti cum ſuperiori, & ſic.

Continuatur ad illum, vt oratio iuſti continua ſit: quia continuo Eccleſia indiget auxilio, ſemper enim gratia Dei indiget homo; Domine clamaui ad te, ecce præteritum, quia ſemper ſumus in anguſtia: exaudi me, ecce auxilium præſens, quod imploret;

Digitized by Google

intende voci meæ, cum clamauero ad te, ecce tempus futurarum angustiarum, quia semper durature sunt, donec mundus durer.

Summa: Continuum est bellum, continua est pugna, continua etiam sit oratio, & patientia.

Quasi mirabar quomodò in huius Psalmi præfatione tantum se diffundebat Augustin. hìc, vt ostenderet nobis quid sit charitas, dicens, quia charitatis finis est Deus, vt perueniamus ad illum, ex toto corde eumdem diligendo, & proximum, sed nonnè mirabile est, quòd homo vilis, & vermis per charitatem fiat vnum cum Deo? ipsa enim vnum nos facit in Christo; charitas clamat ad Christum de nobis, quia omnis, qui inuocat nomen Domini, saluus erit, Ioan. cap. 2. Charitas pro nobis in Christo clamat, Act. cap. 9. Saule, Saule, quid me persequeris? vnum ergo corpus Christi sumus, & membra, 1. Corinth. cap. 12.

Verba ergo huius Psalmi, Christi sunt capitis nostri, sunt etiam & nostra, qui membra eius sumus. Dolet pes, clamat caput; vulneratur manus, clamat caput; infirmatur membrum, quia persecutionem patitur, clamat Deus caput, quid me persequeris Saule? quid enim Saulus cum Christo? cur me persequeris? tamen dicit Deus: An id ignoras, quòd vni ex meis minimis feciſtis, mihi feciſtis? Matth. cap. 25. numer. 40. quòd omnes iusti vnum sunt in Christo? Ioan. cap. 17. propè finem; ò magnum charitatis beneficium, ò nos insensatos, si telictis omnibus, non diligamus Dominum Deum, & proximum; Charitas enim operit multitudinem peccatorum, & nos facit coniunctos Deo in æternum. Verba ergo huius Psalmi sunt Christi ad nostram defensionem, ad nostram doctrinam scripta; vt quantumcunque in hoc mundo viuamus, semper nomen Domini inuocemus, quia semper in tribulationum medio persistimus, & ideò clamandum, ne qui nobis videmur stare, cadamus, 1. Corinth. cap. 10. num. 12. vndè dicitur Psalm. 126. num. 2. Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris; semper vigilantes, orationi instantes, ad Roman. 12. num. 12. hinc Paul. 1. Corinth. 12. num. 14.

Domine clamaui ad te, exaudi me, intende voci meæ, cum clamauero ad te. Semper Dominus Iesus Christus intercedit pro nobis, semper rogat pro omnibus, Ioan. cap. 17. numer. 19. & pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate, non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui crediturì sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quia tu me misisti. Ecce quomodò iste Psalmus loquitur de Iesu Christo Domino nostro, cuius membra nos sumus, quorum peccata, & languores nostros ipse tulit, atque portauit; quomodò ergo si aliquod ex membris nostris patitur, & dolet, non & caput dolebit? Ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, & iniquitates nostras ipse portauit, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit, Isai. cap. 53. per totum.

Augustin. Domine clamaui ad te, exaudi me. Hoc omnes possumus dicere, hoc non dico, totus Christus dicit, sed magis ex persona corporis dictum est, quia & cum hìc esset, carnem portans orauit, & ex persona corporis orauit

ad

ad Patrem, & cùm oraret, globi sanguinis de toto corpore eius distillabant, sic scriptum est, Luc. cap. 22. num. 44. Orauit Iesus intenta oratione, & sudauit sanguinem. Quid est de toto corpore sanguis effluxit, nisi de tota Ecclesia Martyrum passio? & quia durat Ecclesiæ persecutio, quæ etiam à principio fuit, ideò clamaui inquit, & exaudisti me; & quia durat persecutio, intende voci meæ, cum clamauero ad te, propterea inquit Dominus Petro, oraui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Clamat etiam Ecclesia, quia Dominus intendit orationi suæ.

Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo; eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum, dicit Christus. Iàm in cruce manuum mearum eleuatio facta est, propter scelera populi mei, iàm omnia consummata sunt per mortem meam; iàm sacrificium vespertinum factum est, iàm implete sunt Scripturæ. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, vt salus fit omni credenti. Nàm passio Christi completa est, & illa est sacrificium vespertinum, ità & crux Christi, oblatio victimæ salutaris, holocaustum acceptum Deo.

Sicut incensum in conspectu tuo, acceptabilis sit oratio mea, dicit Dominus Iesus, qui me conterere voluisti pro peccato populi mei, & ideò dixisti, Domine Deus, quia voluntas tua in manu mea dirigetur, Isai. cap. 53. nu. 10. Incensum ergo odoriferum in conspectu Dei passio Domini, quia Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum contereret pro peccato populi, vt illum saluaret.

Sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum, Præclarè super illud Cant. cap. 4. num. 3. sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce, ad præsens argumentum, Greg. Nyssen. Orat. 7. per hanc similitudinem nos tacitè doceri, atque admoneri censet, vt & sanguinem, quo redempti sumus respiciamus, ac semper in ore nostro, labijsq. offeramus, verbisq. nostris, & orationibus applicemus, huic loquamur, & huic innitamur, quo Deo gratæ sint precationes nostræ, ipsumq. vincant, & deuinciant, vt postulata concedat. Et eloquium tuum dulce, vt scilicet sit ignitum in charitate Dei, & in passionem eius directum. Ignitum enim eloquium tuum, dicit Psalm. 118. vbi Ambros. dicit, in Cocco species ignis, & crucis Dominicæ sanguis irrutilat, ea enim anima, quæ ignita charitate profert verba orationis, Christi sanguine, eiusue memoria rubricata, diuino Sponso admodum placet. Sicut incensum in conspectu tuo: sit in mente tua eleuatio manuum Christi in cruce, & sanguinis eius aspersio, & tunc oratio tua erit sicut incensum in conspectu Domini dulcis, & grata.

Et ideò sequitur iustus iste, Pone Domine custodiam ori meo, ideſt cordi meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. Quod totum positum est in meditatione passionis Christi; custodi Domine hanc voluntatem meam, Psalm. 9. num. 17. quia præparationem cordis mei audiuit auris tua. Et ostium circumstantiæ labijs meis, vt nec loquendo labia mea aperiantur, nisi ad confitendum nomini tuo. Cordis ergo custodiam petit, vt nec cogitatio iniqua sapiat, cor suum immaculatum petit, vt in iustificationibus eius non confundatur: nec cogitationes malas admittat, ostium verò circumstantiæ labijs desiderat, vt nec praua voluntas in facta verba prorumpat, Prouerb. 18. n. 21.

Mors, & vita in manu linguæ, qui diligunt eam comedent fructus eius: vnde Prouerb. cap.5.num.2. Fili mi attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, vt custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conseruent, hinc Psalm.75.numer.11. Cogitatio hominis confiteatur tibi, vt reliquiæ cogitationis diem festum agant tibi; & Psalm.14.num.3. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, hic habitabit in tabernaculo Domini, & requiescet in monte sancto eius.

Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Documentum quod nobis dat Christus, vt quando peccamus, non excusando, sed confitendo, ad illum preces effundamus cum Dauide, dicentes. Parce mihi Domine, quia tibi soli peccaui, & malum coram te feci, quia peccatum meum contrà me est semper. Tu enim Domine ante me aquam, & ignem, vitam, & mortem posuisti, mandata adiecisti, & præcepta tua, dicens, si volueris mandata seruare, conseruabunt te, Matth. cap.19.num.17. Serua igitur mandata, & exemplo disce disciplinam. Credidit mulier serpenti, & multiplicatæ sunt ærumnæ illius, Adam verò in sudore vultus sui panem comedit, & in puluerem reuersus est, Genes.cap.3. Et tu videns malum, quod ex inobseruantia præcepti nascitur; pone in corde tuo, & exemplo disce disciplinam, ne piger factus, vrticæ repleant vineam tuam, & maceria lapidum destruatur, Prouerb. cap.24.num.30. cum sequen.

Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum. Secundum Hebræos hic versiculus vnicus est cum priori, & erit sensus. Secundum ea,quæ suprà diximus,quòd ex parte Dei gratia requiritur, & ex parte nostra consensus, & operatio, vt dignè illam accipiamus. Docuit ergo primùm Psalmista in nomine Domini erudiens nos, quòd cum iàm manus Domini eleuatæ fuerint in cruce, vt pœnitentes peccatores amplectantur; operepretium esse facimus & nos, quod ex parte nostra præstandum est, vt præceptorum custodia perseueret in nobis, ne cum hominibus operantibus iniquitatem sit nostra conuersatio, neque communicatio cum electis eorum, idest neque vescamur delicijs eorum, neque fruamur voluptatibus, quibus impij fruuntur, cum peruerso enim peruertitur homo, Psalm.17.num.27. Dilata Domine gressus meos subtus me, vt non infirmentur vestigia mea; & præcinge me virtute ad bellum, vt insurgentes in me supplantentur subtus me, neque ego communicabo, siuè manducabo, vel combinabo cum illis. Quod dicitur, cum electis eorum dicunt, Recentiores intelligi de cibis, vox enim hebraica sonat cum dulcibus cibis eorum, vt sensus sit, Non ero particeps familiaritatis conuiuiorum ipsorum, cum plus noceat conuersatio in conuiuijs, & compotationibus. Hieronym. hìc. Non communicabo cum hæreticis nec cum falsò loquentibus, ad Timoth.1.cap.6.num.20. Depositum custodi ò Timothee deuitans vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circà fidem exciderunt. Non communicaueris peccatis alienis, quin potius iustorum correptionem patiar, vndè sequitur versiculus.

Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum, Isai. cap.1.num.16. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiesce agere peruersè, &c.

Si fuerint peccata veſtra, quaſi coccinum, vt nix dealbabuntur, & cap. 59. Ecce non eſt abbreuiata manus Domini; vt ſaluare nequeat, &c. & num. 29. cum venerit quaſi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit, & venerit Sion redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, &c. hoc fœdus meum cum eis, & ad Roman. cap. 11. num. 26. Veniet ex Sion, qui auertat iniquitatem ex Iacob. Iuſtus ergo ille, qui corripit, eſt Dominus Ieſus, qui corripit in miſeriordia, Thren. cap. 3. numer. 21. Hæc recolens in corde meo, in illo ſperabo, Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius, & Sap. cap. 12. in princ. O quàm bonus, & ſuauis eſt Dominus in omnibus, ideòq. eos, qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, vt relicta malitia, credant in te Domine.

Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum, pinguedo enim carnis marceſcit, Iſai. cap. 17. num. 4. hinc Dominus per Ierem. cap. 5. numer. 28. Inuenti ſunt in populo impij inſidiantes, quaſi aucupes laqueos ponentes, & pedicas ad capiendum viros. Sicut decipula plena auibus, ſic domus eorum plena dolo. Ideò magnificati ſunt, & ditati, incraſſati ſunt, & impinguati, præterierunt ſermones Domini peſſimè, oleum effundatur nominis Domini ſuper nos, Cantic. cap. 1. num. 2. vt bonus odor aſcendat ad Dominum, qui ſaluabit nos, 2. Corinth. cap. 2. numer. 14. Chriſti bonus odor ſumus in ijs, qui ſalui fiunt, & in ijs, qui pereunt, alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam. Non enim ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Domini, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur. Hieronym. hìc, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Populo meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, Iſai. cap. 3. n. 10. Laus hæreticorum, & oleum ipſorum, quo vngunt capita hominum, & repromittunt eis Regna cælorum, impinguat eis caput.

Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quid eſt oleum peccatoris, niſi craſſitudo terræ? hærent enim terræ peccatores, quia terrena tantum ſapiunt, terrena quærunt, Sap. cap. 2. nu. 6. Venite fruamur bonis, &c. & Pſalm. 16. num. 10. Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem ſuum concluſerunt, os eorum locutum eſt ſuperbiam, oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Hieron. Omne craſſum vicinum eſt terræ, & anima, quæ peccat, terræ hæret.

Sed quid illis prodeſt ſuperbia, & diuitiarum iactantia; tranſierunt enim omnia illa tamquam vmbra, & tamquam nuntius percurrens, &c. Tunc inter ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes, Sap. c. 5. Nos inſenſati, dicunt, vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & ecce quomodò computati ſunt inter filios Dei: Errauimus à via veritatis, Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Et ideò ſequitur iuſtus noſter.

Quoniam adhùc & oratio mea in beneplacitis eorum. Quoniam confitentur viam pacis non cognouiſſe oratio mea in beneplacitis eorum. Nàm ſi ante mortem pœnitentes confitentur, ſicut Chriſtus in cruce pro illis orauit, ad ſalutem illorum proderit oratio iuſti; ſi autem impœnitentes deceſſerint, prout in d. cap. 5. demonſtratur, tunc iuncti petræ abſorpti ſunt Iudices eorum, vana illos docentes. Sed qui ſunt Iudices illorum, niſi praui ſenſus; praui

mores

mores, ſenſus ſine ſenſu, qui duxerunt illos ad interitum? Vani ſenſus hominis. Vndè dicitur, Nos inſenſati vitam illorum reputabamus inſaniam, d. c. 5. Inſipientibus namquè viſum eſt, Martyres mori, & ecce inter ſanctos ſors illorum eſt ſemper in pace viuentes.

Abſorpti ſunt iuncti petræ Iudices eorum, nàm mors depaſcet illos; Sanctorum verò mors abſorpta eſt in lætitiam, & victoriam, vndè Auguſt. Primis temporibus, inquit, vituperabantur Chriſtiani, ſed adhùc expecta, & oratio mea erit in beneplacitis eorum, ideſt veniet tempus, quo placebit eis oratio mea, vt dicant, dimitte nobis debita noſtra, &c. vndè ad verbum Domini, quod Apoſtoli prædicauerunt, conuerſæ ſunt gentes ad Dominum, & lætantes ſuſceperunt illud, Act. cap. 13. num. 47. iuxtà illud Iſai. c. 49. nu. 6. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ, hinc ſequitur.

Audient verba mea, quoniam potuerunt, ſicut craſſitudo terræ erupta eſt ſuper terram. Quomodò non potuerunt, ſi Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in carne noſtra viderunt? deſcendit de cælo, & factus eſt homo. Et ſicut craſsitudo terræ erupta eſt ſuper terram, quia abundantia ſuæ pacis repleuit eam, quando & Factus eſt de cælo ſonus tamquàm aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, Act. cap. 2. num. 2. Impinguaſti enim Domine oleo ſancto tuo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus eſt. Sicut craſsitudo terræ erupta eſt ſuper terram, quia ſicut craſſitudo ſuper terram erupta, vel dirupta, prodeſt ad frugum fertilitatem, ità verbum Domini in omnem terram emiſſum, ad animarum ſalutem, & ad fidei propagationem multum fructum attulit.

Vndè Paul. ad Coloſſ. cap. 1. num. 6. Gratias agimus Deo, & Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti ſemper pro vobis orantes, audientes fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionem, quam habetis in ſanctos omnes propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cælis, quam audiſtis in verbo veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos, ſicut in vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit, ſicut in vobis ex ea die, qua audiſtis, & cognouiſtis gratiam Dei in veritate, & 2. Corinth. cap. 9. num. 10. Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementum frugum iuſtitiæ veſtræ, vt in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per vos. Quoniam miniſterium huius officij non ſolum ſupplet ea, quæ deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, &c. Nàm omnes gentes in Chriſtum Dominum crediderunt, & copioſa multitudo fidelium, Ioan. Apocal. cap. 7. nu. 9. Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & pupulis, & linguis, ſtantes ante thronum in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna, dicentes, Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno. Et qui ſunt iſti? Qui de craſſitudine terræ venerunt, ideſt de tribulatione magna, &c. Ecce quàm pinguis eſt panis Chriſti, qui de cælo deſcendit, vt ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur in æternum, Pſalm. 35. numer. 9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Audie-

Digitized by Google

Audierunt verba tua Domine per ora Apoſtolorum, per Doctores Eccleſiæ tuæ ; Diſſipata tamen ſunt oſſa noſtra ſecus infernum, quia ad te Domine, Domine oculi mei, in te ſperaui, non auferas animam meam. Dilatata eſt fides, ſed diſſipata ſunt oſſa fidelium fortium, ideſt Apoſtolorum, & Martyrum, ſecus infernum, quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis, Pſalm. 43. num. 23. ad Roman. cap. 8. num. 36. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos, ideò ſequitur verſ.

Quia ad te Domine, Domine oculi mei, in te ſperaui, non auferas animam meam; vndè Eccleſ. cap. 4. num. 33. Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Hinc Paul. d. cap. 8. ad Roman. numer. 38. cum ſequen. Certus ſum, quia neque mors, neque vita, &c. neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Secus infernum, quia à diabolo tormenta paſſi ſunt, & oſſa ſanctorum diſſipata, ſed terra fructifera facta, quia populus Dei creuit in fide; Sancti verò in pace permanent in æternum, nàm propter Deum vicerunt regna, adepti ſunt repromiſſiones, extinxerunt impetum ignis, &c. ad Hebr. cap. 11. num. 34. cum ſequen. Hinc ad Coloſſenſ. cap. 3. num. 3. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum Chriſtus apparuerit vita noſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Itàq. & nos deponentes omne pondus, cum patientia curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei; & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextera Dei ſedet, ad Hebr. c. 12. in princ. Facit Petr. cap. 1. Epiſt. 1. nu. 6. In quo exultabitis modicum nunc, ſi oportet contriſtari in varijs tentationibus, in Ieſum Chriſtum credentes exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata, &c.

Secus, dicit Infernum, nàm quamuis morte communi mortui ſint, non tamen in inferno poſiti ſunt, vt mali, ſed vita æterna data eſt illis. Viſi ſunt enim oculi inſipientium mori, illi autem ſunt in pace, vita illorum reputabatur inſania, & inter ſanctos Dei electi ſunt. Quaſi ergo ſecus infernum poſiti ſunt, quia ità videbatur iniquis; illos tamen non tetigit mors. Iniqui verò in via iniquitatis laſſati ſunt, & perditionis, Sap. d. cap. 5. num. 7. Et in malignitate illorum conſumpti ſunt, talia, quæ ſupra dixerunt illi iniqui, qui in Inferno poſiti ſunt.

Cuſtodi me à laqueo, quem ſtatuerunt mihi, & à ſcandalis operantium iniquitatem: cadent in retiaculo eius peccatores, ſingulariter ſum ego donec tranſeam. Duo hìc requiruntur in illo, qui Deo ſeruire vult, nempè gratia Dei cuſtodientis à malo, & perſeuerantia pœnitentis in bono vſque in finem, Ezech. cap. 18. & 33. Cuſtodi ergo me, inquit, à laqueo, quem ſtatuerunt mihi. Qui ſunt iſti laqueum ponentes, niſi hæretici, & miniſtri diaboli, fallam doctrinam ante oculos ponentes, vt pauperes decipiant in incredulitate? ſcandala verò operantium iniquitatem ſunt illi, de quibus in Sap. cap. 2. bonis fruentes terrenis, &c. quibus non eſt Deus ante oculos eorum, nec Deum propoſuerunt ante conſpectum ſuum ſuperbi, luxurioſi, & ſimiles; hi enim ſacramenta Dei non intellexerunt, & in laqueos diaboli inciderunt.

Singulariter ergo ſum ego, dicit iuſtus, illorum conuerſationem fugiens,

& præcepta Dei obſeruans, donec terrena relinquens perueniam ad cæleſtia; qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Hinc 1.Petr. cap.2: Obſecro vos tamqam aduenas, & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam, conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detrectant de vobis, tamquàm de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum, in die viſitationis. Quoniam ergo dicit adhùc & oratio mea in beneplacitis eorum, audient enim verba mea, quoniam potuerunt, & abſorpti ſient iuncti petræ Iudices eorum, ſingulariter ſum ego, & ſi ſim in pœnitentia inter peccatores; Doloſos hos caueas cum Ierem. cap.15.num.17. Non ſedi, inquit, cum concilio ludentium, & gloriatus ſum à facie manus tuæ; ſolus ſedebam, quoniam comminatione repleſti me, donec tranſeam, Hieronym. hic. Si non tranſieris omnia vitia, cum Moyſe non videbis viſionem magnam, Exod. cap. 5. Magna viſio, quia rubus ardeba t, & non incendebatur, ardebant ſpinæ, hoc eſt peccata, hoc igne mundatur & Iſai. cap.6. numer.6. iſte enim eſt carbo, qui tetigit labia eius, qui erat ſuper altare. Huius carbonis meminit & Propheta Dauid Pſalm. 119. Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs, iſte carbo deſolator eſt, ſolitudinem facit, & peccatorem purgat.

SOLILOQVIVM.

MVNDA ergo Domine Ieſu cor meum, & labia mea, qui labia Iſaiæ Propheta calculo mundaſti ignito, vt ſingularis factus, quia inter peccatores me præſeruaſti, immunis tranſeam de hoc ſæculo. Cognoui Domine, quia os peccatoris apertum eſt ſuper me; ideò clamaui ad te, intende orationi meæ, donec perueniam ad te, qui manus tuas in cruce eleuaſti, vt redimeres me. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, vt paſſio tua ſit mihi veſpertinum ſacrificium, ità vt in hac lacrymarum valle ſit mihi protectio tua vſque ad finem. Nihil in corde meo admittam, niſi te Dominum, & in ore meo verba laudis tuæ; & tu anima mea longè fac à te fabulationes ad excuſandas excuſationes in peccatis, nec oleum peccatoris impinguet caput tuum. Iuſti correptionem libenter ſuſcipias, te enim diligit, qui in miſericordia te corripit. Pro perſequentibus ſit oratio tua, vt iniquis iunctis petræ, abſorbeantur eorum iniquitates. Spes tua ſit in Domino, quia ſic nihil tibi nocebunt iniquorum verbera. Cuſtodi me Domine ab illorum laqueo, & à ſcandalis operantium iniquitatem, vt inoffenſus euadam, donec tranſeam. Amen.

IN PSALMVM CXLI.

Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus ſum.

TITVLVS. Intellectus Dauid cum eſſet in ſpelunca, oratio.

Intellectum ergo dedit Dominus Dauid, cum eſſet in ſpelunca circumdatus à Saulo, ità vt è manibus illius difficilè euadere poſſet. In eo autem datus apparuit intellectus eidem Dauid, quòd cum poſſet occidere Saulem, qui ſolus in ſpeluncam ingreſſus erat, vt ventrem exoneraret, non ſolum non occidit, ſed increpans illum in miſericordia, manus illius effugit. Audiuit enim verba Dauid Saul, & reſpondit ei, 1.Reg.24.num.12. Nunquid vox tua hæc eſt fili mi Dauid? & leuauit vocem ſuam Saul, & fleuit, dixitq. ad Dauid, iuſtior tu es quàm ego, tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicaſti hodie, quæ feceris mihi bona, quomodò tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. Quis enim cum inuenerit inimicum ſuum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi viciſſitudinem hanc pro eo, quòd hodie operatus es in me; & nunc quia ſcio, quod certiſsimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael, iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo Patris mei. Et iurauit Dauid Sauli, &c. cadent in retiaculo eius peccatores, Dauid enim pepercit illi, qui ad vitam illius inſidiabatur.

Intellectus Dauid cum eſſet in ſpelunca, non vt vindicaret, ſed vt pro inimico ſuo oraret, magna enim vindicta oratio ad Deum pro inimico.

Suprà ergo viſum eſt, quomodò cadunt peccatores in retiaculo, quod ipſi fecerunt, nunc continuatur ad præcedentem Pſalmus iſte, dicente Dauid, Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus ſum, Patientis namque clamor ad Deum præuenit iram, & vindictam iniquorum, ſic oratio Petri volatũ Simonis præuenit, S.Maximus Homil.5. de S.Petro, & Paulo. Suprà ergo dictum eſt de neceſsitate orationis continuæ, quia iugi in tribulatione poſita eſt Eccleſia; nunc verò effectum orationis docemur, quia cum tali clamore iniquos, & inimicos expugnamus, hæc verò oratio ex toto corde ad Dominum facienda eſt, vt qui ſunt extrà viam, quæ eſt Ieſus Chriſtus, redeuntes, iuncti petræ abſorpti remaneant.

Summa. Oratio valida vincit inſectatores, & iniquos perſecutores.

Incipit ergo Pſalmus. Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus ſum. Voce ſua clamat ad Dominum, vt peccata ſua dimittat, vt mala ab ipſo remoueat, & ideò ne hæc tantũ de clamore intelligamus, ſubiungit, Voce mea ad Dominum deprecatus ſum, vt nempè gratia ſibi collata, donataq. patientia, tentationibus pro Dei nomine reſiſtat, & illas vincat. Vide Gloſſ. in Pſalm.6. Virtute ergo pœnitentiæ exaudiri poſtulat per peccatorum remiſsionem. Non eſt clamor tuus, qui non procedit de corde tuo; vndè dicebat Dominus, Labijs me honorat populus iſte, cor autem eius longè eſt à

me, Matth. 15. Cum autem oratio ſecundum Chryſoſt. in Matth. ſit quoddam tributum ſpirituale, quod anima offert de viſceribus ſuis; quomodò voce ſua clamat, & orat quis, dicit Auguſt. ſi non voce cordis ſui, ſed corporis clamat? Multi enim clamant non voce ſua, ſed voce corporis ſui. Homo ſanè interior, in quo habitare Deus cœpit per fidem, voce ſua non in ſtrepitu labiorum, ſed in affectu cordis clamat ad Dominum. Enimuerò non vbi homo audit, ibi Deus audit. Niſi voce pulmonum, & laterum, & linguæ clames, homo te non audit. Cogitatio tua clamor eſt ad Dominum, hæc Auguſtin. Clamat ergo rectè, qui oratione cordis deprecatur Dominum. Ad Chriſtum clamant, & qui blaſphemant; at tu deprecare pœnitens, vt peccata dimittat, & ideò dicit, Ad Dominum deprecatus ſum. Hæc autem oratio, ſiuè clamor in humilitate fieri debet, propterea ſequitur.

Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuntio. Ideò effundit orationem, quia cor pungit, Eccleſ. cap. 22. num. 24. Qui pungit oculum, deducit lacrymas, & qui pungit cor, deducit ſenſum, ideſt profert ſenſum, ideſt facit promere, quod ſentit. Excita ergo cor tuum, vt coram Deo promat, quod ſentit: neque enim vales effundere orationem coram Deo, niſi prius tribulationem tuam ante ipſum pronunciaueris; & non pronuntiabis tribulationem tuam, niſi pœnitens de peccatis tuis doleas. Vide ergo ordinem hìc poſitum; punge oculum, lacrymas effundens, & ora Deum, vt dimittat peccata tua: confitere illa coram Sacerdote, & tibi dabit ſenſum, vt abſtinens ab illis, permaneas in innocentia. Effunde lacrymas, quia peccaſti: in conſpectu Dei effunde cordis tui cogitationes malas, & per confeſſionem emitte illas, ſperans veniam. Effunde lacrymis tuis cor tuum, vt loquaris à peccatis, oratio tua in conſpectu Dei aſcendat, quod facilè tibi euenier, ſi ad Deum toto corde conuerſus ſpiritus tuus ſuperbiæ in te deficiat; & tunc cognoſcet Dominus ſemitas tuas, vt dirigat illas in viam ſuam, ideò ſequitur verſiculus.

In deficiendo ex me ſpiritum meum, & tu cognouiſti ſemitas meas. Noli ergo in viribus tuis confidere, nec tibi tribuas quod accepiſti; quid enim boni habes, quod à Deo non acceperis? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis, 1. Corinth. 4. num. 7. Deficiat in te gloria iſta, & cognoſcet Dominus ſemitas tuas, hinc in Matth. cap. 10. Non enim eſtis vos, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis;

In via hac, qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. Semitæ ſunt viæ, quæ conſiſtunt in charitate, plures quidem ſunt ſemitæ, quia plura ſunt præcepta Dei, ſed vna eſt via, nempè charitas, vt dicit Apoſtol. 1. Corinth. cap. 13. in princ. Nàm ſi linguis, &c. charitatem autem non habeam, nihil ſum. Per præceptorum obſeruantiam in viam ingredimur, omnis ſemita via eſt, dicit Auguſtin. non omnis via ſemita eſt; ſemitæ autem ſunt, quia anguſtæ ſunt; via lata impiorum, via anguſta iuſtorum, quæ eſt charitas, in qua humiles ambulant. Tu ergo ſemitas meas cognouiſti, quia diligo te, propterea patior. In hac via, qua ambulabam abſconderunt peccatores laqueum mihi. Non in hac via, quæ eſt Chriſtus, ſed iuxtà illam ſuperbi laqueum abſconderunt. Via enim Chriſti immaculata eſt, ipſa veritas eſt, & in ipſa eſt vita noſtra, vndè, vt diximus ſupra, Beati immaculati in via,

qui

qui ambulant in lege Domini, Pſalm.118. Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt; ecce hìc via, & viæ; via, quæ eſt Chriſtus; viæ, quæ ſunt præcepta illius, vna, quia in charitate fundata eſt, plures, quia per præceptorum obſeruantiam ingredimur ad Chriſtum, qui eſt vita noſtra. In hac via, qua ambulabam abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. Sagittæ Domini ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum ſuperbiæ, & terrores Domini militant contrà me, Iob cap.6.numer.4. vndè dicebat Dominus Diſcipulis, & illum ſequi volentibus; Quando ante Iudices, & Præſides ducemini propter me, nolite cogitare, quid, aut quomodò loquamini: dabitur enim in illa hora, quid loquamini, Matth. cap.10. numer.20. non enim eſtis vos qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Quando ergo datur ſpiritus Domini? Quando perſecutiones iuſti patiuntur propter Deum, & tunc ſagittæ Domini cum ſint in illo, ebibunt ſpiritum Martyris, vt non loqui poſſit opera hominum, ſed ſolum virtutem Dei omnipotentis; tribulationes enim,& mundi aduerſa nobis humilitatem inducunt, Prouerb. cap.18.num.12. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, & antequam glorificetur, humiliatur, Sapien.cap.6.num.11. cum ſequen. Qui enim cuſtodierint iuſta iuſtè, iuſtificabuntur, & qui didicerint iſta, inuenient quid reſpondeant, (& in fine) Accipite ergo diſciplinam per ſermones meos, & proderit vobis.

In deficiendo ex me ſpiritum meum, Gregor. lib.7. Moral cap.3. littera E. Epotatus namque Dauid ſpiritus fuerat, cum dicebat, in deficiendo ex me ſpiritum meum tu cognouiſti ſemitas meas, & rurſum, Pſalm.76. littera A. Renuit, ſeù negaui conſolari animam meam; memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit pauliſper ſpiritus meus. Sagittarum ergo indignatio iuſti ſpiritum ebibit, quia ſupernæ ſententiæ electos, quos in peccatis inueniunt, dum vulnerant, immutant; vt duritiam ſuam transfixa mens deſerat, atque ex ſalutifero vulnere ſanguis confeſſionis currat. Cum ergo vel per prædicationem verbi Dei, vel per animaduerſiones ſagittæ Domini veniant, vt homo in ſe reuerſus, cæleſtium bonorum amiſſionem conſideret, in illo ſpiritu ſuperbiæ deficiente, vertit ſe ad pœnitentiam, ad mandatorum Dei obſeruationem; & ad ſemitas præceptorum currens, dilatatur cor eius, quia Dominus cognoſcet ſemitas illius, Prouerb.cap.6.num.20. Conſerua fili mi præcepta Patris tui, & non dimittas legem matris tuæ, ſcilicet Eccleſiæ, mandatum enim lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ, ibidem num.23.

Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. Impij expellentur in malitia ſua; ſperat autem iuſtus in morte ſua, Prouerb.cap.14.num.33. Pſalm.93.num.23. & reddet illis iniquitatem ipſorum Dominus, & in malitia eorum diſperdet eos, diſperdet illos Dominus Deus noſter.

Conſiderabam ad dexteram, & videbam: & non erat qui cognoſceret me. Lapidatus Stephanus vidit cælos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei, quia ambulabat in vijs Domini; lapidantes verò ad ſiniſtram ſtantes, non videbant, quia excæcati erant; mali enim ſiniſtram attendentes, dexteram non vident: terrena reſpiciunt, & æterna deſpiciunt. Conſiderabat Iuſtus noſter, quæ ad dexteram ſunt, quia iuſti ad dexteram inuitantur, ad

ſiniſtram verò iniqui mittuntur in ignem æternum, Matth. cap. 25.

Perijt fuga à me. Quia iuſtus ſperat in morte, Prouerb. dicto cap. 14. Stabant enim Apoſtoli in conſpectu concilij gaudentes, & lætantes, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Stabant iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & abſtulerunt labores eorum. Non fugam arripuerunt, ſicut mercenarij, Ioan. cap. 6. numer. 13. Perijt fuga ab illo, qui iniquorum non timet tormenta, Turris enim fortiſſima nomen Domini: ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur, Prouerb. cap. 18. numer. 10. Secura mens, quaſi iuge conuiuium, Prouerb. cap. 15. numer. 15. Perijt fuga à me, quia iàm apprehenſum Ieſum ante Pontificem duxerunt. Non eſt, qui requirat animam meam, nàm interrogante Pontefice de doctrina, & de Diſcipulis Ieſu, Interroga illos, dixit illi, qui audierunt, & locutus ſum cum ipſis; ecce hi ſciunt, quæ dixerim ego. Sic reſpondes Pontifici, intulit miles improbus, & dedit alapam Ieſu, Ioan. cap. 18. num. 21. Non interrogat de doctrina, ſed ſuperbus percutit alapa. Quando verò ſit licitum fugere, vel perſiſtere, vide Doctores hìc, & Auguſtinum in Pſalm. 54. incip. Exaudi Domine orationem meam, & in Pſalm. 101. ibi, Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, & Innocent. extrà de renuntiat. Niſi cum pridem: latius verò vide Gloſſ. in cap. Aduerſitas, 7. quæſt. 1. Et quia hodie nobis occurrit Athanaſij feſtum, vide in Apologia ipſius de fuga ſua antè medium, nàm ille aliquando fugit, aliquando inimicis ſe ſponte obtulit.

Et non eſt qui requirat animam meam: omnes enim, relicto Chriſto, fugerunt, Matth. cap. 26. numer. 58. nec illo capto, aliquis fuit inuentus, qui illum, vt impiorum manus euaderet, adiuuaret; Vel, Non eſt, qui requirat animam meam, ad me imitandum; omnes enim clamabant, crucifige, crucifige, & Dominus dicebat, propter quod opus me vultis interficere, nec vllus inueniabatur, qui illius bona opera recenſeret, Ioan. cap. 10. numer. 32. Non eſt, qui requirat animam meam ad ſaluandum, dicit Chryſoſtom. Iſai. cap. 57. Iuſtus perit, & non eſt, qui recogitet in corde ſuo, & viri miſericordiæ colliguntur, quia non eſt, qui intelligat, à facie enim malitiæ collectus eſt iuſtus.

Clamaui ad te Domine: dixi, tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium. Clamaui ad te Domine, quia non eſt alius, niſi tu, qui pugnes pro me, firmans fidem meam in te; quia non eſt ſalus extrà te, & ideò clamans dixi; Domine tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium, hoc eſt in te ſperantium, qui ideò homo factus es, vt in te credentibus, & ſperantibus vita eſſes.

Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus ſum nimis. A perſequentibus me & intus in corde meo humilis factus, & perſecutiones libenter ſuſtinens, vt te Chriſtum humiliatum lucrifaciam, quia humilia reſpicis in terra, & alta à longè cognoſcis, niſi enim quis ſicut paruulus iſte humiliatus fuerit, non intrabit in Regnum cælorum, Matth. 18. num. 4.

Libera me à perſequentibus me, quia confortati ſunt ſuper me. Poſuerunt laqueum, quia venit hora illorum; Hæc eſt enim hora veſtra, dicebat Dominus Luc. cap. 22. num. 53. & poteſtas tenebrarum. Quia confortati ſunt ſuper me, omnes enim clamauerunt, crucifige, & illum crucifixum illu-

den-

dentes, dicebant, Vah, qui ſaluas alios, ſalua teipſum, & deridebant eum populus, & principes, Luc.cap.23.num.35. & milites. Confortari ſunt ſuper me, libera me à perſequentibus me, & educ de cuſtodia animam meam. Nàm ſignauerunt ſepulchrum, in quo poſuerunt Ieſum. Educ me ad confitendum nomini tuo, quod manifeſtaui hominibus, quos dediſti mihi de mundo, Ioan. cap.17.num.6. Luc.cap.24.num.46. Sic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum, & Marc.cap.16. Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ, Matth.28.num.19.

Educ de cuſtodia animam meam. Quia poſuerunt peccatores laqueum mihi, non præualeant mihi; ſed tu Domine educ de cuſtodia illorum animam meam, vt manus illorum effugiens, & nomini tuo confitens, cum iuſtis me expectantibus incedam, donec retribuas mihi.

Educ de cuſtodia animam meam. Quæ cuſtodia eſt animæ, niſi corpus fragile, quod ſemper militat contrà animam? Caro enim aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, ad Galat. cap.5.numer.17. hæc enim ſibi inuicem aduerſantur. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, impudicitia, &c. vt ibid. Paul. Educ me de iſto carcere, vt ſpiritu viuens, ſpiritu ambulem ad confitendum nomini tuo. De iſto carcere, & cuſtodia corporis loquitur Iob cap.7. numer.12. dicens, Nunquid mare ego ſum, aut cetus, quia circumdediſti me carcere? Gregor. lib. 8. Moral. cap.11. littera D. Carcere homo circumdatur, quia plerunquè, & virtutum profectibus ad alta exurgere nititur, & tamen carnis ſuæ corruptione præpeditur. Qua ex vi Pſalmiſta deprecatur, vt ſuprà dicens, educ, &c. Quid verò appellatione maris, niſi corda carnalium tumidis cogitationibus fluctuoſa? Ceti verò nomine antiquus hoſtis exprimitur, qui dum mentes ſæcularium poſſidendo penetrat, quaſi in eorum lubrica cogitatione natat. Sed cetus carcere conſtringitur, quia malignus ſpiritus in inferioribus deiectus, ne ad cæleſtia euolare præualeat pœnæ ſuæ coarctatur pondere, 2.Petr. cap.2. in princ. Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit, in iudicio cruciandos reſeruari. Cetus carcere conſtringitur, quia tentare bonos, quantum deſiderat, prohibetur. Carcere quoque mare circumdatur, quia carnalium mentium tumida, inſanaq. deſideria ad peragenda mala, quæ appetunt, impoſſibilitatis ſuæ anguſtia grauantur. Sæpè enim dominari melioribus concupiſcunt, ſed tamen eis diuino iudicio cuncta mirabiliter diſponente ſubſtrati ſunt. Elati deſiderant nocere bonis, & tamen ſubiecti ab eis ſolatia ſperant. Pro explendis voluptatibus carnis longæuitatem vitæ præſentis declarant, ſed tamen ab ea ſub celeritate rapiuntur, Pſalm.77. Statuit aquas quaſi in vtre; aquæ quippè in vtre ſunt, cum lubrica eorum deſideria, quia operis effectum non inueniunt, ſub carnali corde deprimuntur. Cetus ergo, ac mare circumdatione premitur carceris, quia vel malignus ſpiritus, vel ſequaces illius, in quorum mentibus ſe colligit, atque in eis vndas tumentium cogitationum inuoluit, vt implere mala, quæ appetunt nequeant, ſuperna eos diſtrictio anguſtat. Quocircà ab his liberari deſiderans iuſtus iſte, inquit, Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo. Me expectant iuſti, donec retribuas mihi.

SOLILOQVIVM.

AVDI anima mea, quantum pro te tribuletur Dei Eccleſia. Superbiæ ſpiritus deficiat in te, vt cum Eccleſia ipſa ad Dominum vocem deprecationis effundas, & ille audiens te, cognoſcat ſemitas tuas. Et quid proderit inimicis tuis, ſi in via Domini ambulanti, laqueum abſconderint tibi? Et ſi fuga perierit à te, quid facient ſuperbi, ſi clamando ad Dominum ſpes tua ſit in illo? Lætentur ſuper te inimici, & non nocebunt tibi, quia de cuſtodia illorum educet te Dominus, vt confitearis illi. Suſtine anima mea, quia te expectant iuſti, donec Dominus retribuat tibi: Sancte Athanaſi, cuius dies feſtus agitur, qui me docuiſti, quomodò fugiendum, & quomodò preſſuris inimicorum occurrendum, intercede pro me, vt & ego in medio tribulationum poſitus, confitendo nomini Domini, dignè poſſim illùc peruenire, vbi tu cum ſanctis quieſcis in pace. Maria Virgo Dei Genitrix, humilium aduocata ſuccurre miſero mihi peccatori, vt Dominus filius tuus peccata mea dimittens, faciat me peruenire ad ſe. Amen.

IN PSALMVM CXLII.

Domine exàudi orationem meam: auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua iuſtitia.

TITVLVS. Pſalmus Dauid, cum perſequebatur eum filius ſuus Abſàlon.

Continuatur ad præcedentem, vbi viſum eſt de oratione facienda, vt liberemur ab inimicis noſtris perſecutoribus, verùm quia nemo eſt ſecurus, an dignus ſit odio, vel amore, vndè dicebat Paul. 1. Corinth. cap. 4. num. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum, quia qui iudicat me, Dominus eſt, propterea conſequenter docemur in hoc Pſalmo, vt poſtquam orationibus noſtris inimicos noſtros etiam expugnauerimus, ne confidentes ſimus in nobis, ſed orationes continuantes, & à peccatis abſtinentes Deum exoremus, vt in iudicio tremendo miſereatur noſtri, Iudex enim, & Dominus noſter ille eſt, propterea dicitur, Domine exaudi orationem meam, & non intres in iudicium cum ſeruo tuo; in veritate tua exaudi me, & in tua iuſtitia.

Summa, ſeù argumentum, Iuſti deprecatio, vt Deus in die iudicij ipſius miſereatur.

Et ſi iuxtà latinos hunc Pſalmum de paſſione Chriſti intelligamus, ſumma hæc erit, Chriſtus tamquam homo, quia iàm pro peccatis populi paſſus eſt iuxtà ea, quæ per Iſai. dicta ſunt cap. 53. quia voluit, & peccata omnium ipſe tulit, ſecundum iuſtitiam, inquit Deus Pater, qui me miſiſti, & ſecundum veritatem tuam parce populo tuo pœnitenti, & in me credenti.

Et ideò inter Pſalmos Pœnitentiales ſeptimus poſitus eſt ab Eccleſia, vt nos doceret, quàm ſit neceſſaria oratio, & deprecatio ad Deum, pro remiſſione pec-

Digitized by Google

peccatorum, non innixa in noſtra iuſtitia, & veritate, ſed in iuſtitia filij, & illius veritate, Ierem. cap. 4. in princ. Si abſtuleris offendicula tua à facie mea, non commoueberis; & iurabis, Viuit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia, ſed dicit Dominus. Nouate vobis nouale, nolite ſerere ſuper ſpinas. Quod melius declarans Oſe cap. 10. num. 11. ait, Seminate vobis in iuſtitia, &, & metite in ore miſericordiæ, innouate vobis nouale, &c.

Miſſus eſt enim Chriſtus Dominus, vt patereturr, & crucifigeretur, vt tolleret peccata noſtra, vt & nos iugum illius portantes, de præteritis pœnitentiam ageremus, apud Deum orantes, vt in ſua iuſtitia, & veritate noſtra remittat delicta iuxtà id quod per Ezech. 18. & 33. dictum eſt, Si receſſerit iniquus ab iniquitate ſua, non recordabitur Deus iniquitatis ipſius, ſi pœnitens receſſerit ab ea; propterea iuſtus iſte, Eccleſia ſcilicet Dei, docens nos dicit, Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam. Exaudi ſcilicet vt parcas, auribus percipe, vt dimittas in tua iuſtitia, quia hæc promiſiſti pœnitenti, in veritate tua, quia iuſtus es, & verum iudicium tuum; vndè Iſai. cap. 55. num. 11. Dixiſti, Quomodò deſcendit imber, & nix de cælo, & illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti, ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.

Titulus ergo huius Pſalmi eſt, Pſalmus Dauid quando perſequebatur eum filius ſuus Abſalon; Propter ſua peccata Dauid hanc filij ſui perſecutionem ſibi veniſſe conſiderans, exclamat ad Dominum, dicens, Exaudi me Domine, & non intres in iudicium cum ſeruo tuo. Hoc ad noſtram inſtructionem dictum eſt, qui peccatores ſumus, vt ſui exemplo pœnitentes ad Dominum reuertamur, & in illius paſſione confidentes, & ſperantes clamemus, dicentes, Domine exaudi orationem meam, & non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens; auribus percipe meam obſecrationem, ex tua iuſtitia propter quam redemiſti me; quia in me aliud non inuenio, quàm peccata mea, In veritate tua pariter exaudi me; Etenim ſermo tuus in ore meo, & in corde meo, vt faciam illum, Deut. c. 30. num. 14. hoc eſt verbum fidei, ad Roman. cap. 10. num. 8. Confiteor Domine Ieſu in toto corde meo, non confundar, quia credo in te, Iſai. cap. 28. num. 16

Peccaui Domine tibi, ſed quia pœnitens ſum, miſerere mei. Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Nàm ſi ſolus tu Deus bonus, Marc. cap. 10. num. 18. quomodò viuens quis iuſtificari poterit coram te? Nullus ſanè homo, vel etiam vnius diei, immo nec Angeli coram te iuſtificari poſſunt; Vndè Iob cap. 25. numer. 4. Nunquid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce Luna etiam non ſplendet, & Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius, quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?

Auguſtin. hìc litterà L. Dimitte, inquit, nobis debita, noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, iſtam enim orationem nos docuit Dominus, Matth. cap. 6. num. 9. Dimitte nobis debita noſtra, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Meritò iſte humilis in corpore Chriſti, diſcens à capite, quoniam mitis eſt, & humilis corde, ne intres, ait, in iudicium cum

ſeruo

ſeruo tuo. Non litigemus, nolo tecum habere cauſam, vt ego proponam iuſtitiam meam, tu conuincas iniquitatem meam: ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quoniam non iuſtificabitur coram te omnis viuens, Thren. cap. 3. num. 22. Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti; quia non defecerunt miſerationes eius. Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo, nàm cum aliena vitia iuſtus Dominus percutit, tantò grauius percutit, quantò à ſemetipſo nihil habet vitiorum, Greg. in Moral. lib. 14. cap. 19. Iob.

Quia perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliauit in terrâ vitam meam. In alio Pſalm. 43. num. 20. Humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. Humilitas ergo ex perſecutione, quæ iuſtis contingit à diabolo ex permiſſione Dei, vt iuſtos ſuos probet ex tentatione, Sap. 3. num. 6. Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos ſe: tamquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos. Diabolus perſequitur, vt perdat, Deus verò permittit, vt ſaluet; vndè Iob cap. 19. num. 22. Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini? Miſeremini mei, miſeremini mei, quia manus Domini tetigit me vbi Greg. lib. 14. Moral. cap. 24. littera A. Quod dicitur, quare perſequimini me ſicut Deus, ad exteriorem hoc perſecutionem retulit, non ad intimam interiorem; quia & ſi hoc agunt exterius, quod Deus agi diſpoſuit, non tamen hoc, quod Deus, in ſua actione appetunt, vt boni ex afflictione purgentur. Quia perſecutus eſt inimicus animam meam, crudeles perſecutorum mentes, cum poteſtatem feriendi appetunt contrà bonorum vitam, non ſtudio purgationis, ſed liuoris facibus accenduntur; ſed dum vna cauſa cum Deo etiam per eos agitur, non tamen voluntas vna in eadem cauſa ſeruatur, dicit Greg. vt ſuprà. Quia cum omnipotens Deus amando purgationem exhibet, iniuſtorum prauitas ſæuiendo malitiam exercet, hæc ex Greg. vt ſuprà.

Humiliauit in terra vitam meam, ait & Chriſtus. Non ſolum perſecutus eſt me inimicus meus, animam meam tradendo Iudæis; ſed humiliauit in terra vitam meam, nàm Iudas vitam eius commutauit pro triginta argenteis, vt moreretur & in terra, & in ſepulchri ſpelunca mortuus poneretur. Ideò ſequitur. Collocauit me in obſcuris, ſicut mortuos ſæculi, anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum, Matth. cap. 26. num. 38. Factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, Luc. cap. 22. num. 44. Marc. cap. 14. num. 54. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.

Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi. Non enim mortuus eſt inter ſæculi mortuos, quorum cadauera corrumpuntur, per quem facta ſunt ſæcula, quia & ſi à Iudæis pro mortuo inſtar aliorum hominum reputaretur, & ſepulchrum ſignauerint, vbi poſitus erat Dominus, & cuſtodes poſuerint ad monumentum; reſurrexit tamen, & palam viſus eſt, dum in cælo aſſumeretur plus quàm quingentis fratribus, 1. Corinth. cap. 15. num. 6.

Cæterum ſi ſecundum Cardinalem Hugonem hæc de peccatore intelligamus, in obſcuris ſtare is dicitur, dum pœnitens non ſubleuatur, & in tenebris perſiſtit vitiorum. Quid enim peccata niſi tenebræ, quæ mentem obſcurant, & excæcant, & ſupernæ gratiæ lumine priuant? Sophon. c. 1. n. 13. Et erit fortitudo eorum in direptionem, & domus eorum in deſertum, & ambulabũt vt

cæci

Digitized by Google

cæci, quia Domino peccauerunt, &c. num.17. Via sanè impiorum tenebrosa, Prouerb. cap.4.num.19 hinc Psalm.34.num.6. Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos.

In me turbatũ est cor meum, ait Iesus; quia in cruce positus clamauit, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Turbatum est cor meum dicit iustus, & mysticum Christi corpus, quia memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum. Meditabar, præterita, & futura. Præterita enim meditatus, nempè creationem mundi propter hominem, quem formauerat Deus de limo terræ, & in Paradiso voluptaris posuerat ab initio, Genes.c.2. omnia quæ fecerat eidem subijciens. Ingratitudinem etiam Adæ, & Euæ meditabatur, & inobedientiam, propter quam de Paradiso electi sunt. Et quæ in toto veteri testamento scripta habentur ab ipso Deo in homines, & beneficia, & flagella præstita fuere. Et in factis manuum tuarum meditabatur, quia natiuitatem tuam considerabam opus manuum tuarum, quia venturus esses, vt mundum illuminares, & mundus non te esset cogniturus; & quòd si in propria venies, & tui non te recipient, Ioan. cap.1. immo te occident, collocabunt te in obscuris sicut mortuos sæculi; collocabunt enim te in obscuris in sepulchro scilicet, sed non vt mortuos sæculi quantum ad te, in quo ea non foret ratio, propter quam mors introuit in mundum, sed iuxtà crucifigentium voluntatem, & opinionem, quia in morte te detinere putabunt.

Expandi manus meas ad te, anima mea, sicut terra sine aqua tibi. Expandi manus meas, quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. Quia sic oportebat me pati, & ità intrare in Regnum cælorum, vt mecum ducerem redimendos morte mea. Expandit manus suas ad te, quia illum, per quem omnia facta sunt, misisti in mundum. Expandi manus meas, quia cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum, Isai. cap. 51. Quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requiescet. Propè est iustus meus, egressus est Saluator meus, & brachia mea populos iudicabunt, me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt, & post multa salus mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet. Expandi manus meas ad te, qui crediturus es in me, nàm manus mea fundauit te, qui terra es, & dextera mea mensa est cælos, ego vocabo eos, stabunt simul, Isai.cap.48.numer.13. Vt stent simul terra, & cælum, idest vt in nouissimo die resurgens homo, simul cum anima stet in cælo, vbi mansiones multæ sunt.

Sed anima mea sicut terra sine aqua tibi. Quid est sicut terra sine aqua tibi? Expandit manus ad te populum Iudæorum gentem electam, & tu non recepisti illum, Ioan. d. cap.1. In propria venit, & sui eum non receperunt. Terra arida factus es, quia aquam sapientiæ recusasti. Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam, Thren. cap.1.num.17. Anima mea sine aqua tibi, quæ sterilis facta consumptà est in infirmitate sua, in siccitate sua, Thren. cap.4.numer.9. Melius est occisis gladio, quàm interfectis fame, quoniam isti extabuerunt, consumpti à sterilitate terræ. Sicut terra sine aqua tibi, ideò dixit in cruce, sitio, salutem scilicet animarum sanctarum, Psalm. sitio Domine, velociter exaudi me Domine, quia defecit spiritus meus, sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, ideò velociter exaudi

me

Digitized by Google

me Domine, quia defecit ſpiritus meus; nàm quando in cruce ſpiritum emiſit, dixit conſummatum eſt. Velociter exaudi me Domine, quia omnes dereliquerunt me.

Dicat hæc & fidelis quiſque. Ne deficiat fides tua, noſce teipſam anima mea, quia ſine aqua, quæ eſt vita tua? terra, & puluis. Adhæſit lingua lactentis ad palatum eius in ſiti; Qui enim veſcebantur voluptuosè, interierunt in vijs, Thren. cap.4.num.4. & num.5. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis. Adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit, & facta eſt quaſi lignum. Confiteor tibi Domine, quia ſine te nihil ſum ego, da mihi ſapientiam aſſiſtricem ſedium tuarum, Sap. cap.9.num.4. Mitte illam de cælis ſanctis tuis, mecum ſit, & mecum laboret, vt tibi accepta ſint opera mea... Ecce inuocans te ſitio, da mihi aquam de petra Chriſti, Num.20.num.2. Sap. cap.11.num.4. Effunde ſuper me aquam mundam, vt mundatus ab omnibus inquinamentis meis, tibi Domino puro corde ſeruiam, Ezech. cap.36.nu.26. Velociter exaudi me, quia humiliatus, ſpiritus ſuperbiæ defecit in me, quia cognoui te, quod humilia reſpicis. Intret ſpiritus tuus bonus in me, ne ſpiritui maligno amplius locus detur: tribue mihi in viſceribus meis ſpiritum nouum, Pſal.103. Ezech. c.11. n.19. & d. cap.36. nu.25. Auſer cor lapideum de carne mea, & da mihi cor carneum, & ſpiritum tuum pone in medio mei, & fac, vt in præceptis tuis ambulem, & iudicia tua cuſtodiam, & operer.

Ne auertas faciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum. Si faciem tuam auerteris, in puluerem reuertar, Pſalm.103.num.29. ibi, Auertente te faciem turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur; vndè Ierem. in Thren. capit. 4. numer. 16. Facies Domini diuiſit eos, non addit vt reſpiciat eos, facies Sacerdotum non erubuerunt, neque ſenum miſerti ſunt.

Non auertas faciem tuam à me iàm humili. Auertiſti olim à me ſuperbo, & factus ſum conturbatus, quod ideò feciſti, vt probarem, quid erat eſſe ante te, & ante faciem tuam. Quod ergo abſtuliſti ſuperbo, iàm redde humili. Ideò non auertas, quia ſi auerteris, ſimilis ero deſcendentibus in lacum, ideſt in profundum peccati, in quo contemnunt homines, & perit confeſſio, Eccleſ.cap.17.numer.27. Ne abſcondas faciem tuam à me, tunc enim inimici mei, quaſi auem capient me, & in lacum vita mea lapſa, ponent lapidem ſuper me, Thren.cap.3.num.53. Iſai.cap.14.numer.15. ità vt & de me dicendum eſſet. Detracta eſt vſque ad inferos ſuperbia tua: ad infernum detraheris in profundum laci, iſte enim deſcendit in profundum, qui & confeſſionem perdit, & qui proponit ſibi licentiam peccandi, ſine ſpe veniæ, habenis iniquitati dimiſſis.

Non auertas faciem tuam à me, ſed auditam fac mihi mane miſericordiam tuam. Collocauerat inimicus meus animam meam in obſcuris propter peccatum, nunc cognoui, quia tu Domine Ieſu lux vera es, qui illuminas omnem hominem. In tenebris meis luceat lux tua, vt mane in me facto, tenebræ recedant à me, quia tu es ſpes mea, in quo ſperaui. Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, vt ab omnibus inquinamentis mundatus mereat aſſequi miſericordiam tuam. Iàm nox præceſſit, dies autem appropinquauit, ad Roman.c.13. Recedant tenebræ, veniat in me lux de lumine, vt indutus

arma

Digitized by Google

arma lucis, sanctorum ciuis efficiar, superædificatus super fundamentum Apostolorum summo angulari lapide Christo Iesu. Conserua ergo tu anima mea mandatum Dei tui, quia custodia illorum lucerna tibi erit, & lex lux; & via vitæ increpatio disciplinæ, Prouerb.6.num.23.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam. Leua tu ad Deum animam tuam, & Dominus notam tibi faciet viam suam. Accede ad illum in montem sanctum cum Petro, & audies vocem Dei Patris, dicentis, Hic est filius meus dilectus, Matth. cap.17.num.5. Immo & habemus, dixit Petr. firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco; donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus nostris. Ideò lucernam, dixit Augustin. propheticam accendit, ideò ipsum Dominum tamquam in testa carnis misit, qui etiam dixit, Exaruit tamquam testa virtus mea, Psalm.21. Ambula ad prophetiam, ambula ad lucernam, ambula ad verba Dei; hondum vides Verbum, in principio Deum apud Deum; ambula ad formam serui, & perduceris ad formam Dei. Leuaui ad te animam meam; non contrà te, qui es fons vitæ, tamquam vas ad fontem attuli animam meam, imple ergo illam.

Leuaui ad te oculos meos, quia te venturum in spiritu vidi, vt relaxes facinora plebi tuæ. Veni Domine noli tardare, vt doceas me facere iustificationes tuas. Hucusq. fugi, & sicut seruus fugiens Dominum, in vmbra permansi, ne descendam Domine ad inferos ità, vt amplius non ascendam, ne in vmbra mortis permaneam; ne nudus, idest sine operibus bonis coram te appaream. Ecce oculos meos leuo ad montem, vndè venit auxilium mihi; si enim in vmbra permansero, ante oculos tuos subsistere non potero, Iob c.7. num.8. Doce me facere voluntatem tuam, caro enim, quam mihi dedisti sociam, trahere me ad se festinat, vt in vmbra cum ipsa permaneam, sed tu Domine, qui venturus es in mundum, vt liberes me, mitte spiritum tuum bonum, vt deducat me in terram rectam, & propter nomen tuum deduces me in æquitate tua; Si enim ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quia, cũ tu Domine mecum sis, quid mihi facere poterit inimicus meus? tu enim ab omnibus malis eripies me, & filius iniquitatis non nocebit mihi.

Educes de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos, & perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego seruus tuus sum, Sap.cap.12.nu.22. Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, & finis condemnationis venit super eos,

SOLILOQVIVM.

VENI sancte Spiritus, & reple etiam cor serui tui fidelis, & tui amoris in me ignem accende, sicut descendisti hodie in discipulos, & alios confitentes nomen Domini nostri Iesu Christi. Mitte Domine Iesu auxilium de sancto, Spiritum ipsum sanctum, qui à Patre, & à te procedit, vt doceat me omnia, quæ mihi ad salutem sunt proficua. Hanc meam bone Iesu exaudi orationem, non quòd id merear, sed propter merita iustitiæ tuæ. Quid enim sine spiritu ipso tuo sancto subsisteret in conspectu tuo, vel à viuente quoquam fieri potest quod bonum, & meritorium sit, Domine auribus percipe orationem

nem meam in veritate tua, qua pollicitus mihi es veram opem in te confidenti contrà tot aduersarios; qui meum sic anxiauerunt spiritum, vt mortuum voluerint. Totum studium meum in tui, operumque tuorum est meditatione. Ideoquè in ipsa mea meditatione expandens manus meas ad te, proposui tibi animam meam, sicut terram sine aqua, vt illam imbre irrigares Spiritus sancti. Exaudias me tu Deus meus, alioquin deficiet spiritus meus. Non auertas faciem misericordiæ tuæ à me, Auditam fac mihi illam mane, quia in te spes mea est, vt eripias me de inimicis meis. Ad te confugio, disperde illos, quia seruus tuus sum ego. Mater Dei sanctissima succurre mihi peccatori, vt te intercedente, valeam sine offensa Deo meo, & tibi seruire. Pudentiana Virgo Deo deuota, cuius hodie commemorationem agimus, ora pro me, & tota familia mea. Amen.

IN PSALMVM CXLIII.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

TITVLVS. Psalmus Dauid ad Goliam.

De pugna Dauid, & Goliæ, vide in lib. 1. Reg. cap. 17.

Suprà visum est de oratione, quæ continua debet esse, cum in his mundi tenebris continua sit diaboli contrà nos pugna, continuæ sint inimicorum insidiæ, vndè Paul. ad Ephes. cap. 6. num. 12. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ in cælestibus, propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Consequenter in Psalmo isto docemur, in præexposito prælio confidentiam reponendam omnem in Domino nostro Iesu Christo, non in nostra præsumptione, quia is est, qui docet manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum, vt de inimicis nostris victoriam reportantes, gloriam Deo demus. Vide Dauid paruum contrà Goliam; vide paruum contrà higantem, sed in nomine Domini præsumentem. Tu, inquit, venis ad me cum clypeo, & lancea, ego autem in nomine Domini omnipotentis. Sic, sic, aliter non: omnino aliter non prosternitur inimicus, qui præsumit de viribus suis, antequam pugnet, ipse prosternitur.

Benedictus Dominus Deus meus. Benedicamus orando, manus nostras ad illum eleuantes. Vide ergo quàm necessaria sit oratio, per quam induimur Dominum nostrum Iesum Christum. Et quis contrà nos, si Dominus est nobiscum? si nostrorum est armatura fidelium? si nobiscum est in tribulatione vsque ad sæculi consummationem, vt eripiat nos de manibus inimicorum nostrorum? Psal. 90. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, & ostendam illi salutare meum.

Qui docet manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum. Quid per manus intelligit, & digitos, nisi firmitatem fidei, & virtutum diuisiones,

quæ

quæ ab illa procedunt? Auguſtin. In digitis agnoſcamus vnitatem, diuiſionem operationis, & tamen vnitatis radicem, 1. Corinth. cap. 12. In eodem ſpiritu, in fide Chriſti Ieſu, diuiſiones gratiarum, ſicut miniſtrationum, & operationum, idem autem ſpiritus, idem autem Dominus, qui operatur omnia in omnibus, &c. radix eſt vnitatis, diuidens propria vnicuique provt vult. Docet manus ad prælium. Qui enim habet fidem, perdere mortalia non timet, vrget fides; nàm per fidem ſancti vicerunt regna, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, &c. ad Hebr. 11. nu. 33. Et digitos meos ad bellum, Qui enim vult venire poſt me, dicit Dominus, abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me, non enim veni pacem mittere, ſed gladium, Matth. 10. num. 34.

Benedictus Dominus, qui docet manus meas ad prælium. Ad quod prælium, ad quod bellum docuit nos? audi Paul. ad Tit. cap. 2. num. 12. Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria; ecce documentum manuum noſtrarum ad prælium; ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo, ecce documentum digitorum ad bellum. Et ideò baculo pugnat Dauid cum Golia, in nomine ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Cruce eius, pugnat in funda cum lapidibus, digitis enim vtitur. Vtrumq. ergo in Prædicatore, in Epiſcopo, in fideli requiritur baculus, cum quo ad prælium accedimus, ideſt fides firma, cum digitis, & lapidibus in funda, vt ſcientia, quæ ab Eccleſia venit, hæreticorum, & inimicorum verſutias expellere valeamus. Requiritur etiam fortitudo, vt hìc dicitur, Miſericordia mea, & refugium meum, ſuſceptor meus, & liberator meus. Et cum his ſperanti in Domino, & conſtanti victoria certa promittitur, vndè adijcitur, Qui ſubdit populum meum ſub me.

Miſericordia mea, & refugium meum, ſuſceptor meus, & liberator meus. Hìc beneficia narrantur, quæ à Deo accepit iuſtus, in iuſto enim miſericors Dominus eſt. Miſericordia mea, quia miſericordia eius non ſum conſumptus, ſanguine enim ſuo redemit me, lauans me à peccatis meis; ipſe enim eſt fons vitæ, vt ſi quis biberit ex illa aqua, non ſitiat in æternum, Ioan. 4. nu. 13. Hæc eſt illa aqua, de qua Zach. 13. num. 1. In die illa, dicit, erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ; quando ſuſcepit Dominus Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ; quando ſuſcipiens carnem noſtram de Maria Virgine naſci voluit, & pro nobis crucifigi, tunc miſericordia Domini plena extitit terra, & qui crediderit in illum, miſericordia Domini circumdatus eſt, Ideò miſericordia mea, quia miſericordiam Domini ſuſcipit ex parte ſua, ſi baptizatus crediderit, & opera miſericordiæ fecerit. Miſericordia mea dixit, quia nunquam miſericordia Dei recedit ab illo, & ideò facta eſt miſericordia ſua, Iſai. 54. num. 10.

Refugium meum, quia quotieſcunque peccaui, & ad te reuerſus pœnitens confugi, Pſalm. 9. num. 10. factus eris Dominus refugium mihi pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, 2. Reg. cap. 22. nu. 3. Deus fortis meus, ſperabo in eum, ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ, eleuator meus, & refugium meum, Saluator meus, &c. Pſalm. 58. num. 17. ſuſceptor meus, & refugium meum, Pſalm. 90. num. 2. ſuſceptor meus, & liberator meus. Hìc conſidera quantis à Deo donis, & gratijs donatur fidelis, Chriſti veſtigia ſequens.

Digitized by Google

Victor in bello cum inimico constituitur: misericordiâ Dei circumdatur: in tribulatione Deus refugium est ei, illum suscipiendo, & ab inimicis liberando, illius protector declaratur, quia sperat in eo: subijcit gentes illi. Et quid est homo, quia eum reputas Domine, aut quid apponis cor tuum erga eum? Iob c.7.num.17. & hìc dicitur, Domine, quid est homo; quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Filij Dei incarnationem præuidebat, & ex femine eius nasciturum sciebat. Quid sum ego Domine, quem de post fas tantes accepisti? Psalm.77.num.70. Quid sum ego homo vilis, quòd ex femine meo nasci statuisti, vt mihi, & alijs notus fias tu? tui tamen non te cognoscent; in propria enim venies, & tui non te recipient, Ioan.c.1. tantis nominibus appellatur Deus, quot beneficia, tot nomina, Hieronym. hìc.

Protector meus, & in ipso speraui, qui subdit populum meum sub me. Verba Dauid, seù Ecclesiæ, cuius semen gentes hæreditabit, Isai. dicto cap.54. num.3. & 5. & Redemptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur, & ideò sequitur num.7. & in miserationibus magnis congregabo te; montes enim commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, dixit Redemptor tuus Dominus. Qui subdis populum meum sub me. Et quare dicit populus meus, si recessit ab illo? Populus scilicet Israel, Daniel cap.9.num.26. Et vos non amplius populus eius. Audi responsum per Isaiam cap.5. Ponam vineam meam desertam, auferam sepem eius; & erit in direptionem, & in conculcationem, Vinea autem Domini, domus Israel, & expectauit, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iustitiam, & ecce clamor, Isai. dicto cap.5. per totum. Populus verò Dei, qui fuit absque misericordia, cuius miserius Dominus dixit, Et dicam non populo meo, populus meus es tu, & ipse dicet, Deus meus es tu, & sponsabo te mihi in fide in sempiternum, sponsabo te mihi in iustitia, & in iudicio, & in misericordia, & in miserationibus, Ose.2.num.19. vsque in finem; propterea Isai.49.nu.6. Ecce dedi te, inquit, in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, idem Isai.42.num.6. Ego Dominus, dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris; & ducam cæcos in viam, quam nesciunt, & in semitas, quas ignorauerunt, Isai.43.num.6. & 7.

Subiecit ergo populum meum sub me. Populum meum, idest omnes iustos, Isai.d.cap.43.num.7. & omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum, & cap.60.nu.21. populus autem meus omnes iusti in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. Minimus erit in mille, minimus, idest parua familia, mille, idest repleta plurimis fidelibus, & populus, idest parua domus, in gentem fortissimam, ego Dominus in tempore eius, subito faciam istud. De Ecclesia ergo loquitur, quæ fuit à principio parua, nunc verò in toto Orbe dilatata, Isai.d.cap.54. in princ. iuxtà promissionem, quam fecit Deus Iacob, Genes.28.num.14. Semen tuum dilatabitur ad Occidentem, ad Orientem, & Septentrionem, & Meridiem, & benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ.

Quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quoniam reputas eum? idem in Psalm.8.num.5. Dei misericordiam circà hominum creationem osten-

oſtendit & eorum redemptionem, Ioan. cap.3.num.16. Sic dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt carnem hominis aſſumeret: vt patiens in carne aſſumpta, omnium peccata portando deleret, Iſai.cap.53. per totum, & numer.12. Et pro homine animam ſuam tradidit in mortem, ad Roman. cap.1.num.20. Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellectu conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ità vt ſint inexcuſabiles: Per dilectionem quoque innoteſcit Deus homini, Ioan.cap.14. nu.20. Si quis diliget me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Per quam dilectionem in carnis aſſumptionem nobis apparuit, Ioan.1. & Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.

Quid eſt homo? qui nunquam in eodem ſtatu permanet, velut vmbra, dies eius pertranſeunt, Iob cap.7. vt ſermo ſit de homine carnali, qui terrena ſapit, de ijs, qui peccando ſibi Deum contrarium fecerunt, Iob cap.7.nu.20. Quare poſuiſti me contrarium tibi? vbi Gregor. lib.8. Moral. cap.20. Tunc ſibi contrarium Deus hominem poſuit, cum homo Deum peccando dereliquit; facta eſt enim ipſa contrarietas culpæ, facta eſt homini pondus pœnæ, vt corruptioni ſuæ malè liber ſeruiat, qui benè ſeruus de incorruptionis libertate gaudebat: ſalubrem quippè humilitatis arcem deſerens ad infirmitatis iugum ſuperbiendo peruenit, & ceruicem cordis erigendo ſuppoſuit, quia qui ſubeſſe diuinis iuſſionibus noluit, ſub ſuis ſe neceſſitatibus ſtrauit. Et fuſius ibi ſequitur hominis neceſſitates.

Hominem verò illum Deus magnificat, qui illum confitendo, aut eius opera operando terrena deſpiciens, ſolum Deum ipſum glorificat, ſolum Deum diligit, & proximum. Vndè Gregor. lib.8. Moral. cap.16. in medio littera A. Hominem Deus magnificat, quia largitate rationis ditat, infuſione gratiæ viſitat, honore collatæ virtutis exaltat. Cumquè per ſemetipſum nihil ſit, eſſe tamen eum cognitionis ſuæ participem, benignitatis munere concedit. Et erga eumdem magnificatum hominem cor ſuum Deus apponit, quia poſt dona iudicium exerit, merita ſubtiliter penſat, vitæ pondera examinat, & tantò ab eo poſt diſtrictius pœnas exigit, quantò hunc impenſo munere largius præuenit, Auguſtin. hìc littera F. Quanti æſtimauit hominem, qui pro eo vnici ſanguinem fudit, tanti ergo eum pendis, tanti eum æſtimas, pretioſum quodam oſtendis, & meritò. Si Deum homo dereliquit peccando, diſtrictius illum punit corrigendo.

Benedictus Deus, qui docet manus noſtras ad prælium, & digitos noſtros ad bellum; & ſi pugnando vicimus, quam annonam nobis vincentibus Dominus reſeruat. Ego ſum, inquit, panis viuus, qui de cælo deſcendi. Hac annona paſcuntur Angeli, panem enim Angelorum manducauit homo; & poſt prælium, Pſalm.26.num.4. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Quis ergo homo terrena requirat, quæ tranſitoria ſunt, quæ vana ſunt, vt æterna amittat?

Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt. Vanitati ſimilis factus eſt, quando peccauit, qui prius veritati ſimilis factus erat, quando cognitus fuit. In primo caſu per inuidiam diaboli mors introiuit in mundum, Sapien. cap.2. in fine, ideò dies eius pauci ſunt, qui prius erant lon-

longæui, Geneſ.cap.2. in Paradiſo enim voluptatis poſitus erat homo, vt operaretur, & cuſtodiret illum; poſt peccatum verò ab illo expulſus, dies illius pauci facti ſunt, & in illis paucis diebus, vt terra ei eſſet ſodienda, vt in ſudore vultus ſui veſceretur pane ſuo.

Domine inclina cælos tuos, & deſcende: tange montes, & fumigabunt. Supra dixerat, Benedictus Deus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum; nunc, inquit, Domine, inclina cælos tuos, & deſcende. Quomodò filium hominis deſideras, ſi manus tua docta ad prælium vicit inimicum? Ità Dauid deſiderat iàm Deum venientem, vt per eius aduentum credentes in illum ſaluarentur, & ideò dicit, Domine inclina cælos tuos, & deſcende. Addit tamen, Tange montes, & fumigabunt. Sicut & Iſai.cap.64.num.1. Vtinam dirumperes cælos, & deſcenderes: à facie tua montes defluerent. Sicut exuſtio ignis tabeſcerent, aquæ arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis: à facie tua gentes turbarentur. Nec mirum ſi arderent igni, nàm Deus ignis conſummens eſt, Deuteronom.4.num.24. Mich.1.num.23. Ecce Dominus egredietur de loco ſuo, & deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ, & conſummentur montes ſubtus eum, & valles ſcindentur ſicut cera à facie ignis, & Pſalm.96.num.3. Ignis ante ipſum præcedet, & num.4. vidit, & commota eſt terra, & num.5. Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra, & Pſalm.47.num.4. & 5. Reges terræ congregati ſunt, conuenerunt in vnum, conturbati ſunt, commoti ſunt, & num.7. ibi dolores, vt parturientis, propterea ſequitur hìc.

Fulgura corruſcationes, & diſſipabis eos, emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos. Fulgura, vel corruſca, ideſt clarifica corruſcationes, vel corruſcationem, ideſt crebreſce miraculis, & ſoluetur conſpiratio eorum, quia crebris miraculis territi nil audebunt, hæc Auguſtin. Emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos, ſagittæ potentis acutæ, præcepta tua, dicta tua feriant cor eorum emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos, vulnerentur malè ſani, vt ſanentur benè vulnerati; & dicant iàm in Eccleſia, iàm in corpore Chriſti conſtituti, dicant cum Eccleſia, quoniam vulnerata charitate ego ſum: hæc Auguſtin. Vel dicamus, vt in Pſalm.119.num.4. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatorijs; Vide quæ ibi dixi.

Emitte manum tuam de alto, & eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum. Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi, Pſalm.79.numer.18. Inclina cælos tuos, & deſcende: deſcendit humilis factus, mitte nunc manum tuam de alto, quia tui te non receperunt, iàm Princeps huius mundi in te non habet quidquam, & propterea tibi data eſt omnis poteſtas in cælo, & in terra, Diſſipa gentes, quæ bella volunt, Pſalm.67.num.31. Iudæos nempè, qui in te non crediderunt, qui populum tuum perſecuti ſunt, Act. Apoſtol.cap.9. Mitte ſagittas tuas ſicut in Saulum, ad Galat.cap.1.num.15. Reuela filium tuum in illis, vt credentes in te ſalui fiant, omnia enim dedit tibi Pater in manu tua, Ioan.c.3.num.35. fac vt credentes in te, vitam æternam habeant, ſuper verò incredulos ira tua deſcendat, quia ex patre diabolo ſunt, Ioan.8.num.44.

Emitte manum tuam de alto, vt diſſipes illos, qui in te credere nolunt,

ſubeſt

ſubeſt enim tibi cum volueris poſſe, Sap. cap. 12. num. 18. Diſperge illos in virtute tua Domine, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis. Sed nunquid Dominus manum ſuam de alto non miſit? quid facimus, inquiunt, quia hic homo multa ſigna facit? Non videtis, quia totus mundus vadit poſt illum? Ioan. 12. num. 19. & idem Dominus in Ioan. cap. 15. num. 22. Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, ſi opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem, & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum, quia odio habuerunt me gratis, Pſalm. 68. numer. 5. Dextera eorum, dextera iniquitatis. Effunde ſuper eos iram tuam, appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in iuſtitiam tuam, d. Pſalm. 68. numer. 23. cum ſequen. Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur, &c. eodem Pſalm. 68. num. 29. à ſæculo non eſt auditum, quòd quis aperuit oculos cæci nati, & quid in illis ſagitta iſta operata eſt? niſi hic eſſet à Deo non poterat facere quidquam. Reſponderunt, & dixerunt ei. In peccatis natus es totus, & tu nos doces? & eiecerunt eum foras. Cæci ſunt, & peccatum eorum manet. In hunc enim mundum venit Dominus, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant, Ioan. d. cap. 9. numer. 40. Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Matth. cap. 3. numer. 7. Luc. 3. numer. 7.

Quid facimus quia hic homo multa ſigna facit? expedit vobis, vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat, Ioan. cap. 11. num. 47. Dextera eorum, dextera iniquitatis, cum enim eſſet Pontifex anni illius prophetauit. Dextera tamen illorum, ſiniſtra facta eſt iniquitatis, quò ad ipſos, qui non cognouerunt, propterea à Gentes, & ex Iudæis illi, qui crediderunt cum Dauide hìc dicunt, Deus canticum nouum cantabo tibi, in pſalterio decem chordarum pſallam tibi.

Auguſtin. hìc. Quid ergo cum os eorum locutum eſt vanitatem, tu inter eos, ò Dauid in vaſe paſtorali habens quinque lapides agis? Quomodò inter eos te habes? Ecce quomodò? Sternam, inquit Dominus, per ordinem lapides tuos, Iſai. cap. 54. num. 11. O Deus inter verba illorum vana cantabo tibi canticum nouum, non hominis, ſed canticum noui teſtamenti, canticum de noua gratia; ſtrepitus enim aquarum congregationis obmuteſcere non me faciet; inter medium montium pertranſibunt aquæ. Sed, ne putes, inquit Auguſtin. gratiam à lege diſcedere, cum in Pſalmis magis per gratiam lex impleatur, in pſalterio ergo decem chordarum, in lege decem præceptorum ibi tibi pſallam, ibi tibi gaudeam, ibi tibi cantem canticum nouum, quia plenitudo legis charitas eſt, ad Roman. 13. nu. 11. qua qui caret, pſalterium portare poteſt, cantare non poteſt, hæc Auguſtin.

Qui das ſalutem Regibus, qui redemiſti Dauid ſeruum tuum, de gladio maligno eripe me. Quis eſt, qui dat ſalutem Regibus? Filius Dei eſt, de quo Pſalm. 71. num. 12. Et adorabunt omnes Reges terræ, & Iſai. cap. 49. nu. 7. Reges videbunt, & conſurgent Principes, & adorabunt Dominum, qui redemit Dauid ſeruum tuum. Vndè in Pſalm. 137. num. 5. Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ, quia audierunt omnia verba oris tui, & cantent in vijs Domini, quoniam magna eſt gloria Domini, de quo in d. Pſal. 71. n. 12,

Quia liberauit pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor, de gladio maligno eripe me, & à lingua dolosa, Psalm. 56. nu. 5. Filij hominum dentes eorum, arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.

Qui das salutem Regibus, &c. Nota, quòd maior est iniquæ linguæ potentia, quàm olim fuerint tyrannides Regum contrà Ecclesiam. Sancti enim per fidem vicerunt Regna, à quorum potentia, & tyrannide liberata est Ecclesia; Etenim Reges viderunt, & audierunt verbum Dei per Apostolos, & álios, & ex persecutoribus Ecclesiæ, facti sunt illius defensores; non tamen cessauit hæreticorum lingua dolosa detrahentium eidem Ecclesiæ, & falsis doctrinis illam lacerantium, Psalm. 128. num. 3. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitates suas. Fides enim nostra hæc patitur secundum insipientes. Iusti autem, & fideles læti, & tamquam aurum in fornace probati, in fide non deficiunt, quia illorum animæ in manu Dei sunt, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, Sap. 3. & 5. Beatitudo illorum nequaquam in secundis rerum humanarum successibus, sed in cælestibus, & diuinis rebus consistit, quæ & si summis, & infinitis malis circumdata sit, ijs nihilominus, neque omnino tolli, neque minui potest, audi Paul. & cæteros Apostolos, & Martyres, ad Roman. 8. num. 35. Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an persecutio? an gladius? & quæ sequuntur. Propterea dixit Iesus, Non veni mittere pacem, sed gladium, gladium firmitatis fidei, gladium virtutis Dei, vt probati in fide inueniantur auro pretiosiores, Sap. d. cap. 3. num. 6. quoniam donum, & pax est electis Dei, & pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Confundantur, & reuertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion, Ecclesiam Dei scilicet. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit.

Vir ergo pius, & fidelis non in persecutionibus turbetur, hoc enim Deus permittit, vt pius beatus sit, & simul miser: tranquillus sit, & perturbatus: lætus, & idem tristis. Virtus enim in infirmitate perficitur: & Beatus qui sustert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam gloriæ, quam repromisit Deus diligentibus se, dilectio enim Dei omne malũ excludit.

Qui verò gladius malignus, & lingua acuta, & quæ ex illa, mala nascantur, declarat inferius, dicens, Et erue me de manu filiorum alienorum. Alieni enim, qui non intrant per ostium in ouile, sed aliundè, & fures sunt, & latrones, vt mactent, & manducent, Ioan. capit. 10. numer. 1. cum sequen. Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis, ecce quod oritur ex gladio maligno, idest lingua maligna; nam dextera eorum, dextera est iniquitatis; operantur enim malum, lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis; Quorum viæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum, Prouerb. 2. num. 14. sunt enim fructus, qui inferius narrantur ex filijs hæreticorum, idest ex sensibus eorumdem, quia ab Ecclesia recesserunt, qui terrena tantùm sapientes, amittunt cælestia, vt in profundissimum infernum descendant, Ioan. c. 17. num. 16. quæ verò sit eorum vanitas, exponit Psalmista, dicens.

Quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua: Hieronym. Plantatio eorum non est vetus, sed nouella est, non est enim de veteri lege, non de Prophetis, neque de Apostolis, sed de nouis Magistris est: In iuuentute sua,

ſua, ſemper iuuenes ſunt, licet ſint multæ hæreſes veteres, tamen quotidie mutantur, & nouæ quotidie inueniuntur. Licet veteres ſint, tamen cum quotidie doctrinas ſuas innouent, nouæ ſunt; non enim ſunt veterum Magiſtrorum errore contenti, ſed quotidie ipſi noua reperiunt, claudunt Regnum cælorum ante homines, ipſi enim non intrant, nec introeuntes ſinunt intrare, Matth. c. 23. Deficiunt in vanitates, & in inſanias falſas, Pſalm. 39. num. 5. Confidunt in diuitijs, in multitudine filiorum, & filiarum, ſiniſtram faciunt dexteram, & dextera eorum, dextera iniquitatis, Pſalm. 36. numer. 7. Noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua, quia adhùc puſillum, & non erit peccator: quæres locum eius, & non inuenies, & numer. 35. Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani: Et tranſiui & ecce non erat: quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Beatus vir, cuius eſt nomen Domini, ſpes eius, Pſalm. 39. numer. 5.

Beatus populus, cuius eſt Dominus Deus eius, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, Matth. cap. 5. num. 45. Non ergo beatus, qui eleuatur, vt cedrus, vel quia habeat filios, & filias, & bona quæcumque poſſideat. Non arguo bona, quæ etiam Abraham, Iacob, & Sancti habuerunt, ſed populum inſipientem arguo, qui bona poſſidentem, beatum vocant, illud, quod eſt in ſiniſtra, ponentes in dexteram. Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.

Epulabatur quotidie diues ille, & induebatur purpura, & byſſo, Luc. c. 16. num. 9. boues eius craſſi, oues fætoſæ, & de eius micis Lazarus ille pauper ſaturari deſiderabat, ille in inferno guttam aquæ deſiderabat in lingua ſua, cum pauper in ſinu Abrahæ conſolaretur. Oues eorum fætoſæ abundantes in egreſſibus ſuis, nàm poſt mortem ſuam reliquit quinque fratres in eadem falſa beatitudine perſiſtentes, & epulantes. Mitte Lazarum ad illos, ne veniant in hunc locum, habent Moyſen, & Propheras, audiant illos. Lyran. ibi, Habent Moyſen, qui docuit temporalia agenda, & Propheras, qui docuerunt myſtica, & credenda, vt beatus ſit populus ille, cuius Dominus Deus eius, 1. Paraliponien. cap. 29 num. 11. Tua eſt Domine magnificentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus: cuncta enim, quæ in cælo ſunt, & in terra tua ſunt, tuum Domine Regnum, & tu es ſuper omnes Principes, tuæ diuitiæ, & tua eſt gloria, &c. & num. 14. quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi, peregrini enim ſumus coram te, & aduenæ, ſicut omnes Patres noſtri, &c.

Caſſiodor. Beatus eſt populus, cuius Dominus eſt voluntate, ille, qui eſt Deus eius poteſtate. Oues eorum fætoſæ abundantes in egreſſibus ſuis, nàm immanitate eorum conſumpti ſunt. Ideò in egreſſibus ſuis, quoniam ſpes impij tamquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tamquam fumus, qui à vento diffuſus eſt, & iter impiorum peribit, Pſalm. 1. in fine.

Pſalmus iſte 143. tamquam finis bellatoribus Chriſti, quorum manus docuit Dominus ad prælium, & digitos ſuos ad bellum, poſitus eſt à Dauide, vt poſt tot bella, & tentationes diximus non debere amare terrena, in quibus non eſt ſpes, ſed Deum ſolum, qui eſt Deus, & Dominus noſter, in cuius manu omnia ſunt poſita, diligamus ex toto corde, vt contemnentes temporalia, illius gratia peruenire poſſimus ad æterna gaudia, quaſi enim de triumphali victoria reuertentes omnium inimicorum eorum, Pſalmum iſtum poſuit

Pro-

Propheta, vt victores cum ipso in reliquis septem Psalmis sequentibus cælesti lætitia pleni, peccatorum nubibus repulsis, serenis mentibus ad laudes Dei veniamus, & spretis temporalibus, nunc ad sola præconia Dei vacemus, exaltantes Deum, & nomen eius benedicentes, vt infrà dicemus.

SOLILOQVIVM.

BENEDICTVS Deus, qui manus meas docuisti ad prælium, vt firmus in fide contrà nequitias diaboli, ac tentationes persisterem, digitosq. meos ad bellum, ne in vanitatibus huius mundi meam spem collocarem. Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus, protector meus, in quo spero, vt subdas omnes sensus meos mihi, Te solum Deum meum Authorem bonorum meorum cognoscens benedicam te. Quis sum ego, vt tu venires ad me? qui inclinasti cælos, vt descenderes, & homo factus, passione tua liberares me? saluares me? impelle me Domine, vt vanis huius mundi despectis, te solum Deum, ac Dominum meum sequens, per misericordiam tuam possim ad te peruenire. Adauge fidem, adiuua incredulitatem meam, vt firmus in fide permanens, te filium Dei Vnigenitum confitendo, dicam & ego; Benedictus Dominus, & Deus meus Iesus Christus, Deus de Deo, filius Dei Vnigenitus, qui saluas omnes sperantes in te. Virgo Dei Genitrix intercedendo succurre mihi misero peccatori, vt salua fiat anima mea. Amen.

IN PSALMVM CXLIV.

Exaltabo te Deus meus rex: & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

TITVLVS: Laudatio ipsi Dauid: Laudatio, idest laudes Christi inspiratæ à Spiritu sancto, & Dauid, & Ecclesiæ suæ in æternum, & in sæculum sæculi, in Hymnis, & Canticis lætanter decantandæ. Non enim sine causa Psalmus iste iuxtà seriem Alphabeti Hebraici compositus est initio cuiusque versus, totq. sunt versus, quot sunt & litteræ, quarum vnaquæque proprium designat mysterium, pro vt videre est in illarum interpretationibus allatis à nobis suprà in enarratione Psalmi 118. Significatur autem per istam compositionis rationem, eos Christi fideles, qui in Hymnis, & Canticis Deum laudaturi sint, eiusq. mirabilia, scire debere, & obseruatores esse totius diuinæ legis, & nosse quas gratias ipsi referant Deo, à quo tot insigniti fuere, & documentis, & beneficijs, de quibus in præcedenti actum est Psalmo.

Porro cum Dauid præuidisset in spiritu tempus, quo impletæ forent Scripturæ omnes, conueniens censuit ad Psalterij sui finem, vt proponeret quæ excitarent, vt gratias Deo pro omnibus beneficijs daret Ecclesia; septem ad hoc exhibens Psalmos lætos laudationis.

Summa, seù argumentum huius Psalmi ex titulo percipitur; laus enim in sæcu-

ſæculum ſæculi ab Eccleſia Deo, qui fecit omnia,& regit in bonitate,& in miſericordia omnia gubernat, conſeruat, & hominibus eum in fide diligentibus, dat vitam æternum.

Exaltabo te Domine, Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſæculum ſæculi. Et ego pariter cum Dauide humiliatus, Chriſtum Ieſum exaltabo caput meum, Eccleſ. cap.11.num.1. Sapientia humiliati exaltabit caput illius, quia Dominus me inter ſua ſuſcepit membra, & in ouili Gregis ſui me connumerare dignatus eſt, Pſalm.29.num.1. Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, & animam meam ab inferno eduxiſti,& à deſcendentibus in lacum me ſaluaſti; cum vita in voluntate tua ſit. Exaltabo te, confitens, quòd tu es filius Dei,æqualis Patri ſecundum Diuinitatem, minor Patre ſecundum Humanitatem; nàm vt me redimeres, carnem meam ſuſcepiſti, paſſus es, ac mortuus, & reſurgens in cælum aſcendiſti. Exaltabo, atque omni populo hæc prædicabo; quia tu es lux, quæ in mundum veniſti, vt qui credunt in te, in tenebris non maneant, Ioan. cap.12.num.47. Et quòd tibi data ſit omnis poteſtas in terra, & in cælo, Matth. cap.28.num.18. Quandoquidem exaltatus in cruce, omnia ad teipſum traxiſti, Ioan. cap.12.num.32. Exaltabo te Deus meus Rex, exultans cum Eccleſia, & iubilans cum Iſai. cap.62. num.11. ac dicens, Ecce Saluator tuus venit: ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo, Et vocabunt eos, populus ſanctus,redempti à Domino,&c. & cum Zachar. cap.9.num.9. Exulta filia Sion, iubila filia Ieruſalem, ecce Rex tuus venit, iuſtus, & Saluator. Exaltabo te Deus meus, qui ad nos venire dignatus es, & de Rege Dauid, quem tu feciſti, naſci dignatus es, ipſe autem Rex noſter es, qui redemiſti nos, & in Regnum tuum introduces nos.

Ipſi Dauid laus, ipſi Chriſto nempè, qui ex carne Dauid natus eſt, quia filius Dauid: ſecundum autem diuinitatem creator Dauid, & Dominus Dauid, Exaltabo te Deus meus Rex, laudabo te, & benedicam nomini tuo in ſæculum ſæculi; in hoc ſæculo, dum vixero, Qui laudari non vult in tranſitu huius ſæculi, obmuteſcet cum venerit ſæculum ſæculi, dicit Auguſtin. Sed quare laudandus Deus? quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, Pſalm.116.num.2. Iſai. cap.53.num.10. Quia poſuit pro peccato noſtro animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit, Luc.cap.22.num.37. Vndè Auguſt. Vt enim ſe homo laudet, arrogantia eſt, Prouerb.27. vt Deus ſe laudet miſericordia eſt, prodeſt amare, quem laudamus; bonum amando, nos meliores efficimur, ideòq. hoc nobis prodeſſe nouit, vt amemus eum; laudando ſe amabilem ſe facit, etenim in eo nobis conſuluit, quia ſe amabilem facit, Apocal. cap.7. num.15. Hi ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die, ac nocte in templo eius, & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos, & num.17. Et reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, Apocal. cap.21.num.3. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. Exaltatur ergo cor noſtrum in laudem ſuam, & ſpiritu ſuo impleuit ſeruos ſuos, vt laudarent eum; & quoniam ſpiritus eius in ſeruis ſuis laudat eum, quid aliud quàm ipſe ſe laudat? hæc Auguſtin.

Lauda ergo, & benedic Dominum Deum tuum per ſingulos dies, vt cum finiti-

finiti fuerint ſinguli dies, & venerit ſine fine vnus dies, Domini nempè; Iſai. cap. 13. num. 9. eas ex laudibus in laudem, ſicut ex virtutibus in virtutem, Per ſingulos, inquit, dies benedicam te, hinc Ioan. Apocal. cap. 5. numer. 12. Dignus eſt Agnus, qui occiſùs eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes, Sedenti in throno, & Agno; benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.

Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Benedicas ergo Dominum per ſingulos dies in hoc ſæculo, vt ante thronum Dei, in Templo eius ſeruiens illi, qui ſedet in throno, cum alijs ſanctis habitet ſuper te, Pſalm. 118. num. 164. Septies in die laudem dixi tibi, vndè Pſalm. 31. num. 5. Requiem temporibus meis non dabo, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob; non ſolum in die, ſed & in nocte num. 54. Memor fui nocte nominis tui Domine, & num. 62. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Sed nunquid ſi tibi benè non erit, in illa die, non benedices Dominum? Semper eſt benedicendus Dominus, & ſuper omnes diligendus; Sit nomen Domini benedictum, dicebat Iob cap. 1. num. 21. Nudus egreſſus ſum, dicens, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ſic factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Quid proderit tibi bonum, etiam ſi mille ſint anni tui, illi enim tamquam dies eſterna, quæ præterijt, & cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, & ideò Dauid Pſalm. 89. num. 15. Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti; annis quibus vidimus mala. Benedicendus eſt ergo Dominus in omni tempore. Non credas, à miſericordia eius te derelinqui, qui tibi, aut blanditur dando, aut corripit exultantem, ne pereas, Laus enim flagellantis medicina eſt verberis, Sap. 12. num. 20. Cum enim das nobis diſciplinam, inimicos noſtros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur, ſperemus miſericordiam tuam. Gloria, & diuitiæ in domo Domini, In memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit, Pſalm. 111. num. 3. & 7.

Per ſingulos ergo dies, ſiuè bonos, ſiuè malos benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſæculum ſæculi. Non eſt enim bonus niſi ſolus Deus, cætera verò, quæ ſunt bona temporalia, tranſitoria ſunt, neque bona ſunt, quia ſeparant hominem à Deo, Audi Paul. ad Roman. cap. 8. quod ſentiat de die malo mundano, & terreno; Si Deus pro nobis, quis contrà nos? hinc reputabat bonum, quod pro amore Chriſti patiebatur, quem ſolus diligebat: hinc dicebat num. 35. d. cap. 8. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius, ſicut ſcriptum eſt Pſalm. 43. num. 23. Quia propter te mortificamur tota die, &c. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, quid dilexit nos, &c. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Per ſingulos ergo dies, ideſt quamuis in illis bonum, vel malum nobis eueniat, ſemper laudabo Dominum, à quo cuncta procedunt, vt in quocunque die in hoc ſæculo laudantes Dominum, in alio ſæculo ſalutem conſequamur,

quamur, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Fidelis ſermo, inquit Paul. ad Timoth.2. num.11. nàm ſi commortui ſumus, & conuiuemus nu.12. ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus, ad Coloſ. cap.3. in princ. Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi eſt Chriſtus in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram; mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cũ ipſo in gloria.

Auguſtin. hìc. Veruntamen de quocunque tali bono gaudeas, certè tranſitorium eſt, ſi autem gaudeas in Domino Deo tuo, audies dicentem Scripturam, Delectare in Domino, tantò firmius gaudebis, quantò eſt ille certior, in quo gaudebis. Si enim gaudes de nummo, times furem; ſi autem gaudes de Deo, quid times? ne tibi quiſquam auferat Deum? Deum nemo tibi auferet, ſi eum non dimiſeris. Si ergo Chriſtianus es, ſequere Dominum; non enim eſt maior Diſcipulus Magiſtrò, Matth. cap.10.num.24. Ipſe enim dixit, Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me, nu.38. qui enim non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Quocircà Petro dixit Dominus; Vade poſt me Satana, ſcandalũm es mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum, Matth. cap.16. numer.23. Quilibet ſequi volens Dominum, tollat crucem ſuam neceſſe eſt, & ſequatur illum. Ibant propterea Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, Act. cap.5.num.41. Multò magis ergo benedicenda eſt dies, in qua ſuſtinentes tribulamur pro Chriſto, quàm habitare in tabernaculis peccatorum, Pſalm.83.num.11. Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. Per ſingulos ergo dies benedicam tibi, ideſt in vtroq. tempore gaudij, & tribulationis, & laudabo nomen tuum, in quo vera eſt ſalus, & vita: in quo eſt verum gaudium, & vera lætitia: in ſæculum ſæculi duraturum.

Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi, ſemper laus eius in ore meo, quia, vt dicit Paul. ad Hebr. cap.13.num.8. Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula, ideſt in præterito, & in præſenti, ſemper ſuis adeſt, vt adfuit antiquis, quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis, quia ſine fine magnus, ſine fine laudabilis, valdè dixit, quia magnitudinis eius non eſt finis; ideò nec tibi in laudando illum ſit finis: tua laudatio ſit ſine fine, ideò laudabo nomen tuum in ſæculum ſæculi. Credis in Deum, quamuis moriaris, lauda eum, confitere viuens, ne tamquam à mortuo pereat confeſſio tua, Eccleſ. cap.17.num.26. non enim mortui in fide laudabunt Dominum, Pſalm.113. ſed qui credit in illum, licet moriatur, viuet, Ioan. c.11. num.25. Si ergo viuentes, vel morientes Domini ſumus, ſemper laus eius in ore noſtro, ad Roman.14.num.7. Ad hoc Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, vt mortuorum, & viuorum dominetur. Magnus Dominus, & magnitudinis eius non eſt finis, ad opera eius reſpiciamus, & ex operibus laudemus operantem, de conditis conditorem, & cum Paul. dicamus ad Roman. cap.1. num.20. Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur.

Generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt.

tiabunt. Quid eſt generatio, & generatio, niſi quia generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat? Eccleſ. cap.1,num.4. Memoriam fecit mirabilium ſuorum in omni generatione, & progenie, in generatione, & redemptione; Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula; generatio, & generatio, ideſt ſingulæ generationes, & ætates. Hieronym. Generatio, quam fides protulit, & progenies, quam Chriſti paſſio procurauit, laudabunt opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt. Cum vel à te facta ſunt, vel à te proteguntur.

Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquemur, & mirabilia tua narrabimus. Ideſt maieſtatem, ſeù decorem, & mirabilia tua narrabimus. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, iſta eſt magnificentia, de qua 2.Petr. cap.1.num.17. dicitur, Non enim doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſentiam: ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis; Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite; per quem vocati ſumus in ſocietatem filij eius Domini noſtri Ieſu Chriſti. Magnificentiam loquemur quia prædicatio Chriſti ſpiritum ſcientiæ dedit, quo ſcimus conuerſari rectè in medio nationis prauæ, & peruerſæ. Mirabilia narrabimus, quia illis, quos mittit Euangelium prædicare, dedit poteſtatem infirmos curandi, mortuos ſuſcitandi, leproſos mundandi, & dæmones eijciendi, Matth. 10.num.8.

Et virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt, Act. Apoſt. cap.13.num.38. Notum igitur ſit vobis viri fratres, quia per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur, &c. & num.46. Et quia verbum Dei repellitis, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes, Iſai. cap.49.num.6. Virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt. Blanditur, vt exhortetur; minatur, vt terreat, & corrigat; ſi non minaretur, nulla eſſet correctio, ſi non blandiretur, nulla eſſet exhortatio; Eſt itàq. amabilis, & terribilis. Dicent ergo virtutem diſciplinantis, & punientis; ſi prædicant Regnum æternum, non tacent ignem æternum: vndè Hieronym. Virtus eſt terribilis, cum in impios vlciſcitur, vt in Pharaonem. Magnitudo eſt cum iuſti eruuntur, vt Iſrael; magnitudo, cum non populum, populum ſuum facit.

Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt. Prius dixerat, & virtutem terribilium tuorum dicent, iuxtà illud Exod. c.20. num.18. Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur, & num.20. quia terribilis, nè in illos peccantes terror Domini irrueret; vltor eſt enim Dominus in illum, qui vocem Domini noſtri Ieſu Chriſti audire noluerit, Deut. cap.18.num.19. Ierem. cap.30.num.5. Et ecce turbo Domini furor egrediens, procella maris in capite impiorum conquieſcet. Nunc verò memoriam ſuauitatis ſuæ eructabunt, vt prædicantes verbum Domini, credentibus in illum abundantiam ſuauitatis ſuæ promittant. Audite Dominum in Ioan.c.7.n.38. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, hoc autem dixit de Spiritus ſancto, quem recepturi erant credentes in eum. Memoriam abundantiæ ſuauitatis eructemus, quia hæc promiſit, & reminiſcimini, quæ ipſe per Prophetas, & Moyſen dixit nobis, Ioan. cap.16.num.4.

Et

Et iuſtitia tua exultabunt, nàm ibidem Ioan.num.8. Cum venerit ille, Spiritus ſanctus ſcilicet, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio; de peccato quidem, quia non crediderunt in me; de iuſtitia verò, quia ad Patrem vado, & iàm non videbitis me; de iudicio autem, quia Princeps huius mundi iàm iudicatus eſt; hoc enim totum factum eſt per Spiritum ſanctum operantem doctrina, & miraculis per Apoſtolos, & in mentibus hominum per internas inſpirationes, eructabunt, quia prius manducauerunt. Auguſtin. Manducat enim, qui diſcit, eructat, qui docet, hoc tamen eructat, quod manducauit, Pſalm.8.num.12. Dilata os tuum, & implebo illud. Memoriam abundantiæ ſuauitatis eructabunt, quia filium ſuum miſit, vt nos redimeret, ſicut promiſerat, dicens, Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſuſcitabit tibi Dominus, Deuteronom.cap.18.numer.15. bonis ergo benè facit, malis verò malè, vnicuique enim ſecundum opera ſua retribuet, memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ, vndè Pſalm.118.num.49. Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.

Miſerator, & miſericors Dominus, patiens, & multum miſericors. Simile habetur Exod.34.nu.6. Dominator Domine Deus, miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis, ac verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia. Miſerator ideò venit, & miſericors Dominus, ideò eſcam dedit timentibus ſe; patiens, quia dat locum pœnitentiæ, Sap.cap.12.nu.10. cum tranquillitate iudicans, dans tempus, & locum, per quæ poſſint mutari à malitia, ibidem num.20. Et multum miſericors, nàm etſi ſeptuagies ſepties peccauerit redemptus ab ipſo, & pœnitens confeſſus fuerit, dat peccatori indulgentiam, & remiſſionem, Matth.c.18.num.21. Et multum miſericors, audi Dominum per Ierem.c.18.num.7. ad Roman.2.num.4. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit; ſecundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius, &c. miſerator ergo, quia venit, miſericors, quia paſſus eſt, & multum miſericors, quia peccatori redeunti parcit.

Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius, Sap.d.cap.12. in princ. O quàm bonus, & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus, & cap.15. Tu autem Deus noſter ſuauis, & verus es, patiens, & in miſericordia diſponens omnia. Etenim ſi peccauerimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam, & ſi non peccauerimus ſcimus, quoniam apud te ſumus computati, & Pſalm.102. ad animam dicitur; Benedic anima mea Domino, &c. qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, &c. & nu.9. Miſerator, & miſericors eſt Dominus, longanimis, & multum miſericors, qui non ſecundum peccata facit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis, ſed ſecundum magnam miſericordiam ſuam. Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus, omnes ſancti eius, quia non eſt inopia timentibus eum, Pſalm.33.num.8.

Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius, Auguſtin. Si ſuauis, quare damnat? quare flagellat? Nonnè iſti ſunt opera eius? Planè opera eius ſunt, & miſerationes eius, & vis noſſe, quia ſunt opera eius, & miſerationes eius, indè eſt illa lõganimitas, quæ facit Solem ſuum oriri ſuper

bonos, & malos. Nonnè miserationes eius, quia pluit super iustos, & iniustos. Longanimis expectat peccatores, dicens, conuertimini ad me, & conuertar ad vos, Malach.cap.3.num.7. & 18. & conuertimini, & videbitis, quid sit inter iustum, & impium. Sed quando dixit, Ite in ignem æternum, Matth. cap.25. hìc non est miseratio eius, sed veritas, & seueritas. Miseratio eius reddita est operibus eius; seueritas eius non est in opera eius, sed in opera tua. Denique vt tollas opera tua mala, & non in te remaneant nisi opera eius, non te dimittet miseratio eius; si autem tu non dimittis opera tua, erit seueritas eius in opera tua, Malach.4. in fine, non in opera sua.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi, Alia est confessio laudis, & hæc laus competit omnibus operibus à Deo factis, confessio verò peccatorum, & laudis hominibus, omnia igitur opera, & omne, quod est, confitetur, vel per se, vel per rationales creaturas, sicut ea, quæ non habent sensum laudandi. Sunt tamen materia laudis; nàm dum inquiris, magnã vim inuenis, quia à Deo sunt. Propterea & sancti tui benedicant tibi, idest Angeli, & homines in confessione operum tuorum, & in illorũ magnificentia inspicientes, sicut illi tres pueri in camino ignis existentes, & Dominum laudãtes dixerunt, Daniel 3. omnibus enim à cælestibus, vsque ad terrena, benedicite, hymnum dicite, & superexaltate eum in sæcula. Deus enim ordinauit omnia, Ioan.c.1. & fecit omnia. Quibusdam dedit sensum, & intellectum, & immortalitatem, sicut Angelis: quibusdam dedit sensum, & intellectum cum mortalitate, sicut hominibus; quibusdam dedit sensum corporis, non autem intellectum, nec immortalitatem vt animalibus: quibusdam vegetationem dumtaxat, vel solum esse, sicut herbis, lignis, & lapidibus, & tamen ipsa in genere suo deesse non possunt, creatura omnis, & tota laudat Deum, quia cum eam consideras, & pulchram vides, tu in illa laudas Deum, vt latius hìc Augustin. & hoc quod in illa inueneris, vox confessionis illius est in laude Creatoris.

Ergo confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant te, vt in confessione operum tuorum, sancti tui te benedicant, ipsi sancti tui inspiciant creaturam confitentem, & illorum vocem audi benedicentẽ. Et quid dicunt, Gloriam Regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur. Qui tot mirabilia feciſti, vt notã faciant filijs potentiam tuam, Ecce ergo quomodò opera, quæ fecit Deus à terra vsque sursum, & à cælo vsque ad ima, laudem dicant Domino, quia hominibus illa aspicientibus notam faciunt potentiam Domini, & magnificentiã Regni eius. Potentiam prius nominat Domini, deindè gloriã Regni Dei, hoc enim dicit Augustin. facit, vt potentia prius nominata amantẽ non terreat; nàm quæ maior potentia? Dixit & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt, Psal.37.nu.3 Genes.1. per totum, & in alio loco d.Psalm.32.nu.6. Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Gloriam sancti tui dicent, Sanctus scilicet Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth, pleni sunt cæli, & terra gloria tua in excelsis. Per verbũ enim quod est filius Dei, omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, Ioan.c.1. & spiritu oris eius omnis virtus eorum, Ioan.16.n.8. Gloriam Regni tui dicẽt, quoniam Regnum Dei possidebunt, Matth.5.num.3. Ioan.17. vt & ipsi in nobis vnum sint, gloriam magnificentiæ Regni tui, vt serui tui vnum sint tecum in Regno tuo.

Regnum tuum, Regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni

gene-

generatione, & generatione, ò magnam Dei magnificentiam, & potentiam. Auguſtin. Tu interroga, creatura reſpondet, & de reſponſione tamquã de confeſſione creaturæ tu ſancte Dei benedicis Deum, ideò Dominus in Ioan.c.14. Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? alioquin propter opera ipſa credite, Matth.11.num.4. Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Non reſpondit Ieſus, Ego ſum; ſed, Ite renuntiate Ioanni: quaſi dicat, opera, quæ facio, & vos audiſtis, & vidiſtis, cæci vident, claudi ambulant, mortui reſurgunt, &c. Gloriam magnificentiæ tuæ loquentur, Regnum tuum, Regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione, & generatione, Iſai.35.num.2. Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.

Regnum tuum, Regnum omnium ſæculorum prædicabunt, & dominatio tua in omni generatione, & generatione. Omnes Reges terræ gloriam tuam timebunt, Pſalm. 101. numer. 12. Adorabunt te omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient tibi, Pſalm.71. Quia initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli; ipſi peribunt, tu autẽ permanes, & filij ſeruorum tuorum habitabunt. Regnum tuum, Regnum omnium ſæculorũ, & dominatio tua in omni generatione, & generationem. Regnum ergo illud amemus, antequam illud videamus, vt cum viſum fuerit, illud teneamus; ſcriptũ eſt enim, Venite, poſſidete Regnum quod vobis ſcilicet iuſtis, paratum eſt ab initio, Matth.25.num.34.

Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, Iſai.48.nu.3. Priora ex tunc annunciaui, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea. Et ſequitur, Repente operatus ſum, & venerunt. Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis; quid enim promiſit, & non dedit? per ea quæ promiſit, & dedit, credimus, quia dabit, & ſi nondum dederit. Fidelis Dominus in verbis ſuis, quia non ſolum credentibus, ſed credituris promiſit Regnum Dei. Hinc per Iſai.55.nu.3. Et feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias Dauid fideles, ideſt præſtabo ſanctiſſimè promiſſam Dauid miſericordiam, Dabo ſancta Dauid fidelia, ideſt iuramenta, quæ iuraui Dauid, ſanctè reddam, omnia enim, quæ locutus eſt per Prophetas adimpleuit; ità fidelis in promiſſis, ſicut ſanctus eſt in operatione. Vt nos ſanctè operando, promiſſa obtineamus à Domino; & ſi aliquando propter naturæ imbecillitatem in aliquo deficiamus, ſtatim ſubleuantem habeamus, ſi dolentes, & pœnitentes ad ipſum reuertamur, & ideò ſequitur.

Alleuat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Auguſtin. hìc littera B. Confirmat Dominus omnes decidentes; ſepties enim cadit iuſtus, & reſurgit, impij autem infirmabuntur in malis, Prouerb. 24.num.16. Quando mala accidunt impijs, infirmantur ibi: quando mala accidunt iuſtis, confirmat Dominus omnes decidẽtes; Deciderat Iob à gloria priſtinæ lucis temporalium rerum; in ſtercore enim ſedebat, confirmauit eum Dominus decidentem, vt & in ipſo graui vulnere, vxori ſuæ reſponderet, quòd tamquam vna de mulieribus inſipientibus locuta eſſet. Si bona percepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſcipiamus. Confirmat ergo Dominus omnes decidẽtes, quia cum ceciderint, non collidentur, Dominus enim ſupponit manum ſuam, Pſalm.36. nu.24. Salus enim iuſtorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis, & adiuuabit eos, & liberabit eos, ibidem num.39. erigit enim omnes

eliſos, decidere enim videntur iuſti, illos tamen adiuuat Dominus, quia ſpes illorum immortalitate plena eſt, Sap.d.cap.3. & 5. Et erigit omnes eliſos, ſcilicet qui ruinam peccati, & lapſum paſſi ſunt, ideò enim computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.

Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Miſericordem audis, timeas & iuſtum, ſatiat ſpiritualiter, & corporaliter. Satiat ſpiritualiter tempore opportuno, vt iuſto tribulationem ſuſtinẽte, ſi non exauditur, ſubitò patiens ſperet tempore opportuno cũ maiori ſui gloria cibum ſpiritualem, auxilium à Domino abundanter recepturus. Miſerationes enim ſunt ſuper omnia opera eius; pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, dat illis eſcam in tempore opportuno, non paſſim. Auguſt. Multis enim petentibus ſalubriter differt. Quod conuenit, dat quaſi Medicus ægro; & quando conuenit, non vt homo deſiderat, & petit, ne obſit, ſi det. Petijt enim Paulus, vt ab Angelo Satanæ liberaretur à ſtimulo carnis, & non accepit, ſed propter maiorem perfectionem ſuam, vt quia tempus adhùc erat exercendæ infirmitatis. Petijt diabolus ad tentationem Iob, & accepit, Iob cap.1. & 2. ſed ad damnationem ſuam.

Aperis enim tu Domine ſcilicet in tempore opportuno manum tuam, & imples omne animal benedictione, Iob 42.nu.12. Dominus autem benedixit nouiſſimis Iob magis quàm principio eius. Et facta ſunt ei quattuordecim millia ouium, & ſex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille aſinæ. Et fuerunt ſeptem filij, & tres filiæ. Quid de Abraham, Iacob, Ioſeph, & de ſanctis Patribus dicam? quid de ſanctis Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, & de Virginibus? Vicerunt Regna, adepti ſunt repromiſſiones, ad Hebr.c.11. num.33. Aperis tu Domine manum tuam, implens omne animal benedictione. Et ſi non tibi dare videatur, aliquantum dat, dat tamen in opportunitate: differt, non aufert, & hoc in opportunitate.

Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Quiſquis ſis aut iuſtus, aut peccator; lauda flagellantem, ſi vis ſentire cibantem. Iuſtus eſt enim Dominus in omnibus vijs ſuis. Audi Danielem innocentem, & ſocios in fornacẽ ignis condemnatos, & Dominum laudantes, Daniel 3.n.52. & cap.9.nu.14. Iuſtus Dominus in omnibus operibus ſuis, quæ fecit, iuſtus, & quando cædit, & quando curat. Quocircà Gaudentes ibant Apoſtoli, quia digni ſunt habiti pro nomine Ieſu contumeliam pati, Act.5.num.41. ad Rom.8.n.35. Dominus enim reddit vnicuique ſecundum opera ſua, his quidem, qui ſecundũ patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitã æternam; ijs autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio, ad Rom.2. Iuſtus in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis; Velle enim, & operari idem eſt apud Deum; apud verò nos, viæ ad diſpoſitionem pertinent, opera verò ad effectũ.

Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum; omnibus inuocantibus eũ in veritate, Propè es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas, ſolum ergo Deum quæramus, & hæc omnia adijcientur nobis, Matth.6.nu.33. Quærere Deum in veritate, eſt in vijs eius ambulare, ipſe enim Ieſus Chriſtus eſt Via, Veritas, & Vita, Ioan.14.num.6. Vndè interrogati Diſcipuli, ſi & ipſi vellent abire, Petrus ex perſona omnium reſpondit, Ioan.6.n.67. Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei.

In-

Inuoca ergo Deum in veritate, confitendo, quia Ieſus Chriſtus eſt filius Dei viui, & ipſe Ieſus Chriſtus ſeipſum dabit tibi. Deſideraſti bonum, deſidera Ieſum Chriſtum, in quo eſt omne bonum, illum præpone omnibus, quæ prius tibi dedit, & tunc illum inuocaueris in veritate.

Auguſtinus hìc littera G. Nunquid non amabitur Deus, qui tentans te, omnia tibi bona abſtulit? Nunquid quia abſtulit, accuſabis Deum, quaſi iniuſtum, & laudas te, quaſi iuſtum? conuertere, accuſa te, & cum Iob cap. 1. lauda eum, dicens, Dominus dedit, Dominus abſtulit; tunc eris rectus cum in omnibus bonis, quæ facit Deus tibi placet, in omnibus malis quæ pateris, Deus tibi non diſplicet, hoc eſt inuocare Deum in veritate. Tales omnes confirmat decidentes, & voluntatem timentium ſe faciet, vt in ſequenti verſ. quia quod bonum tibi erit, faciet, quia timenti Deum vna eſt voluntas cum illo, vndè ad Roman. cap. 8. num. 24. Spe enim ſalui facti ſumus, ſpes autem, quæ videtur, non eſt ſpes; nàm quod videt quis, quid ſperat? ſi autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus, ſcilicet ſalutem, quam dixit Petr. 1. cap. 1. paratam reuelari in tempore nouiſſimo, num. 5.

Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet. Omnia iudicia Dei iuſtitia, & æquitas: miſericordia, & ſeueritas; miſericordia ſaluans omnes fideles ſperantes in ſe, omnes in veritate eum inuocantes; in peccatores verò ſeueritas, & iuſtitia, quia illos perſeuerantes in peccatis diſperdet; via enim peccatorum peribit. Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, & deſiderium peccatorum peribit, Pſal. 111. n. 10. in veritate enim non inuocauit Dominum. Laudationem ergo Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

SOLILOQVIVM.

O MAGNVM pietatis opus, ò miſerationes tuas Domine ſuper omnia opera tua. Quoties anima mea in Dominum peccaſti, & Dominus, te corruentem, alleuauit, & eliſam erexit? Per ſingulos dies benedic Domino, & in ſæculum ſæculi nomen eius exalta. Clama, Quis ſimilis tui Domine? qui facis mirabilia ſolus, longanimis, & multum miſericors, diſſimulans peccata mea, vt me ſaluares: Fidelis Domine in verbis tuis, qui peccatori pœnitenti, ſalutem dare promittis, ſalua me, cum ecce dolens accedam ad te. Eripe me ab omni malo, vt laudes tuas pronuntiem omni tempore. Aperi manum tuam, & animam meam reple omni benedictione, vt amplius non recedam à te. Iuſtus es Domine in omnibus vijs tuis, fac, vt te ſequens non declinem ab illis. Non recedas à me, vt propè ſim ego tibi, & tu mihi, quia ecce Domine diligo te, & in veritate inuoco te, ne diſcedas à me.

Sancte Petre, cui dictum eſt hodie, Petre amas me? Petre diligis me? & reſpondiſti. Tu ſcis Domine quia amo te; intercede pro me, vt Spiritum ſanctum infundat Dominus in cor meum, adiuuet incredulitatem, vt audacter & ego illi dicere audeam, te ſequi Domine paratus ſum in morte, & in carceribus. Et cum Paulo, Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? anguſtia?

an fames ? an nuditas ? &c. Sancti Dei Apoſtoli ſuccurrite mihi, vt deprecationem meam exaudiens Dominus, ſaluum me faciat, & exaudiat me Deus in cælo ſancto ſuo, in potentatibus dexteræ eius. Sancta Maria Dei Genitrix Virgo intercede pro me, vt dignè valeam in omni generatione, & progenie, verba filij tui decantare, & funiculum hæreditatis Domini dilatare. Amen.

IN PSALMVM CXLV.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: pſallam Deo meo quamdiù fuero.

TITVLVS: Alleluia: à Græcis verò, & Latinis, additum eſt Aggæi, & Zachariæ; & hæc additio antiquitus facta eſt huic Pſalmo, & non ſine myſterio, ipſis enim dictum eſt à Domino, poſtquam Templum Domini iterum iuſſu Cyri Regis Perſarum reædificatum eſt, Et filij Aſaph Leuites lætantes cum populo in cymbalis laudabant Dominum, & concinnebant in hymnis, & confeſſionibus, plurimiq. de Sacerdotibus, & Leuitis, qui viderant Templum prius, & hoc Templum in oculis eorum, flebant voce magna, 1.Eſdr.cap.1. num.3. & 9.vſque ad finem. Verbum ergo Domini factum in manu Aggæi cap. 2. in princ. dicentis, Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? & Quid vos videtis hanc nunc? & num.7. Adhùc vnum modicum, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dixit Dominus, & num.10. Magna eſt gloria domus iſtius nouiſſimæ plus quàm primæ, &c. & Zachar.1.num.16. cum ſequen. de Templo autem quod intellexerit de Chriſto, declarat idem Dominus, Matth.12.num.7. ibi. Dico autem vobis, quia Templo maior eſt hîc.

Titulus ergo iſte, Alleluia Aggæi, & Zachariæ, quia modò venit ille deſideratus gentibus Ieſus Chriſtus, per quem omnes clamauerunt, filij Hebræorum obuiantes illi, & dicentes, Oſanna filio Dauid, benedictus, qui venit in nomine Domini; & hæc eſt vera lætitia, de qua in hoc Pſalmo, Qui

Ad præcedentem ſic continuatur, in illo namquè de hac lætitia dictum eſt, quòd venit Dominus; verùm quia ſui eum non receperunt, quòd contrarius erat operibus illorum, qui in ſuis terrenis cupiditatibus confidebant; ideò ſubiectus eſt Pſalmus iſte, in quo ſeruienti Deo, ipſa confidentia talis prohibetur, Nolite confidere in principibus, &c.

Summa hæc eſt. Beatus ille, qui confidit in Domino, & non eſt ſpes eius in principibus, neque in homine.

Sibi ergo loquens iſte peregrinus, iſte viator, dicit animæ ſuæ, lauda anima mea Dominum, cui anima ipſius reſpondet, laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo, quamdiù fuero. Laudabo ſcilicet Deum meum Patrem in vita mea, in Chriſto Ieſu filio eius vnico, qui eſt vita, & via mea, quamdiù fuero, ideſt ſi ſemper ambulauero cum illo in via ipſius immaculata. Prouerb petij Pſalm.85.num.10. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in

veri-

Digitized by Google

veritate tuâ: et nimirum ratione, quam idem Iesus etiam Ioan.cap.8.num.31. significauit. Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & Ioan. cap.15.num.7. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, &c. & efficiamini mei discipuli. Sed quando erit in via immaculata, docet nos & Spiritus sanctus per Prophetam quoque suum Dauid verbis ijs, Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo, Psalm.18.nu.14. Et erunt vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper: sensus enim carnales, & peccata dominari dicuntur, cum prævalent, & hominem ex summo flagitio in antrum detrudunt, vndè Paul. ad Roman. cap.6.num.12. Non regnet peccatum, ait, in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius, sed neque exhibeatis membra verba arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Dei.

Vel secundum Augustin. Se exhortans anima secundum superiorem partem, ad seipsam secundum partem inferiorem, dixit, Quid tibi placet in hoc sæculo, quæ diuisa es per tot sæcularium rerum amores? Quid te occupat mortalium rerum cura? Collige te ad actorem, ibi tibi pax, & securitas. Sta ergo mecum, & lauda Dominum. Cui menti anima respondet, Laudabo perfectè in vita mea, æterna, scilicet, quæ est vera vita, cum perfectè ei inhæsero: hìc in corpore tenuiter laudo, quia corpus aggrauat, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Hìc spes consolatur, & pascit, in qua quodammodò viuens laudat, ideò hìc gemo, ibi plenè laudabo, & psallam Deo meo quamdiù fuero, idest semper hìc in carne sum mortali, & alijs intenta, ideò non semper psallo, & perfectè.

Vel secundum Cassiodor. Psallam, idest perfectè laudabo in futuro, & etiam hìc, vbi non semper ero.

Vel secundum Hieronym. Lauda, non dicit corpus, sed lauda anima, non quòd corpus damnauerit, sed carnis opera condemnauit. Anima ergo ipsa se hortatur, quomodò, si dicat Dauid, Lauda Dauid Dominum; sic & ipsa anima dicit ad se, lauda anima mea Dominum; simile habemus Psalm.34. num.13. Humiliabam in ieiunio animam meam. Laudabo Dominum in vita mea, ipsa se hortatur, & ipsa respondet. Laudabo Dominum in vita mea. Modò laudare non possum, peccatis premor: quotiescunque labia in laudes Dei aperio, toties illa conglutinat conscientia peccatorum, ideò dixit, laudabo, non laudo; quando cum Domino meo fuero, tunc laudabo in vita mea. Vita nostra Christus est, Dominum laudemus in vita.

Sequitur secundum documentum, quod satis per se clarum est; nemo enim salutem dare potest animæ nostræ, nisi solus Deus; salus enim iustorum à Domino, Psalm.36.num.39. Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à persecutoribus, & saluabit eos, quia sperauerunt in eo, & ibi diximus, Act. cap.4.num.12.

Nolite confidere in principibus; in filijs hominum, in quibus non est salus. Qui sunt principes, nisi filij hominum? Qui sunt filij hominum? In quibus non est salus, Sap. cap.7. in princ. & nu.5. Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium, vnus introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus, ergo in quo non est salus, tu sperans in illum vis habere salutem? Nemo

dat,

Digitized by Google

dat, quod non habet. Immo qui nec ſalutem ſuam curat: exibit enim ſpiritus eius, & reuertetur ſcilicet corpus eius in terram: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum, Gregorius. lib. 10. Moral. cap. 13. ſuper illud, oculi autem impiorum deficient, &c. inquit, Quia æterna mala, nunquam cogitata reperiunt, & ſubitò amittunt bona temporalia, quæ diù tractando tenuerunt, à quibus omne effugium perijt, quia eorum malitia ab animaduerſione diſtricti Iudicis, quò ſe valeat occultare, non inuenit, Eccleſ. cap. 12. numer. 7. Et reuertetur puluis in terram ſuam, vndè exiuit, & ſpiritus redeat ad Deum, qui fecit illum; docet nos idem Eccleſ. d. cap. 12. in fine, Quid nobis ſit faciendum, in quo ſperandum, Deum, inquit, time, & obſerua omnia mandata eius, & hoc eſt omnis homo, & cuncta quæ faciet adducet Dominus in iudicium pro omni errato, ſiuè bonum, ſiuè malum illud ſit, propterea ſequitur Pſalmus.

Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ſuo, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt. Et hoc eſt omnis homo, hoc eſt, omnis felicitas in hac vita, eſt in illo, nàm in hac vita illius adiutor eſt Deus Iacob, vt ſupplantantis, & terrena deſpicientis propter Deum; in alia vita non amplius Deus Iacob, ſed Deus Iſrael, ideſt videntis Deum, Geneſ. cap. 32. num. 28. & 32. vocauitq. Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens, vidi Dominum facie, ad faciem; Iaſis ergo & tu Iacob, vt videns Deum Iſrael voceris: Sit ſpes tua in illo, qui fecit cælum, & terram. Spes eius in Domino Deo ipſius, Nunquid non etiam Deus noſter? ipſius enim eſt, & noſter eſt Deus, quia, vt dicit Auguſtin. hìc, Et nos poſſidemus Deum, & poſſidemur ab illo; in quo enim eſt ſpes alicuius, ille eſt res ipſius, illius eſt Deus, qui ſpem habet in Domino, Pſalm. 141. numer. 6. Quoniam tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium. Tu eris portio mea, eris tu poſſeſſio, & poſſidebis, poſſeſſio Dei eris, & poſſeſſio tua erit Deus. Tu eris poſſeſſio eius, vt colaris ab eo, & ipſe erit poſſeſsio tua, vt colas eum; Quomodò autem color à Deo, Apoſt. 1. Corinth. cap. 3. num. 9. Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis, & Dominus in Ioan. cap. 15. num. 1. Ego ſum vitis vera, vos palmites eſtis, & Pater meus agricola eſt, colit te ergo Deus, vt ſis fructuoſus, & colis Deum, vt ſis fructuoſus; tibi bonum eſt, quòd te colit Deus, bonum eſt tibi, quòd colis Deum. Cultor Deus ſi recedat ab homine, deſertus ſit ipſe homo, cultor homo ſi recedat à Deo, deſertus ſit ipſe homo; nec creſcit Deus accedente te, nec decreſcit diſcedente te. Ergo erit ipſe poſſeſsio noſtra, vt nos paſcat, & erimus poſſeſſio eius, vt nos regat, hucuſquè Auguſt. Spes ergo noſtra in Deo, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt; omnes enim Dij gentium dæmonia, Dominus eſt, qui fecit cælum, & terram, Pſalm. 95. num. 5.

Qui cuſtodit veritatem in ſæculum, facit iudicium iniuriam patientibus, dat eſcam eſurientibus. Satis clarus eſt verſ. Chriſtus enim eſt, qui cum ſit ipſa veritas, cuſtodit etiam veritatem in ſæculum, vt vnicuique det ſecundum opera ſua, ſeruans fidem in promiſſis in ſæculum ſæculi, ſemper ſcilicet in æternitate. Ego, inquit ipſe per Malach. cap. 3. num. 6. ſum Dominus, & non mutor, memoria mea in generationes ſæculorum. Exit enim ſpiritus hominum, præterit figura huius mundi, cælum, & terra tranſibunt, ego verò

Do-

Dominus veritatem in ſæculum cuſtodio, & ius reddo iniuriam patientibus, & eſcam do omni carni, Pſalm. 135. num. 25. Beneplacitum eſt enim Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius.

Dominus ſoluit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Soluit compeditos; nàm vita, & mors eſt in manu Domini, Deut. cap. 32. num. 39. Videte, quod ego ſum ſolus, & non eſt alius Deus præter me, ego occidam, & ego viuere faciam; percutiam, & ego ſanabo. Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis; Dominus vniuerſorum tu es.

Non tamen de his corporalibus loquitur iſte verſ. ſed ſpiritualiter intelligendus, Dominus ſoluit compeditos, Dominus erigit eliſos, Dominus ſapientes facit cæcos, ideſt eos, qui cæci ſunt, facit ſapientes. Quomodò ergo illuminantur cæci luce ſapientiæ, ſic ſoluuntur compediti, ſic eriguntur eliſi. Mortalitas noſtra ex peccato, ſtat in compedibus. Ab iſta mortalitate, ab iſtis compedibus diſſolui cupiebat Paulus, & eſſe cum Chriſto, ad Philip. 1. Dominus ergo ſoluit compeditos, ideſt ex mortalibus facit immortales. Erigit eliſos, quia humiliati ſunt, ideò Chriſtus deſcendit, qui non cecidit, vt leuaret, qui ceciderat Adam cum cæteris fidelibus. Sit ergo tibi omnium mandatorum Dei obſeruantia, vt ad omnia valeas, quia lux Dei veſtigium tuum erit, Eccleſ. cap. 50. num. 31. & ſupra diximus, Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt omnis homo: & cuncta quæ fiunt adducet Dominus in iudicium pro omni errato, ſiuè bonum, ſiuè malum illud ſit.

Dominus ergo ſoluit compeditos, ideſt pœnitentes peccatores ſoluit, & liberat, & illuminat cæcos, quos per ſuperbiam elatos, & à diabolo eliſos, humiles factos corde dirigit.

Cuſtodit aduenas Dominus, eos ſcilicet, qui tantùm ſpem habent in Domino, non in terrenis, quia Dominus illorum refugium eſt, & protectio, & vias peccatorum diſperdet, Regnum verò Eccleſiæ, & iuſtorum in ſæcula, Deus tuus, ò Eccleſia, ò Iuſti in generatione, & generationem, Iſai. cap. 43. num. 7. Et omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum, & cap. 60. num. 20. & 21. Non occidet vltra Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui, Ioan. cap. 17. num. 24. Volo Pater, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam, &c.

Dominus cuſtodit aduenas, pupillum, & viduam ſuſcipiet, & vias peccatorum diſperdet. Dominus cuſtodit aduenas, expectans, vt tu aduena adiungaris Eccleſiæ, Iſai. cap. 54. numer. 15. Ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi, aduenæ enim ſumus, & peregrini in hac vita, Geneſ. cap. 23. numer. 4. Leuit. cap. 25. num. 23. Terra enim mea eſt, & vos aduenæ, & coloni mei eſtis, ideò Pſalm. 38. num. 13. Ne fleas, quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus ſicut omnes Patres mei. Si aduenæ, & coloni in terra Domini, cur laborando in illius cultura fructum non percipiamus ab illa? Pupillum, & viduam ſuſcipiet; quis enim pupillus, niſi peccator, qui per peccatum factus eſt ſine patre, & matre? & vidua, Chriſtum enim virum per peccatum perdiderat, ideò dixit, ſuſcipiet, vt ſi reuertatur ad Patrem, eum ſuſcipiat, Luc. cap. 15. num. 32. Mortuus erat

hic

Digitized by Google

hic frater tuus, & reuixit, perierat, & inuentus est, Reuertatur ergo peccator in viam, quæ est Christus, vt ambulans in illa suscipiatur ab illo, quia viam peccatorum disperdet Dominus, iter enim impiorum peribit, cum ea sit via diaboli, Psalm.1.num.6.

Regnabit Deus in sæcula, quando peccator recesserit ab iniquitatis via. Pereat via peccatorum, vt Christus in sæcula regnet in nobis, tunc Deus tuus in Sion in generatione, & generatione, regnabit in te in omni tempore. Si cor Regis erit in manu Dei, idest si tibi corpus tuum subieceris, & tamquam Rex imperes illi, vt obediat præceptis Domini, tunc cor tuum erit in manu Dei, cui honor, & gloria in sæculorum sæcula. Amen.

SOLILOQVIVM.

LAVDA anima mea Dominum in vita tua, in Christo tuo, per quem facta sunt omnia, qui ideò venit, vt te elisam, & in compedibus prostratam erigeret, vt illuminata in suis præceptis, quamuis incola, te dignos pœnitentiæ fructus facientem suscipiat in æterna tabernacula.

Sancte Anaclete Martyr, & Pontifex tuum festum agimus, qui sanguine tuo terrã irrigasti, vt precibus meritisq. tuis soluerentur compediti, vtque aduenæ, ac pupilli Ecclesiæ Dei exẽplo tuo adiungerentur, & viduæ susciperentur, adiuua animam meam, vt hìc absoluta à peccatis perueniat ad Regna cælestia. Virgo Dei genitrix, iuua pusillanimes, refoue flebiles, sentiat anima mea iuuamen tuum, cuius laus semper in ore meo nunc sit, & in æternum. Amen.

IN PSALMVM CXLVI.

Laudate Dominum quoniam bonus est Psalmus: Deo nostro sit iucunda, decoraq. laudatio.

ITVLVS: Alleluia. Quo item iste incipit Psalmus, latinè, laudate Dominum.

Continuatur ad præcedentem, in quo de laudibus Deo decantandis, consequenter autem in hoc Psalmo specialis redditur ratio, quia Dominus ædificauit Ierusalem, Ecclesiam suam, dispersionem gentium congregans. Qua de re Isai.cap.49.num.7. Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fœces Israel conuertendas; ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, & idem Isai. cap.54.num.2. Dilata locum tentorij tui: & semen tuum gentes hæreditabit, Act. Apost. cap.13.numer.46. & ad Ephes.cap.2.numer.12. loquens ad gentes, quæ erant illo tempore sine Christo, alieni à conuersatione Israel, & sine Deo in hoc mundo.

Summa ergo hæc est. Laus Dei bona, si corde, & opere compleatur.

Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus, Deo nostro sit iucunda, decoraq. laudatio. Non dicit, laudate Dominum, quoniam bonum est laudare, sed quoniam bonus est Psalmus; in Psalmo enim laudario Dei esse debet,

Digitized by Google

debet, ideſt in voce, & in opere, alioquin quid prodeſt labijs Deum honorare, & corde ab illo longè eſſe? ad Galat. c.5.nu.6. & ad Epheſ. cap.5.n.19. Implemini Spiritu ſancto loquentes vobiſmetipſis, in Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes,& pſallentes in cordibus veſtris Domino. Deo noſtro ſit iucunda, decoraq. laudatio, 1.Corinth. cap.14. num.14. Si orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt, quid ergo eſt? orabo ſpiritu, orabo & mente, pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Concordent ergo corda, voces, & opera, vt iucunda, decoraq. ſit laudatio, peccatori enim dicitur. Quare tu aſſumis teſtamentum meum per os tuum, Pſalm.49. num.16. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, Sap. cap.15.num.9. Canta ergo voce, corde non ſileas, vita ne taceas, vndè Apoſt. 1.Corinth. cap.10. num.31. ſiuè manducatis, ſiuè bibitis, ſiuè aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

Auguſtin. Si vis pſallere, non ſolum vox tua ſonet laudes Dei, ſed opera tua concordent cum voce tua, non cogites in negotio fraudem, pſallis Deo; cum manducas, & bibis pſalle non intermiſcendo ſonorum ſuauitates ad aures apertas, ſed modeſtè, & frugaliter, & temperanter manducando, & bibendo, vt dixit Apoſt. ſuprà. Vis ergo, vt Deo tuo iucunda ſit laus, noli bonæ cantilenæ tuæ obſtrepere moribus malis; lauda benè viuendo, quia laudatio impiorum offendit Deum. Plus Dominus attendit quid viuas, quàm quid fones. Nàm ſi aliud ſonat lingua, quomodò erit Deo iucunda laudatio? Iſai. cap.1.numer.15. & per totum, & Cum multiplicaueris orationes, non exaudiam; manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt, iniquitates enim peccatorum diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, manus enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate; labia veſtra locuta ſunt mendacium, & lingua veſtra iniquitatem fatur, Iſai. cap.59. per totum. Vt decora, iucundaq. ſit laudatio, Lauamini, inquit Dominus per Iſai. cap.1.num.16. mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis; quieſcite agere peruersè, diſcite beneſacere, & quæ ſequuntur. Qui enim (dicit Petr.1. cap.3.num.10.) vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam ſuam à malo, & labia eius ne loquantur dolum, declinet à malo, & faciat bonum, &c. quia oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.

Deo noſtro iucunda ſit, & decora laudatio: Ædificans enim Dominus Ieruſalem diſperſiones Iſraelis congregabit. Iàm venit deſideratus cunctis gentibus, & magna eſt gloria domus iſtius nouiſſimæ plus quàm primæ, Aggæ.2. num.8. iàm ædificauit Eccleſiam, & diſperſos Iſrael congregabit Dominus, ad Epheſ. cap.2.num.13. Nunc autem in Chriſto Ieſu, vos qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti, ipſe enim eſt pax noſtra, qui facit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, &c.

Ædificans Ieruſalem Dominus, diſperſionis Iſraelis congregabit, Iſai. c.11. num.10. In die illa Radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum, & erit in die illa adijciet Dominus ſecundò manum ſuam ad poſſidendum reſiduum populi ſui & n.12.

Et

Digitized by Google

Et leuabit signum in nationibus, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis, & idem Isai. cap. 10. num. 21. Et reliquiæ conuertentur, reliquiæ inquam Iacob, ad Deum fortem, & num. 22. ad Roman. cap. 9. num. 27. Iucunda sit, & decora laudatio, ad Roman. cap. 15. numer. 9. Gentes autem super misericordia adorare Deum, Psalm. 17. num. 50. Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo Psalmum dicam, magnificans salutes Regis eius, faciens misericordiam Christo suo Dauid. Decora ergo sit laudatio, ædificans Ierusalem Dominus colliget dispersiones populi sui. O te felicem Christianum pœnitentem; ò vos à via Domini aberrantes, ecce iterum Dominus manum suam adiecit ad possidendum residuum populi sui, ad redimendum vos, vt redempti in templum suum ingrediamini. Qui per peccatum longè facti estis ab illo, pœnitentiam agite, quia appropinquabit vobis Dominus, cor enim contritum non despicit ille, & ideò sequitur vers.

Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Spiritum vestrum contribulatum in sacrificium Deo offerte. Sic quippè etiam in futuro erit vobis salus, vt ex corruptibili corpore vestro, illius futuram incorruptionem per pœnitentiam, & confessionem induamini. Sicut Medicus alligat vulnera, alligat & ipse Dominus contritiones nostras, vt quod per peccatum fractum est, per alligaturam fiat in vobis rectum: sit firmata contritio vestra, bonis operibus coniuncta, & alligata, vt in die vltima transeatis via recta ad Redemptorem; dirigantur corda, & corpora vestra, vt in bonis operibus abundantes, filij Dei efficiamini.

Frange cor tuum, quod per peccatum deuium factum est à Deo tuo, vt alligatum per contritionem, & confessionem, rectum fiat in conspectu Domini. Scindite corda vestra, non vestimenta vestra, Ioel. cap. 2. num. 13. & conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & in planctu. Frange ergo confitendo, pœnitendo, puniendo, malè enim erigitur, quod prius per contritionem non corrigitur. Contere ergo cor tuum, & Dominus alligabit contritiones, provt Luc. cap. 10. num. 33. Samaritanus misericordia motus alligauit vulnerati plagas, &c. Quòd si pœnitentiam non agitis, non est malagma imponere, neque oleum, neque ligaturas, Isai. cap. 1. num. 6. Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo, Sap. cap. 16. num. 12.

Nunquid, dicet aliquis, Deo est cura de omnibus, Sap. c. 2. in princ. Non est Deus in conspectu illorum impœnitentium, inquinatæ sunt viæ illorum in omni tempore, Psalm. 9. num. 5. & num. 21. Oblitus est Deus, auertit faciem suam, ne videat in finem. Labia nostra à nobis sunt, inquiunt, quis noster Dominus est? Psalm. 11. num. 5. Non sic peccatores, non sic, nàm pœnitentium, & confitentium nomina scripta sunt in cælis, vestri enim capilli capitis omnes numerati sunt, & capillus de capite vestro non peribit; Luc. cap. 21. num. 18. ideò sequitur Psalmus.

Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Deus distincte cognoscit omnia, illuminati enim facti sunt stellæ cæli, & diligentes Deum stellæ dicti sunt, talium autem illuminatorum & nomina vocat, sic Abram mutato nomine à Deo vocatus est Abraham, Genes. cap. 15. Iacob, Israel,

Digitized by Google

Iſrael, Geneſ. cap. 32. num. 28. Saulus, Paulus, Act. cap. 9. Iacobus, & Ioannes fratres, filij tonitrui, Marc. cap. 3. vndè Luc. 10. num. 20. legimus, Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubijciuntur, gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.

Qui numerat multitudinem ſtellarum. Hæc dinumeratio omnipotenti Deo reſeruata eſt, cui omnia cognita ſunt, diligit enim Dominus vias iuſtorum, & iter impiorum peribit, Pſalm. 1. num. 6. vndè Ioan. in Apocal. 7. nu. 9. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. At qui ſunt iſti? reſpondet, Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni, &c. Nomen diuitis Epulonis ignoratur, mendici autem ſcitur; Factum eſt enim, vt Lazarus mendicus morereturr, & portaretur in ſinum Abrahæ, alter verò ſepeliretur in inferno, Luc. 16. num. 20. Hieronym. Illos, qui ante contriti ſunt, & poſteà ſanati, vertit in ſtellas, non numerat vulneratos, ſed eos numerat, qui iàm in ſtellas verſi ſunt; non numerat Deus, niſi, qui numero eius digni ſunt, neque enim ipſe numeratur ab aliquo, nàm Iſai. cap 40. num. 25. Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte, quis creauit hæc, qui educit in numero malitiam eorum, & omnes ex nomine vocat.

Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus. Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit. Multum enim valere tibi ſoli ſupererat ſemper, & virtuti brachij tui quis reſiſtet? Quoniam tamquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te Orbis terrarum, Sapien. cap. 11. numer. 22. Auguſtin. Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, &c. quia comprehendi eius magnitudo non poteſt. Ipſe enim, qui numerat ſtellas, numerari non poteſt, nemo enim numerum numerare poteſt; ſi enim omnia, quæ numerantur, numero numerantur, ipſum numerum nullus numerare poteſt, ipſe eſt menſura rerum, ipſe pondus eſt rerum, ſicut in libro Sapientiæ dicitur, Diſpoſuit omnia Deus in numero, pondere, & menſura, ideſt in ſeipſo, qui eſt numerus, omnia diſponens; pondus cuncta firmans; menſura, ad ſe trahens vniuerſa, quæ omnia nobis incomprehenſibilia ſunt. Conticeſcant ergo humanæ voces, requieſcant humanæ cogitationes, ad incomprehenſibilia Dei non ſe extendant, quaſi comprehenſuri, ſed tamquam præcipitaturi.

Suſcipiens manſuetos Dominus, humilians autem peccatores vſque ad terram. Quid ſuperbis Lucifer? aſcendis ſuper altitudinem nubium, ſimilis vis fieri Altiſsimo? Veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci, Iſai. cap. 14. numer. 13. Humilians autem peccatores vſque ad terram; humiliare, & manſuetus eſto, & ſapiens eris in terra, Matth. cap. 11. numer. 25. Gratias tibi ago Domine, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, ideò in Act. Apoſtol. legimus eos loquentes varijs linguis magnalia Dei, Act. Apoſtol. cap. 2. num. 8. Deſcendit Lucifer cum cæteris ſuis de cælo ad terram, vt ſecum traheret ſuperbos in infernum. Summa ſapientia, per quam omnia facta ſunt, humilitatem accipiens in carne noſtra, iterum

Digitized by G

ascendit in cælum, vt homines factos humiles, qui ipsum sequuntur, duceret in cælum.

Præcinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara. Ordinem laudandi Dominum ponit hìc Propheta; postquam enim superius dixit, Laudate Dominum, quoniam bonus, nunc ostendit, vt laudes Deo acceptæ sint, peccatorum præcedere debere confessionem, dicens, Præcinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara, confessio enim, & magnificentia opus eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi, Psalm. 110. nu. 3. Psallite Deo nostro in cithara, idest in operibus charitatis, hæc enim duo adinuicem copulantur, peccatorum confessio, & operum satisfactio. Præcedat ergo peccatorum confessio, & erit laus acceptabilis Deo, si sequatur operum satisfactio. Lauamini, inquit Isai. mundi estote, & si peccata vestra fuerint vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, Isai. cap. 1. numer. 18. In ore enim peccatoris non est speciosa laus, vt supra diximus; ad quæ adaptantur quæ per Ioannem dicta sunt in capit. 1. numer. 44. Quomodò vos potestis credere, qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam, quæ de cælo est, non quæritis?

Præcinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara. Confitemini Dominum Iesum Christum, qui soluere peccata nostra nunc venit, psallite illi in cithara, & ipse illuminabit corda vestra, vt vitam in illo habeatis in sæcula, Ioan. cap. 5. num. 40. & cap. 6. num. 40.

Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam. Pro istius versiculi declaratione, præmittendum videtur, quod dicit Paulus 1. Corinth. capit. 10. numer. 1. Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, &c. in Moyse, qui Christi typum gerebat; propterea dixit Dominus Iudæis, Habetis Moysen, Psalmos, & Prophetas, qui de me scripserunt, Ioan. capit. 5. numer. 46. Cælum nubibus opertum erat; vsque ad Ioannem lex, & Prophetæ. Venit filius hominis, & non amplius loquebatur in parabolis, Ioan. cap. 16. numer. 25. Venit hora, cum iàm non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de Patre annunciabo vobis, &c. & numer. 28. Dicunt ei Discipuli eius, Ecce nunc palam loqueris nobis, & prouerbium nullum dicis; nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo existi. Præcessit nubes, velum in Templo pendebat, ne Templi secreta panderentur, Exod. cap. 40. numer. 17. Velum Templi scissum est per passionem Iesu Christi, Matth. capit. 17. numer. 51. Cæli aperti sunt, nubes dederunt vocem, Hic est filius meus dilectus; effunduntur aquæ super vniuersam terram, per quot mundamur à delictis, Ezech. capit. 36. numer. 25. Et venerunt pisces multi, postquam ortæ sunt istæ aquæ, Ezech. capit. 47. numer. 8. & 9. & sanantur aquæ, Venit torrens, ibidem numer. 12. idest Euangelium Dei, nàm aquæ istæ de sanctuario egrediuntur, idest de ore Dei; Ite enim dictum est Discipulis, baptizate omnes gentes, &c. Matth. cap. 28. num. 19. & illis videntibus est eleuatus in cælum, recessit ab eis, & ferebatur in Cælum, Luc. c. 24. num. 52. Marc. cap. 16. num. 19. Act. Apostol. cap. 1. num. 9. & nubes suscepit eum ab oculis eorum.

Ex

Digitized by

Ex hac prædicatione, & parabolarum aperitione quid ſequitur? Qui producit fœnum in montibus, & dat herbam ſeruituti hominum. Quid per fœnum, niſi diuitiæ? Quid per montes, niſi diuites huius ſæculi illas poſſidentes, ad quos Dei ſermo peruenit? Incitantur diuites ad opera charitatis, conſolantur pauperes, quia Deus dat herbam illorum ſeruituti, illorum neceſſitatibus. Et nota, quòd vireſcit fœnum illi, qui dat panem eſurienti, ex herbis enim aluntur & pauperes, & verbum Dei euangelizantes. Nonnè, dicit Hieronym. hìc, de montibus defluunt aquæ in conuallibus, & magis herba naſcitur. In montibus diuitiæ ſtantes, quid ſunt, niſi herba ſicca? operiat Dominus cælum nubibus per prædicationem Euangelij, ideſt cor montium iſtorum: aperietur terra, & germinabit ſalutem. Gregor. in Euangel. Homil. 3. Tom. 3. fol. 31. littera D. & E. Terrenarum rerum cura vos non aggrauet, quantiſlibet enim auri, & argenti montibus circumdetur, quibuſlibet pretioſis veſtibus induatur caro, quid eſt aliud quàm caro? nolite ergo attendere, quid habeatis, ſed quid eſtis, & Iſai. in cap. 40. littera B. numer. 6. Verè fœnum eſt populus, vt fiat herba ſeruituti hominum, prædicate Euangelizantes. Super montem excelſum aſcendite, qui euangelizatis bona, exaltate in fortitudine vocem veſtram, Iſai. cap. 40. numer. 8. & dicite illis, ecce mons es factus, accipies herbam, ſi dabis fœnum, Eccleſ. cap. 9. numer. 10. quodcumque poteſt manus tua facere, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas. Hinc Paulus Apoſtol. 1. Corinth. cap. 9. numer. 11. Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi veſtra carnalia metamus? Seruos enim Paul. vocat Prædicatores, 1. Corinth. cap. 4.

Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Benedictus Deus, qui eduxit populum ſuum de Ægypto, nec iumenta eorum minorauit, Pſal. 146. Fœnum dedit montibus: & herbam ſeruituti hominum, ideſt verbum ſuum euangelizantibus, hìc verò iumentis dat eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum, nouit enim Dominus qui ſunt eius, ad Timoth. 2. cap. 2. num. 19. Iumenta, & cætera dicuntur in Eccleſia ſimpliciter ambulantia, ſed vtilia, non multum docta, ſed fide plena. Auguſtin. in Pſalm. 106. littera M. hinc per Iſai. Dominus cap. 49. num. 7. Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea, &c. ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad ſeruum Dominorum, & num. 11. Et ponam omnes montes meos in viam, & conſolatus eſt Dominus populum ſuum, & pauperum ſuorum miſerebitur, omnes enim iſti congregati ſunt, Iſai. 60. num. 3. venerunt tibi. Viuo ego, dicit Dominus; Iſai. d. cap. 49. num. 18. quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi hos quaſi ſponſa.

Et pullis coruorum inuocantibus eum. Filij Gentilium nempè, qui aliàs Eccleſiam humiliauerant, Iſai. dicto cap. 60. num. 14. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini, Sion ſancti Iſrael, Act. Apoſtol. cap. 13. num. 48. Audientes autem gentes gauiſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit; ſuper equos non habet voluntatem Dominus. Iſtos verò equos, ait Hieronymus, omnes peccatores

Digitized by Google

esse, equites verò dæmones, qui equitant in eis: & profectò eques diabolus est, qui sua lancea nos percutit, iste currit, & ille percutit, sed & ipse equus calcaribus ducitur, confoditur; insaniens per elationem. Fuge ergo superbiam, si vis laudare Deum.

Nec in tibijs viri beneplacitum erit ei. Sed cur in tibijs? nisi quia non solum luxuriam fugere debemus, sed etiam occasionem luxuriandi. Hieron. Tibiæ deorsum sunt, sicut & fœmora, quæ semper pro luxuria accipiuntur; denique & in Ezech. cap. 1. littera G. num. 27. Deus videtur à lumbis vsque sursum electreus, à lumbis vsque deorsum igneus; si quis sursum est, huic aureus est; si quis deorsum est, huic gehenna præparata est.

Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Timor cum spe coniungitur hìc, quia non est validus timor, nisi spes misericordiæ illi coniungatur; timuit Iudas proditor Christi, sed non sperauit in Dei misericordia. Si ergo peccasti in Deum, vel proximum, pœnitentiam agas, & spera in Domino. Vis fugere ab irato? fuge ad placatum. Sequere Magdalenam, cuius festum hodie agimus, làcrymis suis meruit solutionem à peccatis, rigauit pedes Domini, & capillis suis tersit, de superfluis etiam tuis pauperes Christi pascito, & cum illa vocem Domini audies, Dimittuntur tibi peccata tua, quia dilexisti multum.

SOLILOQVIVM.

LAVDA & tu anima mea Dominum, & dicito. Omnipotens, & misericors Deus, cuius magnitudinis, & potentiæ, ac sapientiæ non est numerus, quique bonorum indeficiens es thesaurus, & eorumdem es largitor, laudes tibi ex toto corde deferimus, qui nos dispersos in sanctum templum tuum colligere dignatus es. Respice ad preces humilitatis nostræ, qui humilias peccatores ad terram, & mansuetos suscipis. Ecce confiteor, quòd sis filius Dei viui, qui in terram venisti, & escam pretiosi corporis tui nobis reliquisti, vt illo corroborati cibo, ad te vitam æternam peruenire possimus. In misericordia tua sperantes confugimus, vt deletis peccatis nostris vsque in finem, salui, & liberi ad cælum nostram adeamus patriam. Amen.

IN PSALMVM CXLVII.

Lauda Ierusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.

TITVLVS; Alleluia Aggæi, & Zachariæ.

Hunc Psalmum coniunctum esse cum præcedenti dicunt aliqui ex Hebræis, cæterum cum communi nos sentimus, esse alium Psalmum separatum, provt Septuaginta Interpretes interpretati sunt, & illum continuamus ad præcedentem hoc pacto: In illo namque visum est, laudandum esse Dominum ex toto corde, & per opera subsequentia, quia magnus est Dominus, & humilia respicit, & propterea ædificatam ab illo Sion pro electis, superbos verò in terram pro-

Digitized by Google

prosternit. In isto verò Psalmo Ecclesia vnita repræsentatur, & ad laudandum Dominum excitatur, quoniam confortauit seras portarum Sion, & benedixit filijs suis in se; quod idem dixit Dominus in Euangelio, Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & iterum, Quos mihi dedisti Pater, ego seruabo illos, vt nemo de manu mea illos eripere possit. Si ergo nescis an sis prædestinatus, fac vt prædestineris, vt intra portas Sion existens seris, & vectibus & tu ibi securus permaneas in æternum, & simul cum existentibus in eadem Ecclesia laudes Deo dicas, quoniam confortauit seras portarum, Matth. cap. 10. num. 20. Non enim estis vos, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, vt inter filios eius & tu benedictus dicaris.

Titulus ergo. Alleluia Aggæi, & Zachariæ positus, nàm sicut duo illi Prophetæ, & de ædificatione Templi dixerunt, & de exitu è Babylonia post expletos 70. annos; ità & post aduentum Domini nostri Iesu Christi, post septenarium numerum pœnitentiæ completum aditus nobis in cælo proponitur pœnitentibus, & confessis, Alleluia ergo, quia mors mortua erit, & vita donata, si vsque in finem in confessione, & pœnitentia permanseris. Et ad propositum facit quod dixit Ierem. cap. 29. nu. 10. ibi, Hæc dicit Dominus, cum cœperint impleri in Babylone 70. anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locum istum; ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis, vt dem vobis finem, & patientiam, & inuocabitis me, & orabitis me, & ego exaudiam vos, quæretis me, & inuenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro, &c. Hæc autem de Ecclesia intelligenda, infrà probabimus; nàm si de ædificatione Templi velint intelligere, non rectè adaptantur ea, quæ scripta sunt in libris Esdræ, Nehemiæ, & Machabæorum, semper enim fuerunt afflicti, & bello iactati.

Lauda ergo Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion; Beati, qui habitant in domo tua Domine, quia in sæcula sæculorum laudabunt te, Psal. 83. num. 5. Sed quare laudabunt te? Quia amabunt te: quia in sæcula sæculorum videbunt te: totum ergo documẽtum ex hoc Psalmo erit, laudare Deum, & amare; laudare in amore, amare in laudibus. Sed si pax nunquam fuit vobis, ò Iudæi, quomodò de Ierusalem vestra loquitur Prophera, de Sion vestra, quæ specula interpretatur, si scrutantes Scripturas non intelligitis, nec in Deum Saluatorem creditis? Si ergo non habes scientiam, nec adhùc speculator veritatis es, quæ Ierusalem vestra, quæ Sion vestra? quomodò Deum laudabis tuum, in quo nec adhuc credis? Isai. cap. 49. numer. 6. Act. Apostol. cap. 13. num. 47. Vobis, dixere Apostoli, oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad Gentes, &c. posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ; Audientes autem gentes gauisæ sunt. Vndè D. Hieron. hìc inquit: Si populum Iudaicum, quia præuaricatus est, desertum dicit Prophera, quomodò nunc dicitur, Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, & si de ista Sion, vbi sunt portæ illius, si Prophetas Dei omnes, qui portæ dicuntur, & occidistis, & repulistis? quomodò scientia in vobis? Isai. 29. num. 11. Sicut lector non capit verba libri signati, sic sunt Iudæi in suis Prophetis, sequitur Psalm.

Benedixit filijs tuis in te. Sed si domus vestra deserta, quomodò filios benedixit in illa? Sodomæ peiores fuistis, vndè Ierem. Thren.cap.3.num.22. Misericordiæ Domini, quia non estis consumpti, Isai.cap.1.num.9. ad Roman. cap.9 num.29. Israel ergo sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit, quia non ex fide, sed quasi ex operibus; offenderunt enim in lapidem offensionis. Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum, & ruinam habitantibus Ierusalem, & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, &c. Isai. cap.8. numer. 14. Et posuit fines tuos pacem, sed vbi pax vestra, si Sion bello subuersa?

Sequitur Psalmus. Et adipe frumenti satiat te. Frumentum adipem non habet, ergo quod suprà dixit Ierem. in dicto cap.29. & hìc in Psalmo dicitur, vbi vera contemplatio Dei, ibi vera laus Dei fit. De Ecclesia nostra igitur loquitur Dauid. Postquam venit Christus, & in ipsum crediderunt Gentes, atque in spiritu adorant Deum, & illius magnitudinem contemplantur; Hieronym. hìc littera E. Et adipe frumenti satiat te. Frumentum adipes habet, ò Iudæe respondè, frumentum adipem habet? si ergo frumentum adipes non habet, & compelleris necessitate spiritualiter intelligere secundum istum versiculum, & cætera intelligenda sunt. Lauda Ierusalem Dominum, Ierusalem visio pacis, lauda Deum tuum Sion, Sion specula interpretatur, videtis ergo quid dicat, vbique visio pacis est, vbique contemplatio Dei; ibi Ierusalem, ibi Sion, ibi laus Dei fit. Laudat ergo Ecclesia Dominum, quando cœpit in illum credere, & habere pacem, & cœpit videre pacem, hoc est Ierusalem visionem pacis. Ecce conuersi sunt ad Gentes Discipuli, quia vos Iudæi verbum Dei repulistis; qui prius erat seruus Idolorum, factus est seruus Dei, nàm gentes alacriter receperunt verbum Dei. Iàm ergo lauda Ecclesia Dominum, quæ iàm habere legis scientiam, & esse specula, hoc est Sion cœpisti. Lauda Dominum, hoc est, tu lauda Ierusalem, tu lauda Sion, tu Ecclesiastica, tu anima, tu Ecclesia. Non laudent hæretici, non Synagogæ, sed tu lauda. Quoniam confortauit seras portarum tuarum; Et diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Prophetæ portæ Sion dicuntur, & sine illis non est ingressus in Ecclesiam: Christiani solum Prophetas recipiunt, & per illas portas ingrediuntur, seris verò ideò clauditur, vt per illam infideles non ingrediantur portas.

In libro Apocal. cap.21.numer.25. De cælesti Ierusalem dicitur, & portæ eius non claudentur per diem, non enim erit nox illic, & cap.22.numer.14. Beati, qui lauant stolas suas in sanguine Agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, vt per portas intrent in ciuitatem. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & illi seruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium. Enim verò ingressus non datur alicui in cælestem Ierusalem, nisi prius per portas militantis Ecclesiæ introducatur, & ibi seris, ac vectibus tutis conclusum se desinens confiteatur, quòd Dominus Iesus Christus est Agnus, & pœnitens confiteatur peccata sua, vndè item Apocal. dicitur cap.21.num.3. Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus, & num.10. Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam, descendentem de cælo à Deo, &c. & habebat mu-

rum

tum magnum, & altum, habentem portas duodecim, & in portis Angelos duodecim, & numer. 14. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. Ecce quomodò confortauit feras Euangelizantis verbum Dei; Angelus enim Domini stat ad illius custodiam, confortans illam, ne timeat infideles, aut hæreticos iniqua loquentes. Et quomodò hæreticorum ingressus possibilis fiat in illam ciuitatem, ad cuius murorum custodiam duodecim sunt Apostoli? sequitur vers.

Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo eius. Nàm ipsi prædicauerunt verbum Dei in toto Orbe terrarum Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, Marc. cap. 16. num. 20. vt credentes salui fiant, & non credentes condemnentur, Hieronym. hìc. Si de frumento dicebat, & adipe frumenti satiat te, quomodò nunc dicit, Qui emittit eloquium suum terræ? Ioan. cap. 1. num. 6. In principio erat Verbum, hoc Verbum in carne mittitur, & Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis; tunc terra dedit fructum suum, & completum est eo tempore, quia terra dedit fructum suum, Psalm. 66. Et sanctissimæ Mariæ dictum est à sancta Elisabeth, Benedictus fructus ventris tui.

Velociter currit sermo eius. Vis videre, quàm velociter? Psalm. 64. nu. 10. Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam, & in eodem loco, Flumen Dei repletum est aquis, &c. & campi tui replebuntur vbertate, Baruch cap. 4. num. 33. Ecce enim venient filij tui, quos dimisisti dispersos, venient collecti ab Oriente, vsque ad Occidentem in Verbo sancti gaudentes, & idem in cap. 5. num. 5. Exurge Ierusalem, & sta in excelso, & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente Sole vsque ad Occidentem in verbo sancti gaudentes Dei memoria, Num. 14. num. 21. Viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuersa terra, & incuruabitur omnis sublimitas hominum.

Qui dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit. Da mihi pœnitentem contritum, ac confessum, & intelliget quid sit ambulare in niue, nàm si fuerint peccata sicut coccinum, velut nix dealbabuntur; & sicut lana in charitate Dei calefiet confitendo Dominum; charitas enim operit multitudinem peccatorum; propterea sequitur.

Nebulam sicut cinerem spargit. Da mihi seruum fidelem, & in charitate Dei feruentem, sicut Paulum, & videbis quomodò nebulas huius mundi cupiditates, & desideria, sicut cinerem spargit, nàm & ipse ad Philippens. c. 3. num. 4. vbi prius suas commemorasset dignitates, Si quis, ait, alius videtur confidere in carne; ego magis, circumcisus octauo die ex genere Israel de Tribu Beniamin Hebræus ex hebræis, &c. & numer. 7. sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam; nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit chrystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Chrystallum misit ante Discipulos, quam tamquam buccellam corporis sui comederent, vt vitam haberent, Ioan. cap. 6. num. 59. Hic est panis de cælo descendens, &c. qui manducat hunc panem viuet in æternum, dixit

Do-

Digitized by Google

Dominus docens in Capharnaum, in Synagoga, & multi audientes ex Discipulis eius, dicebant, Durus est hic sermo. Chrystallus erat durus: at sicut bucella panis factus Discipulis, num.49. Ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei viui.

Ante faciem frigoris eius quis sustinebit? idest, quis poterit ante impetum grandinis eius descendentis subsistere? propterea veniet Spiritus sanctus, & cor lapideum liquefaciet, ideò sequitur Psalmus.

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ, Ioan. cap.16.num.8. Si abiero, mittam Paraclitum ad vos, & n.13. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, &c. Sed quis emittet Verbum, nisi ille apud quem erat Verbum, & Verbum erat apud Deum? & Quis est spiritus, qui flabit, & fluent aquæ, nisi ille, qui ab vtroque procedit? de quo Dominus apud Ioan. cap.7.num.38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, iuxtà illud Ioel c.2.nu.27. Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, &c. Act.2.num.17.

Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israel. Quis est qui annunciat, nisi idem spiritus, qui à Patre, & Filio procedit? Et quid annunciat? Audi Iesum ipsum apud Ioannem: Et cum venerit ille, quem ego mittam vobis arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio; de peccato quidem, quia non crediderunt in me: de iustitia verò, quia ad Patrem vado: de iudicio autem, quia Princeps huius mundi iàm iudicatus est, Ioan. cap.16.num.9. Et cui annunciat? Iacob, & Israeli, idest Ecclesiæ Dei, Ierem. cap.31.num.32. Post dies illos: dabo legem meam Israel in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & Ezech. cap.11.num.19. Dabo cor nouum, & spiritum meum tribuam in visceribus eorum, idem cap.36.num.18. & 35. Isai. c.30. num.20. Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis ad dexteram, neque ad sinistram.

Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israel. Num. cap.24.nu.17. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, 2. Paralip. cap.17. numer. 12. Ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium meum in æternum.

Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Ex hoc vers. Iudæorum cæcitas, & erga Deum ingratitudo manifesta colligitur, provt etiam ex Act. Apost. cap.13. & per totum: apparet semper illorum incredulitas, & malignitas; vndè ibid. num.45. Repleti sunt Iudæi zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes. Tunc constanter Paulus, & Barnabas dixerunt, Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Vide Paul. ad Roman. cap.11.num.19. ex Dauid Psalm.68. num.23. Fiat mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. Exemplum nobis, vt cognoscamus, quia ex illorum delicto, salus est gentibus, vt illos æmulemur; fracti sunt rami, vt tu

infe-

inſeraris, ſi fide ſtabis,nàm propter incredulitatem Iudæorum rami oliuæ fracti ſunt, vndè Paul. num.22. ibid. Vide, inquit, bonitatem,& ſeueritatem Dei,in eos quidem, qui ceciderunt ſeueritatem, in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, &c.

Ex populo ergo Dei factus es tu Chriſtianus inſertus in ramo oliuæ,qui eras Oleaſter. Vide ne cadas, ſerua præcepta, ſuſtine paſſiones propter Deum, vt cum Petro catenis vincto illæſus euadens ab illo ſecum traharis in Paradiſum.

Serua ordinem, qui tibi ab Eccleſia in iſtis ſeptem vltimis Pſalmis proponitur, vt primò de præceptis Diuini præconij inſtructus, deindè mundi perueſitates fugere intendas: poſtmodum vnà cum Eccleſia laudes Deo dicas, vt in pace,vſque in finem Deum laudando ſecurus ad illã ſanctam ciuitatem permenias. Tres remanent Pſalmi, vt choro de mundi partibus congregato in exultatione & tu gaudeas, hosq. tres alios Pſalmos laudis Propheta ſubiungit, vt in hoc opere gratia Trinitatis eluceat; hæc ex Caſſiodoro,

SOLILOQVIVM.

OTE beatam animam meam, quæ intrà Eccleſiam Dei conſtituta, & benedictionem à Domino accipies; & perpetuam obtinebis pacem, ſi præcepta Dei ſeruaueris. Lauda anima Dominum Deum ex toto corde tuo, vt adipe frumenti ſatiata,ſemper tecum ille ſit vſque in ſæcula. Mitte Domine verbum tuum in cor meum, vt flante Spiritu tuo ſancto,aquas lacrymarum effundat,& ſicut nix dealbata,deleta reddantur delicta mea. Solue iubente Deo, beate Petre catenas, & vincula mea,vt Angelo me excitante,ſequar Chriſtum, qui eſt vita mea. Sancte Paule Apoſtole, Prædicator veritatis, & Doctor gentium, intercede pro me, vt verba Euangelij effundantur in cor meum, vt liquefacta illius duritia, plangam delicta mea. Mater diuinæ gratiæ Maria Virgo intercede & tu pro me, vt purus euadam, ſicut tot ab hinc annis heſterna die per fontem Baptiſmatis renatus, in templo Dei mei fui præſentatus, tamquam filius Eccleſiæ, ſic merear benedictionem accipere à Domino. Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus. O beata Trinitas miſerere mei. Amen.

IN PSALMVM CXLVIII.

Laudate Dominum de cælis: laudate eum in excelſis.

TITVLVS, Alleluia, ideſt laudate Deum. In ſuperiori enim Pſalmo Ieruſalem, & Sion excitabantur ad laudandum Dominum, verùm quia per verbum omnia facta ſunt, Cælum, & Terra, & omnia, quæ in eis ſunt, ideò miro ordine in hoc Pſalmo primum, cælum,& quæ in eis ſunt excitantur ad ipſas Dei laudes, deindè quæ ſub cælo ſunt, ibi in ſecunda parte, laudate Dominum de terra Dracones, & omnes abyſſi.

Ad Titulum Alleluia,additur in verſione Sept. provt in præcedenti Pſalmo,

Aggæi,

Digitized by Google

Aggæi, & Zachariæ, quia, vt diximus ſuprà in figura prophetauerunt liberationem populi à captiuitate Babyloniæ, hoc eſt, omnes gentes per aduentum Domini liberandas à peccato. Similem benedictionem habemus, & laudem in Daniele cap.3.num.57. incipientem, Benedicite omnia opera Domini Domino, &c.

Summa hæc eſt. Exhortatio Angelis, & omni generi hominum, necnon cæleſtibus, terreſtribusq. ad Deum laudibus afficiendum.

Incipit ergo Pſalmus, Laudate Dominum de cælis: laudate eum in excelſis, Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Laudate Dominum de cælis, ideſt omnes, qui in cælis ſunt, ad laudes Dei cum ſola hominum natura non ſufficiat, iungantur Throni, Dominationes, & cæteri omnes. Sed nunquid ad te ò Propheta ſpectat curam habere de his, qui in cælo ſunt ad excitandum illos, vt laudent nomen Domini? An nè ignoras, quia non ceſſant quotidie clamare, & laudare, dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus, Iſai. cap.6.num.3. Vide quid dicat hìc Auguſtin. Non præcipit, vel admonet Angelos hoc facere; ſed adiungit aggratulationem ſuam eis hoc facientibus, quia placet ſibi quod faciunt, & leuato corde cum illis eſt ſpe, & repetit ò vos, qui eſtis in excelſis, laudate eum, deindè quibus aggratulationem ſuam faciat exprimit.

Nos autem dicimus, hæc ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe; Nàm ſicut Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum, Pſalm.32.num.6. ità hominem faciens Deus, inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, Geneſ. cap.2.num.7. & ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam fecit eum, Geneſ. cap.1.num.27. vt præeſſet piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs vniuerſæq. terræ, &c. Vt ergo ſciremus, omnia per Verbum facta eſſe; ad imitationem Angelorum, & virtutum cæleſtium, quæ laudant filium Dei, & nos in terra per verbum redemptos inuitat Propheta ad collaudandum nomen Domini. Gloria in excelſis Deo, clamarunt illi, cum Verbum Caro factum eſt, vt redimeret nos; & nos filij Dei facti, Ioan.1. ſimul, & cum Angelis, & cæteris virtutibus laudemus Dominum, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam, vt vnum eſſemus cum illo, Ioan. cap.17. in fine.

Laudent ergo Angeli, collaudent homines, in ſpe filij Dei facti, vt ſimul omnes cum Angelis conſerui effecti benedicamus Dominũ Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Exultent ergo iuſti in Domino, rectos decet collaudatio, Pſalm.32.numer.1. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius; ſicut dixit, ità facta ſunt, præceptum poſuit, & non præteribit. Laudent Angeli, & cælorum virtutes, ſimul laudent & homines, & omnia, quæ in terra ſunt, laudent nomen Domini, & exaltent nomen eius in æternum.

Inuiſibilia tamquam digniora ad laudandum nomen Domini primò inuitat; ſicut mulier illa, quæ drachmam perdiderat, & inuenta, conuocauit vicinos, & vicinas, gaudens, dicensq. Congratulamini mihi, quia drachmam, quam perdideram, inueni, Luc. cap.15.num.8. Perditum erat genus humanum, venit Chriſtus, & à non quærentibus fuit inuentus, In propria enim venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui non ex ſanguinibus, &c. Ioan.1. Eccleſia vicinos conuocat, hoc eſt Angelos, & virtutes cælorum, &c. quia drachmam,

quam

quam perdideram inueni; Leuate oculos veſtros, Ioan. cap.4.num.35. & videte Regiones, quia albæ ſunt iàm ad meſſem, & qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, vt qui ſeminat, ſimul gaudeat. Lauda ſterilis, quæ non paris, decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij deſertæ magis, quàm eius, quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorij tui,& pelles tabernaculorum tuorum extende, longos fac funiculos tuos, &c. Iſai. cap.54,numer.1. Laudate mecum Deum omnes Angeli Domini, laudate omnes virtutes eius, quia implebitur numerus fratrum veſtrorum, Ierem. cap.31.numer.17. Et eſt ſpes nouiſſimis tuis, ait Dominus, & reuertentur filij ad terminos ſuos. Et in miſerationibus magnis congregauit me, & in miſericordia ſempiterna miſertus eſt mei Redemptor meus. Quid ergo mirum, ſi Eccleſia, & Ieruſalem terrena inuitat cæleſtem; Hìc enim Eccleſia iſta terrena cœpit, vt gaudeat de Deo in illa cæleſti: ab hac incipit, ad illam terminat, in illa tota Eccleſia erit, ab iſta exordium fidei ſumpſit, Auguſtin. hìc littera I. Lætentur cæli, & Angeli, qui habitant in Ieruſalem cæleſti ſimul, & collaudent iuſti, qui habitant in iſta terrena, cum qua eſt Dominus vſque ad conſummationem ſæculi,& ſic laudetur Deus in cælo, & in terra.

Laudate eum Sol, & Luna, laudate eum omnem Stellæ lumen. Iàm ad modicum vos dereliquiſſe videtur Dominus, quando in morte ſua Sol obſcuratus eſt, & tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram; iàm enim Sol receſſerat: vt lumen infunderet cordibus. Refulſit Sol, & Stellæ lumen dederunt, & nubes receſſerunt, quia venit lumen Domini, & gloria eius in terris manifeſtata eſt. Benedicite Sol, & Luna Dominum, benedicite Cæli Dominum. Sed quomodò Sol, & Luna laudant Dominum, & Stellæ? A pulchritudine illarum laudatur Creator earum, vt vulgò dicitur; opus laudat Magiſtrum; vndè dicebat Ieſus, Ite renuntiate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis, cæci vident, leproſi mundantur, mortui reſurgunt, ab illis enim cognoſcitur auctoritas imperantis; Quid enim pulchrius Sole? quid lucidius Stellis? Laudate eum Sol, & Luna, quia opus perfectum in vobis fecit Dominus.

Laudate eum Sol, & Luna, quia etſi in peccatoribus lumen Solis, nec Lunæ luceſcant, ſaltem luceſcere parati ſunt, quatenus vos peccatores paratos inueniant à peccatis recedere, vt luceat in cordibus veſtris Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter; & Luna,ideſt Eccleſia Dei in gremium ſuum vos recipere.

Laudate omnes Stellæ, & lumen. Quod aliud lumen, niſi illud Apocal. cap.21.num.22. Et ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea; omnes iuſti, qui iàm peruenerunt ad cæleſtem Ieruſalem, Stellæ, & lumen ſunt, quæ recipiunt lumen ab agno: & afferunt gloriam, & honorem in illum, &c.

Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini. Reddit autem rationem, cur laudandus ſit Dominus, quia Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt, per verbum nempè, ideſt filium Dei omnia facta ſunt, Ioan. cap.1. Pſalm.32.num.6. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Auguſtinus littera C. Non mirum, ſi opera laudent operatorem; non mirum, ſi facta laudent factorem, non mirum, ſi creatura laudet Creatorem, Chriſtus ergo Verbum Dei, Ioan. cap.1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,

igitized by Google

Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Per Verbum ergo facta ſunt, quia Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt, nemo dicit, nemo mandat, niſi Verbo; facit Iſai. cap. 48. numer. 15. Ego ego locutus ſum, & vocaui eum: adduxi eum, & directa eſt via eius. Accedite ad me, & audite hoc, Non à principio in abſcondito locutus ſum; ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius, &c. quia ergo fecit omnia Ieſus Chriſtus Verbum Dei, ipſe.

Statuit omnia in æternum, & in ſæculum ſæculi, præceptum poſuit, & non præteribit. Inſenſibilia præceptum recipiunt, illud ſeruant, & tu homo rationabilis, propter quem omnia fecit Dominus: pro cuius ſalute, & vita morti ipſe Dominus ſe ſubiecit, vt tibi vita eſſet in ſæculum, præceptum tibi datum, vt per illud ſeruatum ad vitam peruenires, infelix non ſeruabis, vt morte moriaris in ſæcula? Grandis eſt hominis honor, dicit Hieron. & grandis infelicitas, ſol tibi currit, & elementa tibi ſeruiunt, & tu ignoras Creatorem tuum. Per tot annos Sol præceptum Dei ſemper obſeruauit, nunquam præterijt, in tantum, vt curſus eius ex humana obſeruatione comprehenſus ſit; ſicut & Luna præceptum obſeruauit, vt per triginta dies creſcat, & decreſcat. In cælo ſeruatur præceptum Dei, & in mari, totus mundus Deo ſeruit, & præcepti eius meminit, & homo ſolus non meminit. O infelix hominum genus; deſcendit ad te Deus, vt tu cum illo ad cælum aſcendas, & tu recuſas peccando, & præcepta non obſeruando ad ciuitatem illam peruenire? Et quod præceptum præcepit Dominus? An impoſſibile tibi videtur laudare Dominum? hoc eſt enim præceptum, vt qui illud obſeruant, beati dicantur: hæc eſt voluntas Dei. Quid in oratione Dominica dicis? Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra. Si in cælo Angeli, & Virtutes omnes laudant Deum, & in terra omnia elementa laudant Dominum, & tu infelix homo à laude Dei ceſſabis, vt morte æterna moriaris?

Auguſtin. Et quid hìc ſumus, ò mortales, ò infelices homines, abiecti, viles, terra, & cinis. Qui promiſit, omnipotens eſt, ſi ad nos attendamus, quid ſumus? ſi ad illum, Deus eſt, omnipotens eſt; Non eſt facturus Angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? aut verò pro minimo habet Deus hominem, propter quem mori voluit vnicum filium ſuum? an pro bonis tantum? Vide Apoſt. ad Roman. c. 5. Etenim Chriſtus pro impijs mortuus eſt. Qui donauit impijs mortem ſuam, quid ſeruat iuſtis niſi vitam ſuam. Surge peccator à mortuis, Deus eſt, qui promiſit tibi pœnitenti vitam æternam. Ideò venit ad regionem peregrinationis noſtræ accipere, quod hìc abundat, opprobria, flagella, colaphos, ſputa in faciem, contumelias, ſpineam coronam, ſuſpenſionem in ligno, crucem, mortem, hæc abundant in regione noſtra, ad talia commercia venit. Quid hìc dedit? quid hìc accepit? dedit exhortationem, dedit doctrinam, dedit remiſſionem peccatorum; accepit contumelias, mortem, crucem, attulit ille de regione illa, bona, & in regione noſtra pertulit ipſe mala; promiſit tamen nobis, quòd ibi futuri ſimus vndè venit, & ait Ioan. c. 17. Pater volo, vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, tanta præceſſit dilectio, quia vbi nos eramus, fuit nobiſcum, vbi ipſe eſt, erimus cum illo. Quid tibi promiſit Deus, ò homo mortalis? quia victurus

es

es in æternum? non credis? crede, crede; plus est iàm quod fecit, quàm quod promisit. Quid fecit? mortuus est pro te: quid promisit? vt viuas cum illo: incredibilius est, quòd mortuus est æternus, quàm vt in æternum viuat mortalis, Iàm quod incredibilius est, tenemus: si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est Deus, qui viuit in æternum? sed quomodò mortuus est Deus? & vndè mortuus est Deus? & potest mori Deus? accepit ex te, vndè morereretur pro te; non posset mori, nisi caro; non posset mori, nisi mortale corpus; induit se, vbi morereretur pro te; induet te, vbi viuas cum illo; vbi se induit morte? in virginitate Matris; vbi te induet vita? in æqualitate Patris, &c.

Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyssi, Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Suprà quæ in cælis sunt, ad laudes dandas Deo excitauit; nunc verò ad ea quæ sunt in terra, & in mari descendit, vt cognoscamus, quia de illis omnibus est ipsi Deo cura. Nàm sicut de Angelis, ità de terra, & vermiculis fit mentio, quia omnia creata sunt à Deo: hinc Augustin. littera C. omnia sic considera, quomodò placeas Deo, & laudes artificem, quia si intrares in officinam fortè fabri ferrarij, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos; & da imperitum hominem nescientem quid quare fit, & omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam artificis, & habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicit? Non sine causa folles hoc loco positi sunt; artifex nouit, quare, & si ego non noui; In officina non audet vituperare fabrum, & audet reprehendere in hoc mundo Deum? Ergo, quemadmodum ignis, grando, nix, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum eius, sic omnia quæ vanis videntur in rerum natura temerè fieri, non faciunt, nisi verbum eius, quia non fiunt, nisi iussu Dei. Ignis ergo, nix, glacies, spiritus procellarum, &c. & si perturbata videantur quibusdam stultis, & casibus agitari, faciunt tamen verbum eius, non ergo despicit Deus inferiora, sed & hæc agit Deus, & in his minimis laudatur, & Alleluia cantatur, & ideò sequitur.

Montes, & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri, Bestiæ, & vniuersa pecora, serpentes, & volucres pennatæ. Hæc omnia laudant Dominum. Volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris, & quæ sequuntur. Cur autem in prima parte Angelos præposuerit, & virtutes, &c. vt laudarent Dominum, in hac verò secunda parte montes, & colles, & cætera inanimantia ad laudandum Dominum præposuerit? Regibus, hominibus, & filijs hominum, crederem ego, ad maiorem hominum confusionem, præcepta Domini non obseruantium. Nàm cum supradicta omnia inanimata, animata, & volatilia, propter homines facta sint, & præcepta Domini obseruent, & non prætereant, cur tu homo, infelix peccator per præceptorum inobseruantiam in mortem æternam pertransire satagis, vt cum draconibus in abyssos perpetuos detrudaris, & cum dæmonibus sit mors tua in æternum? Draco es venenosus, abyssus es, & tenebrosus, quia propter multitudinem peccatorum longè factus es à Deo, qui in mari huiusmodi positus es, fluctibus circumdatus, pœniteat te, & confitearis peccata tua. Nàm vbi abundauit peccatum, superabundabit gratia, ad Roman. cap. 5. Venit Iesus vocare peccatores, Luc. 5. n. 32.

Conuertere ad Dominum, & ſicut nix peccata tua dealbabuntur, & tunc cum Eccleſia, & Angelis non deſinas laudare Dominum. Erubeſce homo, ſerpentes, abyſſi, nix, pluuiæ, & tempeſtas verbum Dei faciunt, & tu non facis? Ipſi non mutant naturam montes, & colles, & tu homo ad ſimilitudinem Dei factus, naturam diaboli vis aſſumere? Eia ergo.

Reges terræ, & omnes populi, Principes, & omnes iudices terræ, iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius. Omne ergo genus hominum laudet nomen Domini, quia ipſius nomen ſolum eſt exaltatum, nemo enim hominum quærat exaltare nomen ſuum. Vis exaltari? illi te ſubde, qui non poteſt humiliari.

Confeſſio eius ſuper cælum, & terram, & exaltauit cornu populi ſui. Quæ eſt confeſſio eius? niſi illius, per quem omnia facta ſunt? opus eius confeſſio, & magnificentia, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Exaltatum eſt nomen eius ſolius, vndè Apoſt. ad Philip. cap. 2. num. 9. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Confeſſio, & pulchritudo in conſpectu eius, ſanctitas, & magnificentia in ſanctificatione eius, & exaltauit cornu populi ſui. Si extrà Eccleſiam fueris, quomodò confeſſio in ore tuo? ideò ſequitur, & exaltauit cornu populi ſui, vt intelligas, quòd illius, qui non eſt de populo, non exauditur oratio, de populo ſcilicet Chriſtiano, de Eccleſia Dei, de omnibus iuſtis, qui in ea ſunt, populus autem tuus omnes iuſti, Iſai. cap. 60. num. 21. & non eſt iuſtus, ſi non eſt de ouili, cuius Paſtor Chriſtus eſt.

Hymnus omnibus ſanctis eius, filijs Iſrael populo appropinquanti ſibi. Non Hæreticis, non Paganis, & Iudæis, Pſalm. 49. num. 16. Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? ſed populo appropinquanti ſibi, qui facit voluntatem Domini; hic enim meus frater, ſoror, & mater eſt, dicit Dominus, Matth. cap. 12. nu. 50. Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob, Pſalm. 23. num. 6. hinc Apocal. cap. 5. num. 8. Et cum aperuiſſet librum, quatuor animalia, & vigintiquatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum, hymnus omnibus ſanctis eius, populo appropinquanti ſibi, &c.

SOLILOQVIVM.

VIRGO Dei Genetrix, cuius hodie diem Aſſumptionis in cælum celebramus, intercede pro me, vt dignè ſeruans diuina præcepta, vnà cum creaturis vniuerſis, quæ faciunt verbum Dei, laudem illum, & mente mea conſpiciens filium tuum Dominum meum, firma fide illi appropinquando, hymnum illi dicere cum Sanctis eius dignus efficiar, vt nunquam illum in hac vita laudare ceſſans, in regnum eius admittar, & claritati corporis eius conformis effectus non amplius locali, & tranſitorio cantu, ſed perpetuo, & immobili cæleſtis ſtationis hymno, iugi modulatione canam, cui, & Patri cum ſancto Spiritu ſit gloria æterna. Amen.

IN

Digitized by Google

IN PSALMVM CXLIX.

Cantate Domino canticum nouum: laus eius in ecclesia sanctorum:

PSALMVS iste tertius est eorum, qui de vtroque aduentu agunt, in quibus omnibus est causa timoris, & spei; spei per misericordiam primi aduentus; timoris per aduentus secundi iudicium; primus Psalmus est numer. 95. secundus Psalmus est numer. 97. & hi tres Psalmi habent idem principium. Cantate ergo, inquit, Domino canticum nouum. Quod est canticum nouum? an quia Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret? nàm hoc prius prænuntiatum est per Propheras, vt infrà dicemus. Quod ergo nouum? audi Ioan. ex ore Domini, dicentem, Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, cap. 13. num. 36. sicut dilexi vos, vt quemadmodum ille fecit, ità & nos faciamus, alter alterius onera portantes, ad Galat. cap. 6. numer. 2. & sic adimplebitis legem Christi. Et quid amplius noui? audi Ioan. cap. 6. num. 27. Operamini opera Dei, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis; opera autem Dei, vt credatis in eum, qui misit me, dicit Dominus; Moyses dedit vobis panem de cælo, Pater meus dat vobis panem de cælo verum; panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo, & ego sum panis vitæ, Ioan. ibidem numer. 35. & 40. Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die; ecce canticum nouum, vt credamus in Iesum Christum, & eum diligamus, & proximum nostrum, 1. Ioan. cap. 3. numer. 23. Hoc est, inquit, mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut dedit nobis mandatum; Et qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo, Ioan. dicto cap. 13. numer. 34. & 1. Ioan. cap. 4. numer. 2. In hoc cognoscitur spiritus Dei: Omnis spiritus, qui confitetur Christum Iesum in carne venisse ex Deo est. Cantemus ergo canticum nouum, confitendo, quoniam Iesus est filius Dei, & lætetur Sion, idest Ecclesia Dei, quia Deus in ea manet, & ipsa in Deo: diligamus Deum, quia ipse prior dilexit nos, & si Deum diligimus, diligamus & fratres nostros, Paul. ad Ephes. cap. 5. numer. 1. cum seq. Estote ergo, inquit, imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationẽ, & hostiam in odorem suauitatis, 1. Ioan. cap. 4. in fine num. 20. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem simul oderit, mendax est: Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodò potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

Continuatur Psalmus iste ad præcedentem, in illo quippè ad laudandum Dominum omnes creaturæ monitæ sunt, quia omnes ab ipso sunt factæ: quia verò in populo Dei, in Ecclesia mirabiliora facta sunt à Deo, idcircò specialius, & proprius ad canticum inuitantur nouum, ad laudandum Dominum

pro nouitate ſibi facta; hæc eſt ſanctificatio Iſrael, per quam de veteri factus eſt nouus, idcircò in Iſai. cap.48. in princ. quaſi illa Iudæorum Synagoga, nomine tantùm ſit Iſrael: Eccleſia verò ſit Iſrael nouus, quia in ſpe,& mente videt Deum. Inquit, Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Iſrael, &c. & quid audient? non amplius Iſrael, Iſai. cap.24.num.20. quia grauabit eam iniquitas ſua, & corruet, & non adijciet, vt reſurgat, & Ierem. cap.10. numer.20. Tabernaculum meum vaſtatum eſt, omnes funiculi mei diſrupti ſunt, filij mei exierunt à me, & non ſubſiſtunt, non eſt, qui extendat vltrà tentorium meum, & erigat pelles meas, &c. Quia ſtultè egerunt paſtores, & Dominum non quæſierunt; propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum diſperſus eſt, Eccleſiam enim malignantium odiuit Dominus, Pſalm.25.numer.5. Ioan.cap.5.numer.35. Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius, & numer.42. Dilectionem Dei vos non habetis.

Summa. A fidelibus in Eccleſia Sanctorum Chriſtum Regem laudandum, qui dat vitam æternam credentibus in ipſum.

Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Eccleſia ſanctorum. Quia ecce dies venerunt, lex enim, & Prophetæ vſque ad Ioannem, Luc. cap.16. numer.16. Matth. cap. 11.numer.13. ex eo Regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit; Matthæus verò dicit, & violenti rapiunt illud. Cantate Domino canticum nouum, nàm vox facta eſt de nube, dicens, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite, 2.Petr. cap.1.num.17. Speculatores enim, ait, facti ſumus illius magnitudinis, accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite, Matth.17.num.5. & Matth.3.num.17.

Cantate Domino canticum nouum, Luc.2.num.12. Natus eſt vobis hodie Saluator. Et laus eius in Eccleſia ſanctorum, nàm ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in Altiſſimis Deo,& in terra pax hominibus bonæ voluntatis,idem Luc.1. Et vocabis nomen eius Ieſum,hic erit magnus,& filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus ſedem Dauid Patris eius,& regnabit in domo Iacob in æternum.

Cantate Domino canticum nouum, quia non amplius terrena, ſed vitam æternam dedit Dominus credentibus in illum, Ioan. cap.17. propè finem, vndè Ierem. cap.31.numer.32. ſpiritu prophetico hæc prædicens inquit. Ecce dies venient, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundum pactum quod pepigi cum Patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, pactum, quod irritum fecerunt, &c. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael, poſt dies illos dicit Dominus. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, &c. Lex enim Euangelica in cordibus, lex vetus in tabulis. Surge, illuminare Ieruſalem,quia gloria Domini ſuper te orta eſt, quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui, Iſai.cap.60. in princ. Et quę eſt iſta Ieruſalem? Eccleſia Dei, omnes iuſti, idem Iſai. dicto cap.60.num.21. & cap.61. in princ. Luc. cap.9.num.18. Spiritus Domini ſuper me eo quòd vnxerit me

Do-

Dominus, ad annunciandum manſuetis miſit me; vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, & num.9. d.c.61. & ſcient in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum, omnes, qui viderunt eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.

Canta, & lauda Sion Dominum, quia induit te Dominus veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit te, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. Ecce ſemen quod promiſſum eſt Abrahæ, Iſaac, & Iacob in Geneſ. cap.18. num.18. & cap.28.num.14. Benedicentur in te, & in ſemine, &c. & ſemen tuum gentes hæreditabit, Iſai.54. numer.3. de quo Paul. ad Roman. cap.11. per totum. Omnes, qui audiunt verbum Dei, & credunt in illud, ſemen Abrahæ ſunt, quia & ille credidit, Deo operando, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, Geneſ.15. ad Rom.4. ſemen ergo Abrahæ, omnes credentes in Chriſtum, & in charitate operantes, Iacob.2. num.21. ad Galat. cap.5. num.6. vide Auguſtin. in Pſalm.31. in Præfatione. Congregamini ergo omnes, qui in medio templi Dei, miſericordiam ſuſcepiſtis, & lætantes exultetis, dicentes, Secundum nomen tuum Deus, ſic & iuſtitia tua in fines terræ, Pſalm.47. ideò.

Laus eius in Eccleſia ſanctorum, de qua Iſai.28. num.16. Ecce ego mitto in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum angularem, pretioſum, in fundamento fundatum, in Chriſto ſcilicet Ieſu, in quo omnes Sancti ſuſcipiunt miſericordiam ſuam, d. Pſal.47. vndè Petr. in Epiſtol.1.cap.2.nu.4. Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum, & ipſi tamquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis. Iuuenes ergo, & Virgines, Senes cum iunioribus accedentes ad hanc petram, laudes Domini annuncietis, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius, Pſalm.148.num.13. Confeſſio, & magnificentia opus eius, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Exortum eſt in tenebris lumen rectis, ipſe enim eſt lux, quæ orta eſt nobis, paretur cor noſtrum, paretur, ne commoueatur, donec inimicos noſtros deſpiciamus. Audite hæc omnes gentes tàm Iudæi, quàm Gentiles, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quoniam Dominus venit iam in mundum, ſicut locuti ſunt Prophetæ, & ſeipſum tradidit Iudæis ad crucifigendum, vt ſaluos nos faceret, atque redimeret. Iubilate Deo omnis terra, Pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius, Pſalm.65.num.1. immolemus Deo ſacrificium laudis, quoniam propter nos ſuſtinuit opprobrium, operuit confuſio faciem eius, Pſal.61.n.4.

Lætetur Iſrael in eo, qui fecit eum, & filiæ Sion exultent in Rege ſuo. Quomodò lætetur, ſi ſequens Chriſtum tollat neceſſe eſt crucem ſuam, & ſequatur illum? Lætetur, quia dignus factus eſt, vt pro nomine Ieſu perſecutiones patiatur: lætetur in ſpe, vt gaudeat in perpetuum, ſi patienter ſuſtineat: in paucis vexati, in multis benè diſponentur, quoniam Deus tentauit eos, Sap. cap.3. Lætetur Iſrael per fidem, vt per ſpeciem videat, quæ futura ſunt; & nunc etiam Deum videre poſſumus, ſi charitatem in Domino habeamus, 1.Ioan. 4. cap.4.num.12. Deum nemo vidit vnquam, ſi diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt, quia qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo, &c.

Auguſtin. hìc littera C. Quiſquis habet charitatem, vt quid illum mittimus longè, vt videat Deum? conſcientiam ſuam attendat, & ibi videt Deum, ſi charitatem habeat. Vult forſan aliquis videre illum ſedentem in cælo? habeat charitatem, & in eo habitabit, ſicut in cælo: Simus ergo Iſrael, & lætemur in eo, qui fecit nos, quia & ipſe factus eſt inter nos, quoniam Verbum Caro factum eſt; & qui fecit nos, redemit nos, qui prius propter peccatum perditi eramus.

Et filij Sion exultent in Rege ſuo. Filij Sion, filij Eccleſiæ. In Rege ſuo, quia pugnauit pro nobis, & in ligno crucis vicit diabolum, propter quod data eſt ei omnis poteſtas in cælo, & in terra, Matth. cap. 28. numer. 18. Sacerdos in æternum, qui ſeipſum Deo Patri hoſtiam immaculatam obtulit pro nobis, Iſai. cap. 53. ſecundum ordinem Melchiſedech panem, & vinum offerens, ideſt carnem, & ſanguinem ſuum nobis relinquens, vt ſequamur veſtigia eius, ideò ſequitur.

Laudent nomen eius in choro, in tympano, & pſalterio pſallant ei. In concordia morum, hic eſt chorus; in tympano, ideſt in mortificatione carnis; & pſalterio, ideſt ſpirituali operatione pſallant ei, ad Roman. cap. 8. num. 36. Propter te mortificamur tota die, ſicut ſcriptum eſt Pſalm. 43. num. 23. Æſtimati ſumus, ſicut oues occiſionis, ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Laudent nomen eius in choro, chorus ergo iſte canticum habet, & tympanum, & pſalterium, Hieronym. Crucifigamus ergo corpora noſtra Chriſto, & tali tympano canamus Deo, hoc eſt vnanimes, vna voce laudemus Dominum, membra noſtra mortificantes, & manus noſtras in auxilium pauperum porrigentes, & tunc in choro, & tympano, in chordis, & organo vna voce dicamus, Gloria in excelſis Deo, & in terrà pax hominibus bonæ voluntatis, Benedictus, qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis.

Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo, & exaltauit manſuetos in ſalutem. Non ne populus acceptabilis tibi videtur, pro quo ipſe Dominus crucifigi voluit, vt illum à morte redimeret? Paul. ad Tit. cap. 2. num. 14. Qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Et exaltauit manſuetos in ſalutem, vt hæreditate caperent terram. Sed quam terram? cæleſtem, vndè Pſalm. 31. nu. 13. & 14. Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi, hìc habitabo, quoniam elegi eam.

Exaltauit manſuetos in ſalutem. Vide quanti ſit humilitas, & manſuetudo apud Deum, quantum humiles exaltat, Luc. cap. 12. num. 32. Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Sed quomodò ſibi complacuit? ad Roman. c. 8. nu. 28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti; Nàm quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Ab æterno iſta dare ſibi complacuit ex mera benignitate ſua. Inquiras ergo Dominum, & non minueris omni bono, Pſalm. 33. n. 11. Vndè Paulus ad Epheſ. capit. 5. numer. 9. Eratis enim aliquando tenebræ

nunc

Digitized by Google

nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate: probantes quid sit beneplacitum Deo; probantes, ideſt diſcernentes quid placeat Deo, & illud facientes.

Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Nunquid in plateis, in tripudijs? Nunquid in huius mundi vanitatibus? In cubilibus ſuis, in conſcientia pura, in corde ſincero, in præſenti exultabunt, vt in futuro Dominus exaltet eos in gloria cæleſti. Exultabunt ſancti in gloria; In qua gloria? gloria enim eſt bonorum actuum frequens laudatio. Audient dicentem, Venite benedicti Patris mei, quia in pauca fuiſti fideles, ſuprà multa vos conſtituam; Matth. capit. 25. numer. 23. Intrate in gaudium Domini veſtri, digni enim facti eſtis pro nomine meo contumeliam pati. Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius, vt infrà, vndè Auguſtin. hìc, Gloria, & gaudium eſt ſanctis, vt ad illum referant bona, qui dedit. Quis gloriabitur, caſtum ſe habere cor? aut quis gloriabitur, mundum ſe eſſe à peccato? Prouerb. cap. 20. numer. 9. Eſt ergo quidam modus in conſcientia gloriandi, vt noueris, fidem tuam eſſe ſinceram; noueris, eſſe ſpem tuam certam; noueris, charitatem tuam eſſe ſine ſimulatione. Lauda eum, qui tibi iſta donauit, propterea ſequitur.

Exultationes Dei in gutture eorum. Sic lætabuntur in cubilibus ſuis, vt non ſibi tribuant, quòd boni ſunt, ſed illum laudent, à quo acceperunt, quod ſunt; à quo vocantur, vt perueniant ad id, quod nondum ſunt, & à quo ſperant perfectionem, cui gratias agunt, quia inchoauit exultationes Dei in gutture eorum.

Exultationes Dei in gutture eorum, euangelizantium verbum Dei, in quo credentes introibunt, gaudium enim erit ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſupra nonaginta nouem, qui non egent pœnitentia.

Exultationes Dei in gutture eorum. Venite, inquit, benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi, exultationes Dei, nàm ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Ite ergo, & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui enim crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, Matth. cap. 28. numer. 19. exultationes Dei prædicate percipientibus verbum illius in veritate.

Quia ſic beneplacitum eſt Deo in populo ſuo, & gladij ancipites in manibus eorum, & ſi non crediderint condemnabuntur, Marc. 16. num. 16. Luc. 9. num. 26. Nàm qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum. Et gladij ancipites in manibus eorum, vndè 2. Timoth. cap. 4. num. 2. Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina, & num. 16. In prima mea defenſione nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur. Dominus autem mihi aſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus ſum de ore leonis, & ad Tit. cap. 1. nu. 12. Cretenſes ſemper mendaces, &c. increpa illos durè, vt ſani ſint in fide, & 1. Corinth. c. 4. numer. 21. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis? & c. 5. Ego quidem abſens corpore, ſed præſens ſpiritu iàm iudicaui, vt præſens, eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri

Ieſu

Ieſu Chriſti, congregatis vobis, & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti, tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti, ideò ſequitur verſ.

Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Vt occidant illo gladio peccatores, ideſt ſermone Chriſti, acutus eſt enim veteri, & nouo teſtamento, ad Hebr. 4. nu. 12. Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagum quoque, & medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Vt ſic viuificentur ſecundum illud Deuteron. cap. 32. num. 39. Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo, &c. Et gladius in manibus eorum, Aggæ. c. 1. num. 1. Factus eſt ſermo Dei in manu Aggæi Prophetæ, hoc eſt in poteſtate illi datum eſt prædicare ſermonem Domini. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

Quam vindictam? Audi Petrum referentem viſionem, ſibi in exceſſu mentis exhibitam in linteo magno quatuor initijs ſubmiſſo de cælo, Et venit, ait, vſque ad me, & vidi quadrupedia terræ, & beſtias, & reptilia, & vocem audiui dicentem, Surge Petre, occide, & manduca, Act. cap. 11. num. 5. D. Auguſtin. hìc littera C. Nàm ſi non occiduntur, vndè dictum eſt Petro, macta, & manduca? vndè ipſe Saulus occiſus eſt perſecutor, & Paulus erectus eſt prædicator? quæro Saulum perſecutorem, & non inuenio, occiſus eſt, Act. cap. 9. vndè? de framea bis acuta occiſus eſt in ſe, & vindicatus in Chriſto, ideſt confitens, & confidens dicit, Viuo autem iàm non ego, viuit autem in me Chriſtus. Etenim cum factus eſſet prædicator, accepit & ipſe in manibus frameam bis acutam ad faciendam vindictam in gentibus, ad Galat. cap. 1. per totum. Hæc eſt enim vindicta in nationibus, quæ fit per increpationes in populis, vt per illam, qui ſunt mortui peccato, credentes in Chriſtum vitam habeant in illo, & ideò ſequitur.

Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. O potentiam piſcatoris; Verbo Domini cæli firmati ſunt; verbo piſcatoris, & Apoſtolorum Reges in compedibus ponuntur, ne mandata Dei tranſgrediantur. Et nobiles eorum in manicis ferreis. Piſcator Regibus, & Imperatoribus ad iuuandum mittitur à Deo, vt fortia quæque confundat, in compedibus voluntatis, & in manicis ferreis ponuntur, ne tranſgrediantur. O magnam virtutis Dei potentiam.

Vt faciant in eis iudicium conſcriptum, gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius. Auguſtin. Venit Deus Chriſtus prodeſſe omnibus, ſed elegit prodeſſe Imperatori de Piſcatore, non Piſcatori de Imperatore. Elegit ea, quæ nullius momenti erant in mundo, ipſos impleuit Spiritu ſancto, dedit eis frameas bis acutas, prædicare præcepit Euangelium, Matth. cap. 24. & ire per Orbem terrarum. Fremit mundus, erexit ſe Leo aduerſus Agnum, ſed fortior Leone inuentus eſt agnus; Leo victus eſt ſæuiendo, agnus vicit patiendo.

Gloria hæc eſt omnibus Sanctis eius, Gratias agant ei, qui habent iſtum gladium, & benedicant eum in ſæcula ſæculorum.

Digitized by Google

SOLILOQVIVM.

DOMINE Ieſu, qui humilibus præſtas auxilium, & confitentes nomen tuum exaltas; præſtare digneris mihi ſeruo tuo in hoc ſæculo commoranti, vt valeam tibi cum omni patientia, & manſuetudine ſeruire, vt ſpiritualibus bonis ditatus, ſanctorum tuorum te laudantium conſortio adiungi merear per merita beatæ Virginis. Et tu beate Ægidi ex Regia ſtirpe natus, qui parentibus mortuis, totum patrimonium in pauperes erogaſti, & in Eremum ceruæ lacte ſtatis diebus, & herbarum radicibus diutius demoratus vixiſti, in compedibus piſcatoris alligatus, ex diuite pauper factus, vt Chriſto ſeruires, intercede pro nobis, vt & cerua illa chariſſima, & gratiſſimus hinnulus vberibus ſuis inebrient nos in omni tempore, & vt iugiter in eius amore delectemur, carnemq. illius edentes, & ſanguinem bibentes eum adoremus, ac laudemus, qui pro nobis dedit ſemetipſum Agnum immaculatum. Amen.

IN PSALMVM CL.

Laudate Dominum in ſanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

SVPRA nouum canticum cantauimus, & læti aduentum Domini, & redemptionem illius ſuſcepimus, nunc verò, quia vltimus, & finis omnium Pſalmorum proponitur, quare etiam laudandus ſit Dominus, alias rationes Propheta ponit; non ſolum ſcilicet, quia nos fecit, nos redemit, ſed etiam laudandus in ſanctis eius, & in firmamento virtutis eius, in multitudine magnitudinis eius, in ſono tubæ, in pſalterio, & cithara, &c. ità vt & omnis ſpiritus laudet Dominum. Poſtquam enim finis vniuerſæ carnis venerit, tunc omnis ſpiritus laudabit Dominum; vndè Ioan. Apocal. cap. 7. nu. 9. Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus Gentibus: & tribubus, & populis, & linguis, &c. & omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & adorauerunt, dicentes, Amen.

Summa hæc eſt; in ſanctis laudandus eſt Deus, & in omnibus operibus eius.

Hic Pſalmus tertij quinquagenarij continet ſacramentum, primus namque quinquagenarius per Baptiſmum, & pœnitentiam ad innocentiæ nos regenerat bonum: ſecundus poſt iudicium, fructum innocentiæ comprehendit; tertius expleta diuinæ ciuitatis ædificatione, & conſummata omnium ſanctorum ſpe, ad æternam gratulationem, laudationemq. nos exhortatur, hæc ex Hieronymo. Quomodò vero fiat Pſalmorum omnium diuiſio, & quid ſignificet, vide Auguſtin. in Præfatione huius Pſalmi.

Laudate ergo Dominum in ſanctis eius. Pro his, quæ ſanctis ſuis dedit, quod declarat, quando dicit, Laudate eum in firmamento virtutis eius, nàm

morte

Digitized by Google

morte ſua diabolum ſuperauit, & credentes ad cælum perducit. Credens ergo baptizare, tribulationes patienter ſuſtine, vt Templum Dei fias in cælo, Ioan. Apocal. cap. 7. num. 14. Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni, ideò ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die, ac nocte in Templo eius, & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos, &c. ideò, Laudate Dominum in Sanctis eius, quia poſt celebratum iudicium, in æternitatis gloria cum illis vos collocabit. Ideò laudate eum in firmamento virtutis eius, eo quòd omni infirmitate ſublata, firmamentum illis æternæ virtutis inuexerit.

Laudate eum in virtutibus eius, laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius. Laudate Dominum, quia potens eſt, & omnia ſubiecta ſunt poteſtati eius. Hinc reſpondit Angelus ad Mariam dicentem, Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei; non nè tibi videtur potens, vt quem totus non capit Orbis, claudatur in viſceribus Virginis? Luc. capit. 1. numer. 34. hinc Pſalm. 19. numer. 6. Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dei noſtri magnificabimur. In potentatibus ſalus dexteræ eius, Hi in curribus, & in equis, nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt, nos autem ſurreximus, & erecti ſumus; ad Philip. cap. 2. Omnia ſubiecta ſub pedibus eius, cui flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, cuius ſedes cælum eſt, & terra ſcabellum pedum eius, Iſai. cap. 66. num. 1. Quæ eſt iſta domus, dicit Dominus, quam ædificabitis mihi? & quis iſte locus quietis meæ? omnia hæc manus mea fecit.

Laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius: Etſi magnitudinis eius non eſt finis, quomodò ſecundum magnitudinem laudari poterit? Hoc declarat Iſai. d. cap. 66. dicens, Ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones Domini reſpicit Dominus, & nu. 22. Sicut cæli noui, & terra noua, quæ ego facio ſtare coram me, dicit Dominus, Sic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum; & erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato, ideſt perpetua quies, & duratio; veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea, dicit Dominus, Greg. lib. 19. Moral. cap. 8. Erit menſis ex menſe, perfectio videlicet eis in requie, quibus nunc perfectio fuit in operatione, &c. Vndè laudare eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius, eſt laudare in perpetuum, laudare ſine fine, ſicut non eſt finis magnitudinis eius; ideò ſequitur, quomodò debebat laudari per ſimilitudines myſticas, vſque ad finem Pſalmi.

Laudate eum in ſono tubæ, ideſt laudate eum voce magna, quia Rex eſt præſens, tuba enim ſonat, quando Rex eſt præſens; vt Rex enim laudandus Dominus, quia nos in bello diaboli vincere facit. In Pſalterio laudandus Deus, cui ſoli debetur, quia nos ſummos fecit, & quia ab imis nos liberauit. In cithara laudemus, vt ſponſum. Hieronym. Laudate eum in ſono tubæ, in quo bello occiſi vicerunt, conterente Domino Satanam ſub pedibus eorum; laudate eum in pſalterio, & cithara, eo quod eis, vel Decalogum legis implere præſtiterit, vel poſt mortificatam carnem, quæ cithara accipitur, in ſe vnificauerit.

Laudate eum in tympano, & choro. In tympano, quod mortificatum

corpus

corpus ſit immortalitate donatum ; in choro, quod choris ſit Angelicis ſociatum . Laudate eum in chordis , & organo , quod per ciborum abſtinentiam retortis viſceribus,concupiſcentijsq. euictis carnalibus , digni inuenti ſunt Regno Dei , ad concinendas diuinas laudes . Auguſtin. verò hìc littera I. Alijs verbis tympanum quid ſignificet declarat , dicens . Tympanũ laudat Deum , cum iàm in carne mutata nulla eſt terrenæ corruptionis infirmitas ; de corio quippè ſit tympanum exſiccato , atque firmato . Tunc chorus laudat Deum , quando laudat eum pacata ſocietas . Tunc autem pacata dicitur ſocietas iudicio noſtro, quando ſimul concurrunt omnes virtutes in homine, quæ notantur Matth. cap.5. & Luc. cap.6.numer.20. Ambroſ. lib.5. in Luc. cap.6. Quæ nihilominus in duplici conſiſtunt dilectione,Dei nimirum, & proximi : Optimus chorus , cuius laudes exaudiuntur à Domino.

In chordis , & organo , nàm ſublatis concupiſcentijs terrenis laudatur Dominus ; tales quippè Spiritu ſancto repleti ad tactum tribulationum ſuauiſſimum ſonum faciunt , Iob cap.1.num.21. Dominus dedit , Dominus abſtulit , ſit nomen Domini benedictum , dicunt etenim , Non timeo tormenta tua , & ſoli Deo ſeruire deſidero . Quibus dicitur,Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum , quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi . Tunc rectè in cymbalis benè ſonantibus , in cymbalis iubilationis , omnis ſpiritus laudat Dominum , Sap. c.3. & c.5. Steterunt enim ſancti in magna conſtantia aduerſus eos , qui illos anguſtiauerunt , & abſtulerunt labores eorum . Viſi ſunt oculis inſipientium mori , illi autem ſunt in pace , & inter filios Dei reputati ſunt ; Omnis ſpiritus laudet Dominum , &c.

SOLILOQVIVM.

ECCE iàm poſt magnos labores annorum nouem,& vltra perfeciſti anima mea Pſalmorum enarrationes , ſenex eram quando cœpi, ſeptuageſimum enim & ſecundum annum , & vltra natus eram ; & quamuis varijs implicitus negotijs perfeci , nihilominus Deo fauente, illas . Nunc octuageſimum , & ſecundum expleui ; ecce ſenex & ſenio confectus , quid in illis profeciſti ? Quod adhuc diuina benignitate conceditur tempus acceptabile , reputa tempus ſalutis,adeòq. totus ad Dominum cõuerſus pro cuius gloria & in opere iſto laboraſti , animam tuam , cor tuum , & quicquid in te eſt addic iàm ad illi ſeruiendum in omni ſimplicitate , ac munditia mentis , & operis , vt cum Sanctis laudes ei concinens in choro, & organo, abſtractus à terrenis , conſonam tuam reddas orationem , atque in ſanctarum operationum cymbalis benè ſonantibus cum cæleſtibus ſpiritibus ad laudandum Dominum introducaris in cælum . Sed ſine te Virgo Maria,quomodò laudes Deo gratas proferre potero ? Intercede Virgo Dei Genitrix pro me,vt ſuauiſſimos melos vocis meæ & pectoris mei modulamina fletibus , & gemitibus promendo , ſimulq. cum Sanctis omnibus Deum collaudando,preces meæ apud Dominum Ieſum Chriſtum filium tuum ſint acceptabiles, & in hoc , quod hodie celebrat Eccleſia, Natiuitatis tuæ feſto ad maiores & ipſe in virtutum ſtudio renaſcar progreſſus . Eodem præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, Cui ſimul,ac Patri, Spiritui q. ſancto vni , trinoq. Deo gloria,laus, & honor ſit in perpetuum . Amen.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM,

QVAE HABENTVR IN HIS ENARRATIONIBVS SVPER PSALMOS.

Primus numerus designat Tomum. Secundus paginam. P. principium paginæ. M. medium, F. finem eiusdem paginæ.

A

ABIECTIO in Ecclesia praeligenda cuicumque saeculi celsitudini, idquè quia misericordiam, & veritatē diligit Deus. 2. 189. F.

Abimelech Patris mei Regnum interpretatur. 1. 765. P.

Abimelech domus est Regnum Iudæorum. 1. 765. P.

Abire sumptum in malum sensum. 1. 7. M.

Ablactatio spiritualis quid sit. 1. 541. M

Ablactando, seù in ablactamento Deus iustos enutrire dicitur, dum perfundit illos gaudio in tribulationibus. 1. 830. P.

Abrahæ semini facta promissio, vt mundi hæres esset. 1. 1106. M.

Abscondi in abscondito faciei Dei à conturbatione hominum, est non confundi à persecutione impiorum, nec erubescere Christum. 1. 713. P.

Absoluendi potestatem à peccatis perpetuò duraturam in Ecclesia militante. 2. 263. F.

ad Absolutionem peccatorum tria necessaria, contritio, oris confessio, & Sacerdotis absolutio, cum satisfactione. 2. 434. F.

Absorbent impij viuos fideles illos, qui sciunt malum, & consentiunt, qui cum iniquis deputantur. 2. 735. F.

Absorbet & Ecclesia: at prius, vt dictum fuit Petro, manducat, curans, vt renuncient diabolo, quos inserat mēbris suis. 2. 735. F.

Abundantia Dei est in misericordia. 2. 98. M.

Abundantia vera non in diuitijs, sed in Christo Iesu. 1. 293. M.

Abyssi nomine significatum aquæ elementum, quo velut amictu circumdatur terra. 2. 459. P.

Abyssus multa dicuntur esse iudicia Dei, quia incomprehensibilia. 1. 420. M.

in Abysso tribulationū inuocanda abyssus diuinarum misericordiarū. 1. 570. P.

Abyssus testamēti noui inuocat abyssū veteris

Digitized by Google

dum calamitas calamitati ſuccedit. 1. 570. *M.*

Abyſſus abyſſum inuocat in impijs, quatenus de pœnis temporalibus tranſeunt ad perpetuas. 1. 571. *M.*

Accedimus ad Deum per pœnitentiam. 1. 364. *M.*

Acceptor perſonarum Deus non eſt. 1. 1062. *M.*

Acceptio perſonarum, quàm vitanda iudicibus. 2. 159. *F.*

Accepit Chriſtus dona in hominibus, cum gens, quæ perdita erat, & quæ eum non nouerat, credidit in ipſum, ab inimico recedens. 1. 1014. *P.*

Accipere Chriſtus dicitur dona ab hominibus, cum ipſe tribuit hominibus. 1. 1013. *M.* & *F.*

Accipere Chriſtus dicitur dona ab hominibus, cum pauperibus, qui ſunt eius membra, dona damus. 1. 1013. *F.* & 1014. *P.*

Acceſſus ad Deum prohibetur per peccatum, quia confiteri erubeſcit vultus eius. 1. 364. *M.*

Acceſſus ad Deum impij facit, quod cõuertatur. 1. 758. *P.*

Accedia vitium cauſat abominationem omnis eſcæ ſpiritualis. 2. 535. *M.* & 536. *P.*

Accingere ſe quid ſit? 2. 333. *M.*

in Actionibus noſtris ſemper magnificandus Deus, & quomodò. 1. 1068. *F.* & *M.*

Adducere nos conantibus à Dei obſequio ad ſæculi delicias, quid reſpondendũ. 2. 795. *P.*

Adam haud dicendus filius hominis. 1. 60. *M.*

Adam felicitatem ſuam amiſit cum peccauit, & rapere volebat diuinitatem. 1. 1036. *P.*

Adam in quantas miſerias deciderit per peccatum. 2. 421. *F.*

Adami miſeria multò magis deflenda, quam deplorauerint miſerias Iob illius amici. 2. 422. *M.*

Adam cũ toto genere humano ouis Chriſti perdita. 1. 61. *M.*

Adam in decore iuſtitiæ originalis, arbitratus eſt, nunquam ſe illo priuandu. 1. 292. *M.*

per Adæ peccatum maledicti ſumus. 1. 995. *M.*

Adæ pœnam pro peccato ſoluit Ieſus. 1. 1036. *P.*

Adæ vnius delicto multi mortui, vnius Chriſti gratia multi in vitam vocati. 1. 1019. *P.*

Adhærens Mundo non timet malum. 1. 796. *F.*

non Adhærere Deo ſummam parit miſeriam. 2. 19. *F.*

Adhærere terrenis eſt mortem animæ ſuæ dare. 2. 20. *P.*

Adhærere Deo eſt illi conglutinari per charitatem. 2. 20. *P.*

Adhærere Deo ſummum nobis bonum. 2. 19. *M.*

Adhærendum Deo ex fide. 2. 80. *F.*

Adiutorium quorumnàm potiſſimum ſit Deus. 1. 50. *M.*

Adiutor qualis ſit nobis Deus. 1. 149. *M.*

Adiutor in hac vita eſt Deus Iacob, ideſt ſupplantantis, & terrena deſpicientis. 2. 860. *M.*

Adorandus Deus in dilatato, & ſanctificato corde. 1. 280. *F.*

Et in Eccleſia ſancta. Ibid.

Adorandus à nobis Deus nitentibus in Chriſti meritis. 2. 402. *M.*

Adoremus Chriſtum in terra, quam peragrauit, terrena ponentes ad eius pedes, ac deſpicientes. 2. 770. *M.*

Adſtare Deo in mane proprium iuſtorũ. 1. 34. *M.*

Adueniente Chriſto ceſſauit Synagoga, & ſacrificia ſanguinolenta, quæ in ea fiebant. 1. 133. *M.*

Aduentus Chriſti duplex. 1. 2. *F.*

Aduentus Chriſti quantas gaudij rationes mundo exhibuerit. 1. 65. *P.*

RERVM.

Aduentus Christi in carnem excitatio, 1. 106. F.

Aduentum Christi quàm ardenter antiquitus optarunt pœnitentes. 1. 43. M.

Aduentus Domini prænunciatus, at in figuris obscuris. 1. 158. P.

Aduentum Christi per Incarnationem acceleranda efflagitabat Sanctorum Patrum Ecclesia. 1. 299. P.

in Aduentu primo Christus quasi absconditè venit, in aduentu verò secundo manifestè veniet. 1. 713. M.

Aduentus Christi in mundum salus omni credenti. 1. 747. P.

in Aduentu primo, qui siluit in passione, in aduentu secundo non tacebit in iudicio. 1. 713. F.

Aduentus Domini in terram, mundi salus. 1. 737. F.

Aduentu suo in carnem complacitior factus est Deus. 2. 61. M.

Aduentum Christi qui præcesserunt iusti omnes ad membra Christi pertinuerũt. 1. 921. M.

per Aduentum Christi explanata sunt, quæ in Scripturis sacris erant ab initio enigmata. 2. 75. M.

in Aduentu Domini, eiusq. passione cõmota est vniuersa terra. 2. 375. M.

Aduentus Christi promissionem præcessit Dei misericordia. 2. 389. P.

Hæc promissio quomodò asseratur facta tantùm Israeli. Ibidem.

Aduentus Domini principium salutis. 2. 565. F.

in Aduentu Domini quando dies lucis formati fuere, nemo in eis diebus cognouit patrem, & ducem, nisi cui filius reuelauit. 2. 810. F.

de Aduentu Domini in carnem cantandum, exultandum, atque psallendum. 2. 390. M.

Aduentum suum secundum differt Iesus, vt nos non damnet; cum venerit. 2. 392. M.

pro Aduentu Christi primo sancti quiq. veteris legis Deum deprecati sunt. 2. 651. F.

Aduentus Christi continuata spes Ecclesiæ, quæ in Synagoga primum desiderarat, post primum, expectat secundum. 2. 709. P.

in Aduentu primo diuinum Verbum totum se exhibuit humanum, ac benignum. 1. 725. M.

Christus probatum se ait à Patre, cum alijs ipsum notum fecit. 2.804.*F.*
Christus pro peccato potens mundum exterminare noluit, vt illius misereatur. 1.1080.*M.*
Christus mortem subijt, vt nos vita sua dignos faceret. 1.1066.*M.*
Christus præceptor noster monita salutis tradens. 1.994.*M.*
Christus dicitur Medicus nostræ salutis. 1.1044.*P.*
Christus dicitur rex virtutum, idest Apostolorum. 1.1007.*M.*
Christus liberauit pauperem à potente saluas faciendo illorum animas à culpa, & pœna æterna. 1.1107.*M.*
Christus lux in tenebris lucẽs. 2.379.*M.*
Christus in passione calcauit torcular. 1.56.*M.*
Christus stetit, & sedit in templo in medio Deorum, atque Doctorum, cum esset duodecim annorum. 2.158.*F.*
Christus vocat Deum Patrem suum, & susceptorem salutis suæ quatenus homo. 2.263.*M.*
Christus arbor, & lignum vitæ. 1.3.*P.*
Christus incarnatus iusto est adiutor. 1.794.*M.*
Christus positus in angustijs pro nobis orabat. 1.1064.*F.*
Christus Rex. 1.207.*M.*

Digitized by Google

Christus omnium Regnorum solus Dominus . 1. 1109. *P.*
Christus flos campi communis omnibus, & singulis . 1. 382. *F.*
Christus nostræ libertatis causa . 1. 957. *F.* 958. *P.*
Christus est quidem imago Dei genita secundum quod Deus, secundum autem quod homo ad imaginem Dei factus est . 2. 657. *F.*
Christus humiliauit se quoad assumptam humanitatem, & exaltauit se quoad diuinitatem . 2. 766. *M.*
Christus ciuitas munita, vt sponsus ciuitatis cælestis . 1. 313. *F.*
Christus liberauit clamans ad Iudæos, vt crederent . 1. 103. *F.*
Christus liberatus fuit à linguarum contradictione per resurrectionem . 1. 812. *F.*
Christus filius Dei dilectus secundũ humanitatem oriundus ex Iudæis, adeoq. dictus filius vnicornium. 1. 289. *F.*
Christus quomodo, & quando turbatus. 1. 293. *F.*
Christus lumen, Sol, & Luna nostra. 1. 1023. *P.*
Christus quanta obedientia, ac promptitudine carnem sumpserit. 1. 157. *M.*
Christus manus suas, hoc est vulnera extendit ad peccatorem, vt conuertatur. 1. 826. *P.*
Christus vnus ille impeccabilis, de quo in Psalm. 13. *vsque ad vnum* . 1. 111. *M.*
Christus mori voluit, vt nos redimeret . 1. 954. *P.*
Christus quàm congruè dictus legislator, cum proponitur, vt iudex. 1. 779. *M.*
Christus dictus fructus ventris. 2. 751. *P.*
Christus fons, simul ac lumen. 1. 425. *M.*
Christi species decoris ex Euangelica lege, quam promulgauit in Sion. 1. 712. *F. Et ex iustitia & iudicio, quibus magnificatus impleuit Sion.* 1. 713. *P.*
Christus cæli porta est & per eum ad Patrem ascendimus . 1. 792. *P.*
Christus passionis tempore noluit vti fortitudine sua, ne redemptionem impediret . 1. 888. *M.*
Christus quàm humilis dum enim Regem eum volunt creare, aufugit in montem . 1. 1093. *F.*
Christus quæsitus vt occideretur, sponte se obtulit . 1. 1093. *F.*
Christus peccatum non commisit, licet pro peccato fuerit sacrificatus. 1. 1094. *P.*
Christus se dormisse, seu obijsse dixit conturbatum, quia paucis sua passio pro futura esset . 1. 856. *P.*
Christus fons bonitatis, & scientiæ . 1. 918. *P.*
Christus petit à Patre dari sibi imperiũ, idest iudicij potestatem ad impios castigandos . 2. 226. *M.*
Christus inuentus dicitur à Patre, cum incarnatus est, quia se sponte in carnẽ venturum obtulit . 2. 260. *P.*
Christus solus inter mortuos liber, quia solus inter homines sine peccato, & qui in potestate habuit ponendi, & non ponẽdi animam suam. 2. 236. *M.*
Christus erat pro nobis, & in nobis, oraturq. à nobis . 2. 207. *F.*
Christus natus in terra propè illis, qui eum timebant timore seruili. 2. 201. & 202. *F.*
Christo nemo Angelorum, aut iustorum hominum similis . 2. 252. *F.*
Christus vrauit & in die prosperitatis, & in nocte tribulationum. 2. 234. *F.*
particeps Christus factus mortalitatis nostræ, participem quoque se asserit bonorum, & tribulationum nostrarum. 2. 652. *M.*
Christi vestigia à Iudæis negata, dum negant, Christum veniſſe in mundum . 1. 1018. *P.*
Christi vestigia ab illo non cognoscuntur, qui legem eius non seruat. 1. 1018. *P.*
Christi via in mari, idest in hominũ cordibus . 1. 1018. *M.*

Christi vox in omnem terram exiuit ad salutem animarum. 1. 959. P.

Christi Ascensio fuit in monte Oliueti ab Oriente. 1. 1026. P.

in Christi passionis meditatione vera letitia. 1. 982. M.

de Christi ventre flumina fluunt aquæ viuæ ad irrigãdos fideles. 1. 982. M.

Christi nomen per Crucem clarificatum. 792. P. & M.

Christi sitis erat de fide Iudæorum, & salute. 1. 1042. P.

Christi oratio ad Patrem efficax, & eius iustitia. 1. 25. M.

Christi holocaustum pingue factum, cum post resurrectionem traxit in cælũ Sanctorum eorum corpora, quæ resuscitauerat. 1. 202. P.

Christi regnum quale. 1. 14. M. & 15. F.

Christi vita tota sacrificium, & holocaustum pingue. 1. 201. M.

de Christi tentationibus à Diabolo. 1. 301. M.

Christi fortitudo ex diuinitate, & qualis. 1. 149. P.

Christi humanitas clamat ad Patrem orãdo, vt & nos discamus semper orare. 1. 1046. M.

à Christi lateris foramine fluxit nostræ Redemptionis pretium. 1. 994. P.

de Christi innocentia. 1. 2. P. & 25. M

Christi exemplum ad passionem inuitat. 1. 925. M.

Christi ieiunium à perditione ad tempus fuit. 1. 1041. F.

Christi pax in æternum duratura. 1. 1105. F.

Christi morte, mors superata. 1. 1014. F.

Christi generatio in hodie æternitatis. 1. 14. F.

& per Incarnationem in hodie temporis. 1. 15. P.

Christi charitas in homines summa charitatum omnium. 1. 157. F.

Christi gesta obliuioni tradere nitentes Iudæi posuisse eum dicuntur in tenebrosis, & in vmbra mortis. 1. 238. M.

Christi gressus in præsenti vita quales. 1. 174. M.

Christi diuinitatem negarunt, ac negant Iudæi corde, & voce. 1. 111. F.

Christi cor quomodò turbatum in cruce. 2. 837. P.

Christi etiam vt hominis quanta sit gloria. 1. 61. P.

Christi post passionem exaltatio designata per hæc Patris verba, Super ipsum efflorebit sanctificatio mea. 2. 776. F.

Christi nomine nuncupati sancti Patriarchæ, & Prophetæ, antequam Christus in mundum venisset, propter eorum fidem in Christum ipsum venturum. 2. 489. M.

Christi sitis in cruce, erat de salutis animarum. 1. 922. M.

Christi anima Iudaico populo sicut terra sine aqua, cum in illo fueris sterilis. 2. 837. F.

Christi opera quæ. 1. 93. F.

Christi vita tota in paupertate, in laboribus, atque in passionum grumnis. 2. 245. P.

Christi gloria magna in Incarnatione, Resurrectione, & Ascensione. 1. 211. P.

Christi in captura traditus non est egressus fugiens, at obuium se dedit proditori. 2. 241. P.

Christi impeccabilitas. 1. 174. F.

Christi diuinitas probata. 2. 252. F.

Christi anima detineri non potuit in inferno, sicut nec illius corpus corrumpi in sepulchro. 1. 135. M.

Christi solida promptaq. obedientia nunquam infirmata. 1. 174. F.

Christi in morte tremente terra reuelata sunt illius fundamenta. 1. 159. F.

ex Christi operibus illum cognoscimus. 1. 188. M.

Christi zelus qualis. 2. 5. M.

Christi humanitas post illius Ascensionẽ, in cælo lætificata cum vultu, & visione Dei, & quomodò. 1. 211. M.

Chri-

Digitized by Google

R E R V M.

Chriſti nomina. 1.57. *F.*
Chriſti dolores quanti. 2.353. *M.*
Chriſti in paſsione, atque in doloribus nemo illi ſimilis. 2.164. *F.*
Chriſti impeccabilitatẽ teſtificatus eſt Io. Baptiſta. 1.111. *M.*
Chriſti genus carnale à Dauid, genus ſpirituale ſupra Dauid. 2.814. *P.*
ſine Chriſto exiſtentes inuij, & inaquoſi dicuntur. 1.991. *P.*
Chriſto ſitienti quare Iudæi acetum tradiderunt. 1.1042. *P.*
Chriſto munera offerimus, cum laudes, & corda noſtra tribuimus. 1.1023. *M.*
Chriſto addunt vulnera peccatores, cum peccant. 1.1058. *M.*
in Chriſto nos tentabamur in deſerto, quia Chriſtus de nobis carnem habebat. 1.911. *M.*
Chriſto patiente paſſionis tempore, non fuit qui requireret animam illius opem ferendo, ad ſaluandum, vel etiam ad imitandum. 2.832. *M.*
in Chriſto omnia habemus. 1.132. *M.*
Chriſto datum intellectum à Deo per exhibitam ſaluandorum per eius ſanguinẽ cognitionem. 1.134. *F.*
Chriſto homini ſubiecta omnia. 1.61. *P.*
in Chriſto Deus eſt per gratiam vnionis, in aliÿs verò per gratiam adoptionis. 2.549. *P.*
in Chriſto impleta omnes Dei promiſſiones. 1.208. *F.*
Chriſto gratiæ ſunt agendæ, quia pro nobis percuſſus eſt. 1.1037. *M.*
in Chriſtum credentes, & fideles latentur, quòd ipſe ſit pro nobis omnia opprobria paſſus. 1.1057. *F.*
per Chriſtum Patri coniuncti ſumus. 1.794. *M.*
per Chriſtum mortales nos, & iniuſti, immortali & iuſto coniuncti ſumus. 1.794. *M.*
Chriſti actiones verus Chriſtianus imitari debet. 1.794. *F.*
Chriſtum ſequens Crucem amplectitur. 1.807. *F.*
Chriſtum ſequentes per viam erumnarũ oportet incedere. 1.814. *M.*
Chriſtum ab omnibus cognoſci optandum. 2.188. *M.*
Chriſtum conſolantes ſunt proficientes. 1.1053. *M.*
Chriſti eſca in paſſione fel, & potus acetũ. 1.1053. *M.*
Chriſtum ob vnionem hypoſtaticam benedixit Deus Pater in æternum. 1.623. *F.*
in Chriſtum credentes fluuius Dei dicuntur. 1.966. *M.*
in Chriſtum publicè Iudei detrahebant. 1.1043. *F.*
contra Chriſtum Iudæi, & corde peruerſo, & opere multipliciter coadunarunt iniuſtitias. 1.867. *M.* & 868. *P.*
ad Chriſtũ oculi ſunt dirigendi. 1.1029. *P.*
Chriſtiana vocata eſt Gentilitas nomine nouo, ad Chriſti fidem conuerſa. 1.120. *M.*
Chriſtianus dicitur tranſire per ignem Spiritus ſancti, & aquam baptiſmi, per quæ educitur in refrigerium. 1.987. *P.*
Chriſtianus dicitur tranſire per ignem, & aquam, cum ſe in holocauſtum Deo offert. 1.987. *P.* & *M.*
Chriſtianus erubeſcat ingredi Eccleſiam ſine operibus bonis. 1.1025. *F.* 1026. *P.*
Chriſtianus malus recedit à luce iuſtitiæ cum peccat. 1.783. *P.*
Chriſtianus veluti pullus ſub alis Chriſti, non incedere debet longè ab illo, ne milvus eum rapiat. 1.940. *P.*
Chriſtianus poſt baptiſmum candida colũba efficitur. 1.808. *P.*
& veluti columba ſpe volat in hoc mundo, vt requieſcat. 1.808. *P.*
Chriſtianus paratus eſſe debet ad ſuffrendas tribulationes in omni parte. 1.931. *F.*
Chriſtianus populus dictus ſanctificiũ edificatum à Chriſto. 2.109. *M. Idem dictus filius Mariæ ancillæ Dei.* 2.223. *M.*

Chri-

ed by Google

INDEX

Christiani Deo iubilent, heretici vlulent. 1.974. *P.*

Christianus fidelis veluti cithara Deo psallere debet, nulla rupta chorda. 1.974. *P. M.*

Christianus non modò vocem, sed & manum citharæ diuinæ laudis admouere debet; hoc est non modò ore, sed opere Deum laudare. 1.974. *M.*

Christianum esse non sufficit, nisi audiantur, & opere perficiantur, quæ Deus testificatus est. 1.719. *M.* & 1.626. *M.*

Christiani sunt populus quem fecit Dominus per baptismi regenerationem. 1. 225. *P.*

Christiani humiles tametsi in magna sint multitudine, vnus tamen dicuntur populus. 1.167. *P.* & 168. *P.*

Christiani stellis comparantur, quæ lucem à Sole accipiunt. 1.774. *M.*

Christianos falsos, qui impediunt fidei progressum, cum confundūtur, occidit Deus. 2.787. *F.*

Christiani nomen is verè habet, qui bonum sectatur. 1.927. *M.* & *F.*

Christiani praui inimici Dei dicuntur, & qui illi mentiuntur nō obseruantes promissa illi in baptismo. 1.154. *F.*

Christiani gens, & populus electus, adeòq. & beati. 1.345. *M.*

Christiani nomen haud proderit ad salutem, nisi adsint & consona nomini facta. 1.126. *P.*

Christiani boni ad numerum pertinent, mali verò dicuntur esse super numerum ob multitudinem. 1.529. *P.*

Christiani multi in Ecclesia, non tamen omnes habitant, ac permanent in ea quiescentes in tabernaculo Dei. 1. 123. *M.*

Christiani appellati filij hominum speciali prouidentia sub tegmine alarum Dei sperantes. 2.422. *M.* & *F.*

Christiani simus non solum nomine, sed & factis. 1.203. *F.* & 1.927. *M.*

Christiani veteri vanitate non se exuentes, similes sunt hostibus Dei, qui captiuatā tenuere Dei arcam coram Idolis suis. 2.108. *M.*

Christianis præualent inimici Ecclesiæ, quia ipsi sunt magis inimici Dei per peccata. 2.154. *M.*

Christianis glorioſissimum est nuncupari, & esse populum Dei. 2.149. *M.*

Christianis notus Deus, veris Iudeis spiritualibus. 2.43. *M.*

Christiano fideli quatuor necessaria. Primum, vt intrà Ecclesiam sit: secundum, vt in ipsa sit stabilis in fide: tertium, vt sit assiduus in laudando Deum; & quartum, vt sit patiens à iuuentute. 1.1078. *F.*

Christiano non sufficit mala non agere, sed etiā bona debet facere. 1.939. *M.*

Christiani malè viuentes, Christo dant fel in escam. 1.1054. *P.*

Christianorum in persecutione commotum dicitur mare, & plenitudo eius, totus scilicet mundus. 2.375. *F.*

Christianorum Ecclesia dicitur populus humilis. 1.166. *F.*

Christianorum prius contemptorum postea magna habita est ratio apud Gentes. 2.826. *P.*

Cibus paratur à Christo, cum carnem suam dedit nobis ad manducandum. 1.966. *M.*

Cibus iustorum est iustitia, cibus verò impiorum superbia. 2.413. *M.*

Cilicio indutum se dixit Iesus per id, quòd factus est nouissimus virorum, & vir dolorum. 1.399. *P.*

Cinerem quomodò tamquam panem manducare dicatur Christus. 2.424. *M.* & 425. *M.*

in Circuitu ambulare proprium diaboli, ac impiorum. 1.105. *M.* & 1.308. *F.*

Circumcisionis antiquum Sacramentum non tollebat peccatum originale, nisi per fidē in Christum venturum. 1.531. *F.*

Ciuitas ab eo ædificata est ipsemet Iesus. 1.331. *M.*

Ciui-

Digitized by Google

RERVM.

Ciuitas iniquitate obſeſſa pro muris habet violentiam, & iniquitatem. 1. 813. P.

Eadem in medio laborē habet. 1.813. P

Eadem dolor eſt litigantium in foro, & iniuſtè oppreſſorum. 1.813. P.

Eadem in commercijs eſt plena fraude, vſura, & dolo. 1.813. P.

Ciuitas illa diruenda, præcipitanda, in qua Deus non eſt. 1.812. P.

Ciuitas illa præcipitanda, quæ in Chriſtum conſpirauit. 1 812. P. & M.

Ciuitas circumſtantiæ eſt Orbis terrarū. 1.907. F.

Ciuitas munita eſt cæleſtis Ieruſalem, ad quam optat deduci Eccleſia cum omnibus fidelibus. 1.908. P.

Ciuitas munita, Eccleſia ſancta Angelorum hominumq. congregatione munimine. Et patria cæleſtis, & Chriſtus Ieſus illius ſponſus. 1.313. F.

Ciuitas Dei eſt pia anima, quæ honeſtis moribus frequentatur, quam ſolus Deus cuſtodire poteſt. 2.749. F.

Ciuitatis cuſtodes dicuntur ij, qui bonum operantur. 1.761. P.

Ciuitatem Dei faciunt multi charitate pleni. 1.664. F. & 2.395. F.

Clamat corde, qui flagrat Dei amore. 2. 696. M.

Clamat ad Deum qui ſe terrenum cognoſcens ad Deum accedere deſiderat. 1. 913. F.

Clamat Deus comminando, vt rectè iudicemus, quia non vult ferire iudicando. 1.866. F.

Clamandum ad Deum intus, vbi Chriſtus audit. 1.314. F.

Clamare ad Chriſtum eſt gratia Chriſti congruere bonis moribus. 1.854. P.

Clamatur tunc in toto corde, quādo aliunde non cogitatur. 2.698. P.

Clamor ad Deum non tàm voce, quàm corde. 1.33. P.

Clamor cordis eſt magna cogitationis intenſio, quæ cum eſt in oratione, magnum exprimit deſiderantis, & petentis affectum, vt non deſperet effectum. 2.698. P.

Clamor noſter is non eſt, qui non procedit de corde noſtro. 2.829. F.

Clamor noſter ad Dominum eſt cogitatio ipſa noſtra. 2.830. P.

Claudicant à ſemitis ſuis & hæretici, & qui non obſeruant diuina, & Eccleſiæ præcepta. 1.181. P.

vt Libanus ignis dicuntur ponendi dānati in iudicio. 1.213. F.

Cogitatio improba atrocius bellum nobis facit, quàm vllæ gentes ferè. 1.489. P.

Cogitatio prima pœnitentis eſt damnatio peccati; reliquiæ cogitationum, ſunt iugis memoria eius cogitationis. 2. 51. M.

in Cogitatione miſer felix nullibi eſſe poteſt. 2.681. M.

Cogitatione ad Deum accenditur, & etiam diſceditur ab eo. 2.681. M.

à Cogitatione procedunt bona, malaq. omnia. 2.681. M.

Cogitationes noſtræ, & opera dirigantur in Chriſtum. 1.997. P.

Cogitationes bonæ, & opera per pennas columbæ deargentatas explicantur. 1. 1008. P.

Cogitationes prauæ in corda iuſtorū ſubortę non polluunt ea, quia citius manu ſanctæ diſcretionis abiguntur. 2. 656. P.

Cogitationes prauæ appellatę delictū maximum. 1.198. M.

Cogitationes malę à corde originem trahunt. 1.753. F. & 154. M.

Cogitationes prauę dictę dolores mortis. 2.601, M.

Cogitationes prauę dictę frameę diaboli. 1.69. P.

Cogitationes prauę non permittuntur incipere, ſi obtinere volumus, vt deſināt. 1.616. P.

Cogitationes prauę ſunt vincula impiorū. 1.80. P.

Digitized by Google

Cogitationum bonarū reliquiæ festum agūt Domino . 2. 51. *F.*
non Cognoscere sumitur pro non approbare, non placere . 2. 412. *P.*
Cognoscit Deum qui alienus est à peccato. 1. 72. *M.*
Cognoscit nos Deus, quando facit nos cognoscentes . 1. 615. *P.*
Cognoscimus Deum per creaturas . 1. 187. *M.*
Cognoscimus quòd magnus est Deus, ex diuina reuelatione, & ex consideratione operum eius . 2. 784. *F.*
Cognoscimus diuina postquam credidimus. 2. 659. *F.*
Cognoscimus Deum consideratione terribilium iudiciorum illius . 1. 77. *P.*
Cognitio diuersa à fide, aliud enim est credere, aliud cognoscere . 2. 660. *M.*
Cognitio est sapientis: sapiens enim eorum cognitionem inuestigat, quæ percipere desiderat. Vbi autem cognitio, fides præcedit . 2. 660. *M.*
Cognitio nostri est in nobis ex mirificatione misericordiæ Dei . 1. 141. *P.*
Cognitione propriæ paupertatis leuamus animas nostras ad Deum . 2. 209. *M.*
Cognitionem rerum spiritualium comitetur & morum prudentia . 1. 689. *F.*
Cognitio Dei haberi nequit in tenebris terrenorum affectuum . 1. 562. *M.*
Ea quomodò exhibita nobis per ostensionem misericordiæ eius . 2. 198. *P.*
Cognitione Dei, & Christi Iesu dirigimus cor nostrum in sapientia . 2. 291. *P.*
Cognoscitur Iesus vt sanctus, electus, ac innocens ab illo, quem ipse sanctificauerit, elegerit, & innocentem fecerit. 1. 166. *P.*
Cognoscunt Christiani Christum esse Deum suum, quod sub velamine significatum ante illius aduentum. 1. 846. *P.*
Cognouit Deus omnia, & singula, antequam ea crearet . 1. 726. *P.*
Cognitio Dei est duplex, simplex, & approbationis . 1. 725. *F.*
ad Cognitionem Dei deducimur cognitione animæ nostræ . 1. 564. *M.*
Cognitio infirmitatis nostræ quàm necessaria . 1. 43. *P.*
Colit nos Deus, vt simus fructuosi, colimus & nos Deum, vt simus pariter fructuosi . 2. 860. *F.*
quòd Colit nos Deus, nobis bonum est: & bonum pariter nobis est quod colamus Deum . 2. 860. *F.*
Columba charitatis symbolum . 1. 809. *M.*
Compedes timoris Dei haud euitandi, vt appetatur perniciosa libertas . 2. 433. *F.*
Complacere Deum in aliquo quid sit . 1. 595. *M.*
Comprehendi in superbia sua est cognoscere gratiam à Deo datam ad resistendum inimicis . 1. 891. *M.*
Compedes nostri sunt infirmitas, & corruptibilitas carnis, quæ aggrauat animam . 2. 125. *M.* & *peccata P.*
Cmpedibus timoris Dei compeditos seruat Deus . 2. 433. *F.*
Compeditos in mortalitate Dominus soluere dicit, quatenus ex mortalibus facit immortales. 2. 861. *M.*
Et quatenus peccatores pœnitentes liberat. Ibid.
Compunctio causatur plerumque ab illata ignominiæ confusione, & à vexatione . 2. 174. *M.*
Compunctionis vis . 1. 567. *F.*
Compunctionis similitudines, & dissimilitudines cum vino . 1. 901. *F.*
Concilium malignantium illud est, in quod admittuntur solummodo cōsiliarij praui . 2. 166. *F.*
Concilium Iudæorum de procuranda Christi morte . 1. 548. *M.*
Concipiunt quidem omnes, at alij benè, alij verò malè . 1. 830. *P.*
Concordia impiorum in malum . 1. 10. *P*

Con-

Digitized by Google

R E R V M.

ne Conculcemus nosmet, & nos non vincet homo. 1. 835. M.

Conculcatur ab homine, qui timet hominũ minas. 1. 835. M.

Conculcari à Diabolo per tentationes, vel à prauis hominibus per arumnas, & persecutiones vtile sicut pressura vua. 1.389. M.

Concupiscentia ad quanta mala deducat peccatorem. 1.112. P.

Concupiscentia nobismetipsis, quo nil miserius, tamquam armis diabolus in perniciem nostram vtitur. 1.489. P.

Concupiscentia, quæ ex primo Adæ peccato, fuit omnium peccatorum causa. 1.747. M.

Concupiscentijs inflammare studet diabolus quos non potest vexare tormentis 1. 881. M.

Concupiscentiæ victoriam à Deo habentes ab illo habere confidamus & robur patientiæ, ne dolore frangamur 2.683. F.

Confessio fidei nedum in corde, sed & ore proferenda absque vllo opprobrij timore. 2.643. F.

Confessio peccatorum appellata sessio nostra. 2.804. P.

Confessio debet esse integra omnium admissorum peccatorum, & dolens ex corde. 2.799. P.

Confusio est illa, quæ mordet conscientiam. 1.1050. F.

Confessio peccatorum magis in homine miranda, quàm sublimium aliarum gesta virtutum. 1.240. P.

Confessio peccatorum necessaria volentibus Deum videre & habitare in pace. 2. 45. P.

Confessio peccatoris quæ proficua, quæuè non. 1.705. M.

Confessio non differenda. 1.874. F.

Confessio peccatorum dolosa, quàm detestanda. 1.320. M.

Confessio peccatorum debet præcedere, vt bona sit laus nostra Deo. 2.866. P.

Confessio, per quam ferrum extrahitur vulnerans, haud sufficiens est, nisi medicina sanãs adhibeatur. 1.496 M.

ad Confessionem bonam, quæ requirantur. Ibid. & 1.43. M.

Confessio reuelans Domino viã, vitamq. ac peccata nostra necessaria, vt Deus ipse faciat nos iustos. 1.435. P.

Confessio peccati tàm grata Deo, vt statim ille concurrat misericordia sua. 2. 353. F.

Confessio nostra suauis est Deo, vt nobis suauis sit gratia illius. 2.474. M.

Confessio deitatis Christi necessaria. 2. 405. F.

Confessio peccatorum nulla est pia, & vtilis, vbi non laudatur Deus siuè corde, siuè etiam ore. 2.504. P.

Confessio & accusatio nostra pertinet ad laudem ignoscentis. 2.407. P.

per Confessionem remittitur culpa, & pœna æterna, non autem temporalis. 2. 322. F.

Confessione peccatorũ paratur iustitiæ via Domino, in qua ponat gressus suos. 2.204. P.

Confessione non loquens peccata sua, ea augentur, & clamant ante Deum, & in conscientia. 1.321. P.

Confessione præoccupanda Dei facies. 2. 360. M.

in Confessione peccatorum statuimus nobis speculam in amaritudine contritionis. 2.474. M.

Confessione peccatorum sit Deo iucundum eloquium nostrum. 2.474. P.

Confessionem deformitatis peccatorum sequitur pulchritudo, & decor animæ. 2.454. F. & 1.435. F.

Confitens aperuit os, quod per seipsum non faceret, & attraxit vnde faceret. 1.688. M.

non Confiteri peccata est in Ecclesia abiectissimum, idq. præ omnibus pudori esse debet. 1.435. F.

Confiteamur peccata nostra in tribulationibus; quando nobis benè est in exul-

tatione confiteamur laudem Deo . 1. 294. F.
Confitetur nimis in ore, qui verbum Dei predicat, quod ex corde succenso procedat . 2. 501. F.
Confiteri nolle peius est, quàm legem Dei contemnere . 1.489. M.
Confiteri Deum, quomodo faciendum benè. 1. 534. F.
Confitentur omnia opera Dei Deum, vel per se, vel per rationales creaturas, sicut ea quæ non habent sensum, sunt tamen materia laudis . 2.854. M.
Confitentur damnati peccata diabolo, non Deo . 1.44. M.
Confitentis peccata quantò maior est exaggeratio, tantò maior est laus Dei ignoscentis . 2.360. F.
Confitentibus Deum notus ipse Deus . 2. 43. M.
Confitendo peccata nostra dilatamus os nostrum, quod à Deo diuina iustificationis gratia impletur . 2.151. M.
Confitendum Domino & de peccato, quod nos fecimus & in bono quod ipse fecit, & quomodò . 2. 320. F.
Confidentia non in nostri præsumptione, sed tota in Domino Iesu Christo reponenda . 2.840. M.
Confidentiam in Deum habere debet cupiens ascendere in cælum . 2. 739. F.
Confidere in virtute sua quid sit . 1. 693. M.
Confidentem in homine, & non in ipso solo, per eum ipsum hominem, in quo confidit punit sæpe Deus . 1.851. F.
Confidentes in Domino non commouentur quacumque irruente persecutione, & tentatione, cum Deum habeant instar montium circumdantem, & munientem . 2. 739. P.
Confidentes in Domino, fortitudine, ac salute ipsorum semper læti, & exultantes, & intus in corde, & extra in voce . 2.612. M.
Conformatur iustus in omnibus ad Dei voluntatem . 2. 17. M.
Conformatio ad voluntatem Dei est habere cor rectum . 2.411. M.
Conformatione ad voluntatem Dei placemus Deo, ac iusti sumus . 1.332. P.
Confusio pœnitentis sit duplex, & intus in corde, & extra in corpore . 2. 561. M.
Confusio æterna timenda, confusio verò ac erubescētia pro admissis peccatis, vt bona habenda . 1.298. P.
Congregatio ad Christi aduentū non iam carnalium, sed spiritualium, & filiorum Dei . 1.133. M.
Conscientia tunc pura est, quando anima Dei amore repleta est . 1.938. M.
Conscientia peccatoris pugnante is, illa relicta, amplectitur iniquitatem, quam meditatus est in cordis sui cubiculo . 1.418. P.
Conscientia peccatorum commota, & accusante, conturbat Deus illam . . 1. 900. F.
Conscientia peccatoris remorsu continuo pungitur . 1.321. F.
Conscientia bona gerit spem, mala verò tota in desperatione . 1.318. M.
Conscientia mala, nulla grauior pœna . 2. 534. P.
Conscientia mala est fouea, in quam impius cadit . 1.859. P.
Conscientiæ puritas Deo offerenda . 1. 1110. F.
Conscientiæ remorsus continuus peccatorum, quæ non sint prolata, & dimissa in confessione . 1.321. P.
Conscientiæ examen quàm exactè faciendum . 2. 59. M.
Conscientiæ examen quàm necessarium . 2.59. F.
Conscientiam malam non sanat præconium laudantis : nec bonam vulnerat conuinciātis opprobrium. 2.534. P.
Conscientiam si habeamus sanam, ad illam quacumque in tribulatione confugi-

Digitized by Google

fugimus, ibiq. inuenimus Deum refugium noſtrum. 1.632.M.
Conſenſus neceſſarius ad perpetrationem peccati. 2.622.F.
Conſentire dicitur, qui cum poſſit, peruerſis negligit obuiare. 2.161.M.
Conſilium impij quale. 1.121.P.
Conſilium ſuum contrà Ieſum ſtabilire non potuerunt Iudæi, declinantes in illũ mala. 1.214.P.
Conſilia ponere in anima eſt dolere in aduerſis. 1.108.P.
Conſilia ponere in anima eſt ſpirituali conſilio decernere dolorem de peccatis. 1.108.M.
Conſilia mundanorum diſſipantur à Domino, conſilium autem Domini manet in æternum. 1.344.M.
Conſilia Chriſti, & bona reſpuunt iniqui. 1.121.M.
Conſilia praua iniquorum ſunt laquei interitus. 1.76.M.
Conſilijs ſuis prauis capiuntur impij in laqueum, quem abſconderint viris bonis. 1.76.M. & 77.M. & 80.P.
Conſiliorũ prauorum laquei abſconduntur in portis mortis, atque inferi. 1.76.P. & 80.P.
Conſiliarij praui malignare dicuntur conſilium. 2.166.M.
Conſolatio non eſt niſi miſerorum, & gementium, ſic cõſolati dicimur, quia adhuc gemimus, gemimus in re, ſed conſolamur in ſpe. 2.743.P.
Conſolatio triplex eorum, qui in miſerijs, ſeù in peccatis poſiti diuinam attendunt miſericordiam. 2.M.
Conſolationum ſpiritualium quanta ſit copia. 1.424.M.
Conſolatio noſtra à Chriſto. 1.798.F.
Conſolandi afflictum ratio, & modus. 2.347.P.
Conſpectus Dei dicitur, cum ſimul noſter in illum ſit aſpectus, ſimul enim mutuo aſpicimur. 2.406.F.
Conſpicit Deus Principes miſerando. 2.362.M.
Conſtantia iuſtorum in bono quanta. 2.680.M. & 2.704.M.
Conſtantia neceſſaria eſt in ærumnis. 1.251.P.
Conſuetudo peccati murus eſt inter nos, ac Deum. 1.169.M.
Hunc Dei ope facilè trãſgredimur. Ibid.
Conſuetudinarius peccator exacerbat toties Deum quoties delinquit. 2.99.M.
Conſuetudine peccandi inueterantur ſpiritualia oſſa noſtra. 1.321.P.
Conſulendus Deus antequam damnemus aliquem. 2.513.F.
non Contemplari debent quæ videntur, quia terrena, ſed quæ non videntur, quia cæleſtia. 1.924.F. & 925.P.
Contempletur quomodò Deus bonos, & malos. 1.73.F.
Contemplationi locus aptior templum Dei. 1.266.F.
Contemptibilis Ieſus apparuit ſuperbis, vt & eos, qui cum ipſo eſſe ſtudent contemptibiles, in cælo efficiat Reges. 1.311.M.
non Contendendum contrà verboſos. 1.494.M.
Conteramus cor noſtrum pœnitentes, & Dominus alligabit contritiones noſtras. 2.864.M.
ad Contradictionis aquas, ad tribulationes, & perſecutiones, dum hìc cum Chriſto ambulamus, probandi ſumus. 2.149.F.
Contrarius à Deo ſibi poſitus dicitur homo, quatenus homo ipſe peccando Deum dereliquit facta nimirum contrarietate culpæ. 2.843.M.
Contriti ſtellæ dicuntur à Deo numerate, & eius numero dignæ. 2.865.P.
Contritione de peccatis renouatur ſicut Aquilæ iuuentus noſtra. 2.444.F.
in Contritione noſtra concidit, in fugamq. conuertit peccata noſtra, & eos, qui nos oderunt. 2.261.F.

Contritione cum propoſito confeſſionis remittuntur peccata. 1.322.M.
Contritione duplici quomodò conteri dicũtur impœnitentes. 2.290.P.
Contritione miſerrima conteruntur à Deo, qui ſalubri cordis contritione pro peccatis conteri nolunt. 1.118.P.
Contritione bona deletur peccatum. 1. 89.M.
Contritum cum voto confeſſionis exaudit Deus etiam antequam clamet. 2. 215.M.
Contumelia dum damnatur, magnum Dei donum eſt. 1.805.P.
Contumeliæ dulces videntur ſanctis. 1. 775.P.
Conuerſatio cũ impijs vitanda. 1.250.P. & 254.F. & 2.824.F. & 827.
Conuerſatio iuſti eſt ſine iniquitate rectã currere viam, dirigens ad idipſum, & alios. 1.883.M.
Conuerſationis ſuæ curſum videri, & obſeruari optauit Ieſus, vt ipſum alij ſequantur, & imitentur. 1.883.F.
Conuerſatione cum bonis efficimur boni, cum improbis verò improbi. 1.165.F.
Conuerſio peccatoris tantis prodeſt, quantis prior nocuerat cõuerſatio. 1.582.M
Conuerſio Dei ad nos quando, & quomodò fiat. 2.291.M.
Conuerſio delicioſi quàm difficilis. 1. 140.F.
Conuerſio retrorſum facta in infidelibus, & impœnitentibus quid ſit. 2.591.P.
Conuerſatio cum impijs maximi tædij eſt iuſtis. 2.649.P.
Conuerſio à peccatis celeriter expedienda, ne tenebris iniquitatis conculcemur. 2. 807.M.
Conuerſio peccatoris maius eſt miraculũ, quàm reſuſcitatio corporis. 2.222.M.
Conuerſio noſtra ad Ieſum, & conuerſio Ieſus ad nos quomodò fiant. 2.132.P.
in Conuerſione infidelium, & peccatorum lætantur iuſti quique. 2.658.M.
in Conuerſione mundi poſt Chriſti aduentum commota dicitur terra. 2.591.F
in Conuerſione Orbis feciſſe dicitur Ieſus omnes terminos terræ, æſtatem, & ver. 2.31.P.
poſt Conuerſionem peccatoris mare fugit peccatorum. 2.591.P.
Conuerſionem peccatorum quanto affectu à Deo petat Eccleſia. 1.74.M.
in Conuerſione peccatoris increpatur à Deo mare rubrum, & exſiccatur, deduciturq. idem peccator in abyſſis lacrymarum. 2.509.F.
Conuerſionem peccatoris quomodò cauſet Deus per prædicatores. 1.160.M.
Conuerſionem peccatoris, & per prædicatores, & per terrorem tonitruum fulminum, & grandinis. 1.156.M.
Conuerſione ad bonum ſacrificamus ſacrificium iuſtitiæ. 1.28.P.
Conuerſione à peccatis conuertitur anima in requiem ſuam priſtinam. 2.602.P.
in Conuerſione peccatoris Deus illum repellere, & deſtruere dicitur, repellens ab eo peccata, & deſtruens eius vetuſtatem. 1.898.F.
in Conuerſione peccatoris terra ſubuerti dicitur, quia quæ prius eminebat, deorſum miſſa eſt, & ſurſum eleuata eſt facies, quæ prius in profundo præmebatur. 1.641.P.
in Conuerſione fidelium reſloreſcit caro Chriſti. 1.277.P.
in Conuerſione peccatoris Deus ſimul irascitur, dolorem, & tribulationes immittens, vt is reſipiſcat; tuncq. miſeretur remittens iniuſtitiam illius. 1. 899.F.
in Conuerſione peccatoris Deus redimit animam illius de manu inferi. 1. 703.M.
Conuerſionis peccatoris per impetum fluminis diuinæ gratiæ quantum gaudij afferat cæleſti ciuitati Dei. 1.637.P.
Conuerſionis peccatoris ad iuſtificationem modus. 1.322.M.
Conuerſus ad pœnitentiam laudem ſibi dare

Digitized by Google

dare non debet de ſua conuerſione, ſed Deo. 1. 973. P.

Conuerſus ad pœnitentiam vti Publicanus eſſe debet timidus non glorioſus. 1. 973. P.

Conuerſi ad fidem famem patiuntur, vt canes deſiderio alios conuertendi. 1. 885. F. Iidem circuerunt ciuitatem munientes Eccleſiam contra hæreticas impugnationes. Ibid.

Conuerſi à tenebris peccatorum ad lucem diuinæ gratiæ, charitatis igne ſuccenſi è carbonibus mortuis reuixerunt, & lucidi facti ſunt. 2. 819. F.

Conuerſi à peccatorum captiuitate facti dicuntur quaſi conſolati per Chriſti imitationem, propterquam fient verè conſolati in Patria. 2. 741. F.

Conuerſos ad fidem per Apoſtolos poſuiſſe Deus dicitur in Eccleſia, vt aquas maris in vtre. 1. 141. F.

Conuerti à peccatis peſſimis eſt ſacrificare Domino ſacrificium laudis. 2. 536. F.

Conuertit nos Deus, quum ipſe conuertit ſe ad nos, auertens iram ſuam à nobis. 2. 195. P. & 196. M.

Conuertimur ad Deum, quia ſecuri ſumus de remiſſione perſeueramus, quia ſecuri ſumus de promiſſione. 1. 537. M.

non Conuertitur ad Deum, niſi qui à ſeculo auertitur. 1. 72. M.

Conuertentis ſe à peccatis reſolutio, eſt vt illico è ſomno ſurgens duas duorum dilectionis præceptorum pennas ſumat confitens peccata ſua. 2. 807. M.

Conuertenti ſe ad Deum à peccatis, ipſa peccatorum tenebræ non obſcurabũtur; immo nox mundi huius in quo habitat, ſicut dies illuminatur terrenorum ei patefacta vanitate peccatorumq. ſęditate. 2. 807. F.

Conuerti ad cor eſt conuertere cor ad Deũ. 2. 201. P.

Et cum conuertimur ad ipſum cor noſtrum pulſatum à Deo, vt Dei ſeruitio nos ſic eedamus. Ibidem.

Conuertentem ſe à peccatis adiuuat, & deducit Deus. 2. 807. M.

Conuiciantes ſilentio redarguẽdi. 1. 579. P.

per Conuicium ſuam malitiam peruerſi ſanctis bonis ingerunt priuſquã ipſi de ijs veraciter accuſentur. 1. 497. F.

Conuiuiorum conuerſatio cum impijs maximè nociua. 2. 824. F.

de Cophinis Aegypti, & Cophinis Chriſti bucellis impletis in deſerto. 2. 147. M.

Cor Chriſti in paſſione improperium expectauit, & miſeriam. 1. 1052. P.

Cor bonum eſt Dei tentorium, & atrium. 2. 80. F.

Cor peccatoris velatum dum in peccatis permanet. 1. 960. M.

Cordis peccatoris velamen aufertur, cum ad Deum conuertitur. 1. 960. M.

Cor noſtrum petra, quæ ſcindi debet. 1. 960. M.

Cor noſtrum ſi in terra ſit, putreſcit. 2. 210. P.

Cor per confeſſionẽ mundatur. 1. 755. M.

Cor per lacrymas mundatur. 1. 755. F.

Cor contritum ſacrificium eſt Iuſtitiæ. 1. 762. P.

Cor contritum, eſt holocauſtum vſtum ab igne diuini amoris. 1. 762. P.

Cor ſurſum leuamus ad cælũ affectuum ſcalis funibusq.. 2. 210. P.

Iſta eleuatio non locum, ſed voluntatem mutat. Ibidem.

Cor mundatur per contritionẽ. 1. 755. M.

Cor iuſti dictum Paradiſus datus illi ad cuſtodiendum. 2. 477. P.

Cor contritum, & humiliatum verum eſt Dei ſacrificium. 1. 739. F.

Cor noſtrum coram Domino lachrimis effundendum. 1. 926. P.

Cor pungendũ, & percutiendum, vt reſonet confeſsionem peccatorũ. 1. 926. P.

Cor impiorum fundum maris, ex quo omnes iniquitates procedunt. 1. 964. P.

Cor rectum habentes laudantur, malum verò retinentes condemnantur. 1. 955. M.

Digitized by Google

Cor ſit contritum, paſſionem Dei meditans. 1.760. *M.*
Cor mundum non modò animi, ſed corporis fortitudinem generat. 1.756. *M.*
Cor contritum perſeuerantiã in bono ſemper expoſcere debet. 1.757. *P.*
Cor hominum mare amarum, & mortuum in quod fons vitæ Ieſus deſcendens ſuis aquis dulce illud reddit. 1. 1018. *M.*
Cor tribulatum nauis fluctibus agitata. 1.808. *M.*
Cor ædificatur, cum gratia repletur, deſtruitur, cum peccat. 1.770. *M.*
Cor impij cinis. 1.777. *M.*
Cor in diuitijs non apponẽdum. 1.965. *P*
Cor peccatoris obumbratur, vt in alia tranſeat peccata. 1.1059. *M.*
Cor in delicijs poſitum in morte clamat ad Dominum, videns periculum. 1. 919. *P.*
Cor mundatur per fidem. 1.754. *F.*
Cor mundatur per orationem. 1.756. *P.*
Cor affectibus ſpoliatum in fugam mittit inimicos. 1.798. *P.*
Cor pulſanti Domino aperiendum. 1. 1001. *P.*
Cor Iudæorum excæcatum, ne viderent, & cognoſcerent redemptionẽ. 1.950. *P.*
Cor Deo reddendum, cui id per peccatum abſtulimus. 1.1036. *F.*
Cor noſtrum carnis malitia excæcari ſolet. 1.1098. *M.*
Cor Iudæorum duriſſimum. 1.947. *F.*
Cor impiorum ſemper pauidum. 1.980. *F*
Cor, non diabolus malarum ſuggeſtionum auctor. 1.754. *M.*
Cor terrenorum durum eſt, quia terrenum ſine aqua gratiæ. 2.94. *M.*
Cor noſtrum quando exultet in Domino. 1.395. *M.*
Cor caſtum inueniri nequit præſumens de iuſtitia ſua, quare omnium cor præſumat de miſericordia Dei. 2.763. *F.*
Cor rectum habens facit quod Deus vult, non ſicut illi, qui voluntatem Dei ad voluntatem ſuam curuare conantur. 2.740. *P.*
Cor mundum quis habeat. 1.362. *P.*
Cor erit rectum, ſi figatur in Domino. 2.352. *F.*
Cor prauum dominatur carni peccatoris. 1.82. *F.*
Cor pœnitens doctor eſt aliorum ad pœnitentiam agendam. 1.758. *M.*
Cor illud dicitur rectum, quod iniquitatem non reſpicit. 1.989. *F.*
Cor mundatum à peccatis quàm benè ſimile hyſſopo herbæ. 1.749. *P.*
Cor mundandum, vt Deum videamus. 1.951. *M.*
Cor prauum, quid & quale ſit. 2.411. *P. & F.*
Cor rectum quid, & quale ſit. 2.411. *P.*
Cor prauum reſiſtit Deo. 2.411. *F.*
Cor noſtrum domus noſtra interior. 2. 410. *M.*
Cor noſtrum nos dereliquiſſe quid ſit. 1.539. *M.*
Cor noſtrum domus noſtra. 2.33. *P.*
Cor peccatoris dictum graue, & cur. 1. 27. *P.*
Cor noſtrum ſi tortum, & durum ſit, cõteratur, & frangatur à nobis contritione, & maceratione carnis, & dirigetur à Deo. 2.478. *F.*
Cor impiorum congregans iniquitatem ſibi aſſimilatum lacti coagulato, quod aceſcit. 2.655. *P.*
Cor diſtortum habere quid ſit. 2.80. *P. & F.*
Cor noſtrum eſt nauis noſtra, quando Ieſus in ea dormit fluctuat nauis, quia dormit fides in Ieſum. 1.385. *P.*
Cor noſtrum vrit Deus calore ſpiritus ſui. 1.253. *M.*
Cor maris præſens eſt ſæculum terrenis immerſum. 1.635. *M.*
Cor rectum quale. 1.50. *F.*
Cordis ex corruptione vitia omnia. 1. 115. *F.*
è Cordis munditia fructus eſt boni operis, &

Digitized by Google

& vera felicitatis. 2.620.M.
Cordis affectu anima sitire debet in Deũ. 1.941.M.
è Cordis duri petra deducit Deus in peccatore per pœnitentiam lacrymarum aquas vberes. 2.85.P.
Cordis in affectum quomodò transeatur. 2.7.F.
Cordis malitia prorumpit & in verba blasphemiæ. 2.8.P.
Cordis sonitum laudis Deus audit. 1. 958.M.
Cordis innocentia est dilectio Dei, ac proximi. 2.410.P.
Cordis nostri porta aperienda, vt per eas introeat Rex gloriæ cum cœlesti militia. 1.230.M.
Cordis aures aperiendæ Christo, & Deo pulsanti. 1.933.F.
Corde, animo, corpore, spiritu Deo psallendum. 1.1097.P.
Corda munda sunt altaria Domini virtutum, in quibus piæ animæ offerunt se Deo in sacrificium. 2.181.F.
in Corde firma fide existente aurea munera recluduntur. 1.1028.F.
Corde Deo psallendum, vt illi simus conformes. 1.1000.P.
si Corde Deum diligimus, Deus in nobis exaltatur. 1.951.F.
in Corde vnus Deus habendus. 2.18.F.
in Corde prius admittitur peccatum. 1. 867.M.
Corde, & opere Deo psallendum. 1. 1098.F.
Corde benedicendum est Deo. 1.984.P.
Corda peccatorum obstinata dicuntur porta æreæ. 2.534.M.
Cornu metaphora significatur Christus, eiusq. potestas. 2.326.P. Significatum & regnum, roburque, ac potentia. 2. 263.P.
Cornu Dauid productum, cum per Prophetas prænunciata fuit potestas collata Christo Iesu. 2.776.M.
Cornu salutis nostræ Iesus, & quomodò. 1. 150.M.
Corona Christi sunt sancti, ac iusti omnes. 1.209.M. & cœlestis gloria. Ibid. F.
Corpus Christi mirabilia operatur in id sumentibus dignè. 1.961.F.
Corpus suum vt buccellam misit Deus ante discipulos, vt comederent, & vitam haberent. 2.871.F.
Corona auri expressa signo sanctitatis, coronantur Martyres. 1.970.F.
Corpus nostrum est hostis domesticus, quem cogimur sustentare, perimere cum non liceat. 1.488.F.
Corpus delicijs assuetum, ad mortem veniens cum anima reluctatur. 1.919.P.
Corpus licet patiatur, anima tamen Deo est subiecta. 1.919.P.& M.
Corpus suum castigat qui se humiliat. 1. 935.F.
Corpus suum castigat; qui illatas à proximo suo iniurias sustinet patienter. 1. 935.F.
Corpus suum castigat, qui diligit inimicos, & eum odio habentes. 1.935.F.
in Corpore viuentes à Domino peregrinamur. 1.958.P.
in Corpore honoramus Deum, quando sumus mundi corde, & sine macula. 2.374.F.
Correctio disciplinæ Dei quàm vtilis. 1. 173.M.
Correctio externa peccatori insufficiens ad conuersionem, ni intrinsecus operetur Deus. 1.160.M.
Correctio cum desit, sitque adulatio, magna est Dei ira. 1.80.M.
Correctio non est sedis Dei, qui semper est iustus. 2.380.M.
Correctio est sedis Christi, quatenus pœnitètes & correcti sunt sedes illius. 2. 380.F.
Correctionem audiens, medicamentũ quærit pro vulneribus peccatorum. 1. 750.F.
per Correctionem Dei exhibitam redimus ad cor. 2.290.M.

Cor-

INDEX

Correctione diuina peccatori deficiente, sũmum illi est Dei flagellum. 1. 81. P.

Corrigendus est à iusto peccator. 1. 772. P.

sic Corripi à Deo petendum, vt per eam correctionẽ emendati, mereamur in die iudicij ad Christi dexteram collocari. 2. 290. P.

Corripi, & argui à Domino quomodò differant. 1. 479. M.

Corripit Deus in hac quidem vita in iudicio mansuetudinis, in futuro verò in furore iræ. 1. 42. M.

Corruscationes Dei prædicatio Euangelica. 2. 67. M.

Coruus impietatis symbolum. 1. 809. M.

Creatio cœli, & terræ, ac luminariorum non tàm propter Dei misericordiam. sed propter bonitatem. 2. 792. F.

in Creatione Deus dedit nos nobis, in Redemptione verò dedit nobis semet. 2. 155. M.

Creatura Creatorem laudare debet, sicut opus laudat suum fabrum. 2. 875. F.

Creatura gratis amare, & laudare Deũ debet. 1. 796. P.

Creata, & quæ in inferioribus fecit Deus, omnia, vel etiam minima faciunt verbum eius, in singulisq. ille laudatur. 2. 877. M.

in Creatura discamus amare Creatorem. 1. 527. P.

Creaturæ, quæ valdè bonæ, facta dicuntur à Deo solo; Quæ autem ad pœnam pertinent facta ab eodem asseruntur, sed per ministros Angelos, aut homines. 2. 793. P.

per Creaturarum cognitionem deuenimus ad notitiam Dei. 1. 187. M.

Creaturam præponere Deo, à quo facta est, quàm sit stultum. 2. 140. M.

Credere in Deum non posse quempiam, quomodò intelligendum. 2. 94. F.

non Credere in Deum est maximum peccatorum. 2. 85. F.

Credere in Deum plus est, quàm credere Deo. 2. 80. M.

Credere in Deum, est credendo adhærere Deo ad benè cooperandũ illi bona opera. 2. 80. M.

Credere cum Deo spiritum nostrum esse rationi rectè suadenti acquiescere. 2. 80. P.

Credens in Christum iustitiæ solem, & in illius Ecclesiam, quæ instar lunæ ab illo accipit lumen doctrinæ, non vritur per diem à sole, neque à luna per noctem, scandalo nempe vllo. 2. 723. P.

Credentes in Deo, & Deus in illis est. 1. 961. P.

Credentes in Deum filij dicuntur ex Deo nati. 1. 1004. M.

Credentes in Christũ, Spiritus sancti vmbra protecti. 1. 1009. F.

Credentium numerus dicuntur cãpi vbertate repleti. 1. 969. P.

Crescẽtia celeriter vt sint, magis festinãt vt non sint, & transeant. 2. 283. F.

Crimen falsò à maligno obiectum, obijciẽti imputandum. 1. 1050. F.

Crux Christi timorem Gentilibus incutit. 1. 970. P. & M.

Crux tollenda, vt Christum sequamur. 1. 984. M.

Crux est virga virtutis, & sceptrum potentiæ Christi. 2. 564. F.

Crux Christi in corde figenda. 1. 1097. F.

Crux contra diabolicos incursus inuamen. 1. 1097. F.

Crux thronus Christi. 1. 67. M. & 69. F.

Crucis filij sunt Christiani. 1. 557. F.

sub Crucis Christi titulo firmi, in persecutionibus persistamus. 1. 849. P.

Crucis in ligno superamus maris fluctus, ac mundi tentationes. 2. 470. F.

Crucis Christi patibulum imitari optat, qui petit cõfigi timore Dei carnes suas. 2. 682. F.

Crucis signum in bonum nostrũ. 2. 223. P.

in Crucis throno fecit Iesus iudicium huius mundi. 1. 144. M.

in Crucis via ambulans in medio laqueorum ambulat. 2. 565. M.

in

in Cruce ſtans dominatur in medio inimicorum ſuorum . 2.565.M.
Eruci Chriſti inhærendum 1.491.F.
Crucem in fronte geſtantibus ſplẽdor Dei eſt ſuper nos . 2.292.F.
Crucem tollit ille, qui pro Chriſto tribulationes ſuſtinet . 1.984.F.
in Cruce Chriſtus pro Iudæis orauit . 1. 817.P.
in Cruce elevans manus ſuas Chriſtus ſacrificium obtulit veſpertinũ .2.823.P.
Cruce Chriſti obumbrantur fideles, ne pereant . 2.299.F.
in Cruce egit Chriſtus cauſam noſtram . 1.67.M.
in Cruce dormienti Chriſti latus lancea percuſſum eſt, & ſacramenta profluxerunt, vndè facta eſt Eccleſia . 2. 750.F.
in Cruce Chriſtus induit decorem, & fortitudinem . 2.532.P.
Crucifixionis Chriſti in peccato tribulationes inuenerunt Iudæos nimis . 1. 633.M.
Crucifixionis Chriſti modus deſcriptus sãctæ Brigittæ . 1.220.M.
Crucifixum Ieſum intuentes ſanantur à morſibus ſerpentum infernalium . 1. 871.F.
Crucifixum dici maledictum, non infert Chriſto contumeliam, quia per id ſignificatur, maledictum peccatum, & maledictam mortem, quæ pependerunt in ligno . 1.872.P.
Crucifixo Chriſto erepta eſt framea diaboli, & conuerſione tracta eſt Gentilitas . 1.144.M.
Crucifixores Chriſti teſtamentum Dei contaminauerunt. 1.827.P. & M.
Cubiculum cordis quomodò claudendum. 1.418.M.
in Cubilibus ſuis in conſcientia ſcilicet pura, in corde ſincero lætantur ſancti . 1. 883.P.
Cultus diuinus docetur ad conſeruandam poſſeſſionem obtentæ à Deo rei. 1.829.P.
Curioſitas in ſcrutandis diuinis agendi rationibus damnanda . 2.323.P.
Culpam ſequitur pœna . 1. 1036.M.
Cupiditas res eſt cordis, ideòq. multò maior, & multiplex quàm neceſſitas, quæ eſt corporis . 2.308.F.
Cupiditates noſtræ, quando valide ſunt ità vt illis ſeruiamus, vocantur neceſſitates, à quibus ſaluat Deus ſolus, 1.302.F.
Cupiditatis feruore obtorpeſcente feruet memoria charitatis . 2.663.M.
per Curarum ſæculi extirpatas ſpinas ſtatuit Deus pedes noſtros in loco ſpatioſo . 1.303.P.
Currendum viro ſpirituali in obſeruatione mandatorum Dei, & expectandum in remuneratione mercedis fructuum . 1.472.F.
ibi Currus eſt, ſuper quem currit Dei ſeruus ad cælum, vbi eſt Dominus . 1.1012.F.
Curuari deſignat pœnitentiam. 2.661.F.
Cuſtodia diuina Eccleſiæ ciuitatis Dei in qua ædificati ſumus domus Dei, neceſſaria eſt, ne in vanum ſit labor noſter . 2.749.F.
Cuſtodia animæ, à qua educi à Deo flagitant iuſti, eſt corpus, & caro, quæ sẽper militat aduerſus ſpiritũ. 2.833.M
Cuſtodia præceptorum Dei ex conſideratione iudiciorum diuinorum. 1.163.P.
Cuſtodiam oris petens pia anima, cordis petit cuſtodiam, ne malas admittat cogitationes. 2.823.F.
Cuſtodire quæ meimur in nocte præcẽtis vitæ, pro nihilo habentur . 2. 282. M.
Cuſtodit Dominus potiſſimũ animam iuſti, cuius corpus occidere poſſunt aduerſarij . 2.723.F.
Cuſtodienda à peccatorum vel minimorũ puluere anima tanta cuſtodia, quãta cuſtoditur pupilla oculi . 1.141.F.
Cyniphes quidnam ſint . 2.497.P.
Cynomiæ, & ranis comparati hæretici oblatrantes, & mordentes Eccleſiæ Prælatos,

latos, ac Doctores. 2.100.F.
in Cithara confitetur Domino, qui & in prosperis, & in aduersis benedicit Domino. 1.335.M.
Citharæ canticum est confessio peccatorum, quæ in hac carne admisimus, citharæ est ipsa caro. 1.334.M.

D.

DAmnatio à nobis, salus verò à Deo. 2.521.M.
Damnatorum vita, cur dicenda mors. 1. 702.F.
Damnatorum anima, quomodò dicantur mori potius quàm viuere. 1.702.F.
Damnatorum pœnis meditantes erudimur, qui sumus in munda huius nocte, vt cõuertamur à vitijs. 1.189.M.
Damnatorum quanta erit confusio, & dolor. 1.234.M.
Dæmones Deum agnoscunt, & contremiscunt. 1.778.M.
Dæmones nos impediunt, ne ad Deum tendamus. 1.820.M.
Dæmones inimici fortissimi. 1.161.M.
Dæmones superamus manibus cruci cum Christo affixis. 1.172.P.
Dæmones fundamenta montium superborum conturbata, descendente Christo ad inferos. 1.153.M.
Dæmones haud timendos ab adhærentibus Deo. 2.303.P.
Dæmones quomodò coarctare dicantur peccatores. 1.387.M.
Dæmonum insidiæ luxuriæ, & vitia. 1.1066.F.
Dæmonia eijcit ille, qui pœnitens de peccatis diabolicas tentationes expellit. 1. 954.M.
Dæmonibus prohibetur diuina confessio, cũ non venerit, vt eos redimeret. 1. 1040.P.
Dauid peccatorum non agnoscens iustitiã quærebat, postquam agnouit, misericordiam petit. 1.745.F.
Dauid persecutio longa fugientis à Saule. 1.931.P.
Dauid pœnitentia longa fuit. 1.931.P.
Dauid prœuidens Christi incarnationem spiritu gaudebat. 1.751.F.
Dauid interpretantur fortis, seù aspectu desiderabilis. 1.765.P.
Dauid passionẽ Christi præuidens, & eius saluationẽ canit, & psallit. 1.1097.M.
Dauid in spiritu baptismum appetebat. 1. 749.F.
Dauid Christi personam repræsentat. 1. 790.F. & 1.932.M. & 1.865.P.
Dauid Rex ter vnctus fuit. 1.260.P.
Dauid super senes intellexit, quia ea, quæ in veteri testamento in figura scripta legebat, complenda præscinit in Euangelio. 2.672.F.
Dauid zelus magnus ad perdendum iniquos. 2.4.F.
Dauid ad certamen cum Goliath præuenit in maturitate, clamans ad Deum & in illius verbum supersperans. 2. 699.M.
in Dauide enituere duæ in primis virtutes, zelus Dei, & mansuetudo, seù humilitas. 2.767.M.
Datum, quod non pertineat ad Dei cultum, habendum quasi mortuum. Deus enim est viuus, datque viua. 1. 395.M.
Datum Deo ex dantis mente pensatur. 1. 278.F.
Debitor noster est Deus, si nos velimus esse creditores. 1.338.P.
Debitorem corona fecit se Deus nonaccipiendo, sed promittendo. 1.673.M.
Declinant à Deo qui ab eius declinant lege. 1.115.M.
Declinantes in obligationes ij sunt, qui mundanorum præsentes lætitias amant, & à fide declinant suppliciorum æternorum. 2.740.M.
Declinare ab aliquo est, esse dissimilẽ ab illo, illũ non sequi, nõ imitari. 2.412.M
Deducit nos Christus, trahens nos volẽtes

post

Digitized by Google

post se, & in ipso sperantes, cui credimus. 1.914.*M*.

Deficere *in aliquid est in illud totis desiderijs migrare, etiam quadam animæ defectione transfundi*. 2.662.*P*.

Deficiunt *oculi spirituales, & mens pia anima in eloquia* Dei, *quando flagranti ardet desiderio diuinorum*. 2.662.*M*.

Deficere *à nobis possumus, reficere verò nequaquam, sed ille reficit, qui nos fecit*. 2.364.*P*.

Deficere *in aliquid indicat nimium illius desiderium nondum adepti, sed auidissimè concupiti*. 2.661.*F*.

Defunctis *impijs nil prosunt funeralia insignia*. 1.705.*P*.

Deglutit *inimicus viuos, vt impœnitentes traducat inferius: mactat Ecclesia peccatorum, vt in eius viscera translatus cum iustis perducatur in cælum*. 2.736.*M*.

Deglutiuntur *animæ, quando relicto* Domino, *terrena sequimur, & mors viuos absorbet*. 2.735.*M*.

Delectatio *in factura* Dei *arguit magnitudinem delectationis in amore factoris*. 2.322.*M*.

Delectatio *carnalis, & illusiones concupiscentiæ, quasi mendacium aquarum infidelium, plagam faciunt desperabilem*. 2.815.*P*.

Delectatione *iustitiæ dilatato per Deum corde nostro currentes implemus mãdata omnia*. 2.638.*P*.

Delectationes *veræ in obseruatione mandatorum Dei*. 1.135.*F*.

Delectationibus *terrenis miscet* Deus *iustis amaritudines, vt ad se illos penitus trahat*. 1.546.*F*.

Delicię *mundi sunt potius signa militaria*. 1.428.*F*.

Delicię *iustorum, esse cum* Domino, *sicut delicię* Domini, *esse cum filijs hominum*. 2.807.*M*.

Delicię *huius mundi sunt aqua, per quam transire debemus, & non firmi stare*. 1.987.*M*.

Delicijs *addictus | mirificatione misericordiarum* Dei *eget, vt saluetur*. 1.140.*F*.

Delicię *terrenæ appellatæ infirmitates, & malum*. 1.140.*F*.

inter **D**elicias *corporis, & cordis discrimina*. 2.689.*F*.

ad Euchariſtiæ ſacramentum dignè accedẽdum inter innocentes. 1.255.M.

Euchariſtiæ in ſacramento Chriſtus dulcis, & rectus. 1.237.M.

Euchariſtiæ in ſacramento exhibitum cæleſtem panem, & manna prædicarunt Apoſtoli. 2.88.M.

In idem ſacramentum quantum delinquant hæretici. Ibid.

Eius tamen auidis tanta mannæ, & carnis, panisq. exhibetur in Eccleſia copia, vt conſummi nequeat. Ibid. F.

Panis eſt quotidianus quem petimus quotidie porrigi. 2.89.P.

Euchariſtiæ vnicum Chriſti votum, & ſacrificium in Eccleſia. 1.223.F.

Illius adoratio. Ibid. 224.M.

in Euchariſtia immutatus vultus Chriſti. 1.356.F.

Euchariſtię ſacramentum eſt animę armatura fortiſſima contrà hoſtes omnes viſibiles, & inuiſibiles. 1.228.P.

Digitized by Google

Euchariſtiæ in ſacramento, vt nobiſcum ſemper eſſet Ieſus, memoriam fecit mirabilium ſuorum. 2.573.P.

ad Euchariſtiæ ſacramentum deuotè accedentes, guſtant ſuauitatem Domini. 1. 365.F.

Euchariſtiæ ad ſacramentum vocantur iuſti, & filij Dei. 1.278.F.

in Euchariſtiæ ſacramento apparet Deus quotidie in nube iuſtis. 2.84.M.

ad Euchariſtiæ ſumptionem præparatio in condenſis virtutibus, & operibus bonis. 2.617.P.

Euchariſtia ſacrificium laudis. 1.727.F.

per Euchariſtici panis ſumptionem, facile eripimur à laqueo, & muſcipula diaboli, eiusq. miniſtrorum. 1.301.P.

Exaltationem noſtram ſperemus poſtquam ſederimus per mortem, ſicut in Chriſto obſeruare eſt. 2.750.F.

Exultationes Dei dicuntur eſſe in gutture ſanctorum, quatenus illi gratias agunt, cumq. laudant, à quo bona acceperunt. 2.883.M.

Et quia gaudent de conuerſione peccatorũ per prædicationem ſuam. Ibidem.

Et quia exultationes Dei prædicant percipientibus verbum illius in veritate. Ibidem F.

Exultare volens in conſpectu Dei, mundus conſcientia ſit ſicut Deus. 2.405.M

Exaltari qui velit, illi ſe ſubdat, qui non poteſt humiliari. 1.661 F. & 2.878.P.

Exaltandi Deum modus, & rationes aliquæ cur illum exaltemus. 2.849. P.

Exultatio cordis, & carnis in Deum viuum qualis ſit. 1.395. M.

Exaudimur, quia in Chriſto petra poſiti, & fundati ſumus. 1.911.F.

Exaudiri, & non exaudiri peccatores à Deo, quomodò verum ſit. 1.899.F.

Exauditur ille, qui ſpem non in terra, ſed in Cælo habet. 1.962.F.

Exaſperans domus, ac generatio appellatus populus Iudaicus, & quàm id congruũ. 2.79. F.

Exceſſus mentis ſtupor mẽtis perculſæ mallis. 1.140. F.

in Exceſſu pauoris aſſerunt plerumque & iuſti, ſe proiectos à facie Dei. 1.314.M.

Excitatur tamquam à ſomno Dominus, quando nos conuertimur correpti per diſciplinam. 2.107.F.

Excuſationes peccatorum euitandæ. 2. 824.P.

Exempla vitæ Chriſti ſint via noſtra. 2.63. F.

Exemplis ſuis prauis nocentes dicti ſcandala operantium iniquitatem. 2.827.F.

Expectatio noſtra vnus ſit Deus. 1.513.P

Exquirere eſt diligenter inquirere. 2.79.P.

Expugnari quidem Eccleſia à perſecutionibus impiorum, deiici tamen nunquam potuit. 2.759. F.

Extaſis eſt mentis exceſſus ex intentione ad ſuperna, vel ex pauore, & timore. 1. 296. M.

Exteriorihus curis tantùm inſeruientes cutis appellantur. 1.938.F. & 939.P.

Exultandum in Domino à quo nobis omne bonum. 1. 109. F.

Ezechiel ſignificat roborauit me Deus. 1. 957. P.

F.

FAbulationes ab iniquis narrari ſolitæ ſunt, quas diſſeminant doctrinas de cura carnis, ſtudioq. terrenarum voluptatum, & contemptu ſpiritalium. 2. 664. F.

Facere in ſcriptura idem eſt ac miſereri. 2.447. F.

Facies Dei eſt illius potentia, qua innoteſcit. 1.685.F.

Faciem ſuam auertere dicitur Deus à nobis, vt poſt poſteriora ſua abeamus, Crucem portantes. 1.618.M.

ante Faciem Dei præit qui à ſordibus vitiorum cor mundat. 1.1000.F.

Faciem Dei deprecari eſt ipſius Dei incarnationem efflagitare. 2.651.F.

à Facie Dei proijcitur ille, qui in gratiam non eſt amplius recipiendus. 1.757.P.

Fa-

Digitized by

Factum Deus reputat quicquid volumus, & non posſumus. 1. 868. *P.*
Facturam Dei ſe eſſe cognoſcere, eſt delectari in factura eiuſdem. 2. 322. *P.*
in Fame panis verbi Dei iuſti à Domino aluntur. 1. 351. *F.*
Fames Chriſti deſiderium ſalutis humanæ. 1.922. *F.*
Famis tempus nunc eſt, tempus ſaturitatis poſt erit. 1.352. *P.*
Famis tempore quanta ſit Dei erga iuſtos prouidentia. 1.456. *F.*
Felicitas mundana inſtabilis veluti nauis in medio maris ſine anchora fluctuans. 1.828. *M.* & F.
Felicitas terrena contemnenda dum cæleſtē meditamur. 1.800. *M.*
Felicitas mundi dicitur fouea, quæ foditur peccatori. 2.351 *M.*
Felicitas mundanorum vitrea. 1.84. *P.*
Felicitas omnis etiam in hac vita eſt in Deo. 2.860. *M.*
Felicitas *eſt, à vana huius mundi felicitate non vinci.* 1.982. *P.*
Felicitas *terrena inſtar ſomnij.* 1.511. *M.*
Felicitate *præſenti quomodò vtendū Chriſtiano.* 2.316. F.
Felix *verè is eſt, qui id amat, quod amādum eſt.* 1.266. *M.*
Ferrum *pertranſire animam, ſignificat tribulationem duræ neceſſitatis.* 2.491. *P.*
Feſtinandum *in benefaciendo.* 1.133. *M.*
Feſtiuitatis *ſolemnis dies nobis annunciatur, qua animæ noſtræ ſalus annunciatur.* 2.144. *P.*
Feſtum *ſempiternum in domo Domini, cæleſtiq. in patria.* 2.183. F.
Ficus *decorticata eſt anima candida quidē per virtutum opera, ſed interiori expoſita humilitatis expers tegminis.* 2.497. F.
Fides *ſignaculum quoddam eſt.* 1.755. *P.*
Fides *plena ea eſt, quæ ſit credendorum omnium, & formata per dilectionem.* 1.470. *M.*
Fides *cum operibus neceſſaria iuſtificato, ſicut egredientibus de Ægypto manus Moyſis, & Aaron.* 1.470. *M.*
Fides *noſtra ſcutum aduerſus diaboli inſidias.* 1.1025. *M.* & F.
Fides *lucerna eſt pedibus hominis in hac vita ambulantis.* 1.755. *P.*
Fides *viua eſt iuſtitia noſtra, quæue ratione id probandum ſit.* 1.334. *P.*
Fides *veluti granum ſinapis, quæ per totum Orbem creuit.* 1.1033. *P.*
Fides *illorum vana eſt, qui in reſurrectionem mortuorum non credunt.* 1.779. *P*
Fides *eſt vnum illud os, quod in viro iuſto non conteritur quibuſcūque, in illum inſurgentibus perſecutionibus.* 1.377. *M*
Fides *eſt ſpiritalium armorum potiſſima.* 1.383. *M.*
Fides *in corde eſt, Ieſus in naui.* 1.385. *P.*
Fides *neceſſaria eſt, vt de fontibus Iſrael bibamus.* 1.1020. *P.*
Fides *noſtra firma vincit mundi huius iniquitates.* 1.850. *P.*
Fides *vera eſt firmamentum annuncians nobis Dei opera.* 1.189. *P.*
Fides *cum bonis operibus eſt ſacrificium iuſtitiæ.* 1.28. *M.*
Fides *eſt primogenita noſtra, quam conſeruare magna Dei gratia eſt.* 2.786. *P.* *Magna verò pœna eſt occidi hæc primogenita, cum homines in afflictione Eccleſiæ perdunt fidē. Ægypti tunc dicta primogenita, afflictionem ſignificantis. Ibid.*
Fides *timentis eſt, qui enim timet, rationem non quærit, & vbi fides eſt, non ſtatim cognitio.* 2.660. *M.*
Fides *in Chriſtum ſubſtantia noſtra.* 2. 271. *M.*
Fides *non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* 2.510. *M.*
de Fidei *myſterijs nunquam melius tractatum in Eccleſia, quàm quando ab hæreticis illa fuerunt impugnata.* 1.826. *M.* & F.
Fidei *obedire eſt adimplere omnia, quæ ad fidem formatam requiruntur.* 1.818. *P.*
Fidei *obedire non eſt ſolum aſſentiri, ſed opere complere quæ fides oſtendit facienda.* 1.432. *M.*
Fidei *vires in tentatione diſcuiuntur:*

ea-

Digitized by Google

eademq. inexercitata langueſcit. 2.179. M. & 1.584.M.
qui Fidem veram habet,precepta diuina obſeruat. 1.755.M.
Fidem non habentes, nec intellectum habent. 1.926.M.
Fidem non habens,nec veniam ſperare poteſt ſuorum peccatorum. 1.758.F.
Fidem qui habet,perdere mortalia non timet. 2. 841. P.
Fide de Ieſu ſopita in corde noſtro,dormire dicitur Ieſus in corde noſtro excitata fide, excitatus Ieſus. 1.840.P.
Fides in nobis dormiens, excitanda, vt ſaluemur. 2. 313.M.
Fidelis in hac vita peregrinus. 1.915.P.
Fidelis tutus incedet in hac vita ab inimicis, ſi perſiſtet in Eccleſia. 1.915.P.
Fidelis emigrare non debet à Deo, quia ſecum eſt in adiutorio. 1.924.P.
Fidelis attributum quomodò & Deo competat, & homini. 1.338.P.
ità Fidelis eſt Deus promiſſis, ſicut eſt ſanctus in operatione. 2.855. M.
Fideles non à ſeipſis conuerſi ad fidem, ſed à facie Dei Iſrael. 1. 1004. F.
Fideles ad Chriſti exemplum etiam ipſi pati debent. 1. 1041. P.
Fideles Chriſti mercenarij dicuntur. 1. 1025. F.
Fideles ſemen Dei dicuntur. 1.1065.M.
Fideles veri Abrahę filij dicuntur. 1. 1109.P.
Fideles ſemper leti in Domino. 1.795.M.
Fideles poſt has tribulationes premium conſequentur laborum. 1.971.F.
Fideles in patria fulgebunt ſicut Sol. 1. 916. M.
Fiducia firma in Deum quantum conferat roboris. 1. 233. M.
Filius haud plangendus, ſi moriatur: ſed ſi ex hac vita deficiat peccando. 1. 495. F.
Filius Dei eſt, qui timorem Dei habet. 1. 785. P.
Filius Dauid poteſt dici vnuſquiſque noſtrum, qui Dauid fuerit imitatus in cuſtodia mandatorum Dei. 2.773.F.
Filium non honorans Patrem inhonorificat. 1. 1041. M.
Filij Dei nomen eſt, ſalus. 1.774.F.
Filium Dei videntes, & Patrem vident. 1. 994. M.
Filij Dei per gratiam, & miſericordiā pleno fluuio comparantur. 1.966. F.
Filij excuſſorum excuſſi, expediti, & accincti ad prelium. 2.751. F.
Filij hominum dicuntur, qui ſecundum carnem operantur malum. 1.926. F.
Filij hominum dicuntur,qui lucem odio habent; vana operantes. 1.926.F.
Filij hominum dicuntur vani, mendaces, & carnales. 1.926.M.
Filij hominum pecoribus, & animalibus ſimiles. 1. 927. M.
Filij hominum dicuntur vani, quia lites, & diſcordias inter ſe ſemper excitant. 1.927.P.
Filij hominum, quantum diſcrepent à filijs Dei. 1.27 M.
Filij hominum dicti fideles, qui imitantur Chriſtum ſe nuncupantem filium hominis. 1. 423. P.
Filij hominum dicimur, cum ſecundum homines viuentes, mala facientes. Filij autem Dei,cum benè facimus. 1.866.F.
Filij,quibus diuitiarū relinquitur hereditas, quàm rectè appellati alieni à parentibus iniquis. 1. 697. P.
Filij noſtri dicuntur bona opera noſtra,quæ ſunt in circuitu menſæ noſtræ, quæ eſt Deus ipſe. 2. 756. M.
Filij Eccleſiæ in circuitu menſæ eius, ſunt varij ſanctorum ordines, quibus coronantur. 2. 756. M.
Filij Dei dicti iuſti, & qui pertinebant ad vetus teſtamentum, & qui ad nouū, ſed diuerſimode. 2.159.P.
Filij id potius ſtudeant, vt parentes glorientur de illis, quàm vt ipſi glorientur de parentibus. 2.79.M.
Filij filiorum Dauid per fidei, virtutiſque imitationē ſeſſuri dicuntur & ipſi ſuper ſedem Dauid in gloria. 2. 773. F.

Digitized by Google

Filiorum in ortu gaudens, ad eos gaudet, qui nati ſunt, vt ipſe excludatur. 2. 757. F.

ad Filios eos gaudendum, cum quibus in æternum permanebimus. 2. 757. F.

Filiorum aliqui dicti ſolummodo nati, alij non ſolum nati, ſed & qui exurrexerint per baptiſmum. 2. 78. F.

Filijs congregare, & theſaurizare quàm vanum. 1. 512. M.

Filios habere non eſt felicitas, ſed bonos habere. 2. 757. M.

Filios lucis intendit formare Deus, nemo tamen hominũ in eis diebus, quibus formatur, eſt bonus. 2. 810. F.

Finis noſter Chriſtus eſt, in quo, & à quo perficimur. 1. 849. F.

Firmamentum eſt duplex, alterum in cælo, alterum in terra. 1. 1073. F.

Firmamentum in terra eſt Eccleſia. 1. 1073. F.

Et Dominus dicitur firmamentum noſtrum, quatenus firmi in ipſa eius Eccleſia perſiſtimus, & in qua edocemur in aduerſis patientiam. 1. 1074. P.

Firmamentum Chriſti à ſua diuinitate. 1. 149. P.

Firmamentum Iudæorum Deus, poſitum illis pro illorum culpa in formidinem, cũ desijt eſſe eorum protector. 2. 269. M.

Firmitas in Dei gratia ex Dei adiutorio eſſe fatendum eſt. 2. 353. P.

ſic Flagellat Deus omnem filium, quem recipit, vt etiam vnicum ſuum ſine peccato noluerit eſſe ſine flagello. 1. 328. M.

Flagellat Deus peccatores aliquãdo vt parcat, aliquando verò vt non parcat, quauè ratione. 2. 289. M.

Flagella Dei ad noſtram correctionem non fugienda. 2. 265. M.

Flagella impœnitentibus hic cœpta, perficiuntur in altera vita. 2. 289. F.

Flagella, & arumna vitæ præſentis ad correctionem haud dicenda mala. 2. 306. P.

Flagella oculos mentis aperiunt, quos inter vitia ſecuritas proſperitatis excœcarat. 1. 614. M.

Flagella peccatoris multa eſſe dicuntur, & quia multa quoque eſt dilectio creatoris, & quia multa ſunt peccatorum genera. 1. 327. F. & 328. P.

per Flagella interrogat nos Deus. 1. 97. P.

per Flagella à Deo inflicta, & vitia perpetrata purgantur, & futura, quæ poterant perpetrari demitantur. 2. 655. M

in flagello quolibet Dei non de illo dolendum, ſed de peccato cauſa illius. 1. 495. F.

Flagellis prauorum erudimur & nos, vt reuertamur. 2. 290. P.

in Flagellis, & calamitatibus inſti in iudicijs Dei ſuperſperare ſe aſſerunt confirmati in ſpe. 2. 644. M.

ſine Flagellis in hac vita quinàm ſinantur. 1. 836. F.

ſine Flagello dimittitur reproborum vita, quæ ad nulla præmia ſeruatur. 1. 913. F

Flagellorum Dei vtilitas peccatori. 1. 81. P.

Flagellantem Deum laudemus, ſi volumus ſentire cibantem. 2. 856. F.

Flagellatio Chriſti deſcripta ſancta Brigitæ. 1. 219. F.

Fagellatio Dei erudit nos ad theſauros cælorum. 1. 341. M.

Flendum in tenebroſo vitæ huius veſperi, vt perpetuo in matutino reſurrectionis lætemur. 1. 291. F.

Fletus Eccleſiæ quales, & quanti ſint propter fidelium ſuorum perditionem. 1. 305. M.

Floruit ſanctificatio Patris ſuper Chriſtum in illius poſt paſſionem exaltatione. 2. 776. F.

Flos ſunt delicia ſæculi, illico marceſcens. 1. 430. M.

Fluctuatio mentis in nobis ex rebus huius mundi inde, quia dormit in nobis Ieſus, fidesq. illius. 1. 840. P.

Flumina ſunt antiquorum Patrum dicta Iudais litteram ſectantibus abſcondita, fidelibus verò in lucem prodeuntia. 2. 282. F.

Digitized by Google

Flumina Babylonis ſunt mundana iſta omnia, quæ inſtar fluminum fluunt. 2. 795. M.

Super iſtis fluminibus tunc ſedemus, & flemus, cum conſideramus, omnia iſta caduca ad modicum duratura, adeòq. ploramus, vt immunes perueniamus in patriam noſtram. 2.795. F.

Fæces, quas bibent peccatores in calice vini Domini, ſunt ſcelerum ipſorum pœnæ. 2.40.F.

Fœnum factus eſt Chriſtus in carne noſtra, ne caro ipſa noſtra fœnum remaneret. 2.465. M.

Fœnum quoque fructus eſt. 2.498. F.

Fœno, ac flori comparata mundi proſperitas, ac delitiæ. 1.429. M.

Fœno diuitiæ comparantur. 2.867. P.

Fœno tectorum comparantur iniqui, cum non habeant radicem, nec ſuccum viriditatis diuinæ gratiæ. 2.760. M.

Folia arboris Chriſti doctrinæ, & Doctores ſacri. 1.3.F.

Fomentis verborũ, ac cæleſtium præceptorũ omnis nequitiæ virus aboletur. 2.706. F.

Fons Chriſti, fons miſerationis, & conſolationis. 1.560. M.

Fontis appellatio tributa Patri, Filio, ac Spiritui ſancto ſingillatim. 1. 558. P.

Fontes aquarum Scriptura ſacra, Apoſtoli, eorumq. prædicatio. 1.159. F.

Fornax eſt vita iſta, in qua palea iniquorum, aurum iuſtorum, & ignis tribulationum hos purgans, illosq. comburens. 1.492. P.

Fornicationis ſpiritus dictus dæmonium meridianum. 2.302. P.

Fortes irruentes in Chriſti membra ſunt ſperantes in diuitijs ſuis, ac in temporalibus. 1. 882. P.

Et qui de iuſtitia ſua ſuperbè præſumũt. Ibidem.

Fortior apparuit ſanctus Iob cũ carnis fragilitate Angelis, qui ſine carnis fragilitate è Cælis ceciderunt. 2.810. P.

Fortitudo noſtra Deus, & quomodò. 1. 148. M.

Fortitudo, quam Deus dat timentibus eum, eſt quidem occultata illorum perſecutoribus, non tamen ipſi Deo. 2. 809. M.

Fortitudo Chriſtiana conſiſtit in perferendo, non in offendendo. 1. 829. M.

Fortitudo ſanctorum Martyrum eò maior, quòd illi in fragili erant carnis ſubſtantia. 2. 809. F.

Fortitudo Dei quanta. 1. 51. M.

Fortitudinem omnem noſtram Deo acceptã feramus. 1. 888. P.

Fortitudinem ad Deum cuſtodiamus, & apud Deum, vt in omnibus fiat illius voluntas. 1. 888. F.

Fortitudo, qua indutus eſt Chriſtus, fuit humilitas, & patientia. 2. 333. F.

Fortitudo Chriſti in eo maxime cantatur, cum celebratur, quòd exaltatus omnia traxit ad ſeipſum, abſorbens mortem. 1. 894. F.

Fortitudo humana cuiuſcumque ſine Deo quàm infirma. 1. 349. M.

Foueam ſibi fodit, qui eſt in peccato, vt ea completa, cadat in illam. 2. 351. P.

Foueam fodiens alteri, neceſſe eſt, vt ipſe incidat in eam, prout euenit Iudæis, qui non Chriſto, ſed ſibijpſis obfuerunt. 1. 859. M.

Fouea, in quam impius cadit, eſt mala conſcientia. 1. 859. P.

Eſt & ipſa exultatio, qua contra alterum impietatem facit. Ibidem.

Framea Dei eſt anima iuſti cuiuſquè. 1. 383. F.

Fremere eſt proprium ferarum, & non vetitum ratione. 1. 9. M. & 16. M.

Fructus arboris Chriſti ſunt iuſti quique. 1. 4. M.

Fructus bonorum operum vt filij noſtri ſeſſuri dicuntur in ſæculum ſæculi, quia in æternum commemorabuntur. 2. 775. F.

Fructus ventris Dauid Ieſus fructus vẽtris Mariæ, quæ de ſemine Dauid. 2. 772. M.

Fructus iuſtitiæ colligetur à iuſto, cum cælorum regni à Domino particeps fiet. 1. 877. P.

Digitized by Google

Fructus populi Dei quis sit. 2.111.P.
Fragilitas hominis quanta. 2.99.P.
Fuga ab ijs perijsse dicitur, qui iniquorum non timent tormenta. 2.832.P.
Fugere quando liceat Christiano. 2.832.M
Fugere volens à Deo, fugiat ad ipsum. 2.312.P.
Fugiendum ad Dominum in diabolicis tentationibus. 2.297.P.
Fugiendum ad Deum, non autem à Deo. 1.300.M.
Fugit de manu ferientis, qui suæ pravitatem corrigit actionis. 2.290.P.
Fugiendū si est à facie arcus divini qualis erit iactus illius, & quale vulnus illatum à sagitta. 1.903.P.
Fulgura Christi, illius potestas, ac gloria. 2.381.M.
Et miracula Ibid. & Apostoli. 2.383.
eiusq. verba. Ibid.
Fulminum metaphora designatæ sententiæ extremi iudicij 2.329.M.
Fumo similis superbia. 1.420.F.
Fumus fit ex aqua & igne. 1.154.P.
Fumo designata peccata ascendentia in cōspectu Dei. 1.154.M.
Fumo quàm rectè cōparentur impij in morte. 2.15.P.
Fundamenta Orbis terrarum Apostoli. 1.159.F.
Fundamenta montiū conturbata post Christi aduentum, eiusdemq. passionem multipliciter. 1.153.M.
Funes peccatorum circumplectentes piam animam sunt impedimenta inimicorum carnalium, & spiritualium. 2.652.P.
Funibus metiebantur antiqui portiones cuiusque. 1.134.M.
Funes peccatorum, addendo peccata peccatis fiunt, & cum per eorumdem excusationem duplicantur. 2.817.F.
Funeralia insignia nil prosunt mortuis impijs. 1.705.P.
Furor quomodò futurus dicatur in iudicio. 2.101.F.
Furor Dei qualis. 1.42.M.
Furor Dei Patris confirmatus dicitur in Christo, quatenus ille pro omnibus transgressoribus pœnas sustinuit. 2.239.P.

G.

Garrulas quis dicatur. 2.58.P.
Gaudere vnde debeamus. 1.203.M
Gaudent impij de ruina fidelium. 1.109.M.
Gaudium, & gemitum iuncta habemus in hac vita, istum in re, ac in tribulationibus, illud in spe. 1.324.P.
Gaudium fidelium plenum in societate, & charitate. 2.313.P.
Gaudium mutuum inter iustos de ipsorum probitate, ac profectu in hac vita, & de gloria in cælo. 2.659.P.
Gaudium iustorum in Christo, eiusq. mirabilibus. 1.65.M.
Gaudium mundanorum quale. 1.390.M.
Gaudium iustorum est de spe futuræ gloriæ, gustatum hìc, vndè ibi satietur. 2.404.F.
Gaudium nostrum verum quale sit. 2.196.F. 198.M.
Gaudium, quod in materia est conuertibili, mutari necesse est, re mutata. 2.835.F.
Gaudium iustorum est in verbis Domini, in tribulationibus, in eo quod patientes sunt, & quod sperant in Domino. 2.725.F.
Gaudium verum est iustorum, & quale. 1.38.P.
Gaudij vox sumpta pro confidentia. 1.728.F.
Gaudio sęculi iuncta passio, & afflictio. 2.48.P.
Gemendum iusto, cuiq. simul, ac exultandum in hac vita: gemendum de præsentibus, & de re in oratione, exultandum, & psallendum de spe futurorum. 1.305.M.
Generatio Christi duplex. 1.14.F.
Generatio hominum tamquam folia arborum, quę semper sunt fronde vestitę, cadentibus tamen alijs, alijsq. in arboribus ipsis de nouo nascentibus. 2.438.P.

Gene-

Digitized by Google

Generationem aliqui determinarunt annis quindecim. 2.487.P.
Generatio hæc mortalium comparata lunæ, creſcit enim, & decreſcit ſicut luna. 1.916.M.
Gens Dei dicitur illa, quæ verbum ſuſcepit, & in illum credidit. 1.786.F.
Gentes illas feciſſe Deus dicitur, quas fecit Chriſtianos. 2.216.M.
Gentes timore correptæ videntes ſigna, & prodigia Apoſtolorum. 1.964.M.
à Gentibus alacriter ſuſceptus in Dominũ eſt Chriſtus, quem repulerunt Iudæi. 2.789.P.
Gentibus manifeſtata verba Dei, quæ olim Iudæis ſolis fuerant credita. 2.801.M.
Gentium in converſione facta eſt decora laudatio Dei. 2.864.P.
Gentium converſionem non ſibi adſcribit Eccleſia, ſed Deo. 1.907.M.
de Gentium converſione. 2.541.M.
Gentilis populus reſpectu Iudæi populi adoleſcentulum ſe aſſerit, & contemptum, qui tamen non ſicut ille, oblitus ſit iuſtificationes Dei. 2.693.F.
Gentilis populus in Eccleſia ad Ieſum converſus, dictus ſeruus Dei diligens, ignitũ Dei eloquium. 2.693.M.
Gentilis populus equo indomito cõparatus. 1.327.M.
Gentili populo in tenebris ambulanti, lux magna orta eſt. 1.1006.P.
Gentilis, non Iudæus Eccleſiam Dei eſt ſequutus, ideò cum Chriſto fuit. 1.823.M.
Gentiles ex diaboli ſubditis, Eccleſiæ ſubiecti per fidem. 1.1007.P.
Gentiles omnes inuitantur ad Deum laudandum. 2.403.F.
Gentiles, qui primo erant perſequutores, modò fideles effecti ſunt. 1.1003.M.
Gentiles converſi de mare in aridam dicuntur transiiſſe. 1.981.M.
Gentiles Deo benedicant, qui eos de tenebris ad lucem vocauit. 1.983.F.
Gentiles lapides adorantes, ad Chriſtum converſi de lapidibus facti filij Dei. 1.867.P.
Gentiles pauperes dicuntur, quia tanto tẽpore à diabolo decepti. 1.1103.P.
Gentiles ligna ſiluarum exultaturi in aduentu Domini. 2.376.M.
Gentilitas converſa de terrenis ad cæleſtia capeſcenda mota eſt. 1.1004.P.
Gentilitatis in converſione commouit Dominus deſertum Cades. 1.284.P.
Gentilitatis converſio. 1.15.M. & 1.179.P. & 2.23.M.
Gentilitatis ad converſionẽ aperti ſunt fontes aquarum. 1.160.P.
Gentilitatis terra aliàs arida, poſt Chriſti natiuitatem dedit fructum iuſtitiæ, ac fidei. 2.203.F.
Gentilitatis converſio ad Dei veri cultum. 2.23.M.
Gentilitatis dominium Chriſto à Patre collatum in baptiſmo. 2.263.M.
Genus humanum erat perditum, ſicut dragma. 2.874.F.
Gladius Dei vltio illius. 1.52.P.
Et illius ſpiritus. *Ibid*.
Gladius verbi Dei in labijs Apoſtolorum non effundens ſanguinem, ſed dans gratiam ad requiem. 1.886.P.
Gladius acutus poteſtas filij Dei in damnando, & corrigendo iniquos. 2.379.F.
Gloriam ſuam Chriſtus vt homo dicit Patrem. 1.21.F.
Gloria iuſti Deus. 1.38.P.
Gloria cæleſtis hæreditas iuſtorũ præclara. 1.134.M.
Gloria, & diuitiæ impiorum veteraſcent ſicut pannus, qui à tinea propter ipſius vetuſtatem conſummitur. 1.702.M.
Gloria hominis in Deo reponi debet. 1.775.P.
Gloria noſtra tantò firmior, quantò in Deo reperitur. 1.975.P.
Gloria virtutis iuſtorum, eſt Crux Chriſti. 2.258.F.
Eſiq. & teſtimonium bonæ conſcientiæ, & converſationis. 2.259.M.
Gloria omnis danda ſoli Deo. 2.473.P.
Gloria noſtra Deus. 2.512.F.

Digitized by Google

R E R V M.

Gloria eſt bonorum actuum frequens laudatio. 2.883.P.

Gloria, & gaudium eſt ſanctis, vt ad illum referãt bona, qui dedit. 2.883.M

Gloriam parturit humilitas. 1.61.P.

Gloriam Patris ſi ſemper quæſiuit, eiq. dẽdit Chriſtus, quantò magis id præſtare, & nos æquum eſt. 1.842.P.

Gloriam Dei ſolum quærere debemus. 1. 973.P.

Gloriam Deo dare debent, qui in fide permanentes ad Deum conuerſi ſunt. 1. 972.P.

pro Gloria ſui nominis elaborans ponere dicitur ſui memoriam in cinere, quàm ventus rapit. 2.582.F.

Gloriatur Deus in nobis, cum illum honoramus in corpore noſtro. 2.374.F.

Gradus quindecim aſcendendi ad ſummũ perfectionis pertractati à Dauide, in Cantico graduum. 2.713.M.

Quinam ſint iſti gradus quindecim. 2. 715.P.

Grando, & ignis cadit ſuper peccatores damnatos in inferno, pœna ignis vrentis & ſtridoris dentium. 2.497.M.

Grandinis metaphora ſignificata iniquitas res alienas auferens. 2.201.M.

Gratia Dei porrigitur vniuerſis. 1.191.F.

Eiuſdem nemo ſuo modo eſt expers. Ibid.

Gratia Dei nil maius, nil deſiderabilius. 1.319.M.

Gratia in Chriſto non acquiſita, ſed naturalis. 1.623.P.

Gratia ſolius Dei peccatum exuit ab homine. 1.743.M.

Gratia Dei præcedit opera bona. 1.938.P.

niſi Gratia præcedat, bona non dicenda opera, quæ facimus. 1.938.P.

Gratia veluti corona capitis noſtri, quæ peccando cadit ab ipſo capite. 1.968.F.

Gratia velut aqua fluens de cœlo in hominem. 1.967.F.

Gratia Spiritus ſancti dicitur voluntaria, quia ſine meritis præcedentibus, ſed voluntariè datur nobis. 1. 1004. M. & F.

Gratia lacti comparatur, quod tribuit nobis Deus. 1. 1010. P.

Gratia adiuuans neceſſaria eſt, vt impleatur præceptum Dei iubentis. 1. 1088. P.

Gratia ea eſt efficax, quæ & cooperantem ſibi facit hominis ſpiritum in bonis operibus. 2.80. M.

Gratiæ agendæ Deo ſemper pro beneficijs non ſolum iàm collatis, ſed & promiſſis in poſterum. 2. 152. P.

Gratiæ diuinæ in diuitijs delectemur. 2. 629. P.

Gratiæ infuſio in anima eſt in poſteriori ſigno quàm purgatio à peccatis. 1. 754. P.

ex Gratiæ diuinæ benedictione collatæ à Deo fit à nobis progreſſus de virtute in virtutem. 2. 187. M.

Gratiæ diuinæ adiuuantis iuſtum in pugna carnis deſcriptio. 2. 16. P.

Gratiæ Dei amiſſio eſt ſummum malorũ omnium. 2. 25. F.

per Gratiam cor peccatoris mundatur. 1. 253. P.

Gratia cum peccato ſimul nequit eſſe. 1. 253. P.

ex Gratia præueniente, atque adiuuante vocatio, & conuerſio noſtra, noſtraq. ſalus. 2. 240. M.

Gratiæ ſunt Deo agendæ tàm in rebus proſperis, quàm in aduerſis. 1. 805. M.

Gratis Deo ſeruiendum. 1. 796. M.

Gratitudo eſt optima beneficiorum cuſtos. 2. 151. F.

S. Gregorius Thaumaturgus montem oratione trãſtulit, & Licum fluuium agros inundantem baculo coercuit. 1. 964. F.

Gula, & crapula quanta mala cauſent. 1. 92. P.

Guloſi ventrem ſuum colunt vt Deum ſuum. 2. 92. F.

Guſtandus eſt Deus, vt videatur quàm dulcis ſit. 1. 968. P.

Digitized by Google

H.

HAbitare ſimul fratres in vnum ſcilicet Deum, deſpectis cęteris vniuerſis, adeò bonum, ac iucundum, vt explicari nequeat. 2.778.M.

Habitare dicuntur iuſti cum vultu Domini, quatenus illis ſeruiunt in amore, & timore. 2.821.P.

Habitat in Ieſu, qui Ieſū diligit. 2.296.M.

Habitat Deus in pacificis. 2.45.M.

Habitat in cęlo, qui aliquid eò mittit, quòd ibi ipſum teneat cor cogitans de miſſo theſauro. 1.700.F.

Habitat in adiutorio Altiſſimi qui non eſt ſuperbus habitans in adiutorio ſuo. 2. 296.F.

quis Habitet in adiutorio Altiſſimi. 2. 295.M.

Habitemus nos in Domino, vt ille inhabitet in nobis. 1.686.F.

Hęres diuinarum rerum eſſe qui velit, non tantùm extrinſeca deſerat, ſed & ſemet fugiat. 1.513.M.

Hęredem conſtitui ab homine, & à Deo quàm diſcrepent. 1.446.M.

Hęreditas cęleſtis dicta ſpecies Iacob luctatoris cũ Deo, quia regnum cęlorum vim patitur, & certãdo acquiritur. 1.651.M

Hęreditas cęleſtis, ac ſpiritualis tanta eſt multis, ſi exhibeatur quanta paucis tãta, ſingulis, quanta omnibus. 1.711.F.

Hęreditatis Chriſti quoad humanitatẽ pars Dominus Pater illius, à quo miſſus eſt. 1.133.F.

Hęreditas Chriſti populus iuſtus. 1.134.P.

Hęreditas Dei omnes iuſti. 2.107.M.

Hęreditas Domini eſt Chriſtus filius Dei. 1.913.M.

Hęreditas Domini ſunt filij, quos parit ei Eccleſia, & ſunt merces Chriſti fructus ventris Marię. 2.751.P.

Hęreditas noſtra eſt Deus quando illum diligimus toto corde. 1.650.P.

Hęreditas noſtra regnum Dei, & Paradiſus. 1.916.P.

Hæreditas eadem erit Regis, & ſerui, & ſicut illa durabit in generatione, & generationẽ, ità & ſeruorũ erit. 1.916.P.

Hæreditas iuſti eſt pati pro nomine Ieſu in teſtimonium illius, & hoc cum exultatione cordis. 2.677.F.

in Hæreditatem ſuã elegit Deus eos, qui tribulationes inſtar Iacob ſuſtinẽdo, ab ipſo & ſicut Iacob diliguntur. 1.652.P.

Hæreditas Gentium data Apoſtolis ipſę sũt Gentes. 2.574.M.

in Hęreditate Domini rem habere, eſt dormire inter Cleros. 1.1007.F.

Hæreſes iure dicendæ ſemper nouelle plantationes, quia vnaquęque ad veteres nouos addit errores. 2.846.F.

Hęreticus ſuperbus recordetur, ſe in puluerẽ redigendum, ne glorietur. 1.1016.P.

Hęreticus, & infidelis eſt Dei inimicus. 1.975.M.

Hęreticus dictus inimicus, & defenſor cõtrà Chriſtum, & eius Eccleſiam. 1.59.F

Hęreticus quomodò peior diabolo. 1.82.F.

Hęretici arũdini ſimiles quia inſtabiles, & varij, & falſis doctrinis agitantur. 1. 1024.P.

Hęretici veluti leues, & vertibiles mulierculę, quę ſenſu ducuntur. 1.1024.M.

Hęretici dicuntur congregatio Taurorum in vaccis, quia laſcini, fallaces, & diſſoluti. 1.1024.M.

Hęretici in Scriptura ferę dicuntur, & indocti. 1.1024.M.

Hęretici Tauri dicuntur propter ſuperbiã, & duram ceruicem. 1.1024.F.

Hęretici doloſis doctrinis intendunt arcum contrà Eccleſiam. 1.946.F.

Hæretici, vt decipiant homines, docent quę delectabilia ſunt carni. 1.947.P.

Hęretici, & Iudęi pacem Dei odio habent. 1.947.P.

Hęretici doctos excludunt, ne eorũ dignoſcatur imperitia, & ſtultitia. 1.1024.F.

Hęretici contentioni ſtudent non emendationi, ideò diſſipandi. 1.1025.P.

Hęretici ad vinum deſcripti. 1.36.P.

Hęretici ſe inuicem mordentes comparati locuſtis. 2.100.F.

Digitized by Google

R E R V M.

Hæretici verè & doloſi. 1. 35. *F. &* 36. *F.*

Hæretici peiores crucifixoribus Chriſti. 1. 310. *M.*

Hæretici ranis ſimiles loquacitatibus vanis, & impudicitijs. 2.496. *M.*

Hæretici habitant quidem corpore in Eccleſia, ſed abſcondunt nequitiam ſuam obſeruantes, ſi qua in re calumniari poſſint catholicos. 1.843. *M.*

Hæretici vocati Allophyli, quia alieni ab Eccleſia. 1.833. *M.*

Hæretici comparati cynomiæ, & ranis, & quare. 2.10. *F.*

Hæretici à Chriſto dicuntur diuiſi præ ira. 1.826. *M.*

Hæretici obliti dicuntur mirabilia Dei facta in Eccleſia. 2.83. *M.*

Et in tenebris huius ſæculi. Ibid. *F.*

Hæretici dicti vicini, & noti Eccleſiæ. 1. 306. *M.*

Hæretici catholicorum communioni detrahentes, ſeipſos cenſentes iuſtos. 2. 812. F.

Hæretici ſunt inſtar lactis coagulati, & acidi. 2.655. *P.*

Hæretici dicuntur conuerſi in arcũ prauũ, quatenus ſeipſos conficiunt dum Catholicam Eccleſiam ſuis ferire, & perdere ſatagunt iaculis. 2.104. *F.*

Ijdem in iram concitant Deum in collibus, & operibus ſuis malis, in ſuperbis doctrinis ſuis. Ibid. 105. *P.*

Hæretici Chriſtum negantes qui lumen eſt, in tenebris ambulant. 1.783. *P.*

Hæretici expugnare fidem non poſſunt, ſed tantùm oppugnare. 1.783. *P.*

Hæretici erubeſcant ire ante Eccleſiam, ſed retrò eant. 1.1067. *F.*

Hæretici ſono potius, quàm rationali loquela doctrinam ſuam proferentes caput ſuum Antichriſtum, & diabolum extollunt. 1.165. *F.*

Hæretici dicti laqueos ponentes, ob falſam, quam proponunt doctrinam. 2. 827. *F.*

Hæretici vocant Catholicos viros ſanguinum, quia mortificamus carnem noſtrã; vel quia tormentis pro vera fide ſubijcimus corpora noſtra. 2.813. *P.*

Hæretici malè loquuntur de Deo, quia contrarius operibus eorum malignis. 2. 86. *M.*

Hæretici maximè exultant in ſubuerſione catholici alicuius, & amotione à fide Catholica. 1.109. *M.*

Hæretici de libro Eccleſiæ deleti. 1.1060. *M*

Hæretici pro Eccleſiæ Catholicæ impugnatione maiori plectendi pœna, quàm infideles, qui Deum non cognouerunt. 2. 121. *M.*

Hæretici corpus Chriſti lacerare contendũt, dum Eccleſiam perſequuntur. 1.978. *P.*

Hæretici, & Schiſmatici arundinis ferè dicuntur. 1.1023 *F. &* 1024. *P.*

Hæretici Deum tantùm ore confitentur, corde verò negant. 1.778. *F.*

Hæretici, & iniqui tamquã de Eccleſia eſſent fabricant, vt puſillos decipiant, prolongantes iniquitatem. 2.759. *F.*

Hæretici infantes, ac ſimplices non lacte nutriunt, ſed veneno necant. 1.95. *M.*

Hæretici meritò dicti viri ſanguinum. 1. 35. *F.*

Hæretici infideles dicendi in Dei teſtamẽto. 2.96. *F.*

Hæretici ſimiles filijs Ephrẽ intendẽtes, &c. 2.81. *M.*

Hæretici quàm pernicioſi. 1.82. F.

Hæretici per vanas quæſtiones cupiunt nos illaqueare. 1.956. *P.*

Hæretici ſunt lupi rapaces. 2.816. *P.*

Hæreticis exprobrantibus fidem Catholicam meritò reſpondet Eccleſia, & qui ei addicti ſunt. 2.643. *F.*

Hæreticis nolentibus conuerti diuina imploranda vltio, & quomodò. 1.37. *P.*

Hæreticis aquę baptiſmatis conuertuntur in ſanguinem, cum illis nil proſint, carnaliter ſentientibus. 2.496. *P.*

Hæreticis diſſipare nitentibus Dei legem, nunc tempus eſt, vt arctius Deo, & Eccleſię hęreamus benè facientes. 2. 685. *M.*

Digitized by Google

cum Hæreticis nec pars habenda, nec aue illis dicendum. 1.779. P.
cum Hæreticis conuersantes dicendi portionem habere cum adulteris. 1.732. F.
in Hæreticis non est vera vnitas. 1.167. P.
Hæreticorum vitis non ex agricola Christo procedit, ideò comburenda. 1.1068. P.
Hæreticorum infestatio semper est in Ecclesia. 1.880. F.
Hæreticorum cõuersatio fugienda. 2.824. F.
Hæreticorum, ac Iudæorum principes appellati molæ leonum, quas confringit Ecclesia Catholica. 1.872. M.
Hæreticorum cõmenta subtilissima designata per Cynomiam, & Cyniphes. 2.497. P.
Herodes quomodò processerit in delicto persecutionis Christi infantis. 1.53. P.
Herodes ambo à Deo castigati. 1.13. F.
Herodes vulpis appellatus. 1.940. F.
Herodis, ac Iudæorum sapientia quomodò dicatur deuorata, cum occidere vellent Christum. 2.538. F.
Herodius quid sit. 2.467. F. & 468. P.
Hermon interpretatur condemnatio, seù destructio, quæ facta est Synagogæ. 2.779. P.
Hilariter Deo exhibendum obsequium, & laudis, & boni operis. 2.319. M.
Hircorum metaphora designati luxuriosi. 1.723. F.
Holocaustum nostri charitatis igne totum combustum placitum est Deo. 1.721. P. & 722. P.
Homo dolosus non casu, sed studio ad malum prouocat. 1.734. M.
Homo dolosus hæresis auctor, & scandalorum. 1.734. M. & F.
Homo dolosus nec fratri parcit. 1.734. M.
qui Homini doloso credit filius matris suæ, non Patris, hoc est imbecillis dicitur. 1.734. M.
Homo dum diuinis iussionibus subesse noluit, sub suis se necessitatibus strauit.
Hominem quomodò Deus magnificauit. 2.843. M.
Quomodò & erga eumdẽ cor suum Deus apponat. Ibidem.
Hominem quiddã pretiosum ostendit Deus, dum illum pretiosissimo filij sui sanguinis precio redemit. 2.843. F.
Homo vanitati similis factus est quando peccauit, qui prius veritati similis factus erat, quando cognitus fuit. 2.843. F
Homo Deo pulsanti non aperiens, & de peccatis non pœnitens animal est dicendus. 1.953. F.
Homo rationis expers timere debet semper. 1.953. F.
Homines non timentes Deum pecora, & bestiæ nominandi. 1.953. F.
Homo pretiosum opus, quia manibus Dei factũ, sanguine eius redemptũ. 2.657. M
in Hominis creatione Deus quasi quodam consilio ante tractauit, quàm faceret, & specialis hortatus præcesserit, vt studiosa operatio in eo notaretur. Ibid.
Hominis tanta est dignitas, vt homo legatur sedere ad dexteram Dei, non Angelus. Ibid.
Homo cum ad superna erigitur, rectum sit cor eius. 1.754. P.
Homines cessare non debent à diuina laude, cum omnes id faciant in cælo, & in terra. 2.876. M.
Homo accedit ad cor altum, cum altissimorum mysteriorum cognitionem habet. 1.950. F.
Homo debet esse vas igne tribulationis coctum, ne veniens aqua felicitatis eum in lutum soluat. 1.987. P.
Homo charitatem Dei debet considerare. 1.951. M.
Homo ideò litteras, quas scit, non adimplet, quia de se præsumit. 1.1088. P.
Homo gloriam cælestem non ingreditur, nisi ab omni labe purgatus. 1.737. M.
Homo non potest in vtroque sæculo consolari. 1.797. F.
Homo gratis redemptus, & gratis iustificatus. 1.796. P.
Homo, ac filius hominis dictus est Iesus. 1.60. F.
Homo sine Dei Spiritu vanitas est. 1.786. M.

Homo quomodò ſit factus ſimilis diabolo. 2.138.P.
Homo feſtinare debet ad bonum operandum, vt ſuæ prædeſtinationi correſpondeat. 1.961.M.
Homo, qui vincula, carceres, & alia tormenta ſuſtinere non poteſt cum ſanctis, caſtiget corpus ſuum ſaltem, & in ſeruitutem redigat. 1.935.F.
Homo à pecunia corrũpi nõ debet. 1.965.P
Homo factus eſt ad ſimilitudinẽ Sanctiſſimę Trinitatis, memoria, intellectu, & voluntate. 2.292.M.
Homo, qui prius erat perditus, per Chriſtũ viuificatus, & redemptus. 1.1090.M.
Homo dum terrena concupiſcit, incaruatur cor eius ad terram. 1.754.P.
Homo, vt ſis meditare, & imitare quæ fecit Chriſtus homo. 2.63.M.
Homo exutus cæleſtis imaginis ornamento, etiam nomen hominis amittit, qui gratiam hominis non tenet. 2.658.P.
Homo peccando recuſat cum Deo ad cælum aſcendere. 2.876.M.
Homo de vanitatibus huius ſæculi exire debet, vt virtutibus repleatur. 2. 1029.F.
Homo vel diues, vel pauper, ſemper Deo benedicere debet. 937.F.
Homo à Deo diſcat eſſe humilis. 1.976.M
Homo totum cor, non dimidium, & totum ſeipſum dare debet Deo. 1.973.M.
Homo in amore ſæculi permanens, in Dei amore eße non poteſt. 1.957.M.
Homo eſt numiſma Dei. 1.29.M.
Homo non de ſua virtute confidat, ſed in Deo ſperet. 1.924.F.
Homo ſi non peccaſſet, corruptioni ſubiectus non eſſet. 1.1032.P.
Homo ſicut fœnum, & ſicut flos agri. 2. 449.M.
Homo ſalutis ſuæ iter agnoſcat in Euchariſtia. 1.739.P.
Homo non prius à Deo deſeritur, quàm ipſe Deum deſerat. 1.757.P. (F.
Homines carnales appellati immũta. 1.698.
Homo quo honore fuerit conditus in Paradiſo, deq. illius mutatione poſt peccatum. 1.699.P.
Homo gloriam ſuam mutat per peccatum in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. 1.699.P.
Hominis deſtructio eſt, Deum derelinquere. 1.770.M.
Hominis Domino detrahentis inſania, cum is pro illo ſit mortuus. 1.1035.M.
Hominis honor grãdis, ſed quomodò cũ infelicitate coniunctus. 2.876.P.& M.
Hominis pœna anguſtatur ad vitam, & dilatatur ad miſeriam. 2.284.F.
Hominis terrenum fundamentum ſubſtantia carnis, à qua carnalis tentatio oritur, illum lacerante. 2.764.P.
Hominis vocabulo nuncupatus diabolus, eiusq. miniſtri, qui ſpiritu Dei carent. 1.386.P.
Hominis cognitio ad incomprehenſibilia Dei non ſe extendat. 2.865.M.
Hominis appellatio diuerſimodè vſurpata. 1.698.F.
Hominis pretium, quo redemptus fuit, eſt Deus. 2.151.M.
Hominis miſeria, cui nec in corpore ſanitas, nec in anima quies. 1.481.P.
Hominis fragilitas quanta. 2.99.P.
Hominis cuiusq. etiam terreni memor eſt Dominus. 1.60.M.
Homines cæleſtes, ac iuſtos viſitat Deus. 1.60.M.
Homini Deus tribuit intellectum, vt ſemper eum laudet. 1.738.P.
Hominem quanti faciat Deus. 1.60.M.
Homo, & filius hominis, quomodò diſcrepent. 1.60.M.
in Hominem miſericordia, ac dilectio Dei manifeſtata in creatione, & redemptione illius. 2.843.P.
Hominem non expedit eſſe ſine tentationibus ad maiorem gloriam. 1.943.P.
Hominem quomodò Deus poſuiſſe dicatur contrarium ſibi. 2.843.M.
per Hominem malum diuina prouidentia, & punit, & opitulatur, ſicut & per hominem bonum. 1.642.M.

Digitized by Google

ab Homine pendere omnino, haud bonum, quin & periculosum, si incidas in malum. 1.309.*M.*
Pendendum enim à Deo. Ibid.
Homines frui Deo volunt, sed imitari nolunt. 1.814.*F.*
Homines confundi non debent Dominum videntes morientem, & despectum. 1. 1039.*P.* & *M.*
Homines sunt greges pascuæ Dei. 1. 1005. *M.*
Homines in hoc sæculo veluti paruuli, quibus stillantur quædam de Sacramentis. 1.967. *F.*
Homines vnà cum Angelis semper Deum laudare debent. 2.874.*M.*
Homines in mundo sunt quidam flores in campo. 2.285.*P.*
Homines Deum laudent & nomen eius, quia redemit eos. 2.874.*M.*
Hominum nomine significati Iudæi. 1. 422.*M.*
Honor sæculi sæpè abijt antequam venerit. 1.1071.*M.*
Humanitas Christi quantam incutiat admirationem. 1.60.*F.*
Humanitas Christi dicta scapula eius obũbrantes illius diuinitatem. 2.299. *M.*
Humanitas Christi perfecta est virtute, & potestate. 1.171.*M.*
Humiliatio per tribulationes, quæ in pœnam, iusto fit in eruditionem diuinæ legis. 2.655.*M.*
Humiliationis suæ retributionem eam Christus à matre sua Synagoga accepit, quòd ab ipsa reiectus perijt, sicut perit infans ab vberibus matris eiectus. 2.766.*F.*
Humiliationi causa aduersitas. 1.986.*M.*
Humiliationis paucis verbis Deus placatur, & peccatori culpam remittit. 1. 742. *M.*
in Humiliatione, & depositione decoris sui Christus exhibuit se maximè decorum, & speciosum. 1.725.*F.*
Humiliter se subiectã Deo fatetur pia anima quantumlibet à Deo ipso exaltata. 1.919.*F.*
Humilitas optima ratio ascensionum. 2. 185.*F.*
Humilitas est causa dispositiua, vt paruulis diuina reuelentur mysteria. 1.312.*F*
Humilitas requiritur, vt iustificationes Dei discamus. 2. 656. *P.*
Humilitas spiritus salutis causa. 1.375.*F.*
Humilitas ideò exaltat, quia facit subditum Deo, quo nihil est superius. 2. 144. *F.*
Humilitatis mandatum est illud præceptũ, quod in Israel esse dicitur. 2.144.*P.*
Humilitas superbo abominatio est. 1. 1104. *F.*
Humilitas lætitiam gignit. 1.752.*P.*
Humilitas non reperitur nisi in corde contrito. 1.755.*M.*
Humilitas nostra attrahit oculos Domini. 1.74.*P.*
Humilitas Christi optimum medicamentũ tumoris nostræ superbiæ. 2.632. *M.*
Humilitas Christi, dum dixit, Non possum à me ipso facere quidquam. 1. 978. *F.*
Humilitas Christi tanta, vt se vermem dixerit. 1.217. *F.*
Humilitas Christi peccata nostra emundat. 1.749.*P.*
Humilitas designata per pedes. 1.494.*F.*
Humilitas hyssopo dicitur similis. 1.750.*M*
Humilitatis virtutem didicimus à Christo veritate Dei, verèq. se humiliante. 2. 659. *F.* & 660. *P.*
Humilitatis virtus quàm placeat Deo. 1. 740. *P.*
Humilitatis abiectio præsenti in vita atq. in Ecclesia, quàm preferenda cuicumque sæculi celsitudinis. 2.188.*F.*
Humilitatis magna virtus, maior Christi erga nos dilectio, qui se fecit humilem, de cælo descendens. 2. 587. *F.*
Humilitate Christus adeptus gloriam, & potentiam. 1.61.*P.*
Humilitate Christus saluauit mundum. 1. 811. *P.*
Humilitate, & patientia vincitur diabolus. 2.295.*P.*

Humilitate contingitur Deus, qui eſt omnium excellentiſſimus. 2.585. M.
Humilitate potiſſimum ſuperatur diabolus. 1. 59. P.
Humilitate magis delectatur Dominus, quàm victimarum occiſione. 2.766. P.
Humilitatem docuit Ieſus & mandato, & exemplo. 2. 83. M.
per Humilitatem accedimus ad Deum. 1. 364. M.
Humilis, & patiens Chriſti ſequens veſtigia habitare dicitur in adiutorio Altiſſimi. 2. 295. M.
Humilis factus eſt Deus, vt nos ſaluaret. 1.811. P.
Humilis meretur ſanguine Chriſti aſpergi. 1.750. P.
Humilis in Paradiſo videbit Chriſtum à mortuis excitatum. 1.1034. M.
Humilis, & contritus Dei nomen benè laudat. 1. 1061. M.
Humilis eſt locus Domini. 2.768. F.
Humilis corde tametſi aliàs peccator, audet exponere cauſam ſuam iudicio Domini, à quo & redimi, & viuificari confidit iuxtà illius eloquia. 2.703. P.
Humilis eſſe debet qui excelſus eſſe vult. 1. 740. P.
Humilis ſimilis factus eſt Chriſto Domino. 2.766. P.
Humilis, & manſuetus ſapiens eſt in terra. 2. 865. F.
Humilis verè Chriſtum imitatur. 1. 749. M.
Humilis conſolatione perfunditur in firma ſpe promiſſorum Dei. 2. 647. P.
Humili ſubiectione, & inhæſione Deo, confitens pia anima quicquid in ſe eſt, ab ipſo eſſe, audet dicere, ſe propterea haud à bono ſuo mouendā propoſito. 1. 920. P.
in Humili requiritur etiam legis meditatio, vt Dominus in ſancto habitans, & cum humili ſpiritu illum viuificet. 2. 667. F.
Humiles reſpicit Deus de propè ad illos deſcendens. 1. 114. P.
Humiles, & infirmos elegit Dominus, per quos potentes, ac Principes conuerteret. 2.467. P.
Humiles cum Chriſto ad cælum ſublenantur. 1.979. P.
Humiles quærere Deum poterunt, non ſuperbi. 1. 1062. F.
Humiles, & pœnitentes Deum laudare debent. 1. 1065. M.
Humiles valles dicuntur, gratiæ diuinæ frumento abundantes. 1. 969. F.
Humiles filij Dei dicuntur, quia generantur ab illo per prædicationem Euangelij. 1. 1104. P.
Humiles ſunt Deo proximi. 1. 85. M.
Humilibus per Dei legem datur diuinorū ſcientia. 1. 193. M.
Humilibus confert Deus fontes aquarum Spiritus ſancti, quibus inter medium montium, atque ſanctorum ſtabiliantur. 2. 461. M.
Hymnus tria continet, laudes, & Dei, & cum cantico. 2. 2. M.
Hypocrita potentiæ diuinæ maieſtatis inuidet. 1. 1082. F.
Hypocritæ haud Deo, ſed ſibijpſis miniſtrāt. 2. 413. F.
Hypocritæ cor longe eſt à labijs, quia quem labijs honorat corde inhonorat. 1. 812. F.
Hypocritæ ſimiles viti neglectę, & in terram iacenti. 2. 478. P.
Hypocrita in bonis, quę operatur accipit in vano animam ſuam. 1. 229. F.
Hypocritę claudunt Regnum cęlorum non modò ſibi, ſed & alijs. 1. 761. P.
Hypocritæ intus pleni ſunt rapina, & immunditia. 1. 816. F.
Hypocritarū pulchra deſcriptio ex eo quòd ponant in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſeat in terra. 2. 9. P.
Hypocritarum vulnera inſanabilia. 1. 417. P.
Eorum iniquitas ad Dei odium, quia doloſè egerunt in conſpectu illius. Ibid.
Hyſſopo ſimile cor mundatum à peccato. 1. 749. P.
Per eamdē deſignata humilitas. 1. 750. M

Digitized by Google

INDEX

I.

ex Iacob, & ex Israel, ex Gentibus nẽpe, & ex Iudæis, qui crediderunt in vna Ecclesia facta vna Dei possessio. 2. 784. M.

Iacob post luctum cum Angelo remansit claudus, eiusq. nerus emarcuit, quia Iudæorum pars credidit, parte altera infideli persistẽte, quæ euersa est. 2. 784. M.

Iacob non suis meritis electus, sed ante præcognitus, & gratia Dei inuentus, & viuificatus; sicq. & omnes gentes. 2. 784. P.

Iactantia omnis cauenda in oratione, & operibus bonis. 2. 57. P.

Iactantia in fine operum illius, qui spem suam non habet in Deo solo. 2. 79. P.

Idipsum, est, quod semper eodem modo est ideſt æternum. 2. 726. F.

Idithũ transiliens interpretatur. 1. 918. M.

Idola concisa ad Apostolorum prædicationem. 2. 262. M.

Idololorum seruus per verbũ Dei factus est Dei seruus. 2. 870. M.

Idololatria dissipata per Euangelicam prædicationem. 1. 159. M.

Idololatria per Christum destruenda. 1. 15. F. & 1. 656. M.

Idololatriam destruxit Iesus ore infantium, & lactantium. 1. 597. M.

Idolatræ quomodò sint similes simulacris, quæ colunt. 2. 789. M.

Iduma interpretatur terrenus. 1. 765. P.

Ieouah nomen approbriatum personę Patris. 2. 791. F.

Ieiunia instituta ab Ecclesia ad vitia cõprimenda. 1. 327. P.

Ieiunio humiliata Christi anima in cruce. 1. 399. M.

in Ieiunio & fletu orandum, vt veniam impetremus. 1. 1046. M.

Ierusalem quare dicta vertex capilli. 1. 1016. M.

Ierusalem visio pacis interpretatur. 1. 957. M.

Iesus vt terrenam pacem euerteret, gladium misit in mundum. 1. 1101. P.

Iesus tribulatus, vt acquireret Regnum cælorum. 1. 1049. M.

Iesus solus Saluator est generis humani. 1. 962. F.

Iesus se tradi permisit vt saluaret nos. 1. 817. M.

Iesus in conspectu Dei stat vt intercedat pro nobis. 1. 918. P.

Iesus pro nobis à pueritia in tribulationibus positus. 1. 1049. F.

Iesus orat Patrem, vt tollat peccata nostra. 1. 1049. F.

Iesus in maximis positus tribulationibus, benignitatem misericordię implorat. 1. 1048. M.

Iesus venit in mundum multorum capita conquaßaturus. 1. 1102. M.

Iesus venit in mundum, vt nos à dæmonis potestate liberaret. 1. 1102. M.

Iesus descendit ad inferos, vt ostenderet mansuetudinem suam. 1. 1105. P.

Iesus cæpit pauere in persona suorum membrorum. 1. 1031. M.

Iesus irã Patris à nobis auertit. 1. 1040. F.

Iesus venit, vt omnium peccata portaret. 1. 1030. F.

Iesus venit ignem mittere in terram vt probati efficeremur serui eius. 1. 985. M.

per Iesum via cognoscitur, qua ad cælum ducimur. 1. 993. P.

Iesus Christus dicitur Angelus Domini, qui in mundum venit, per quem mota est aqua gratiæ, vt sanaremur à peccatis. 1. 1088. F.

Iesus Christus est pretium Patris, qui pro omnibus satisfecit. 1. 922. P. M.

Iesus Domini nomen quàm dulce amanti. 1. 775. F.

ad Iesus dexteram quomodò dicitur stetisse diabolus. 553. M.

Iesus cur hora nona mori voluit. 1. 821. M.

in Iesum credere noluerunt Iudæi, quia superbi erant, & inuidi. 1. 1055. P.

in Iesu nostra spes, & fides vt insidiæ repellantur diaboli. 1. 955. M. & F.

R E R V M.

Ieſus nomen magnum in Iſrael. 2. 43. M.
Ieſus nomen quomodò admirabile. 1. 58. F.
Ieſus nomen Domini Altiſſimi. 1. 54. P.
Ieſus nominis encomia. 1. 72. F. & 1. 239. F.
Ieſus nominis in quibus exhibita ſit magnificentia. 2. 800. F.
Ieſus nomine nihil iucundius. 1. 775. P.
Ieſus in nomine magna gloria Domini. 1. 210. F.
in Ieſu nomine multa miracula Apoſtoli fecerunt. 1. 1006. F.
in Ieſus nomine noſtra ſit confeſſio ac laus. 2. 800. M.
hoc Ieſus nomine nil magnificentius. Ibidem F.
Ieſus in nomine exaltatum Chriſti Regnū, & potentia. 2. 263. P.
ſancti Ignatij Epiſcopi, & Martyris encomium. 2. 127. M.
Ignis noſtri, atque ignis infernalis diſcrimen. 1. 715. P.
Ignis charitatis abſumit omnem affectum carnalem. 2. 458. M.
Ignis metaphora ſignificata tribulationes. 1. 138. F.
de Igne Spiritus ſancti plura. 2. 693. P.
Igne cruciantur iniqui in terra, qui poſtmodum in ignem deijcientur æternum. 2. 819. P.
Ignoraſſe ſe dixit Ieſus, quatenus diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiā. 403. F.
Ignorantia Scribarum, Phariſæorum quàm magna. 1. 948. P.
Ignorantia Iudæi Chriſtum occidunt, ſicut & peccatores. 1. 960. P.
Ignorantiæ noſtræ dicta tenebræ illuminandę à Deo. 1. 168. F.
Ignorantia multorum Dei quantum angat viros bonos. 1. 563. P.
Illuminat fideles Deus intellectum eorum illuſtrans 1. 262. M.
Illuminat Deus illos, qui ambulant in luce ipſius, & in obſeruatione mandatorum eius. 1. 262. F.
Illuminanda facies noſtra, ſi faciem Chriſti illuminantem videre cupimus: & quomodò id faciendum. 1. 132. M.
Illuminatio ſpiritualis à Deo. 1. 255. F.
Illuminatione diuina egemus continua. 1. 262. M.
Illuminatione Dei confringuntur omnia inimicorum arma ſpiritualia. 2. 46. M.
Illuminationem à iuſtitiæ ſole petant, qui alijs prædicant. 2. 47. P.
Imago Dei eſt benefaciens homo. 1. 402. M.
Imago Dei triplex, creationis, recreationis, & ſimilitudinis. 1. 292. M.
Imaginem Dei dum quis retinet, homo iure vocatur: cum verò ea neglecta in vitia cadit, non hominem, ſed ſerpentem, aut iumentum Scriptura vocare ſolet. 2. 65. F.
Imaginaria & terrena omnia. 2. 15. M.
Imitatio Chriſti hominis noſtrum totum ſtudium. 2. 63. M.
Imitatio Chriſti in tolerantia omnium moleſtarum, & tentationum diaboli ſpe firma in Deum. 1. 294. F.
Imitari Chriſtum eſt intrare per ianuam, quæ eſt Chriſtus ipſe. 2. 295. P.
Imitationi iuſtitiæ Chriſti inſiſtendum. 2. 258. M.
Immaculati qui nàm dicendi. 1. 164. P. Et quomodò efficiamur. Ibid.
Immortali nullus dolor eſt. 1. 825. P.
Impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt, vt à malis arceantur; ſed vt mala grauiora patiantur. 1. 1076. F.
Imperium Chriſti in mare. 2. 537. F.
Impietas malum eſt infinitum, quod ſemel accenſum nunquam extingui poteſt. 1. 814. P.
Impius morte ſuperueniente, ſceleris amaritudinem tunc guſtare incipit. 1. 775. P.
Impius timeat, qui iuſtum perſequitur. 2. 922. F.
Impius magis eſtimat hæc bona caduca, quàm timeat ſempiterna. 1. 772. F.
Impius litteras habens, non implet litteras: cum doceat non furandum, & ipſe furetur, &c. 1. 1087. F. & 1088. P.
Impius fons ſine aqua. 1. 779. M.

Digitized by Google

Impius veluti nebula vento exagitata. 1. 779. *M.* & F.
Impius in ſuis peccatis gloriatur. 1. 998. *F.*
Regem puerum dat Deus, cum castigare vult homines peccantes. 1.986. P.

Reges, & Principes terræ, Apostoli, & Episcopi montes dicuntur. 1.1103. F.

Reges omnes, qui ad fidem venerunt, munera dederunt, Ecclesias extruentes, hospitalia erigentes. 1.1107. P.

de Regum impiorum manu Dominus iustos liberat. 1.1002. F.

in Regibus nihil virtū sine Deo. 1.931. P. & M.

Rhamnus est sentium genus asperrimum aculeis, & flore gratissimum, & significat vltionem, & bonorum retributionem. 1.874. F.

ad Rixam prouocantes confundentur, & nos illos fugere debemus. 1.1085. M.

Rixatur secum ille, quem pœnitet aliquid egisse. 1.1100. F.

Roma Christo subiecta per pauperes eius. 1.70. F.

Roma mundi Domina. 1.1108. P.

Romani veluti vespæ à Deo missæ ad destructionem Iudæorum. 1.922. P.

Romani crudinis ferę, cū Martyres crudeliter persequētes contrà eos sæuiebāt feris bestijs obijcientes. 1.1023. F. & 1024. P.

Romanorum potentia arundini ventis agitatæ similis facta. 1.1024. P.

Ros Hermon descendens in montem Sion, gratia Dei, quæ prius erat Synagogæ, translata in Ecclesiam montem Sion. 2.779. P.

Rosa symbolum marcidarū voluptatū, quę breui decorē, & odorē perdunt. 2.283. F

vt Rosa positus peccator, quatenus semper inquietus, & nunquam in eodem statu permanens. 2.172. P.

Rota ex his, quæ retrò sunt extollitur, ex his quæ ante sunt, deijcitur, sic sunt superbi inimici Dei. 2.172. F.

Rotæ nomine significatum tempus, & instabilitas. 1.308. F.

Rupis quid sit. 2.592. P.

Rupis conuersa in fontes aquarum, Gentilitas conuersa, è qua multa Martyrū, Confessorum, &c. flumina. 2.592. M.

Et corda peccantium in fontes lacrymarum per compunctionem resoluta. Ibid.

Rugæ nomine significata duplicitas. 2.172. M.

S.

S Abbato in Albis cur duplex Alleluia cantetur. 1.958. P. & M.

Sabbati dies quomodò benè seruetur. 2.316. M.

Saccum suum Christus appellauit suū corpus confessum in passione. 1.294. F.

In quo sacco vndique pertuso vulneribus omnium delicta portauit. 1.295. P.

Sacerdos manducat peccata populi, mactans primò peccatores vt confitentes peccata renuncient diabolo, tum manducat, absoluēs illos à peccatis, eaq. delēs. 1.736. P

Sacerdos in mente sua semper cœlestia debet reponere non terrena. 1.766. P.

Sacerdotis puritas figurata in speculis mulierum, & concha ænea veteris testamenti. 1.755. P.

Sacerdotes cur dicerentur comedere peccata populi. 1.551. F.

Sacerdotes quomodò inducendi iustitia dicantur. 2.771. F.

Sacerdotes auari deuorare dicuntur Christi plebem. 1.119. M.

Sacerdotes tres Moysen, Aaron, & Samuelem testes Sacerdotij Christi potissimum Deus esse voluit. 2.400. P.

Sacerdotes in primis curent, vt Christum induant salutare. 2.775. M.

Sacerdotes quales esse debeant, quæue vitare. 1.126. F.

Sacerdotes ad imitationem Phinees gladio verbi Dei interficiāt fornicatores. 2.517. F

Sacerdotum auaritia auertit eos & ab inuocatione Dei. 1.120. P.

Sacerdotum ob prauitatem ablatus est etiã Dei populus. 2.108.M.
Sacerdotum maiorum iniquitas magis noxia populo. 1.107.F.
Sacramenta haud proficua ijs, qui expertes sunt charitatis. 2.456.P.
Sacramenta legis Euangelicæ indicata à Dauide in Psalm. 28. 1.285. F.
Sacrificia quænam sint in conspectu Dei semper. 1.702. F.
Sacrificium laudis est via, qua ostenditur saluare Dei. 1.736.F. & 737. M.
Sacrificium voluntarium quam acceptabile sit, exinde patet, quòd id inter cæteras laudes filij Dei recensetur. 2.676.M.
Sacrificium iustitiæ est conuersio peccatoris. 1.28.P.
Sacrificium, ac holocaustum Christi extitit, & tota vita illius in tribulatione posita. 1.201.M.
Sacrificium est & mandatorum Dei obseruatio. 1.201. F.
Sacrificium iustitiæ est credere, & benè operari. 1.28. M.
Sacrificij laudis immolatio est Deo gratias agere, à quo habemus quicquid boni nobis est. 1.727. M.
Sacrificia antiqua ablata, quia erant figuræ, adueniente figurato Christo vera victima. 1.529.F.
Sacrificia antiqua non damnabat Deus, sed requirebat, quæ præcederent præceptorum obseruantiam in primisq. charitatis. 1.719.F.
Sacrificia vetera cessarunt in aduentu noui sacrificij in ara Crucis. 1.760.P.
Sacrificium filij Dei in ara Crucis fuit cruentum. 1.760. P.
Sacrificia antiquæ legis non sunt Deo accepta, & quia fiebant ab iniquis, & quia iàm aduenit figuratum. 1.721.F.
Sacrificiorum veteris legis genera varia. 1.531. F.
Sagitta volans per diem, est tentatio leuis, quæ fit in scientibus. 2.300. F.
Sagittæ potentis acutæ sunt verba Domini charitate ignita. 2.716.P.
Sagittæ Dei verba illius. 1.52.F.
Sagittæ Dei infixæ pœnitenti sunt dolores, & pœnæ, quas illi patiuntur. 1.480.M
Sunt etiam verba Dei, si plena sint amore Dei. Ibid.
Et amor ipse in Deum, dum is non habetur. Ibid. F.
Sagittis verbi Dei ignitis conuertuntur ad Dominum, qui exiterint carbones desolatorij, igne & ipsi succensi charitatis, & ex carbonibus mortuis, reddunturviui. 2.716.P.
Sagittis verbi Domini, vel animaduersionis illius immissis, deficit in nobis spiritus superbiæ per pœnitentiam. 2.831.F.
Sagittis verbi Dei ferimur in corde. 1.159.M.
Sagittario comparatur Dominus. 1.573.F.
Salomon ex auctoris sententia non damnatus. 1.1101.M.
Salomon pacificus interpretatur. 1.1099.F
Salomon pro Christo accipitur. 1.1099.P.
Saluare homines quosque quomodò dicatur Iesus. 1.61.F.
Saluare per misericordiã paratus est Deus, quos non inuenit saluare per iustitiam. 2.626. M.
Salus nostra non in rebus temporalibus reponenda. 1.1062. M.
Salus animæ facit, vt fiat, quod faciendum esse cognoscitur, & vsque ad mortem corporis. 2.698.F.
Salus, ac vita non in meritis nostris, sed in voluntate Dei. 1.291.M.
Salus nostra à Domino, à quo peccatorum remissio. 1.316. M.
Salus animæ nostræ Christus, per quodcumque contingat saluari. 1.385.F.
Salus animæ Christi Deus Pater extitit, cum per Angelum monuit Ioseph, vt Herodis iram fugeret. 1.385.F.
Salus nostra à Deo cognoscenda, non à nobis. 1.1065.F.
à Salutis fonte lõgè est superbus. 1.1020.F
Saluti nostræ quàm prosperè intenderit incarnatum Verbum. 1.624.P.

Digitized by Google

Salutes quomodò, ac quibus mandet Deus. 1.597. F.

Salutare Dei est misericordia illius, propter quam dat salutē invocantibus eum. 2.643. P.

Salus Christi in carne. 1.191.F.

Sanguis Christianorum semen fuit; & plures efficiuntur, quoties metuntur à Tyrannis. 1.881. M.

Sanguinis Christi vino educto è torculari passionis illius, quid prestitum boni in Ecclesia. 1.59. P.

Sanguis Christi emundat conscientias nostras à peccatis. 1.750. P.

Sanguis Christi quanta copia effusus sit in eius passione. 1.219.F.

Sanguis Christi à peccatis abluit nos. 1. 1030. M.

Sanguis Christi Eucharisticus inebriat sumentem, terrenorum causans oblivionē. 1.228. M.

Sanguis Christi veniam clamat. 1.750.P.

Sanguinis sudor in Christi oratione id significauit, quòd de toto Ecclesiæ corpore Martyrum futura esset passio. 2. 823. P.

ob Sanguinem puerorum Hebræorum in flumine demersorum, & occisorum, Aegyptijs aqua conuersa in sanguinem. 2.100. M.

Sanari à contritionibus peccatorum dignus non est, qui commotus, & compunctus non sit. 1.900. F.

Sanatum se dicit Iesus dum nos sanati sumus membra sua à peccatorum vulneribus. 1.288. F.

Sanitas vera non est in vita præsenti. 1.479.F.

Sanctificatio nostra per Christi fidem. 2. 259. F.

Sanctificationis in ventre matris prærogatiua diuersimodè collata Beatæ Dei Genitrici, ac Io. Baptistæ, & Ieremiæ. 1 639. P.

Sanctificatur ab Altissimo pia anima facta tabernaculum Altissimi. 1.638.P.

Sanctus in operatione, simulquè fidelis in promissis dicitur Deus, vt nos sanctè operando, promissa ab illo obtineamus. 2.855.F.

Sanctum se dicere potest fidelis quisque, & quia membrum est Christi, & ne Deo ingratus sit, à quo sanctificatus est. 2.208.F.

Sancti non in terra simpliciter, sed in terra Dei sunt. 1.132. P.

Sancti libenter audiunt sibi mala imputari, quæ nunquam fecerunt. 1.805.F.

Sancti quomodò esse dicamur in Deum. 1.165.M.

Sancti sunt vestimentum decoris Dei. 2.396.F.

Sancti quomodò sint similes, & nō similes Deo. 2.131. F.

Sancti orant pro nobis in tempore opportuno remissionis peccatorum, ac tribulationum: non autem in extremo iudicio. 1.323. M.

Sancti sunt præclara hereditas Christi, & in quibus præclaris ceciderunt illius funes diuisorij. 1.134. M.

Sancti in conuersione peccatorum exultant. 2.772.P.

Sāncti in tribulationibus gaudēt. 1.1019. M

Sancti iræ Dei se opponentes placabilem illum reddunt. 2.49. F.

Sancti accelerauerunt ad patiendum pro Christo. 1.133. P.

Sanctorū exaltatio vita æterna est. 2.704. P

Sanctorum Patrum antiquorum salus tantùm erat in spe. 1.759. F.

de Sanctorum inuocatione in necessitatibus nostris. 2.719. F.

Sancti montiū nomine appellati. 2.719. F.

ad Sanctorum exempla confugiendum in tribulationibus. 2.720. P.

ex Sanctorum multitudine collecta in cælo letificatus est Christus. 1.211 F.

inter Sanctos etiam sunt rixæ in hoc mūdo, quę tamen non interimant charitatem. 1.1100. F.

in Sanctis suis mirificauit Deus misericordias suas. 1.141. P.

Sanctuariū Dei pia quęq; anima. 2.13. M.

San-

Digitized by Google

Sanctuarium Dei ingredi eſt fieri in Eccleſia fidelem. 2.13. M.
Sapiens amarè flens, peccatorum recordatur. 1.783. F.
Sapientes ſæculi putantes, ſe eſſe viuentes, in Dei ira abſorbebuntur. 1.875. M.
Sapientia Dei ſtultitiam mundi vicit. 1.1037. P.
Sapientia electorũ in quibus ſita. 2.585. F
Sapientia vera quid ſit. 1.498. P.
Sapientia vt cuſtodiatur, cuſtodienda obedientia. 2.673. M.
Sapores varios habet Deus animi noſtri mutatione cum guſtantibus. 1.470. P.
Satiari nulla alia re præterquam Deo poteſt anima. 1.146. P.
Saturantur corpore, qui terrena ſapiunt: ſic verò ſaturantur mente, Dei gloriam quærentes, vt nunquam dicant, ſatis. 2.91. M.
Saul interpretatur petitio. 1.765. P.
Scabellum pedum Chriſti, quod adorandũ præcipitur, eſt Chriſti caro in Euchariſtiæ ſacramento. 2.398. F.
Scala virtutis, & perfectionis. 1.580. F.
Scala, qua in cælum aſcendimus, eſt tribulationes, anguſtias, ac tentationes patienter ſuſtinere. 1.583. M.
Scala Iacob in viſione in figura ſignificatum quod per Chriſtum re ipſa completum eſt. 2.77. P.
Scandalum ſignificatum metaphora vſtionis. 2.723. M.
per Scala gradus aſcenditur ad montem Dei. 1.126. P.
Scalam aſcendendi ad cælum nobis faciemus de vitijs noſtris, ſi illa calcamus. 2.678. F.
Scandalum eſt puſillorum, non ſanctorum fortium. 1.205. M.
Scandalizari eſt puſillorum. 2.708. F.
Scandalum ceſſat, vbi eſt vera dilectio. 2.708. F.
per Schiſma, per hæreſim cum Chriſto non dicimur eſſe. 1.823. P.
Scientia Dei notitiam non poſſumus habere, niſi ex ipſomet Deo. 2.806. F.
Scientiæ plenitudinem habebimus, ſi habuerimus charitatem, quæ eſt plenitudo legis. 2.131. P.
Scientiæ plenitudo, quam Deus requirit in nobis. 2.18. M.
Scientiæ plenitudo ibi eſt, vbi eſt charitas plenitudo legis. 2.394. M.
Scientiæ primus gradus eſt ſcire, quòd nil ſcimus. 2.12. M.
Scientiam vocis habere dicitur Deus, qui continet omnia, ſcientiam ſcilicet omniũ ſermonum nos reprehendentium, quòd peccauimus. 2.806. F.
Scientiam docet Deus inſinuando cognitionem. 2.654. P.
Scientiam, & ſapientiam quid verè doceat. 1.498. P.
Scire perfectè eſt nos ipſos noſſe. 1.498. P.
Scire quid faciat, & ordinem faciendorum neſcire non eſt perfecta cognitionis. 2.636. M.
cur Scripſerit in terra Ieſus eorum accuſantibus mulierem deprehenſam in adulterio. 2.448. P.
Scriptura ſancta teſtimonia ſtat de Chriſti aduentu, cæterisq. illius. 2.687. M.
Scriptura ſacra cælum à Deo extenſum ſicut pellis. 2.455. F.
Scriptura ſacra firmamentum, & cælum. 2.344. M.
Scripturæ ſacræ meditatio non ſolum in ea legenda, ſed & in ea exequenda. 1.8. P.
Scripturæ ſacræ intellectus quàm ſit difficilis. 2.73. F.
Scripturæ ſacræ eloquia vera, iuſtificata in ſemetipſa. 1.196. M.
Eadem quàm ſuauia. Ibid. M.
Quàm preciosa. Ibid.
Scripturæ ſacræ teſtimonia fundata in æternum. 2.702. P.
Scripturæ ſacræ ſunt diuitiæ Domini, in quibus paſcimur. 1.433. F.
Scripturæ ſacræ ſtudium tunc benè exercetur, ſi adſit immaculata vita in via Domini. 2.621. F.

Digitized by Google

Scripturæ ſacræ litteram ſectantes dicuntur cuſtodia in nocte. 2.282.M.
Scripturas ſacras falſificant hæretici. 1. 36.M.
eas Scrutantes qui ſunt extrà Eccleſiam, errant in illis. 1.434.P.
ex Scripturarum ſacrarum lectione notitiã habemus Chriſti, & eorum, quæ ad illum pertinent. 1.239.P.
Scripturarum ſeries eſt liber ab Ezechiele Propheta denoratus. 1.582.P.
Scripturarum ſacrarum ſenſu manifeſtato apparuerunt fontes aquarum. 1.159.F
Scripturæ ſacræ ſtudium quàm delectabile. 2.628.P.
Scutum nobis eſt Dominus Deus noſter. 2.190.P.
Seculares ideò Deum laudant, & ei benedicunt, quia terrena non quærunt. 1.937.P.
Seculares terrena cupientes Deum ore laudant, vita verò blaſphemãt. 1.937.P.
Seculares curæ expellendæ è corde, vt ſuſcitetur anima in peccatis mortua. 2. 498.M.
Seculum hoc mortale flumini comparatur. 1.981.F.
Seculum hoc deſertum eſt. 1.981.M. & F.
Seculum iſtud quamdiù nos naſcendo, & moriendo currimus, eſt torrens. 2. 737.P.
in Seculi huius mari quomodò ambulandum. 1.527 M.
Seculi huius ſicut tenebræ, ità & lumen, cuius nec felicitas nos beatos facit, nec aduerſitas miſeros. 2.808.P.
Seculi nomen vſurpatum ſæpe pro æterno. 2.279.F.
Securitas in rebus negligentiæ mater. 1. 803.P.
Sedere Dei in anima iuſti quomodò ſit. 2.17.F.
Sedet ità Deus in iuſti anima, vt ſi is cadat, nequaquam cadat ipſe. 2.17.F.
Sedere in peccato quid. 1.7.F.
Sedere in conſilio vanitatis eſt cauſam præbere omnis iniquitatis perpetrandæ. 1. 254.M.
Sedere ſedes in iudicio quibus competet. 2. 727.M.
Sedet ad dexteram Patris Chriſtus vt homo, cui data eſt omnis poteſtas. 2.563.F
Sedet ſuper Cherubin Deus, quando ſedet ſuper illum, in quo eſt charitas plenitudo legis. 2.394.F.
Sedemus quando humiliamur in pœnitentia, ſurgimus remiſſis peccatis erecti in ſpem vitæ. 2.803.F.
Sedes Dei anima iuſti. 2.334.M.
Sedes Dei quomodò fieri quiſque poſsit. 2.18.P.
Sedes Dauid, in qua Chriſtus dicitur regnaturus in generationem, & generationem, ſunt animæ iuſtorum. 2.251.F.
Sehon interpretatur tentatio oculorum, Rex Amorrhæorum, ideſt amaricantiũ, Amaricantes enim habent regem tentationem oculorum, ſimulationem, & mendacium. 2.787.M.
Selmon vmbra interpretatur. 1.1009.F.
Semen noſtrum opera noſtra. 1.283.M.
Semen Dauid præparatum à Deo in æternum Chriſtus eiusq. membra in Eccleſiæ corpore. 2.251.M.
Semina mittamus in vitæ iſtius ærũnis, & ſi cum fletu ſeminamus, tamen cum gaudio metemus. 2.747.P.
Seminaturus in lacrymis, in labore, in bonitate, exeat prius neceſſe eſt à mundi impedimentis. 2.746.M.
Semitæ Chriſti anguſtæ ſunt plures eius præcepta, quæ & vna ſunt in præcepto charitatis. 2.830.F.
Semita quid, & quomodò differat à via. 2.102.M.
Semitam facit iræ ſuæ Deus, cum obſtinatum in peccatis poſt ſuam longanimitatem acrius punit. 1.102.M. (M.
Senarius numerũ perfectũ ſignificat. 2.761.
Senectæ Eccleſiæ candida rectè factis, mortæ autem non corrumpitur. 2.326.M.
Senectus paſsiones animi facilè ſedat. 1. 1081.P.

Digitized by Google

in ſenectute honorem legitimum cõſequi frequentius non poterit, qui in adoleſcentia alicuius exercitatione non laborauit. 1. 1080. *F.*

In eadem animus potius confortatur, tunc viget, tunc exultat. Ibid.

Senex redditur paratior ad ſuſtinendum ſeueritatem mortis, aliorumque periculorum. 1. 264. *M.*

Senes illi contra Suſannam fortes irruerunt, ſed fortior illis fuit puer Daniel. 1. 883. *P.*

Senum nomine appellati Reges, ac Principes dominantes. 2. 671. F.

in Senibus eſſe magis intellectum, ac ſenſum. 2. 671. *M.*

in Senibus auaritia reperitur, quæ radix eſt omnium malorum. 1. 1081. *M.*

in Senibus etiam reperitur uorago uentris, & gurges auiditatis. 1. 1081. *M.*

Senſus plures unius loci ſacræ Scripturæ afferre non nocet. 2. 379. *M.*

Senſus ſi non dominentur in nobis, immaculati erimus. 1. 198. *M.*

Senſus labores fugit, ſed anima pigritiam uincit. 1. 925. *M.*

Senſus noſtri rebelles diſciplinis ſiccentur. 1. 1019. P.

Septupli numero pleritudo ſignificata. 2. 126. *M.*

Septies numerus uniuerſitate ſignificat, quia omnia tempora ſeptem diebus agũtur. 2. 708. *M.*

Sepulchrorum monumenta ad memorię perpetuitatem quam uana. 1. 697. *M,*

in Sepulchro Chriſtus collocatum ſe dixit in obſcuris ſicut mortuos ſæculi; cum tamen haud inſtar reliquorum mortuorũ corruptioni is fuerit obnoxius. 2. 836. F.

Sequens Chriſtum, & in uita, & in morte cuſtodit legem illius in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. 2. 644. *F.*

Sequens Chriſtum ambulat in lege Domini, immaculatusq. in uia beatus eſt. 2. 621. P.

Sequens Chriſtũ habet eundem lucernã pedibus ſuis, & lumen ſemitis ſuis. 2. 673. *F.*

Sequentis Chriſtum ueram lucem educi dicitur iuſtitia in lumine, & iſtud ipſum iudicium eius lucidum apparebit tamquam meridiei lux. 1. 437. *P.*

in Sequente Dominum eſt tabernaculum eius, locusq. ipſi in cælo. 2. 769. *M.*

Sequentes Ieſum lætantur in anguſtijs. 1. 815. *P.*

Sequentes Ieſum auro ſplendidiores. 1. 815. P.

Sequentes Chriſtum in paſſione pauci. 1. 814. *F.*

Sequentibus Chriſtum intrandum in amarum mare tribulationum, & lacrymarum, nec retro reſpiciendum. 2. 509. *P.*

Sequendus eſt Deus, non eundum ante illum. 2. 20. *P.*

Sequendus Chriſtus feſtinanter, & ſine iniquitate, ut conſequamur eius imitationem. 1. 192. P.

Sermo Dei quaſi uomer aperit duritiam cordis noſtri. 1. 967. *P.*

Sermones boni, quos proferimus, & Dei ſunt, & noſtri, ſicut & quæ à nobis fiunt opera bona. 1. 839. *F.*

Sermones Dei iacula. 1. 828. *M.*

Sermones praui quàm perniciosi ad ſeducendum. 2. 8. *M.*

Serpens triplicem linguam habere uidetur ob motus eius celeritatem, qua una eſt. 1. 870. *M.*

Serpens alijs infundit uenenum, iniuſtus ſibi. 1. 867. *F.*

Serpenti aſſimilatus Chriſtus, & quomodò. 1. 871. *F.*

Serpentes tollent, qui linguas iniquorum hominum confundunt. 1. 954. *M.*

Seruire Deo gloria noſtra eſt: & quod ad id facimus boni pro nobis facimus. 2. 546. F.

Seruiunt bonis mali non obſequendo, ſed perſequendo. 1. 900. P.

Seruire dicitur maior minori, quatenus Chriſtianorum fratrum malorum, quarũ maior eſt numerus, bonis, qui in numero minori, ſeruiunt perſequendo. 1. 980. P.

Digitized by Google

Seruire Deo volenti duo requiruntur, gratia Dei custodiente à malo, & perseuerantia pœnitentis in bono . 2. 827. F.

Seruire Deo volens crux tollenda arumnarum, eum & Ecclesia ipsa vel à primis suis initijs arumnis subiecta fuerit. 2. 759. P.

Seruiendum Deo ex corde . 2. 665. P.

Seruiendum Deo verbo, & opere . 2. 319. M.

Seruiendum Deo voluntariè . 1. 1070. F.

Seruus Dei non est, qui non est filius Ecclesiæ ancillæ illius . 2. 606. F.

Seruus Dei voluntarius quisnam sit . 2. 676. P.

Seruus Dei nebulas, hoc est cupiditates huius mundi sicut cinerem spargit . 1. 871. F.

Seruus Dei à Deo salutem expectet, cuius iustificationibus addictus est. 2. 668. P.

Serui Dei dupliciter temporalia patiuntur, quin & ab impijs, & cum impijs patiuntur . 2. 337. M.

Serui Domini dicuntur, qui per gradus perfectionis ascendere cupiunt ad montem Sion . 2. 782. P.

Serui Dei in fame, siti, & nuditate gaudent . 1. 913. M.

in Seruis Domino seruientibus non est sicut in seruis dominorum carnalium, Dominus enim semper paratus est parcere pœnitentibus . 2. 731. F.

Seruitus apud Dominum libera est, vbi non necessitas, sed charitas seruit . 2. 404. F.

Seruituti Dei se addicentes prius confiteantur peccata sua, tum in hymnis confiteantur laudantes illum . 2. 406. M.

ad Seruitutem Dei accedens tamquam ad torcularia, vt prematur veniſſe se norit . 2. 176. M.

Seueritatem Dei iudicis euadit, qui pœnitentiam agit . 1. 746. P.

Signum, & signa vindicta diuina per Romanas contrà Iudæos prophetata . 2. 25. M.

Signum in bonum est signum crucis, quo in bonum nostrum fugamus aduersas potestates . 2. 213. P.

Signum Ionæ de Christi resurrectione, quomodò dictum signum in bonum . 2. 221. F.

Signa plurima exhibita Iudæis futura vindicta sceleris mortis Christi, scissione petrarum, tremore terræ, &c. 2. 26. P.

Silentij censura est quoddam nutrimentum verbi . 1. 502. M.

Silentio contumeliæ tolerandæ . 1. 11. M.

Silentio munit se iustus contra iniquos ipsũ obseruantes . 1. 502. F.

Silentio facundius de Deo loquimur . 2. 218. P.

Silere nunc dicitur Deus non à iudicio, sed à præcepto . 1. 410. M.

Silet nunc Christus, & non silet; silet iudicando, non silet admonendo: silet à iudicio, non silet à præcepto . 1. 714. P.

Similes Deo quomodò sint sancti. 2. 131. F.

Simulationem cum homo damnat, & diligit veritatem, tunc Deus occidit Sehon Regem Amorrhæorum . 2. 787. M.

Sinapis granum designat Christi Ecclesiam. 1. 268. M.

Singularis ferus appellatus diabolus, quo nullus magis superbus, ac ferus . 2. 137. F.

Sinistrę appellatione significata Dei dona temporalia, quæ supponenda sunt capiti nostro Christo . 2. 722. M.

Sion speculatio, seù contemplatio dicitur. 1. 957. M.

Sion est omnis anima, quæ lucem videre intendit, quæ videnda est. 1. 664. F. & 2. 395. F.

Sitiens spiritualis cælestia habeat spem, inebriatus habebit rem . 1. 424. M.

non Sitiens proximi salutem haud venit ad Iesum . 2. 456. F.

Sitiens ad fontem accedat ad Christum, credens in illum, 2. 84. F.

Sitiens Christus illos ipsos in corpus suum traijcere optabat, qui ipsum repellere satagebant . 1. 923. P.

Sitit & Ecclesia cum Christo, & sitit electos,

Digitized by Google

ctos, cum in ipsa sint vocati multi, & pauci electi. 1. 923. P.

Sitienti Christo in cruce dant impij acetum mixtum felle, quod ille non vult bibere. 1. 923. M.

Sitis salutis animarum plus cruciauit crucifixum Iesum, quàm ipsa crux. 1. 399. F. & 1. 922. F.

Sol, Luna, & Stellæ Deum laudant pulchritudine sua. 2. 875. M.

Sol lætetur, cum Christus ad inferos descendit, quia ipsi restituit sanctos Patres. 1. 1063. P.

Sol iustitiæ cognouit occasum suum, cum Christus passus sit quando voluit. 2. 468. F.

Sol est apud Deum anima fidelis. 2. 667. P.

Solis nomen, & effectus tributi Deo. 2. 190. P.

Solis metaphora significata dignitatum prosperitas. 2. 722. F.

Solitarius tantùm fugit malum, at iustus cum hominibus conuersans proficiendi habet occasiones. 1. 810. F.

Solitarius terrena desideria fugit, & cælestia contemplatur. 1. 810. P.

Somni, ac saporis discrimen. 1. 23. P.

Sors, & sortes nostræ in manibus Dei voluntas Domini, & quicquid est de Dei voluntate. 1. 309. M.

Dicitur autem sors ex eo quòd gratis datur. 1. 310. P.

Speciosus in conspectu Dei est, qui permanserit in simplicitate cordis. 1. 649. M.

in Spelunca & carnis, & sepulchri latuit Christus, vt diuinitas celaretur Iudæis. 1. 849. M.

Sperantes in Domino quàm fortes validiq. sint. 1. 309. P.

Sperat in Deo, qui illum cognoscit. 1. 72. F.

Spes quomodò cuique habenda in Deum. 1. 30. P.

Spes impij lanugini à vento sublatæ similis. 1. 775. M.

Spes impijs spuma gracilis, quæ à vento dispergitur. 1. 775. M.

Spes impij in vanitate, & diuitijs posita. 1. 775. M.

Spes quomodò dici queat fuisse in Christo. 1. 212. M.

Spes in homine posita, maledictioni est subiecta. 1. 788. P.

Spes nostra in tribulationibus in Deo, non in hominibus reponenda. 1. 788. P. & 1. 801. M.

Spes in Deum qualiter sit in bonis, atque in impijs. 1. 21. P.

Spes nec in diuitijs nec in honoribus reponenda, sed in Deo tantùm. 1. 740. F.

Spes nostra eò maior in Deo sit, quò magis tribulamur. 1. 942. F.

Spes impiorum in luto reposita. 1. 776. M.

Spes futuri præmij nos patientiores reddit in laboribus. 1. 925. P.

Spes impij quàm vana. 1. 87. M.

Spes æternæ gloriæ anchora nostræ fidei præmissa dicitur. 1. 958. M.

Spes futuræ gloriæ anchora dicitur, ne fluctuemur in hoc sæculo. 1. 958. M.

Spes Christiani in Christi cruce reponenda. 1. 982. F.

Spes rectè est, qua speramus & à Deo, & quod à Deo sperandum est. 1. 317. M.

Spes absq operibus inanis est pro vt & fides 1. 317. F.

Spes, & timor sint in pectore peccatoris, 1. 315. F.

Spes semper in Deo habenda, quòd ipse maiora nobis adijciet. 1. 1086. P.

Spes nostra cur non erit in Christo, cum pro nobis ille venerit vt redimeret nos à malo. 1. 914. P.

Spes nostra omnis in vno sit Deo. 2. 20. P.

Spes veniæ corrigit potius, quàm excitet ad mala patranda. 2. 426. P.

Spes in quo est alicuius, ille est res ipsius. 2. 860. M.

Spes gloriæ nostræ ex Dei non nostra virtute. 1. 925. M.

Spem gerit bona conscientia, sicut è contra, mala conscientia tota in desperatione. 1. 318. M.

bonam

Spem bonam habere qui vult, habeat bonam conſcientiam. 1. 318. F.

Spem in profundo peccatorum dedit, qui venit peccata ſoluere. 2. 763. M.

Spem in Chriſto habere ſi cupimus, ſit à terrenis omnimoda noſtri ſeparatio, & ab iniquis diuiſio. 2. 681. P.

Spina. & vepres dicti iniqui, ac peccatores. 1. 308. M.

Spina ſunt leues in radice, quòd tamen pungunt; ex ipſa procedit radice leni; non pungent autem ſi radix incendatur. 2. 815. M.

Spiritus Chriſti eſt gladius illius. 1. 52. M.

Spiritus Principalis pro æterno Patre intelligitur 1. 757. F.

Spiritus rectus pro verbo intelligitur. 1. 757. F.

Spiritus ſancti ſeptem dona detondens diabolus à peccatore dormiente ecum illum reddit, & ludibrium. 1. 482. P.

Spiritus ſanctus cor lapideum etiam liquefacit. 2. 872. P.

Spiritus ſanctus, ſpiritus veritatis dicitur. 2. 872. P.

Spiritus mundo quę annunciabit. 2. 872. M

Spiritus propter peccatum ineurvatur. 1. 753. F. & 754. P.

Spiritus Dei ſcrutatur omnia, quę Dei ſunt, ſpiritus hominis quę ſunt hominis. 1. 1088. F. & 1090. P.

Spiritus ſanctus eſt qui docet veritatem. 1. 1006. M.

Spiritus triumphat, cum Caro deprimitur. 1. 996. P.

Spiritus ſanctus virtus Dei. 1. 207. P.

Spiritus ſancti vmbra defenſio eſt contra incentiua vitiorum, & concupiſcentiæ. 1. 1009. F. 1010. P.

Spiritus ſanctus teſtimonium Dei fidele. 1. 194. P.

Spiritus ſanctus deſcendit ſicut ignis ob diuerſos effectus, quos facit in iuſtis, atque in iniuſtis. 1. 193. P.

Spiritus ſanctus quàm rectè comparatus cũ aqua. 1. 560. M.

Spiritus immundi ad peccandum excitantes ſunt vectes ferrei adſtringentes peccatorem. 2. 534. M.

in Spiritus ſancti aduentu ſuper Apoſtolos, valdè confortatus eſt illorum principatus. 2. 811. M.

Spiritus ſanctus attrahitur, cum vim facimus diligendo. 2. 687. F.

Spiritus ſanctus à nobis attractus cor noſtrum facit habitaculum ſuum. 2. 687. F.

Spiritus ſancti aduentus ſicut torrens in Auſtro, quo facta eſt liberatio infidelium, & iniquorum à Satanæ captiuitate, diſſoluta peccatorum glacie. 2. 745. M.

Spiritus ſanctus magnum flumen, vndè impleta multa flumina. 2. 335. M.

de Spiritus ſancti aduentu. 2. 710. M

Spiritui ſancto quæ peccata diſpliceant. 1. 757. P.

Spiritu ſancto implente totam domum die Pentecoſtes, ſanctificauit Altiſſimus tabernaculum ſum. 1. 638. M.

Spiritu ſuperbiæ in nobis deficiente, cognouiſſe dicitur Deus ſemitas noſtras, approbans immutationem noſtram per pœnitentiam. 2. 831. F.

Spiritu noſtro ſuperbię ablato, miſſioneq. ſpiritus ſui renouat Deus nos peccatores, ad noſtræ miſeriæ deducens cognitionẽ. 2. 472. F.

Spiritu ſancto plenus eructat hymnũ Deo 2. 710. P.

Spiritu Dei bono intrante in animã noſtram, non datur amplius locus ſpiritui maligno. 2. 838. M.

Spiritalibus in accipiendis auidi ſimus, deuotiq. in carnalibus erogandis. 2. 143. F.

Spirituales inſtar volucrum habitant ſuper montes, cæleſtibus tantùm addicti, retinentes doctrinam Apoſtolicam. 2. 462. F.

Splendor Dei ſuper nos eſt imago illius. 2. 292. M.

Sponſa intelligitur pro columba deargentata. 1. 1008. F.

Digitized by Google

Sponſa dicitur colūba deargentata, quia diuinis eloquijs eſt erudita. 1. 1008. F.

Sponſi labia lilia, & myrrham ſtillantia, quia ſemper ad labores hortatur propter ſpem gloriæ. 1. 925. *F.* & 926. *P.*

Sponſum ſe exhibuit Eccleſiæ ab ipſo Incarnationis ſuæ initio Ieſus. 1. 191. *M.*

Stabilitas animæ in bono à Deo. 2. 333. *F.*

Sanctus Staniſlaus mortuū ſuſcitauit, vt coram Rege teſtificaretur. 1. 964. *F.*

Stare in peccato, quid ſit. 1 7. *M.*

Stare ij dicuntur in domo Domini, qui in mandatis eius perſeuerant, Deo ſeruientes. 2. 782. *M.*

Stetit in medio Chriſtus frequenter ad varia præſtanda. 1. 674. *F.*

Stellarum dinumeratio ſoli Deo reſeruata. 2. 865. *P.*

Stellis fixis in firmamento ſimiles ſimus. 2. 344. *M.*

Diuus Stephanus vigilare dicebatur, cùm in tenebris perſequutionum vidit Ieſum ſtantem. 1. 933. F.

Diui Stephani arma, charitas, qua vincebat Iudæos. 1. 952. *P.*

Stephanus dum lapidaretur conſiderans, quæ ad dexteram, & ad cæleſtia pertinent, vidit cęlos apertos, &c. 2. 831. F.

Stephani lapidatio ſonora cantilena, & dulcis ante Deum, & Angelos. 1. 1045. *M.* & *F*

Sterilitas magna iniquitas eſt. 2. 681. *M.*

Steriſſe dicitur Deus in medio Deorum in Eccleſia fidelium, domoq. ſua, quia vigilat iudicaturus qui in illa ſunt. 2. 158. *M.*

Stipula dictum peccatum, quod nihil eſt. 2. 172. *M.*

Studia Chriſti fuerunt facere voluntatem Patris. 1. 73. *P.*

Stuppa ſunt peccatores impœnitentes, materia apta ad cōbuſtionem ignis inferni. 1. 77. *F.*

Suauis Dominus, in ſuauitate docens nos iuſtificationes ſuas vel etiam adhibita correctionis diſciplina. 2. 654. *M.*

Subſannatio, & deriſio quomodò differunt. 1. 608. *P.*

Subſtantiam ſuam dixit Dauid fidem, ac ſpem in Chriſtum venturum. 2. 271. M.

Succeſſio continuata Prælatorum in Eccleſia vſque ad finem mundi. 1. 628. *M.*

Sufficiētia noſtra quomodò ex Deo. 1. 39. *M.*

Suggeſtiones diaboli dicuntur occulta noſtra. 1. 198. P.

Superbia ruina eſt omnium virtutum. 1. 780. F.

Superbia vitiorum regina. 1. 780. *F.*

Superbia initium eſt omnis peccati. 1. 781. *P.*

Superbia animæ venenum. 1. 781. *M.*

Superbia profundum iniquitatis dicitur. 1. 782. *P.*

Superbia, atque ambitio aſcendit ſuper omne ſublime. 1. 473. *M.*

Superbia auferenda, vt à peccatis mundemur. 1. 749. P.

Superbia peccatorum omnium radix. 1. 83. *P.* & 1. 780. *F.*

Superbia veluti turris. 1. 811. *F.*

Superbia Iudæi Chriſtum filium fabri non Dei vocabant. 1. 811. *F.*

Superbia inuidiæ mater. 1. 1055. *P.* & *M.*

Superbia eſt contemptus Dei. 1. 693. *M.*

Pluſquam aliæ paſſiones vexat hominum mentes, Ibid.

Ea quomodò dicatur, & ſit initium omnis peccati. Ibid.

Superbia peccatorum à Domino confringetur. 1. 1029. *M.*

Superbia eſt cauſa demeritoria reuelationis myſteriorum diuinorum. 1. 312. *F.*

Superbia peccatorum ſumus, qui deficit. 1. 998. P. & *M.*

Superbia impiorum ex temporali proſperitate. 2. 6. F. & 7. P.

Superbia appetitum habet omnipotentiæ, & vnitatis. 2. 7. P.

Superbia occulta comparata æruginiæ, ac rubigini fructus deſtruenti. 2. 100. *F.*

Superbia cauſat cecitatē mentis. 2. 94. *M.*

Superbia eſt delictum maximum. 2. 39. *M.*

Super-

Superbia ex diuitiarum pinguedine. 2. 7. M
Superbia fugienda ab eo, qui vult Deum laudare. 2. 868. P.
Superbia dicta caput circuitus iniquorum, qui de inconstanti superbia in reliqua decidunt vitia. 2. 819. M.
Superbia est quasi quædam pinguendo crassitudinis. 2. 93. M.
Superbiæ fumus quantò ad cælum leuatur, tantò euanescit. 1. 998. M.
Superbiæ tumoris medicamentum optimum humilitas Christi. 2. 632. M.
Superbiæ prima ostensio solet esse in oculis. 2. 656. M.
Superbiam semper detestatus est Deus. 2. 631. F.
contrà Superbiam remedium est obseruantia legis, propter quam facillimè illi resistitur. 2. 648. P.
ex Superbia abundat in mundo iniquitas. 2. 279. M.
Superbus dum insultat, humilis orat. 1. 804. F.
Superbus subtilibus quæstionibus & inanibus nouarum opinionum fit auctor. 1. 1016. M.
Superbus cùm Deum laudat, non laudat. 1. 736. F.
Superbus inuidia pascitur. 1. 1055. P.
Superbus diaboli minister. 1. 978. F.
Superbus filij Dei inimicus. 1. 817. P. & M.
Superbus auertit se ab eruditione legis, & eorum, quibus adiuuari posset ad salutem consequendam. 1. 732. P.
Superbus alienis malis pascitur. 1. 1055. M
Superbus appellatus indoctus. 1. 17. M.
Superbus quisnam sit. 2. 350. F.
Superbi congregationi taurorum assimilantur. 1. 827. P.
Superbi rediguntur in lutum, & conculcantur. 1. 178. M.
Superbi primos accubitus desiderant. 1. 979. P.
Superbi cum diabolo ad infera precipitantur. 1. 979. P.
Superbi non recolentes, quòd puluis sunt, fiunt tamquam puluis à vento dispersi, atque disiecti. 1. 387. M.
Superbi descriptio. 1. 83. M.
Superbi peccata sua defendunt, non confitentur. 1. 998. M.
Superbi peruersitas quò perueniat. 1. 102. P.
Superbi non vniuntur charitate, ideò non sunt, aut faciunt populum vnũ. 1. 167. P
Superbi cælestia videre non possunt. 1. 951. F.
Superbi Christum humilem Deum esse negant. 1. 780. P.
Superbus diabolo peior est. 1. 780. M.
Superbi à Deo dimittuntur inanes gratia. 1. 919. M.
Superbi Dei tactu fiunt humiles fumigantes precem Domino reddentes. 2. 473. M
Superbi dicuntur operti iniquitate, quia nil liberum ab iniquitate habeant. 2. 6. F.
si Superbi erimus iustitia nostra, Deus ibi est ad percutiendum, cuius est vera iustitia. 2. 807. P.
Superbi comparati rotæ, quæ extollitur ex his, quæ retro, & deijcitur ex his, quæ ante. 2. 172. F.
Superbia in nobis deficiente, vt nil boni nobis tribuamus, cognoscens Dominus semitas nostras, dirigit illas. 2. 830. F.
Superbi in domo non manet Deus, quem repulit, & spernit, atque in captiuitatem tradidit. 2. 107. P.
Superbi à prædicatione Euangelica in humilitatem tamquam montes instar cera fluxerunt. 2. 384. P.
Superbi oratio à Deo non auditur. 1. 207. P.
Superbi quare dicuntur pingues. 2. 93. M.
Superborum stultitia quàm magna, quæ visa est in Herode superbo. 1. 1025. P.
Superborum capita Deus confringit. 1. 1015. F. & 1016. P.
Superborum caput diabolus. 1. 1029. M.
Superborum proprium ore proferre mala, quæ habent in corde. 1. 83. F.
Superborum deiectio. 1. 83. P.
Superborum persecutiones, charitatis ignem accendunt. 1. 79. F.
Superborum ceruices conciduntur à Domino. 2. 760. P.

Superbos Deus respicit ex alto de longè. 1. 113. *F.*
Superbos ità comminuit Deus, sicut comminuitur in frusta vitulus quando sacrificatur. 1.283. F.
Superbos Deus dispersit, humiles respicit benigno affectu. 1.983. *P.*
Superbos Deus à longè cognoscit, vt puniat, idq. à longe, dans eis tempus, vt conuerti possint, si velint. 2.801. *F.*
Superbiendum non est coram Deo. 2. 39. *M.*
Superbientem, & se laudãtem Pharisæum Deus condemnat. 1.933. *M.*
Superbientes de nobilitate deponit Deus ad imitationem humilitatis mystici vituli Christi. 1.282. F.
Supersperanda sunt quæ desuper expectamus, quia sunt supra quàm petimus, aut intelligimus. 2.659. *M.*
Supersperant iusti in Christi verbis, ità vt ab illius lege dimoueri nequeant. 2.680. *P.*
Supernacuè amantur ea, quæ ad animæ deseruiunt perditionem. 1.301. F.
Supplicium æternum excogitare debemus, vt supplicij periculum fugiamus. 1. 784. *P.*
Surgere volunt aliqui antequam sederint, volentes se iustos videri, antequam se confessi sint peccatores. 2.804. *P.*
Surgere postquam sederimus est, nolle docere magistrum, & sapere plusquam oportet. 2.750. *M.*
Surgere volens ante lucem, in tenebris ambulat, pro vt contigit Petro, docẽdo Christum, ne iret ad patiendum. 2.750. *M.*
Surgite postquam sederitis ijs dicitur, qui sequuntur Dominum tollentes crucem super se. 2.750. *F.*
Surgendum cum Christo aduersus impios, tum standũ aduersus eosdem. 2.352. *P.*
Surgere; nil aliud est, quàm mala relinquere. 1.939. *M.*
Susanna accusatores clamabant ad homines: ipsius autem Susanne vox ad Deum clamabat, exauditur ista, puniuntur illi. 2.800. *P.*
Susceptor noster Iesus, quæue ratione. 1. 150. *M.*
Susceptor noster Dominus, quia suscepit carnem nostram, & omnium in se peccata. 1.643. P.
Suscipit Deus iustos, si contigerit, eos aliquando cadere, & impedit, ne cadant. 2.297. *M.*
Suscitari in mente melius, quàm in carne. 2.222. *F.*
Suspiria diuinam clementiam conciliant. 1.776. *P.*
Sustine Dominum: non exigas vt det quãdo vis, sed quando ille dare vult, cum & ipse sustinuerit te. 2.201. *P.*
Sustinere Dominum quid sit. 1. 352. *P.* & 1.443. *F.*
Syna in sancto dicitur Ecclesia, vbi dedit leges, & præcepta Deus. 1.1012. *M.*
Synagoga Iudaica etiam post extremum Iudæorum excidium vocata hæreditas, & vinea Domini, quia ob credentes in Christum ex Iudæis dicitur, non repulisse Deum plebem suam. 2.113. *F.*
Syrenis comparatę voluptates sęculi. 2. 535. *M.*

T.

Tabernaculum nostrum est Christus, & eius Ecclesia. 1.130. *M.*
Tabernaculum triplex, peregrinantium, domus cohabitantium, & tabernaculum militantium. 2.177. *F.*
Tabernaculum quoque est Christi Incarnãtio, seù caro. 2.177. *M.*
Tabernaculum Dei vt simus curandũ, ne in militari hac vita quietẽ quęramus, vbi somnus, & mors. 2.769. *M.*
Tabernaculum Dei Iacob, Christus Dominus. 2.771. *P.*
Tabernaculum Dei in terra, Ecclesia, & fideles quique. 2.13. *F.*
Tabernacula æterna pia desiderat anima, quę hìc est in tribulationum pressuris. 2.178. *F.* & 179. *P.* (506. *M.*
Tacere quæ dici debeant dolorẽ causat. 1.

Digitized by Google

Tacente aliquo in confessione peccatum, clamat id ingiter in conscientia. 1.321.P.

Tacuit Iesus in passione, non taciturus in iudicio. 1.494.P.

Tauri pingues appellati Iudæorum Principes. 1.219.P.

Tegumentum peccati quid sit. 1.320.P. & 321.P.

Tela, quibus ferimus diabolum tentantem, sunt verba Dei, fides nostra, spes nostra, opera bona nostra. 1.914.F.

Templum sanctũ mirabile est corpus Christi. 1.961.F.

Templum Dei est ipsemet Deus. 1.266.F.

Templum suum vt nos Deus protegat, erimus templum eius. 1.266.F.

Templi materialis renouatione designata, & templi spiritualis, quod est pia quæque anima, renouatio. 2.578.P.

Templi spiritualis constructio non fit sine præuia humilitate. 2.767.M.

Templa, atque aras quomodò nos debeamus constituere vsque ad cornu altaris. 2.616.F.

Tempestas, quia in iudicio extremo qualis. 1.715.M.

Tempestatis metaphora significatũ iudicium extremum. 2.174.P.

Tempus acceptabile, vt ad Deum oremus, est quando tribulamur. 1.1045.M.

Tempus vitæ præsentis quàm sit fugax. 2.282.P.

Tempus rota nomine significatum. 1.308.F.

Tempus opportunum, idem quod acceptabile, vitæ nimirum præsentis pœnitentiæ, & remissionis peccatorum. 1.323.P.

Tempus quo terrenis delicijs addicti fuerimus, quantumuis longissimum, tamquã dies externa, quæ præterijt, & custodia in nocte. 2.281.P.

Tempus nunc est faciendi Domino, tempus pœnitendi, sacramenta exercendi, cum inimici Ecclesiæ Dei legem dissipare contendunt. 2.685.M.

Temporis vitæ præsentis quantum superfit nosse optamus, vt sciamus, quid in tãta illius breuitate nobis desit. 1.508.M.

Tempore opportuno exaudit nos Deus. Salubriter enim differt, quod conuenit dat, quasi Medicus ægro. 2.856.P.

Temporalia pro transactis habenda. 1.509.M. & 2.281.P.

Temporalia relinquentẽ addicendo se æternis, Dominus custodit, ac protegit super manum dexteram illius. 2.722.M.

Temporalium amissionem non timent sancti, quia Deum amant. 1.612.P.

in Temporalibus nil est, nisi erit, & fuit; in Deo autem est tantùm, quod est æternum. 2.312.M.

Tenebræ si hodie sis per iniquitatem, erat, immo & illico, si velis, lux eris per pœnitentiam. 2.345.M.

Tenebræ posuę latibulum Dei, vt is non videatur à peccatoribus, nec iudicia eius. 1.156.M.

Tentat Deus varijs modis suos electos, & probat, vt inueniat se dignos. 1.1015.M

Tentat iustum Deus ad manifestandam illius iustitiam. 1.251.F.

cum Tentamur spes nostra in Domino sit, & diabolus nos relinquens cedat locum Angelis, vt ministrent nobis. 1.914.P.

Tentari nos non permittens Deus super id quod possumus, dicitur dominari potestati maris. 2.254.F.

si non Tentatus esset Christus à diabolo, nobis tentandis vincendi magisterium non præbuisset. 1.411.F.

Tentatio necessaria, vt vincas, & vt vincas certa, & ità certa, vt coroneris. 1.912.P.

Tentatio leuis, quę sit ignorantibus, dicta timor nocturnus. 2.390.F.

Quę verò scientibus, dicta sagitta volans per diem. Ibid.

Tentatio quę leuis, quęue grauis. 2.300.F.

Tentationis vocabulo significata tribulatio, & calamitas omnis. 1.390.P.

Tentationis tempore deficientes ab eo, quod promiserant seruare Dei mandata sunt simi-

ſimiles filijs Ephrem intendentibus, &c. conuerſis in die belli. 2.81.P.& 82.P.
Tentationem iuſtorum de diuina prouidẽtia præuenit Deus. 2.11.M.
Tentatione fidelis vires diſcutiuntur. 1.985.P.
Tentatione leuia, & inania corda rapiuntur ſicut ſtipula à vento. 2.172.F.
Tentationes dominari non poßunt iuſtis. 2.680.M.
Super eas perfectus vir firmus, ac ſtabilis permanet. Ibid.
Tentationes ſuſtinendæ in patientia pro Dei amore. 1.1092.F.
Tentationes, dum paruæ ſunt, allidantur ad petram Chriſtum. 2.798.M.
Tentationes diaboli, & perſecutiones miniſtrorum illius ſic ſemper nos infeſtant, vt opus ſit, eripiamur à Deo. 1.879.P.
Tentationes ſpirituales, & plures ſunt, & periculoſiores, quàm carnales. 2.302.F.
Tentationes ſine ſpeciali Dei auxilio ſuperare non poßumus. 1.169.P.
Tentationum nomine ſignificata tribulationes. 1.574.F.
Tentationum appellatione ſignificatæ calamitates omnes, omnesq. perſecutiones, & tribulationes. 1.729.P.
Tentationum alia ex igne erumnarum, quę vrunt, alię ex aqua proſperorum, ambę periculoſę. 2.482.F.
Tentationibus agitati dicamus, Deus in adiutorium meum intende, &c. 1.1066.F.
Tentationibus tunc maxime oppugnamur, cum nos oppugnari neſcimus. 2.214.M.
à Tentationibus non vincimur fundati in Chriſto petra. 1.911.F.
Tentationibus diabolicis, & carnalibus nos aggredientibus, curandum, vt verbis Domini dæmones cum ipſis porcinis ſuggeſtionibus demergantur in mare inferni. 2.715.F.
Tentationibus vitæ præſentis non turbemur. 2.58.M.
In Tentationibus virtus iuſto eſt, vt non ſe ſinat ab illis ſuperari. 2.689.M.
in Tentationibus habenda ſemper ante oculos miſericordia Dei. 1.253.P.
Tentationibus peccatorum iuſtus non auertitur à diuinæ legis cuſtodia. 2.652.P.
Tentationibus imperant iuſti, cum dixerit Dominus, Ite, dæmonia eijcite, ſerpentes tollite. 2.680.F.
in Tentationibus nomen Domini innocandum. 2.601.M.
Tepiditas inducit ſomnum, & dormitationem præ tædio in anima. 2.636.F.
Terra tunc replenda maieſtate, quando Euangelium fuiſſet prædicatũ poſt Chriſti Domini aduentum. 1.1109.M.
Terra omnis Deum laudare debet, quia redempta. 1.979.M.
Terra plena eſt Dei miſericordia. 1.796.M
Terra data dicitur filijs hominum, vt in illa operarentur. 2.596.F.
Et vt illius cõſideratione conijciant Creatorem. 2.597.M.
Terræ fructus eſt fructus ventris Mariæ, nempè Ieſus. 1.995.P.
Terra poſt Chriſti aduentum multipliciter dicitur commota contremuiſſe. 1.152.F.
Terræ fructus primi parentis eiecit nos de Paradiſo, fructus terræ ventris Mariæ introducet nos in illum. 1.995.M.
Terræ inſtar aridæ ſit pia anima ſitiens Deum. 2.263.F.
Terræ appellatione ſignificatus Chriſtus factus de terra, quando carnem ex Beata Virgine ſumpſit. 1.867.M.
Terram, & terrena quærentes ſub terra ſunt. 1.940.F.
in Terra hac via, qua poſſumus à peccato mundari, eſt Ieſus. 1.993.P.
Terrens homines præſentia bona temporalia ſolum cognoſcunt. 1.1090.P.
Terreni dicti inſipientes corde. 2.46.F.
Terrenæ felicitates ſunt ſomnus dormientium. 2.769.P.
Terrena ſpernenti ſecreta cæleſtia reuelantur. 1.928.M.
Terrena felicitas tenebris ſpiritalem offendit viſum, ità vt videri, & cognoſci nequeat Deus. 1.562.M.

Digitized by Google

Terrena transiliens, & externis, & internis anxiatus impugnationibus, stabilis persistit subiectione ad Deum. 1.919.P.
Terrena dicuntur esse in imagine, quia imaginaria. 2.15.*M.*
Terrena despicienti summa est quies. 1.118.*M.*
Terrena despiciens sublatus super omnem altitudinem terræ, ijsq. tamquam calceamentis vtitur. 1.441.*P.*
Terrena sapientes commouentur à Deo à vitijs ad pœnitentiam. 1.343.*M.*
Terrena calcans spiritu erumpit in cælum. 1.789.*P.*
Terrena spernat qui cælestia cupit. 1.918.F
Terrena omnia quàm sint pauca, & parua. 1.511.*P.*
Terrena frustra, & supernacuè amant, qui frui cupiunt cælestibus. 1.301.*F.*
Terrena deserunt possessorem impium pereuntem. 2.15.*P.*
Terrena omnia appellanda vanitates, & cur. 1.302.*P.*
Terrena appetens cælestia amittit. 1.765.F
in Terrena effusus animus damna interiora non sentit. 1.391.*F.*
Terrena desiderare quã graue sit. 2.14.*M.*
Terrenorum descriptio. 2.33.*P.*
Terrenis intentus cælestia derelinquit. 1.959.F.
Terrenis inhærentes veluti serpentes, qui de terra pascuntur. 1.923.*F.*
Terrenis non adhærens dicit, Non sedi in concilio vanitatis. 1.253.*F.*
Terrenis adhærentes, quibus præferenda cælestia, percussi dicuntur in posteriora, cum per illa castigantur. 2.108.*P.*
Sunt q. similes Philisthais tenẽtibus arcam Dei captiuam cum Idolis suis. Ibid.
Terrenis desiderijs inhærens quàm sit inquietus. 1.118.*M.*
Terrenis saturari nimis causat, vt Deum illorum datorem nesciamus. 2.92.*P.*
in Terrenis transeuntibus se firmantes infirmantur in tribulationibus carnis. 2.707.*F.*
Torrentes iniquitatis conturbauerũt Iesum, quando Iudæi multiplicibus illum affecerunt iniurijs. 1.151.*P.*
Terribilitas quomodò tribuatur Deo. 2.52.*F.*
Testamentum nouum prædicatum à Christo Rege. 1.14.*M.*
ex Testamenti veteris die annuncianda, & confirmanda mysteria in diem maioris lucis testamenti noui. 2.371.*M.*
Testamenti veteris dicta quasi angusti, & clausi riui fuerunt, immensas scientias collectione obscurissima constringentes. 2.748.*P.*
Testamenti mediator, signator, fideiussor, testis, & hæres est Christus. 2.264.*P.*
Testamenta vetus, ac nouum sunt duæ Domini alæ, sub quarum vmbra protegimur, opere implentes, quæ in illis mandantur. 1.915.*P.*
Testamenta nouum, & vetus vnũ Deum auctorem demonstrant. 1.929.*F.*
per duo Testamenta misericordia, & Dei iustitia cognoscitur. 1.929.F.
Testamentorum veteris, atque noui discrimen. 1.239.*P.*
in Testamentis inter filios computandus & Christus. 1.696.F.
Testimonia, quòd Iesus sit filius Dei, dicta mirabilia, quia non ab homine facta sunt. 2.686.*M.*
Testimonia de eodem fuere à Patre cælesti, ab omnibus sacræ Scripturæ paginis, & ab ipsis eiusdẽ Christi operibus. 2.686.*M*
in Testimonium erit lapis, qui est Christus in humilitate positus super lignum, si non fecerimus, quæ dixit. 1.904.F.
Testis in cælo fidelis Christus. 2.267.*P.*
Testis falsus comparatus locustæ ore lædẽti. 2.100.*F.*
Testes sponte se exhibentes eiiciuntur tamquam suspecti. 1.397.*P.*
Testes quales contrà Iesum extiterint. 1.397.*P.*
Thesaurizare in terra ista quàm vanum. 1.512.*P.*
Thesaurus noster visio Dei est, & gloria. 1.1027.*M.*

The-

Digitized by Google

Thesaurus Dei misericordia illius in eos, qui non contempserunt misericordiam. 2. 347. F.

Thesaurus iniquorum in Dei ira, quam paulatim in magnam massam congessit. 2.347. F.

Thesauri Domini arcana celestia. 2.785. M

Et misericordia, atque iustitia. Ibid.

De his thesauris producit ventos frigidos, & calidos, superbos scilicet, & mites, vt iusti quando peccant vexati reuertantur ad Dominum, illos verò mortificet, ac deleat. Ibid.

in Thomam Apostolum tangentem Christi latus, torrentes gratiarum inundarunt. 2.86. M.

Thus cordis internum Deo offerendum. 1. 760. M.

Tibiæ pro luxuria accipiuntur. 2.868. P.

Timere Deum est declinare à malo, simulq. facere bonum. 1.372. M.

Timere Dominum est & colere illum. 1. 342. M.

non Timet iustus tormenta corporalia, & trepidat Dei eloquia, pugnat patiens, & victor euadit; non consentiens, sed permanens in iustitia Dei. 2.707. M.

ne Timeamus perpeti ab aduersarijs mala, vt non cedamus illis ad facienda mala. 2.683. F.

Timeant Deum quàm diuersimodò iusti, atque iniusti. 2.96. P.

Timendo qui non facit malè, mallet facere, si liceret. 1.335. F.

Timendum semper vel iusto cuiq. in hac vita. 1.240. M. & 242. P.

Timens Deum in hac vita securus est in altera vita. 1.825. F.

Timens Deum eum inueniet. 1.995. F.

Timendus magis cõminator, quàm amandus adulator. 1.1067. P.

Timentes Deum inuitantur, vt ad eum veniant. 1.989. P.

Timendus non est, qui tantùm corpus occidere potest. 1.807. P.

non Timentes Deum, legem eius contaminant. 1.826. P.

